This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Über dieses Buch

Dies ist ein digitales Exemplar eines Buches, das seit Generationen in den Regalen der Bibliotheken aufbewahrt wurde, bevor es von Google im Rahmen eines Projekts, mit dem die Bücher dieser Welt online verfügbar gemacht werden sollen, sorgfältig gescannt wurde.

Das Buch hat das Urheberrecht überdauert und kann nun öffentlich zugänglich gemacht werden. Ein öffentlich zugängliches Buch ist ein Buch, das niemals Urheberrechten unterlag oder bei dem die Schutzfrist des Urheberrechts abgelaufen ist. Ob ein Buch öffentlich zugänglich ist, kann von Land zu Land unterschiedlich sein. Öffentlich zugängliche Bücher sind unser Tor zur Vergangenheit und stellen ein geschichtliches, kulturelles und wissenschaftliches Vermögen dar, das häufig nur schwierig zu entdecken ist.

Gebrauchsspuren, Anmerkungen und andere Randbemerkungen, die im Originalband enthalten sind, finden sich auch in dieser Datei – eine Erinnerung an die lange Reise, die das Buch vom Verleger zu einer Bibliothek und weiter zu Ihnen hinter sich gebracht hat.

Nutzungsrichtlinien

Google ist stolz, mit Bibliotheken in partnerschaftlicher Zusammenarbeit öffentlich zugängliches Material zu digitalisieren und einer breiten Masse zugänglich zu machen. Öffentlich zugängliche Bücher gehören der Öffentlichkeit, und wir sind nur ihre Hüter. Nichtsdestotrotz ist diese Arbeit kostspielig. Um diese Ressource weiterhin zur Verfügung stellen zu können, haben wir Schritte unternommen, um den Missbrauch durch kommerzielle Parteien zu verhindern. Dazu gehören technische Einschränkungen für automatisierte Abfragen.

Wir bitten Sie um Einhaltung folgender Richtlinien:

+ *Nutzung der Dateien zu nichtkommerziellen Zwecken* Wir haben Google Buchsuche für Endanwender konzipiert und möchten, dass Sie diese Dateien nur für persönliche, nichtkommerzielle Zwecke verwenden.

+ *Keine automatisierten Abfragen* Senden Sie keine automatisierten Abfragen irgendwelcher Art an das Google-System. Wenn Sie Recherchen über maschinelle Übersetzung, optische Zeichenerkennung oder andere Bereiche durchführen, in denen der Zugang zu Text in großen Mengen nützlich ist, wenden Sie sich bitte an uns. Wir fördern die Nutzung des öffentlich zugänglichen Materials für diese Zwecke und können Ihnen unter Umständen helfen.

+ *Beibehaltung von Google-Markenelementen* Das "Wasserzeichen" von Google, das Sie in jeder Datei finden, ist wichtig zur Information über dieses Projekt und hilft den Anwendern weiteres Material über Google Buchsuche zu finden. Bitte entfernen Sie das Wasserzeichen nicht.

+ *Bewegen Sie sich innerhalb der Legalität* Unabhängig von Ihrem Verwendungszweck müssen Sie sich Ihrer Verantwortung bewusst sein, sicherzustellen, dass Ihre Nutzung legal ist. Gehen Sie nicht davon aus, dass ein Buch, das nach unserem Dafürhalten für Nutzer in den USA öffentlich zugänglich ist, auch für Nutzer in anderen Ländern öffentlich zugänglich ist. Ob ein Buch noch dem Urheberrecht unterliegt, ist von Land zu Land verschieden. Wir können keine Beratung leisten, ob eine bestimmte Nutzung eines bestimmten Buches gesetzlich zulässig ist. Gehen Sie nicht davon aus, dass das Erscheinen eines Buchs in Google Buchsuche bedeutet, dass es in jeder Form und überall auf der Welt verwendet werden kann. Eine Urheberrechtsverletzung kann schwerwiegende Folgen haben.

Über Google Buchsuche

Das Ziel von Google besteht darin, die weltweiten Informationen zu organisieren und allgemein nutzbar und zugänglich zu machen. Google Buchsuche hilft Lesern dabei, die Bücher dieser Welt zu entdecken, und unterstützt Autoren und Verleger dabei, neue Zielgruppen zu erreichen. Den gesamten Buchtext können Sie im Internet unter `http://books.google.com` durchsuchen.

Thr Dogm

Theological School
IN CAMBRIDGE.

The Gift of
COL. BENJAMIN LORING.

HULDRICI ZUINGLII

OPERA

COMPLETA EDITIO PRIMA

CURANTIBUS

MELCHIORE SCHULERO ET IO. SCHULTHESSIO

VOLUMINIS SEXTI TOMUS PRIMUS

LATINORUM SCRIPTORUM

PARS SEXTA

DIVINITY SCHOOL LIBRARY. HARVARD UNIVERSITY

EXEGETICA VETERIS TESTAMENTI RESIDUA

AC DE NOVO TESTAMENTO EVANGELIA

TURICI EX OFFICINA SCHULTHESSIANA

1836.

608.2
Z98.1
1828
v.6 pt.1

COMPLANATIONIS IEREMIAE PROPHETAE,

Cap. 1

FOETURA PRIMA,

CUM APOLOGIA CUR QUIDQUE SIC VERSUM SIT,

PER HULDRICUM ZUINGLIUM.

ILLUSTRISSIMO SENATUI POPULOQUE ARGENTORACENSI HULDRICUS ZUINGLIUS, GRATIAM ET PACEM A DOMINO.

Ut homo carne et animo constat, o Christiani cives, sic Ecclesia, sic regnum, sic res publica spiritu et corpore. In homine carnis desideria, quae cum beluis eadem habet, qui coerceas aut modereris citra imperium animi? Sic cum in Ecclesia, in regno, et Republica multo maxima pars eorum sit, qui ad instar carnis hoc unum optant, ut liceat quod libet, iam opus est sapientia et prudentia, quarum ista doceat, quousque liceat explere desideria; haec vero, qua quaeque lege ac ordine et fieri et facta consistere possint, prospiciat. Ut enim cicures, ni irremissa disciplina custodiantur, ad ingenium redeunt: sic caro ad optata recurrit, nisi moderatore sapientia resupinetur et vapulet, nisi magistra prudentia formetur. Hae igitur sanctae opitulatricesque Deae undenam petendae ac traducendae sunt? E Iovis summi capite, unde natam Poetae Minervam non temere nugantur. Coelo, inquam petendae sunt: nam quae in terra parantur, nec sapientia sunt neque prudentia, sed callidiţas et *πολυπραγμοσύνη*, hoc est, nundinatio et factio. Numinis enim reverentiam ex humanis tolle, et eadem opera ex hominibus beluas, quod Circen fabulae perhibent, feceris. Nam humana sapientia sibi consulit, proximum posthabet, sua quaerit per alterius perniciem. Numinis autem benignitas ac liberalitas, gratis in omnes est officiosa, non imputat, non refert in rationes nomina, sed benefecisse iuvat. Cum igitur quicquid humana sapientia agit, aut sordidum sit aut fraudulentum, quicquid vero divina, splendidum et liberale, hilare ac fidum, constabit arbitror veram sapientiam sub Lunae orbe quaeri non posse: a numine itaque et petitur et datur. Quanquam et hoc *λειτουργὸς* et administros suos habet. Ut enim cumque mens nulla non sit tenebricosissima, nisi illustretur numinis iubare, adhuc tamen habet Prometheos suos, qui

hanc lucem ad homines deferant ac partiantur, Prophetas scilicet et Magistratus. Prophetas, qui sapientiam coelestem doceant. Magistratus, qui vitiata sapientiae opera, hoc est, quae non recte sed stulte facta sunt, corrigant. Ut enim plures sunt qui metu ignominiae abhorrent a scelere quam virtutis amore, ita non satis est recta et optima docuisse, ni more praeceptorum, Magistratus, quae contra ius et fas gesta sunt, emendent. Non quasi vel Prophetae docendo efficere possint, ut quod docent in mentes desidat, vel Magistratus animadvertendo, ut nemo peccet. Sed ministerium Dei ex fide cum obeunt, proximum est, ut magister spiritus eorum fidei respondeat, illuminandis ac mutandis iis quibus illi praedicant, hi vero imminent. Spiritus inquam est, qui corpus Ecclesiae et intus animat, et foris regit. Hic est sapientia, lux, prudentia, vis, et omnino ea mens quae omnia novit, potest, et liberaliter donat. Hunc ergo rerum quas condidit ut nihil latet, ita nullius curam abiicit, quantumvis ad varios usus, honorificos scilicet ac viles, quaeque distinxerit. Huic bruchi bombus non minus exauditur quam Caesaris tubicines. Hinc est, ut humanae imbecillitatis incommoda non possit, aut contemnendo aut negligendo, praeterire. Cibi ac potus indigi sumus et avidi. En omnium quae parit usum, ut hanc necessitatem sarciat, concedit; modum ut modo servemus, nec pergamus vorando lupos, aut bibendo dolium ipsum vincere. Veneris adpetentes sumus. En uxorem, aut, ut olim fiebat, concubinam parat; ea modo contenti non per omnia libidinis genera grassemur. Modus iste ut per universas res sive gerendas sive utendas servetur, anxie ac fideliter docet propheta: monet ut servatus numinis gratiam conciliet: neglectus vero iram illius inflammet. Deinde ut est, hinc male morigerum, hinc vero contumax τῶν μερόπων τὸ γένος, ut pars inscitia (hinc enim μέροπες quod per partes videant, hi etiam qui oculatissimi iudicantur, dicti videntur, et non a partita voce) pars vero contumacia deflectat ab eo itinere quod coelestes ἕρμαι, hoc est; Mercurii et interpretes exponunt, iam Herculibus et Theseis opus est, quorum virtute male nata monstra tollantur. Porro, ni et prophetarum et prophetantium, hoc est prophetas audientium; ni magistratuum, et magisterium suspicientium animi, numinis adflatu incalescant: quid aliud agit propheta quam ut frigidam frigidis suapte sponte suffundat, hoc est, divina vitiet humanis, doceat ut placeat non ut vel arceat vel terreat? Quid magistratus aliud, quam leges circumvenire, publica privata facere, audacissimum quemque observare, quo et libertatem tuentes trucident, et se in tyrannide confirment? Est igitur imperiali isto spiritu, quem sibi rex David ad confirmationem dari postulat, opus, ad quodcunque, sive ecclesiae sive regni sive reipublicae, corpus. Quo monitore propheta docet, solatur, et terret: quo magistratus optima promovet, pessima resecat, et numinis contemptum punit. Quid ergo? An non constat spiritu et corpore ecclesia et respublica perinde atque homo carne et animo? Ut enim innumerabiles humani corporis portiunculae, uno animo et connectuntur et servantur: sic ecclesia, sic populus uno spiritu, in unum sensum ac mentem, et deinde in unum quoque corpus, quantumvis immane coit. Societas inter homines qua virtute conciliatur? Animorum similitudine.

Cum autem tam rarae sint fidae necessitudines et amicitiae, videre iam licet, raram quoque esse animorum similitudinem. Contra quaerimus an Elephantus, qui terrestrium, an Balaena, quae marinarum, maxima belua est, sibi discordet, secum dissideat, membra sua in se mutuo irritet, aut hostile quicquam in se cogitet? Minime. Cuiusnam beneficio? Animae. Ea enim una cum sit, totam tamen istam membrorum molem et inusitatam machinam ex diversis contrariisque partibus compactam, in concordiam, consensum, unanimitatemque cogit. Sic civitas, sic populus, quantumvis magnus ac multus unanimis esse nequit, nisi uno sensu, eadem persuasione menteque ducatur. Sunt enim urbes nihil aliud quam magnae societates, Aristotele quoque teste. Publicus ergo consensus, qui ad omne corpus est necessarius, quomodo ex tam diversis ingeniis coibit, nisi uno spiritu membra vegetentur, nisi eadem doceantur, nisi ex aequo publice curentur, hoc est, pari fide ab his qui praesunt observentur? Is autem spiritus quis alius esse potest, quam qui cuncta ut creavit, ita cuncta disponit ac digerit? Constat igitur nulla re magis, ecclesiae, urbium, populorumque pacem et concordiam conciliari, quam prophetarum magistratuumque officio. Cum enim citra religionem subventanea sit omnis sapientia, frivolum sit omne opus, iam illa in primis curanda est, quae omnium mentes ex aequo tenere debet. Et quamvis neque propheta magistratui neque magistratus prophetae debeat religione cedere, primas tamen ea in re propheta tenet, quia praeceptorum primum munus est docere, posterius ea quae non recte intellecta aut coepta sunt emendare. Sic propheta religionem cunctos simul docebit, ut peculiaris huius rei pontifex et mysta. Magistratus quod sequitur capesset, ut qui, quod probe doctum est, aut non moliuntur, aut contrarium perpetrant, corrigantur. Qua ergo tum disciplinae tum eruditionis supellectile, quibus sanctimoniae et fidei armis, quo prudentiae et constantiae mucrone propheta opus habet? Ne summi numinis sacerdos aut rusticitate aut civilitate nimia, alios deterreat, aliis vero pariat fastidium. Ne ruditate et inscitia illius, veritas obscuretur, aut insulsa contemnatur. Ne impudenter facientem quod vetat, auditores infesta cuspide illa confodiant: Medice cura te ipsum. Ne sua, sed dei ac proximi causa et amore quicquam fecisse deprehendatur. Nostra enim gratia non sua facit deus quicquid facit, cuius ille minister est. Ne imprudenter constans sit, neque inconstanter prudens. Haec ut prophetae tanquam necessaria adsignamus, ita non solius sunt. Magistratus enim eisdem dotibus eget. Sed quod in pugna, idem in ecclesia et populo usuvenit. In pugna strenuos et gnavos esse oportet omnes, at supra ceteros ducem, deinde primipilares, antesignanos ac propugnatores. Sic in ecclesia primum exemplum et archetypus est propheta, cuius ad imaginem se non iam plebs sed patres formare decet. Hic si religiosus, doctus, mitis, fortis, prudens, ac fidus est, quomodo non tales reddet auditores? Iuxta vero, cum magistratus est pius, sanctus, constans, prudens, aequi et boni, iuris ac legum amans, quod vitium obstare poterit quo minus totum corpus, sive ecclesiae sive reipublicae sanum fiat et incolume? E diverso ubi prophetae sui studiosi, ex quo avaritia, *κενοδοξία*, contentio: ovium autem negli-

gentes, ex quo otium, libido, ὑπόκρισις pullulant, esse coeperint, iam non est miraculum non modo gregarias oves, sed ipsos quoque arietes per praeceps lapsos perire. Tanto pluris refert prophetam divinis dotibus esse praeditum, ut qui magistratum cum plebe possit pessundare, quam aliorum quenquam. Illo enim desipiente et acrimoniam amittente, quomodo non insulsa et putrida fient omnia? Magistratu vero cum tota plebe errante, quomodo non ambo protinus in viam reducuntur, ab uno etiam propheta, cum ille murus aheneus, cum sal et lux fuerit? Quae omnia quam vera sint haec tempora probant. Inculcant miserae plebi quidam hodie prophetae nimirum opiniones suas, quas ne ipsi quidem undique perspectas habent: Alii paradoxis et ambiguis gaudent: Quidam μικρολογοῦσι, mentam et anethum decimantes, et quae praecipua legis sunt, negligentes. Quorum illi totos sermones insumunt, Christi corpus per essentiam in coena esse, ore dentibusque mandi: baptismum reliquaque sacramenta peccatis liberare: Isti, opera nefaria scelera esse docent: Animas corpori exemptae interim discere ac proficere, interim vero dormire etiam, quo satis, de laniena in lanienam fidelium mentes traductas, excarnificent, cum nunc stertere, mox stertentes quoque, Lucullo feliciores, qui dormiendo sese ab occisore in se misso defendit, promovere sciendo ac sapiendo perhibent. Postremi vero, sic miserae plebi zonam, sic stolam, calceos, ac pileum vel dilatant vel accidunt, ut propediem credam leges daturos quomodo quemque pexum, tonsum, intonsumque prodire oporteat, atrae bilis perdita mancipia, qui tamen spiritus alis se putant Lunae orbem transvolasse. Sic non satis fuit Cucullam vel paucorum tempora strinxisse, vel ipsam tot septis esse inclusam, ni tota iam ecclesia hypocriseos fermentum recipiat, nisi non iam urbes in monasteria et carceres vertantur, sed totae provinciae. Quid igitur hoc prophetarum genus ab his distat, quorum disputatio inquirebat, sanctius esset aurum an templum, victima an ara? Diviniorem rem faceret, qui in templi fiscum donaria sua referret, an qui parentes penuriae succumbentes levaret? Ab his quoque, qui quo caeteris antecellere sanctimonia viderentur cyminum ac mentam decimabant? Nam sive apud principes sive in urbibus prophetent, huiusmodi nobis homines fingunt, qui nihil quam de opinionibus, et prophetarum suorum eruditione ac sanctimonia fabulentur. Qua vero ex causa? quibus ex fontibus haec hauriunt? ex praeceptoribus. Tales enim fere evaduut discipuli quales sunt magistri. Hic tot annos apud principem nescio quas evangelicas blanditias mussat, Aula, dum interea blasphemat, scortatur, ludit, ac vino se mutuo prosternit, intacta manente. Princeps si quid crudelius aut impurius designat, hoc se scuto, ne cum periculo illum moneat, protegit? Obedite praepositis vestris, Regem honorate, Servi parete dominis. Dignus plane qui serviat, cum nondum videt ista non huc tendere ut ad scelera conniveat, neque his qui prophetae sunt officia dicta esse. Quin te frater excita, oculos exterge, et in haec exempla aciem intende. Helias Ahabum sic adfatur: Ego non turbo Israëlem, sed tu et familia tua. Ieremias Zedekiam contemptae legis, contemptae religionis, et fracti foederis arguit, captivitatemque denuntiat. Ioannes cum propter universa scelera

quae ausus fuerat, Herodem obiurgasset, adit illum postremo, et dicit: Non decet ut fratris coniuge abutaris. Alius in urbe foeneratoribus, negociatoribus, monopolis et publicanis aurem non iam vellicat, sed titillat. Alius rusticum genus ad raptum ac vim invitat, cum ad singulare istud liberumque opus, quo credentes magis impetu spiritus omnia in publicum conferebant, quam ullius legis iussu, oculo parum dextero spectat. Dispeream si horum quisquam adhuc senserit quid docendum susceperit. Nempe numinis supremi cognitionem, observantiam et cultum. Cognitionem, non illam qua de illo disseritur perinde ac de aliquo deorum, ut qui res quasdam modo non omnes curet, sed illam, qua per omnia quae sunt deprehenditur, cuncta ex uno fonte illo esse, unius sapientia constitui, et unius providentia gubernari. Sed illam qua discitur tam sanctam ac puram rem esse, ut quisquis illa frui cupiat nequeat, ni et ipse sit sanctus ac mundus. Cumque in se descenderit, vilemque ac indignum dei vultu se quisque invenerit, non tamen desperandum esse: numen enim paterno adfectu erga nos tangi, quoniam non minus mite et mansuetum sit atque iustum et sanctum; et in huius rei testimonium, natum suum unicum hominibus dediderit, ut sciant sibi apud ipsum omnia esse speranda. Quae plane est rei Christianae summa. Observantiam vero susceperunt docendam, quod nulla re quantumvis sancta fidendum sit, quam deo, quodque nulla iuvando, servando, ac donando est, atque ea, in qua, ex qua, et sub qua omnia sunt. At cultum, quod non alia re coli amat quam fide et innocentia. Haec si ecclesiis suis omni ope inculcarent, iam plus heroum Christianorum esset, quam oratorum: iam quotidie nobis prodirent, qui magno animo pro deo et pro iustitia publica aut revocanda aut sustinenda facere et ferre omnia possent. Tam abest ut recte sentire credam eos, qui blanditiis omnia transigi putant debere. An enim vel Christus ipse non servavit prophetalem acrimoniam? Sed quorsum haec tam multis patres amplissimi? Ieremiam complanavimus, prophetam spiritu ac fide felicissimum, at sorte omnium miserrimum. Ut qui docte satis quidem, sed adhuc magis constanter divina mandata adnunciavit, nihil moratus impiorum regum aut perditorum principum audaciam, et hoc usque ad mortem. Quae mihi non parva felicitas videtur: haec enim constantia, qua nihil est viro dignius, non aliunde orta esse credenda est, quam ab inconcussa in deum fide, quae ubi adest, iam felix et dives omnium est animus: superat enim omnia fides, atque possidet. Sors vero illi misera cecidit. Comminati erant superiores prophetae universa mala, sed eorum nullus pars peruntis Troiae fuit. Ille vero et videre et experiri cuncta, quae nequicquam praedicebat, coactus est. Sed neque his contenta fuit divina tentatio. In Aegyptum quoque a perduellibus ac seditiosis per vim abductus est. Is vobis, Ecclesiaeque vestrae, quantumvis hisce muneribus quidam se non optent honorari, dedicandus tamen visus est. Cum ob eam causam, quod cum ante sesquiannum Isaiam Christianae civitatis urbibus complanatum inscriberemus: in procinctu quidem esset ut eam reciperetis, nec tamen ambabus adhuc manibus complexi eratis; unde in earum urbium catalogum nomen vestrum referre non audebam, quantumvis avide cupiens. Tum ob

istam, quod mihi (luscioso fatear homini, quo minus aut insolescere possitis aut graviter ferre, si quid indoctius aut intempestivius laudavero) talis est ecclesia vestra visa, quae liberalem prophetiam, in qua Ieremias etsi non primas, secundas tamen sine controversia obtinet, ita suspiciat, ita agnoscat, ita adpetat, ut quamvis cunctis dotibus praecellat, hanc tamen simul ingenuitatem prae se ferat ut liberaliter monentes hilari fronte accipiat. Quod sanctae ingenuitatis infallibile signum puto. Quis enim vel sceleratissimus non donat hoc nostrum saeculum esse omni corruptionis genere infame? Quis vero omnium, istud palam dici aequanimiter fert? An enim Romanum et sacerdotium et imperium non fatetur vitiatam esse religionem, vitiatas leges et iura? Quotus autem allaborat, ut lapsa restituantur et fulciantur nutantia? Sed quid dico allaborat, cum nemo fere sit, qui de ruina disserentem audire velit? Vos igitur cum auditis, iam primum ingenuitatis Christianae specimen praebetis. Adde quod universa urbs vestra, quantum in transcursu, cum summa humanitate ad Cattos descendentes exciperetis, videre licuit, sic ad religionem, ad publicam iustitiam, ad aequabilitatem ac pacem propendere visa nobis est, ut si uspiam spes sit restituendae in locum verae pietatis, Argentoraci cum primis id futurum credam. Sic Principes vestri non turgent fastu, sic prophetae commode, fideliter ac erudite docent, sic plebs tranquilla et doctrinam et imperium capit, ut iam dixisse olim non poeniteat, Christianum hominem nihil aliud esse quam fidelem ac bonum civem, urbem Christianam nihil quam Ecclesiam Christianam esse. Haec inquam causae sunt, urbis ecclesiaeque vestrae ingenuitas ex una, ex altera vero huius prophetae libertas, qua ingenue pios offendi non posse non ambigo, cur vobis eum ante omnes dedicaverim. Tum denique ut xenico munere saltem aliquis novos cives acciperet. Non me Hercules quod nostram complanationem tanti aestimem, sed Ieremiae vaticinium et doctrinam. Quae undique sic est pia, docta, prudens, fidelis et constans, ut non credam alium aeque esse vulgo prophetis imitandum. Nam si pietatem consideres, ardet: si eruditionem, nitet: si prudentiam, sapit: si fidem, perstat: si constantiam, vincit. Quot ille gemitibus deplorat populi a deo suo defectionem? Unde non adfert comparationes ac similitudines, ut oratio vel splendore perstringat? quo non circumspicit, ut proficue doceat? Quae illum populi sui principumque perfidia offendere potuit, ut fidem ab eis alienaret? Quibusve personis aut minis consternari, ut ulla in re cessaret? Eum ergo prophetam vobis dedicamus, qui ut fidelissime provinciam obiit, ita infelicissime praedicavit. Neglecta enim est eius doctrina, sed summo cum periculo. Attamen meliore auspicio vobis dedicabitur, quam Iudaeis ille praedicaverit. Renascente enim Evangelio non pauca signa dantur immutandi orbis, cum nulli fere ad Ieremiae praedicationem redirent in viam. Metat ergo vel nunc quod olim seminavit verissimus vates, cum nos eius voce, a veterno expergefacti, numinis imperium audimus, et praeceptam in nos vindictam poenitendo declinamus. Hoc enim est Christianum esse, vivum esse Christi exemplum, non imaginem aut simulacrum; vivam virtutem, non adfectum aut vitium, hoc est: Magno per omnia animo esse ad

magna faciendum, non pervicaci ad superandum in rebus nihili: Hilarem esse in perferendis omnibus, non laetantem ac gestientem per omne libidinis genus: Popularem in auxiliando et consulendo, non fraudulentum ad ambiendum et circumscribendum. Et ut summatim dicam, ad instar dei benignum in omnes, prudentem per omnia, constantem ac fortem in omnibus, ut qui alii quam hominibus placere satagat. Faxit Deus Opt. Max. ut Ieremias, in hunc modum vobis dedicatus, omnibus prosit. Aequi pro vestra prudentia quicquid id est consuletis. Tiguri XI. die Martii. MDXXXI.

INCIPIT IEREMIAS PROPHETA,
IUXTA COMPLANATIONEM HULDRICI ZUINGLII.

SERMONES IEREMIAE FILII HELKIAE SACERDOTIS,

ex eorum numero qui in Anathoth, regionis Beniamin habitabant. Facto primum ad eum sermone Domini temporibus Iosiae filii Amon regis Iuda tertiodecimo anno regni eius. Et perdurante temporibus Iohoiakim filii Iosiae regis Iuda: Et usque dum consummarentur undecim anni Zedekiae filii Iosiae regis Iuda, cum caperetur Ierusalem mense quinto, factus est sermo Domini ad me sic loquentis:

Priusquam te formarem in ventre, cognovi te: et antequam prodires de utero, sanctificavi te, et prophetam populis constitui. Ego vero sic excepi loquentem: Eheu Domine Deus, tu scis quod loquendi rudis sim: sum enim aetate adhuc tenera. Dominus autem sic respondebat mihi: Ne dicas, Tener sum: ad omnia enim ad quae te mittam, ibis, et quaecunque mandavero tibi, loqueris. Cave metuas vultus eorum: ego enim tecum ero ut te liberem, ait Dominus. Ac simul extendit manum suam Dominus, et tetigit os meum, ac iterum locutus est ad me: Ecce, ego insero verba mea ori tuo: Ecce, ego constituo te hoc die super populos et regna, ut extirpes ac demolieris, ut perdas ac dissipes: et, ut aedifices ac plantes. Deinde locutus est ad me Dominus hoc modo: Ieremia quidnam vides? Ego vero respondebam: Virgam imminentem ac vigilantem video. Recte, inquit Dominus ad me, vidisti. Ego enim vigilabo et incumbam consilio meo, ut perficiam ipsum. Factum est autem ut Dominus secundo ad me diceret: Tu quidnam vides? Ollam, inquam, ferventem video, atque eam ab Aquilone. Et dicebat ad me Dominus: Ab Aquilone malum prodibit super omnes qui habitant terram. Quoniam ecce ego vocabo omnes regnorum Aquilonis nationes, inquit Dominus, venientque, et ponent, quisque solium suum in ipso vestibulo portarum Ierusalem, et in omnibus per circuitum muris, perque urbes Iuda. Et iudicia mea per eos proferam super omnibus malis istorum, qui me deseruerunt, et incenderunt diis alienis, et coluerunt opera manuum suarum. Tu ergo accinge renes tuos, surge et loquere ad eos omnia, quae tibi praecipio. Ne paveas a conspectu eorum, quem te formidare nolo. Ecce enim ego facio te

hodie civitatem munitam, columnam ferream, et murum aeneum contra universam terram, contra reges Iuda et principes eius, contra sacerdotes et populum terrae. Pugnabunt ergo contra te, sed non poterunt superare, ego enim tecum sum, ait Dominus, ut liberem te.

CAPUT II.

Factum est itaque verbum Domini ad me sic praecipientis. I et clama in aures Ierusalem, dicendo: Sic locutus est Dominus: Memor sum tui propter bonitatem adolescentiae tuae et amorem tuum integrum, quibus factum est, ut me sequereris per desertum in terra inculta. Sacrosanctus eras Israel Domino, et frugum eius primitiae. Omnes qui devorassent eum delinquebant, mala veniebant super eos, ait Dominus. Audite ergo sermonem Domini, cum domus Iacob, tum omnes familiae domus Israel. Sic alloquitur vos Dominus: Quidnam doli deprehenderunt patres vestri in me, ut longe a me recederent, et vani vana sectarentur? neque cogitarent: ubi relinquimus Dominum qui eduxit nos de terra Aegypti, qui traduxit nos per desertum, per terram inhospitam ac feram, per terram siticulosam et morti simillimam, per terram, per quam nemo transibat, et in qua non habitabant homines. Cum ego vos adduxerim ad terram Carmeli, ut frueremini et fructibus et bonis eius, abiistis et contaminavistis terram meam et haereditatem meam reddidistis abominabilem. Sacerdotes non dicunt, ubi est Dominus: legisperiti ignorant me, pastores praevaricantur in me, prophetae serviunt Baal, et abeunt post ea, quae iuvando non sunt. Quocirca ultra cogor vobiscum iudicio contendere, ait Dominus, et cum filiis vestris. Abite enim ad insulas Chithim et contemplamini, mittite in Cedar et considerate pro virili, atque inspicite num simile quid factum sit, num gens prodiderit Deos, etiamsi isti non sint dii: sed populus meus prodidit gloriam suam propter eum, qui iuvando non est. Propter hoc obstupescite coeli, formidate, et vehementer exarescite, ait Dominus, quia duo mala fecit populus meus. Me deseruerunt fontem aquarum perennium, ut effoderent sibi puteos, puteos conculcatos et contritos qui aquas non habent. An servus an filius familias Israel est? cur ergo in praedam abit? cur in eum ragiunt et vocem dant instar leonum? terram ipsorum desertam reddiderunt, civitates ita dirutae et incensae sunt, ut nemo inhabitet. Sed et filii Mempheos et Thahapanes cervicem tuam constupraverunt. Nonne istud factum est tibi cum desereres Dominum Deum tuum, tunc etiam quum te in via dirigeret. Nunc quoque quid negotii tibi est in via Aegypti? ut aquam turbulentam bibas? Aut quid rei tibi est in via Assyriorum? ut aquam fluvii bibas? Malitia tua increpabit te, et defectio tua te arguet, ut cognoscas et intelligas quam perniciosum et noxium sit quod deserueris Dominum Deum tuum et timor eius non sit apud te, ait Dominus Deus exercituum. Cum a sacculo contriverim iugum tuum et vincula tua ruperim, eo quod orares ne ultra servires: sed supra omnem collem sublimem, et sub omni ligno frondoso prostituis te o meretrix? Cum ego te plantassem, ut tota esses ex vite nobili, et seminario fideli. Quomodo mutata es mihi, ut sis vinea degener et aliena? Id autem usque adeo, ut quantumcunque te

ablues nitro et Borith herba odorifera te condias, maculata tamen sie iniquitate tua in conspectu meo, ait Dominus Deus. Nec est cur dicas: Contaminata non sum, neque post Deos abii. Inspice enim vias tuas in lucis, convallibus, et bustis, et intelliges quid feceris. Tanquam velox dromedarius qui leni incessu graditur, *facta es.* Et ferocia tua similis est Onagro desertis assueto, qui pro voluntate animi spiritum haurit et reddit. Quis te eicurabit? Omnes, qui te investigant, nullo negotio te in menstruis tuis invenient. Munis pedem tuum a nuditate, et guttur tuum a siti, et sic tecum reputas: Omnem curam abiiciam, cum alienos amare et sectari eos constituerim. Quemadmodum pudefit fur cum deprehenditur: sic pudefacta est domus Israel populus, reges et principes eorum, sacerdotes quoque et prophetae. Dicunt enim ligno, Pater meus tu es: et lapidi, Tu me genuisti. Quia adverterunt mihi tergum, non vultum. Sed in tempore adflictionis suae, cum dicent: Surge et salva nos. *respondebo:* Ubi nam sunt Dii tui, quos tibi fecisti: surgant et servent te in tempore adflictionis tuae: nam quot civitates habes, tot sunt dii tui o Iuda. Cur quaeso contenditis mecum cum omnes vos praevaricati sitis in me, ait Dominus. Frustra percutio filios vestros: disciplinam enim non recipiunt. Gladius vester devorat prophetas vestros, sicut leo vastans. Populus Domini estis. Audite ergo sermonem eius. Num solitudo factus sum Israëli? num tellus Cimeria? Cur ergo dicit populus meus, Deficimus, nec ultra accedemus ad te? Num obliviscitur virgo ornamenti sui, aut sponsa fasciae suae? Et populus meus obliviscitur mei diebus innumeris? Cur commendas viam tuam ut gratiam invenias, cum vias tuas sceleribus etiam imbueris? et sub alis tuis inventus sit sanguis pauperum et innocentium hominum, neque id in rimis aut foraminibus, sed in his locis omnibus. Et adhuc audes dicere, Innocens sum: atque, Abeat indignatio eius a me. En ego iudicio tecum contendam, eo quod dicis, Non peccavi. Quantum ergo vilesces *quum constabit quoties* iteraveris vias tuas? Ab Aegypto enim perinde confunderis, atque confusa es ab Assyrio. Hinc enim demigrabis, et manus tuas supra caput tuum copulabis. Irritas enim faciet Dominus spes tuas, neque tibi cum eis prospere succedet.

CAPUT III.

Vulgo sic sentitur, ut si quis uxorem suam repudiet, atque illa abiens alteri nubat, dicatur, Num revertetur ad eam ultra? nonne enim contaminatus est ager ille? Tu autem scortata es cum pastoribus multis: Attamen revertere ad me, dicit Dominus. Leva oculos tuos ad omnes partes, et vide sicubi non sis contaminata. Ad itinera insidiabaris eis in deserto latronis instar, et scortationibus atque sceleribus tuis polluta est terra. Hinc pluviae cessant et serotini imbres. Frons mulieris meretricis facta est tibi, nescis erubescere. Alioqui vel nunc adpellares me, o pater mi, tu es dux adolescentiae meae: num aversaberis in perpetuum, aut abstinebis in finem? Sed ecce loqueris et facis, male magis ac magis. Et dixit Dominus ad me temporibus Iosiae regis: Num vidisti quid fecerit defectrix Israel? quae abiit super omnem montem excelsum, et sub omnem arborem densam, et scortata est ibi? Cum-

que ista omnia fecisset, quomodo dixerim, Revertere ad me: illa autem non sit reversa? Idem vidit perfida soror eius Iuda. Videlicet, quod cum perspecta fuissent mihi omnia adulteria defectricis Israelis, dimisissem eam, atque libellos repudii dedissem: attamen non est reverita perfidia soror eius Iuda, sed abiit et ipsa quoque scortata est. Et fama scortationis eius totam terram pervasit: nam adulterata est cum lapide et ligno. Sed neque ista perfida soror eius Iuda post haec omnia reversa est ad me toto corde suo, sed mendaciter, ait Dominus. Iterum dixit ad me Dominus: Iustior est defectrix Israel quam perfidiosa Iuda. Vade igitur ac praedica sermonem istum versus Aquilonem, et dicito: Revertere defectrix Israel, ait Dominus. Non enim avertam vultum meum a vobis, misericors enim sum, ait Dominus, neque abhorrebo in perpetuum. Veruntamen hac lege, ut agnoscas crimen tuum, quod in Dominum Deum tuum praevaricata es, et copiam tui fecisti alienis sub omni arbore densa, vocem autem meam audire noluisti, ait Dominus. Convertimini filii proditores, ait Dominus, et ego connubium vobiscum conciliabo. Accipiam enim ex vobis unum ex urbe, et duos de cognatione, et inducam vos in Zion. Et dabo vobis pastores iuxta cor meum, qui pascent vos doctrina et sapientia. Usu quoque veniet, quum multi et numerosi fueritis in terra, tunc inquit Dominus non dicetur ultra: Arca foederis Domini: neque enim in pectus ascendet, neque mentio eius incidet, non enim visitabitur aut oblationibus coletur ultra. Tunc vocabunt Ierusalem sedem Domini, et colligentur ad eam omnes gentes propter nomen Domini quod imponetur Ierusalem, neque sequentur ultra consilia cordis sui pravi. Tunc ibunt qui sunt de domo Iuda ad domum Israel, et simul venient a terra Aquilonari ad terram, qua donavi patres vestros. Equidem ostenderam quomodo te in filiorum numerum cooptaverim, et dederim tibi terram iucundae possessionis, et praeclaros exercitus gentium, atque mandaverim: Patrem tuum vocabis me, et ad alios non deficies. Sed quemadmodum fidem frangit femina amatori suo, sic fidem fregistis mihi o domus Israel, dicit Dominus. Audietur ergo undique vox filiorum Israel cum fletu deprecantium, quod contaminaverunt vias suas, et obliti sunt Domini Dei sui. Revertimini filii defectores, ego enim sanabo defectiones vestras; *dicite:* En tui sumus, Tu enim es Dominus Deus noster. Mendaces sunt colles et pompa montium: veruntamen in Domino Deo nostro Israeli salus est. Sed devoravit impudentia cum laborem patrum nostrorum ab incunabulis nostris, tum greges eorum ac boves, filios eorum ac filias. Obdormiemus in impudentia nostra, et operiet nos ignominia nostra: quia Domino Deo nostro peccavimus, et nos et patres nostri ab incunabulis nostris usque in hunc diem, neque obtemperavimus voci Domini Dei nostri.

CAPUT IV.

Si autem reverteris Israel, si ad me, inquam reverteris, ait Dominus; et si amoveris abominationes tuas a conspectu meo, et non vacillaveris, et iurabis, Regnat Dominus, in veritate, in iudicio et iustitia, et ditentur in eo gentes, et in eo gratulentur: Tunc sic loquitur

Dominus ad omnem Iuda et Ierusalem: Novabitis vobis novale et non seminabitis in spinas. Circumcidimini Domino, et auferte praeputia cordium vestrorum omnis Iuda et Ierusalem cives, ne egrediatur ut ignis furor meus, et incendat, neque sit qui extinguat propter malignitatem consiliorum vestrorum. Annunciate in Iuda et Ierusalem, praedicate et dicite: Clangite tuba in terra, clamate ut omnia impleatis, ac dicite: Congregemini, et ingrediamur civitates munitas, extollite signum in Zion, accelerate, ne cessetis. Ego enim adducam malum ab Aquilone et perditionem magnam. Gentium enim vastator solvit et profectus est a loco suo perinde atque leo de cubili suo, ut terram tuam desertam reddat, ut urbes excindat ne quisquam inhabitet. Ideo induite saccos, plangite et ululate: quoniam non remittet ira furoris Domini a vobis. In tempore illo, ait Dominus, concidet cor regis et cor principum, sacerdotes stupescent, et prophetae consternabuntur. Ego autem dicebam: Eheu Domine Deus, tu profecto decepisti populum istum et Ierusalem, dicendo: Pax erit vobis, nunc vero gladius animam penetrabit? In tempore illo dicetur populo isti et Ierusalem, Ventus calidus a plaga Meridionali venit per viam populi mei, non ad ventilandum, neque ad purgandum. Post haec veniet mihi ventus vehemens: tunc ego istos quoque docebo iudicia. Ecce *enim* ascendet sicut nubes, et currus eius procellae similes erunt, equites autem aquilis celeriores. Vae nobis quoniam vastati sumus. Ablue a malitia cor tuum Ierusalem, ut salva fias. Quousque enim morabuntur apud te cogitationes tuae perniciosae? Vox enim a Dan et a monte Ephraim annunciat et praedicat perniciem. Ecce gentes monent ac nunciant Hierosolymae, vastatores venire de terra longinqua, aeque civitatibus Iuda nunciant, sicut agrorum excubiae monent eam per circuitum, quoniam exasperavit me, ait Dominus. Consilia tua et cogitationes tuae tulerunt tibi ista: haec est malitia tua et rebellio quae cor tuum possedit. *Tunc dices:* Ventrem meum, ventrem meum doleo, et vitalia pectoris mei, tumultuatur in me cor meum, vocem continere nequeo. Quoniam vocem tubae audivit anima mea, et clangorem classicum, ad caedem et excidium conclamatur, et iam tota terra perit, subito vastabuntur tabernacula mea, et momento cortinae. Quousque videbo signa *hostilia*, et vocem buccinae audiam? Haec autem ideo accident, quia contempsit me populus meus, et sensum exuit: stulti filii sunt, et parum intelligentes. Prudentes sunt ut agant malum, ut bonum agant, ignari. Inspexi terram, et ecce inanis est et vacua: coelos, et ecce lucem suam non habent. Inspexi montes, et ecce nutant, et omnes colles conturbati sunt. Inspexi, et ecce nihil est hominum, et omnes volucres coeli recesserunt. Inspexi, et ecce Carmelus desertum factus est, et omnes urbes eius dirutae sunt a Domino, et a furore irae eius. Quoniam sic locutus est Dominus: Deserta erit omnis terra, veruntamen consummationem non faciam. Idcirco lugeat terra, et coelum superne moereat, Quia eius, quod cogitavi et constitui, non me poenitebit, neque recedam ab eo. A voce equitum, et eorum qui arcu mittunt, fugiet omnis civitas: in speluncas et nemora abibunt, in rupes conscendent. Omnes urbes desertae erunt, nec quisquam in eis habitabit. Tu ergo vastata, quid

factura es? Si te indues purpura, et aureo mundo ornabis: si pinges oculos tuos stibio, frustra componeris: abominabuntur enim, qui te hactenus deamabant, et animam haurire quaerent. Vocem enim velut parturientis audire videor, aut eius quae primum puerperium experitur. Vocem videlicet querulae filiae Zion brachia spargentis, atque dicentis: Proh dolor mihi, nam deficit me anima mea propter interfectos.

CAPUT V.

Perlustrate Ierusalem foris, inspicite, et cognoscite, intus quoque per plateas eius inquirite, an quenquam inveniatis, qui aut quod aequum est faciat, aut fidei studeat, et parcam, *ait Dominus*. Nam tametsi dixerint, Vivit Dominus, in hoc iurabunt, ut fallant. Cum oculi tui Domini nihil aeque spectant atque fidem. Percussisti enim eos, at nihil doluit eis: emendavisti, sed disciplinam recipere noluerunt. Induraverunt vultus suos magis quam saxum, et redire ad bonam mentem abnuerunt. Quo factum est ut sic mecum reputaverim, Forsan adeo ignobiles et stulti sunt, ut ignorent viam Domini et iudicia Dei nostri. Ibo igitur ad magnates, et cum eis colloquar, an forte isti notitiam habeant viae Domini et iudiciorum Dei sui. At isti aeque omnes iugum contriverunt, et lora confregerunt. Ideo percutiet eos leo de silva, Lupus ad vesperam vastabit eos, Pardus excubabit iuxta urbes eorum, ut omnem isthinc exeuntem discerpat. Quia coacervarunt praevaricationes suas, et desertiones eorum invaluerunt. Num propter ista tibi propitius fierem? Filii tui deseruerunt me, et iuraverunt per eos, qui Dii non sunt: etiam eum ipse iureiurando eos adstrinxissem, adulterati, et meretricis familiae convincti sunt. Facti sunt equi admissarii furore libidinis. Quisque ad uxorem proximi sui adhinnit. Super his num non vindicabo, dicit Dominus? Et gentem, quamcunque etiam, quae huic similis esset, non ulcisceretur anima mea? Ascendite moenia eius, et demolimini: sed consummationem ne faciatis. Putate propagines eius quia Domini non sunt, perfidiose etenim prodiderunt me domus Israël et Iuda, ait Dominus. Negaverunt Dominum, atque dixerunt, Ipse non est *Deus*. Et, Malum non veniet super nos: Gladium et famem non videbimus. Ideo prophetae in ventum abibunt, et qui praedicet, non erit inter eos. Sic agetur cum eis. Propterea sic locutus est Dominus Deus exercituum: Eo quod loquimini sermonem istum, ecce ego vertam verba mea, quae ore tuo loqueris, in ignem, populum autem istum in ligna, ut devoret eos. Ecce ego adducam super vos gentem de longinquo, o domus Israël, ait Dominus, gentem fortem, gentem antiquam, gentem cuius linguam ignorabis, nec intelliges quid loquatur. Pharetra eius praesens sepulchrum est, et universi ex eis fortes sunt. Et comedet ea gens messem tuam et panem tuum: comedet filios tuos et filias tuas: comedet gregem tuam et armenta tua: comedet vineam et ficum tuam: excindet munitas urbes tuas, quibus potissimum fidebas, ferro. Attamen eo tempore, ait Dominus, non perficiam vobiscum consummationem. Cum autem dicent: Quamobrem faciet nobis Dominus Deus noster haec omnia? Respondebis eis: Ideo quod, perinde atque dereliquistis me, et serviistis diis alienis in terra vestra:

ita servietis alienis in terra aliena. Nunciate hoc domui Iacob, et praedicate in Iuda, dicendo: Audi quaeso istud populo stulte et excors; Oculos habetis, sed non videtis: aures quoque, sed non auditis. Nunquid me non metuetis, ait Dominus? an vultum meum non reverebimini? Qui harena mare coercui, id autem ea lege, ut ipsam perpetuo non transgrediatur: impetus quidem molitur, at nihil potest: tumultuatur fluctibus suis, verum non transgreditur eam. Populo autem isti cor perfidum est ac rebelle. Defecerunt et abierunt, ita ut non cogitaverint in cordibus suis, Metuamus saltem Dominum Deum nostrum qui nobis pluviam tempestivam dat, et imbrem serotinum, secundum quod usus postulat, iurata serie messem servat nobis. Iniquitates autem vestrae averterunt haec a vobis, et peccata vestra bono vos privaverunt. In populo enim meo impii inveniuntur, qui laqueos clam tendunt, et expectant ad perdendum homines, et capiendum. Et sicut decipula avibus plena, domus illorum plenae sunt dolo *quaesitis*. Hinc magnitudo et divitiae eorum, hinc pingues facti sunt et opulenti. Criminibus quoque pessimis praevaricati sunt, ius non dicunt, causam pupilli non expediunt, et iudicia pauperum non iudicant. Super his num non vindicabo, dicit Dominus? Et gentem, quamcunque etiam, quae huic similis esset, non ulciscerctur anima mea? stupenda et horrenda fiunt in terra. Prophetae prophetant mendaciter, et sacerdotes obtemperant illis: populo autem meo placent ista: sed quid postremo fiet? *Hoc scilicet.*

CAPUT VI.

Fortes prodeatis filii Beniamin de Ierusalem, et vos Thecuitae clangite tuba, signum quoque tollatur in Bethacherem: malum enim prospexit ab Aquilone, et excidium ingens. Pulchrae ac delicatae similem faciam filiam Zion. Et ad eam venient pastores cum gregibus suis, figent pone illam mapalia per circuitum, et pascent quisque potestati suae traditos. Sed plane loquar? Decernite contra eam praelium. Surgite, ascendamus eum adhuc meridies est. Sed, proh dolor, declinavit iam dies, et umbrae vespertinae adpetunt. Surgite ergo ut ascendamus nocte, et perdamus munimenta eius. Sic enim mandat Dominus exercituum: Cedite arbores eius, et excitate ad Ierusalem aggerem: Haec est urbs, de qua ultio capienda est, omnis enim violentia in ea est. Quemadmodum puteus frigidam suam fovet, sic ista fovet malitiam suam. Rapina et iniuria audiuntur in ea, dolor et vulnus iugiter adparent conspectui meo. Emendare potius o Ierusalem ne recedat anima mea a te, ne te desertam reddam, et regionem tuam ut non habitetur. Sic enim loquitur Dominus exercituum: Reliquiae Israël vindemiabuntur sicut residui racemi. Tu ergo manum tuam ad cartallum refer instar vindemiatoris. Sed quem alloquar aut contestabor ut audiat? Auris eorum usque adeo incircuncisa est, ut capere nequeat. Ecce enim verbum Domini vice opprobrii illis est, nec delectantur eo. Ego autem Domino furore tuo ita repletus sum, ut laborem. Perfice ergo et effunde *eam* in pueros qui in platea sunt, aeque in congregationem iuvenum: quoniam capientur maritus cum uxore, et senex cum decrepito. Et redibunt domus eorum ad alios, aeque agri et uxores;

cum extendam manum meam ad habitatores terrae, ait Dominus. Quoniam a minimo eorum usque ad maximum quisque avaritiae deditus est. Et a propheta usque ad sacerdotem quisque fraudulenter ac mendaciter agit. Interim tamen, ut metu liberent, hac vanitate contritioni populi mei medentur, dicentes: Pax, pax, cum non sit pax. Pudefacti ergo sunt, quia fecerunt abominationem. Sed quid dico Pudefacti? cum vereri aut confundi nesciant. Idcirco inter occumbentes cadent, et in eo articulo, quo eos visitabo, corruent, ait Dominus. Sic locutus est Dominus: Accedite ad vias, expendite et inquirite iter sempiternum: ut si haec sit via bona et recta, ambuletis in ea, ut inveniatis requiem animabus vestris. Sed ipsi dicunt, Non ambulabimus. *Addit Dominus:* Et constituam super vos speculatores, attendite saltem ad vocem tubae: sed dicunt, Non attendemus. Idcirco audite gentes, et scito concio quid in eos *constituerim.* Tu quoque tellus audi: Ecce ego adducam malum super populum istum, fructum consiliorum suorum. Quoniam verbis meis non paruerunt, neque legi meae, sed abhorruerunt ab ea. Quorsum adfertis mihi thus de Saba? et calamum optimum etiam de terra longinqua? Holocausta vestra displicent mihi, et victimae vestrae non iuvant me. Propterea sic loquitur Dominus: Ecce ego mittam ruinam in populum istum, et corruent ex eis patres cum filiis, aeque vicini cum vicinis peribunt. Item sic loquitur Dominus: Ecce populus veniet de terra Aquilonis, et gens magna excitabitur a lateribus terrae. Arcu et scuto armabuntur: gens agrestis et fera est, ac misericordiae nescia, voce sua instar pelagi tumultuatur, equis vehitur, ad unum expedita ad praelium, adversus te o filia Zion. Hic protinus ut famam eius audiemus, dissolventur manus nostrae: angustia et dolor occupabunt nos sicut parturientem. Dicemus, Nemo egrediatur in agrum: nemo per viam publicam proficiscatur: quia hostilis tum gladius tum pavor omnia tenebit. Sacco igitur te accinge o filia populi mei, aspergitoque cinere. Luctum unice amati filii sumito tibi, et planctum eorum quos amarissimum est amittere: quoniam dicto citius vastator super nos aderit. Quem exploratorem constitui super populum meum ad probandum, ut notas faciat et exploret vias eorum. Omnes enim proditorum quoque proditores sunt, turpe lucrum sectantur, aes et ferrum sunt: omnibus enim nocent ac perdunt. Deficiet qui follibus ignem inflammat, deficiet plumbum, in vanum percolabit excoctor: peiores enim sunt quam ut colliquescant. Argentum ergo reprobum vocabuntur. Dominus enim reiiciet eos.

CAPUT VII.

Verbum quod fecit ad Ieremiam Dominus, dicendo: Sta in porta domus Domini, et ibi sublata voce proclama sermonem hunc, atque dicito: Audite verbum Domini omnes qui de Iuda frequentatis portas istas ad colendum Dominum. Sic loquitur Dominus exercituum Deus Israël: Emendate vias vestras, et consilia vestra, et dabo ut inhabitetis locum istum. Nolite fidere verbis mendacibus, dicendo: Templum Domini, templum Domini, templum Domini hic est. Nam si emendabitis ac dirigetis vias vestras et consilia vestra: si ius reddetis cuilibet et

adversario eius: si advenae, pupillo et viduae vim non facietis: si sanguinem innoxium non fundetis in loco isto: si deos alienos secuti non fueritis vestro malo, In loco isto habitare vos faciam, in terra quam dedi patribus vestris a saeculo in saeculum. Sed ecce vos confiditis in consiliis fraudulentis, quae profutura non sunt. Cum enim furto, homicidio, adulterio, periurio per omnia grassati estis: cum Baali incendistis, et deos alienos, ignotos etiam, secuti estis. Tum demum venitis et statis coram me in domo ista, cui nomen meum impositum est, ac dicitis: Liberati sumus, etiamsi admisimus cunctas abominationes istas. Num spelunca latronum facta vobis videtur domus ista, cui datum est nomen meum? Atque ista, *haud clam, sed me* vidente fiunt, ait Dominus. Sed ite quaeso ad locum in Silo, cui dederam nomen meum olim, et contemplamini quid fecerim ei propter malitiam populi mei Israel. Nunc ergo quoniam fecistis omnia opera ista, inquit Dominus, etiamsi mane consurgens nunquam non monnerim vos: locutus enim sum, sed audire noluistis: vocavi, et noluistis respondere: faciam ergo domui isti, cui datum fuit nomen meum, in quam vos speratis, loco inquam isti, quem et vobis et patribus vestris dedi, quemadmodum feci Silo. Et eiiciam vos a conspectu meo, quemadmodum eieci omnes fratres vestros, omne semen Ephraim. Nunc ergo ne ores pro populo isto, nec laudes, nec preces illorum nomine fundas: neque intervenias apud me: quoniam nullatenus te exaudiam. Num non vides quid faciant in civitatibus Iuda, et extra Ierusalem? Filii colligunt ligna, patres ignem suggerunt, uxores autem similam conspergunt, ut faciant placentam Reginae coeli: Diis quoque alienis libant, ut me exasperent. Quanquam, num me exasperant, ait Dominus, et non potius se ipsos pudore perfundunt? Ideo sic loquitur Dominus Deus: Ecce ira mea et furor meus effundetur super locum istum, super homines et iumenta, super ligna agri et terrae proventum, et ardebit ut non possit extingui.

Sic loquitur Dominus exercituum Deus Israel: Holocausta vestra iungitis victimis vestris, et vescimini carnibus. At ego nihil loquutus sum cum patribus vestris, tam abest ut praeceperim eis, cum educerem eos de terra Aegypti, de ratione holocausti et victimae. Sed hoc praecepi eis diserte mandando: Obtemperate voci meae, et ero Deus vester, vos autem eritis populus meus, hac tamen lege, ut ambuletis in omnibus viis, quas mandabo vobis, ut bene sit vobis. Illi autem non paruerunt, neque praebuerunt aurem suam, sed ambulaverunt iuxta consilia et artes cordis sui mali, factique sunt aversi non adversi: Id autem ab eo die, quo egressi sunt patres vestri ex Aegypto, usque ad hunc diem. Ego vero misi ad eos servos meos, omnes prophetas, semper tempestive surgendo ac mittendo: sed non auscultaverunt mihi, neque inclinaverunt aurem suam, verum induraverunt cervicem suam, ac deteriores patribus facti sunt. Tu quoque nunc loqueris ad eos omnia verba ista, sed non auscultabunt tibi: vocabis eos, sed non respondebunt. Dices ergo ad eos: Haec est gens, quae non audit vocem Domini Dei sui, neque recipit disciplinam, periit et exterminata est fides de ore ipsorum. Tonde ergo capillitium tuum et abiice,

adsume luctum per omnem regionem: quia abiiciet Dominus et dissipabit generationem cui iratus est. Filii enim Iuda malum pepetrarunt in conspectu meo, ait Dominus. Posuerunt abominationem suam in aedem, cui nomen meum impositum est, et contaminaverunt eam: Aram quoque Thophet extruxerunt, quae est in valle Benhinnom, ut incenderent filios suos et filias suas igni: quod nunquam praeceperam, neque in mentem meam ascenderat. Propterea ecce venient dies, ait Dominus, quibus non dicetur Thophet aut vallis Benhinnom, sed vallis interfectorum: sepelientur enim in Thopheth, eo quod alium locum non habeant. Eruntque cadavera populi huius esca volucribus coeli et feris terrae, nec erit qui abigat. Vacationem quoque dabo de urbibus Iuda et regione Ierusalem, voci laetitiae et voci gaudii: voci sponsi et voci sponsae, desolata enim erit terra.

CAPUT VIII.

In tempore isto, ait Dominus, proferent ossa regum Iuda et ossa principum eius: ossa sacerdotum et prophetarum atque civium Ierusalem, e sepulchris suis: et exponent ea ad Solem, Lunam, et omnem exercitum coelestem, quae amaverunt, quibus servierunt, post quae abierunt, quae inquisiverunt, et quae adoraverunt: Non colligentur, neque sepelientur, sed velut stercus erunt in superficie terrae. Omnes autem qui residui erunt, de generatione ista prava, mortem potius eligent quam vitam, in quibuscunque tandem locis, in quae dissipabo eos, residui fient, ait Dominus exercituum. Hoc quoque dices ad eos: Sic locutus est Dominus: Num sic cadunt homines ut non resurgant? Num avertuntur et non revertuntur? Qui fit ergo ut populus iste et Ierusalem avertatur aversione perpetua? augescit eis contumacia, renuunt reverti. Contemplatus enim sum et auscultavi, at nemo est qui huius quicquam cogitet, nemo quem malorum suorum poeniteat, et dicat, Quamobrem feci? Quisque posteaquam aversus est perinde se in cursum dedit, atque equus in praelium effusus. Novit Ciconia certum tempus suum. Turtur, Hirundo et Grus observant tempus profectionis suae: sed populus meus ignorat tempus vindictae Domini. Quomodo ergo dicitis, Sapientes sumus, et legem Domini in numerato habemus? Idcirco ecce mendacium concinnat mendax scribarum stilus. Erubescent ergo sapientes, pavebunt, et capientur: Ecce enim verbum Domini abiecerunt. Quae ergo illis sapientia reliqua esse poterit? Quapropter uxores eorum exteris dabo, agros vero vastatoribus eorum: a minimo enim usque ad maximum omnes turpi lucro inhiant. A propheta quoque usque ad sacerdotem omnes agunt mendaciter. Interim tamen medentur contritioni populi mei, elevando, et dicendo, Pax, pax erit, cum nulla nusquam pax sit. Proh pudor, abominabilia faciunt, at verecundia nulla tenentur, et erubescere nesciunt. Propterea inter cadavera cadent, et in tempore visitationis suae corruent, ait Dominus. Colligi quoque faciam eos, ait Dominus. Sicut cum uva non est in vite, nec ficus in ficu, foliaque deciderunt, sic efficiam ut transmigrent, *ac dicant*, Quid cunctamur? colligamur et ingrediamur in civitates munitas et cum silentio isthic expectemus: quia Dominus Deus noster compescuit nos,

et potavit nos aqua felle infecta: eo quod contra eum peccaverimus. Expectamus pacem: at res nihilo meliores fiunt; tempus sanitatis: sed ecce tumor. Tunc audietur a Dan fremitus equorum eius: Ab hinnitu fortium equitum eius concidet omnis regio. Ingredientur enim et devorabunt terram et quicquid in ea est, urbes quoque et cives earum. Sed et hoc faciam: mittam in eos basiliscos, serpentes, qui incantari nequeunt, et mordebunt vos, ait Dominus. Obruit me dolor, et moestitia cor meum occupat. Ecce enim vox clamoris filiae populi mei de terra longinqua audietur. Num Dominus non est in Zion? num rex eius non est in ea? *Ad quae Dominus respondebit*, Cur me exasperaverunt sculptilibus suis, et vanitatibus peregrinis? Praeteriit messis, finita est aestas, nos autem infelices sumus. Contritus sum propter contritionem filiae populi mei: concidi, stupor me tenet. Nulla enim est resina in Galaad; nullus quoque isthic est medicus, qui restituere possit valetudinem filiae populi mei.

CAPUT IX.

Quis suppeditet capiti meo aquam, et oculis meis lachrymarum fontem, ut nocte et die interfectos filiae populi mei defleam? Quis det mihi diversorium avium in deserto, et deseram populum meum atque ab eis recedam. Omnes enim adulteri sunt, et concio deficientium. Linguam suam velut arcum intendunt ad eiaculandum mendacium: sed pro veritate prorsus nihil possunt. Quoniam de malo ad malum transeunt, et me non agnoscunt, ait Dominus. Cuique a proximo suo cavendum est: et fratri suo nullus tuto credit, frater enim fratrem supplantat, et vicinus vicinum circumscribit. Quisque proximo suo illudit, et verum non dicunt. Assuefecerunt linguas suas loqui mendacium, scelerum onere laborant. Sedem suam posuerunt in medio doli, prae dolo renuerunt me agnoscere, ait Dominus. Idcirco sic loquutus est Dominus exercituum: Ecce, ego excoquam et probabo eos. Quid enim aliud facerem populo meo? Lingua eorum instar sagittae acutae dolum loquitur. Palam loquuntur pacem cum proximo, sed domi struunt ei insidias. Num propter ista non visitem eos, dicit Dominus, aut gentem, quamcunque etiam quae huic similis esset? innocentem iudicet anima mea? Super montibus ergo flebile ac lugubre carmen ordiar, et super deserti speciosis naeniam: ut exusta sint, ita ut nemo per ea transeat: ut vox possessoris nulla in eis audiatur: ut volucres coeli cum iumentis isthinc migraverint et abierint. Ipsam quoque Ierosolyma in acervos redigam et cubilia draconum. Urbes autem Iuda desertas reddam, ut sint sine habitatore. Quis quaeso mortalium tam prudens est, ut haec intelligat? aut quem Dominus ore suo alloquutus sit, ut haec nunciet? et dicat: Cur peris o terra? cur incendio deflagras, ut deserti similem nemo pertranseat? Dominus ergo ipse alloquutus est eos qui dereliquerunt legem eius, quam ipsis tulit, quam tamen non sunt amplexi, neque secundum eam vixerunt: sed secuti sunt artes cordis sui, et deos quos eis commendaverunt patres ipsorum. Propterea, inquam, sic locutus est dominus exercituum Deus Israël: Ecce ego cibabo populum istum angustia, et felle eos potabo.

Dispergam eos in gentes, quas nec ipsi nec patres sui noverunt: mittam in eos gladium persequentem donec consumam eos. Item sic locutus est Dominus exercituum: Prospicite ut vocetis lamentatrices, et ad peritas mittite ut veniant propere, et canant de nobis epicedium, ut lachrymae de oculis nostris descendant, et reddant aquam palpebrae nostrae. Vox enim planctus de Zion audiri etiamnunc videtur. Quomodo vastati sumus? quam misere confusi? patriam enim relinquimus, et abiiciunt nos tabernacula nostra. Sed audite potius o vos foeminae verbum Domini, et capiant aures vestrae verbum oris eius, ut doceatis filias vestras luctum, et quaeque vicinam suam planctum, videlicet. Ascendit mors per fenestras nostras, penetravit in aedes nostras, ad perdendum pueros ante fores, et adolescentes in plateis. Tu autem edicito, sic loqui Dominum: Cadaver hominis cadet sicut stercus supra faciem agri, et sicut foenum post metentem, nec erit qui colligat. Sic itidem loqui: Non glorietur sapiens in sapientia sua, nec robustus in robore suo, neque dives in divitiis suis: sed in hoc glorietur gloriabundus, quod intelligat et cognoscat me. Ego enim sum Dominus qui misericordiam, aequitatem et iustitiam in terra facio, quapropter et his unice delector, ait Dominus. Ecce dies venient, ait Dominus, ut visitem omnem qui est circumciso praeputio, Aegyptium, Iudaeum, Idumaeum, Ammonitas, Moabitas, et attonsa coma *Madianitas*, qui desertum incolunt: Nam omnes quidem gentes praeputium habent *carneum*, omnis autem domus Israël praeputium cordis.

CAPUT X.

Audite sermonem Domini, quem ad vos mandat o domus Israël. Sic inquiens: Iuxta rationem gentium ne discatis, et a coeli signis ne formidetis, quae gentes formidant: Ritus enim gentium ac mores vanitas ipsa sunt. Lignum de silva exciditur, manibus artificis atque securi formatur, auro vel argento venustatur, clavis et malleis firmatur ut moveri non possit. Instar palmae riget, neque loquitur, neque incedit, sed baiulatur tantum. Ne metuatis talia, quoniam nec male nec bene facere possunt. Tibi autem Domine nemo similis est, magnus es tu, et magnum est nomen fortitudinis tuae. Quis te non metuat? aut quis regum ex gentibus tibi non morem gerat? Inter omnes enim gentium sapientes, atque in omnibus regnis eorum nemo est tibi similis. Ex aequo indocti sunt et imprudentes. Omnis ars eorum vanitas est: argentum ex Tharsis advectum, et in laminas extenuatum, et aurum ex Ophar, opus artificis, et fusoris manu factum, hiacyntho et purpura indutum: tale est opus omnium simul sapientium ipsorum. Sed Dominus Deus verus est, Deus vivus, et rex sempiternus. Illo irato, contremiscit terra. Illius indignationem omnes gentes sustinere non possunt. Istis recte hoc tribuetis: Dii sunt qui nec coelum nec terram condiderunt: interibunt ergo tam de terra, quam de his quae sub coelo isto sunt. *Huic autem nostro tribuetis*: Terram condidit virtute sua, sapientia sua orbem perfecit, et intelligentia sua coelos extendit. Cum ille vocem dat, ingens aquarum vis in aëre coit: nubes elevat de extremitatibus terrae. Fulgura vertit in pluviam, et educit ventos de loculis

suis. Stultus fit omnis homo sapientia sua: pudefit omnis, qui fundit simulachrum: quia frivolum est quod conflat, et a vita alienum. Ipsi vani artifices et opus stulte concinnatum simul tempore visitationis peribunt. Non talis est sors Iacobi, sed est is qui cuncta formavit: Et Israël est virga haereditatis eius, ei nomen est Domino exercituum. Aufer ocyus e regione turpitudinem tuam, quae adhuc in munitis desides. Quoniam sic locutus est Dominus: Ecce ego eiaculabor habitatores terrae una vice, et torquebo eos ne compareant ultra. Rheu contritionem meam et dolorem plagae meae. Ipse enim hunc dolorem meum et reputo et fero. Tabernaculum meum vastatum est, et funes mei omnes fracti sunt. Filii mei digressi sunt a me, nec ultra comparent. Iam nemo erit qui tendat tabernaculum meum, aut erigat pelles meas. Quoniam stulte egerunt pastores quod Dominum non quaesierant: unde et imprudenter egit omnis grex ipsorum, ac dissipatus est. En rumor adest, et tumultus ingens ab Aquilone, ut vertat urbes Iuda in solitudinem et cubilia draconum. Equidem scio Domine, quod non est homini datum ut vias suas dirigat, neque ut gressus et incessus suos perfectos reddat. Emendabis igitur nos Domine, veruntamen in aequitate, non in ira tua, ne in nihilum redigas nos. Effunde potius iram tuam in gentes quae te non noverunt, et in generationes quae nomen tuum non invocant, vel hanc saltem ob causam, quod Iacobum comederunt, devoraverunt et consumpserunt, et splendorem eius extinxerunt.

ALIUS SERMO QUEM
suggessit Dominus Ieremiae, dicendo.

CAPUT XI.

Audite verba ipsius testamenti, et alloquimini omnem Iuda et habitatores Ierusalem. Tu vero praecipue dices ad eos: Sic loquutus est Dominus Deus Israël: Maledictus sit quisque, qui non obtemperat verbis pacti huius quod praecepi patribus vestris eo tempore, quum educerem eos de terra Aegypti, de fornace ferrea, dicendo: Obedite voci meae, et facite iuxta omnia quae mando vobis, et eritis mihi populus, ego autem ero Deus vester, et servabo iusiurandum, quod iuravi patribus vestris: Ut dem, scilicet, eis terram lacte et melle manantem, quemadmodum videtis impletum esse ad hunc usque diem. Hic ego respondebam atque dicebam, Amen, *Hoc est, verum est, quod dicis* Domine. Dicebat ergo iterum ad me Dominus: Praedica omnia verba ista in civitatibus Iuda, et circum Ierusalem, dicendo: Audite verba foederis, ut faciatis ea! Nam et patres vestros manifeste contestatus sum, ab eo tempore, cum educerem eos de terra Aegypti usque ad hanc diem, tempestive admonendo et dicendo: Auscultate voci meae, et nemo auscultavit, neque aurem suam praebuit: sed secuti sunt cogitationes cordis sui pravas. Ego igitur reos eos feci omnium verborum foederis, quod eis dedi ad implendum, et non impleverunt. Dixit itaque Dominus ad me: Deprehensa est defectio in omni Iuda et civibus Ierusalem. Conversi sunt ad scelera patrum suorum antiquorum,

qui renuerunt audire verba mea: sic et isti secutí sunt deos alienos ad colendum eos. Irritum fecerunt domus Israël et Iuda foedus meum, quod pepigeram cum patribus eorum. Idcirco sic loquitur Dominus: Ecce ego adducam super vos malum, de quo egredi non poteritis: cumque ad me clamabitis, non exaudiam vos. Tunc ibunt urbes Iuda, et cives Ierusalem, et clamabunt ad deos, quibus incenderunt: sed nullo pacto iuvare eos poterunt in tempore adversitatis. Quia par fuit numerus deorum tuorum o Iuda urbibus tuis, et numero platearum Ierusalem pares posuistis pudendas aras in quibus incendistis ipsi Baal. Tu vero ne ores pro populo isto, neque illorum nomine laudes aut preces fundas: cum enim clamabunt ad me, non exaudiam eos in adflictione eorum. Cur amata mea in domo mea facis scelera multa? quasi vero sancta caro te liberet, praesertim quum aliquando malitiam tuam iactaveris. Olivae virentis, speciosae, foecundae, et pulchrae nomen tibi Dominus dederat: Sed audita vehementi fama contraria, incendet te igni, et adfligentur frondes tuae. Dominus enim exercituum, qui te plantavit, malum constituit in te o domus Israël et domus Iuda, propter malum, quod fecistis eum exasperando cultu Baal. Haec o Domine te doctore intellexi, cum tu mihi consilia eorum ostenderes. At ego sicut agnus mansuetus, ut mactarer, destinabar, ignarus quod tale consilium contra me iniissent. Corrumpamus ligno panem eius, et exterminemus eum de consortio viventium, et nominis eius consecrata sit mentio. Te ergo Domine exercituum obsecro, iudex iuste, explorator renum et cordium, ut videam vindictam de eis sumi, tibi enim commendo causam meam. Super his ita locutus est Dominus super civibus Anathoth, qui quaerebant animam meam *haurire*, et dicebant, Noli prophetare in nomine Domini, ne moriaris in manibus nostris. Ita inquam locutus est Dominus exercituum: En ego visitabo vos, Iuvenes vestri morientur gladio, filii autem vestri et filiae morientur fame, sic ut nulli fiant reliqui. Malum enim adducam in cives Anathoth, et annum visitationis eorum.

CAPUT XII.

Tu quidem Domine iustior es, quam ut tecum contendere debeam, Veruntamen aequa tecum conferam: Qui fit ut via impiorum prosperetur, et feliciter agant omnes, qui impudenter praevaricantur? Plantas eos, radicem iaciunt, augescunt, ac fructum reddunt. Ades ori ipsorum, etiamsi a renibus eorum longissime absis. Tu autem Domine cui notus et perspectus sum, quique cor meum exploratum habes, tolleres eos potius sicut gregem macello destinatum, et consecrares ad diem occidionis! Quousque lugebit terra, et omnis herba agri exarescet propter malitiam habitantium in ea? Abeunt iumenta et volucres, dum interim isti dicunt, Non molitur nobis extrema *Deus*. *Sed dicunt:* Cum curreres cum peditibus, deficiebas: cur ergo contendas cum equis certare? Et In terra integra securus eras: sed quomodo facies in fremitu et fastu Iordanis? Nam et fratres tui, et familia paterna simul exibilarunt te, imo plena voce exploserunt te. Non credis eis, etiam cum bona tecum loquuntur. *Quibus ad hunc modum respondeo*,

Equidem reliqui lares meos, cessi hacreditate mea, tradidi, qua nil carius habeo, animam meam in manus hostium eius. Facta est mihi sors mea sicut leo in nemore, effudit contra me vocem suam, unde et odio eam prosequor. Avitium pietum sors mea mihi est, avitium per circuitum supra ipsam est: Ite et congregate omnes bestias agri, ut properent et devorent eam. Pastores multi demoliti sunt vineam meam, conculcaverunt partem meam, partem meam desiderabilem reddiderunt desolatam ac desertam, reddiderunt eam vastam, et nunc vastata gemit ad me. Imo tota terra vastata est, cum nemo sit cui curae sit. Per omnia itinera agri venient vastatores, gladius enim Domini devorabit a termino terrae ad terminum terrae, nec erit pax ulli carni. Seminabunt triticum et metent spinas: haereditatem adibunt, sed evanidam, et pudefietis a proventu vestro, videlicet ab ira furoris Domini. Sic quoque locutus est Dominus super omnibus vicinis molestis, qui contrectant haereditatem, quam dedi populo meo Israël: Equidem eliminabo eos, Israëlem videlicet, de terra sua, et domum Iuda quoque a se ablegabo. Sed fiet posteaquam extirpavi eos ut in gratiam redeam, et miserear eorum atque reducam eos, quemque ad haereditatem suam, et ad terram suam. Id quoque fiet, si *expugnatores populi mei* initiati erunt viis populi mei, ut iurent per nomen meum, Vivit Dominus; quemadmodum docuerunt populum meum iurare per Baal, inserentur populo meo. Quod si non obtemperaverint, eliminabo gentem eiusmodi, ac perdam, ait Dominus.

CAPUT XIII.

Sic quoque locutus est ad me Dominus: I, et compara tibi baltheum lumbarem lineum, et accommoda eum renibus tuis: sed in aquam ne mergito eum. Comparavi ergo baltheum iuxta praeceptum Domini, et renibus adplicui. Postea iterum alloeutus est me Dominus: Accipe baltheum quem comparasti, et lumbis circumdedisti, et surge atque abi ad Euphratem, et absconde ipsum isthic in foramine petrae. Abii ergo et abscondi ipsum, quemadmodum Dominus praeceperat mihi. Factumque est ut post dies multos diceret ad me Dominus: Surge, propera ad Euphratem, et tolle isthinc baltheum lumbarem, quem isthic abscondi praecepi. Profectus ergo ad Euphratem, fodi ac sustuli baltheum de loco, in quem absconderam. Et ecce computruerat baltheus, ita ut nulli prorsus aptus esset usui. Locutus est ergo ad me Dominus his verbis: Sic dicit Dominus: Ad hunc modum perdam superbiam Iuda, et superbiam Ierusalem gladio. Populus iste malignus est, renuit audire verba mea, secutus est consilia cordis sui, et deos alienos, quos coluit et adoravit: idcirco erit sicut baltheus iste, qui prorsus ad nihilum est utilis. Quemadmodum enim baltheus lumbaris renibus viri adhaerescit: sic adglutinavi mihi omnem domum Israël, et omnem domum Iuda, ait Dominus, ut essent populus meus, nomen magnum, honorati et clari, at non obtemperarunt. Dices ergo eis hoc aenigma: Sic loquitur Dominus Deus Israël: Omnis uter impletur vino. Hic protinus respondebunt: Num istud possumus ignorare, quod omnis uter impleatur vino? Tunc dices ad eos: Sic locutus est Dominus:

Ecce ego implebo omnes habitatores terrae huius, et reges qui sedent in solio David, sacerdotes quoque et prophetas, et omnes cives Ierusalem, ebrietate. Et contrudam eos, quemque ad proximum suum, patres quoque et filios ad se mutuo, ait Dominus. Non indulgebo, non parcam, non miserebor quo minus perdam eos. Obtemperate, aurem praebete, et ne elevemini! Dominus enim est qui loquitur. Cedite igitur Domino Deo vestro gloriam, prius quam lucem suam subducat, et priusquam in tenebris offendant pedes vestri ad montem. Tunc si expectetis lucem, in letales tenebras eam vertet et caliginem. Quod si audire nolueritis in occulto monentem, deflebo ex animo *meo* contumaciam *vestram*, misere plorabo, et destillabit oculus meus lachrymam, captivus enim abducetur grex Domini. Dic regi et primatibus: Abdicate vos magistratu, et privati sedete, quia descendet corona decoris vestri de capite vestro. Urbes ad meridiem claudentur, et nemo aperiet. Universus Iuda captivus abducetur, ita ut nemo reliquus fiat. Elevate oculos vestros, et contemplamini eos, qui ab aquilone veniunt. Instar gregis tui, opimi ingeruntur tibi. Cui quid quaeso dicas cum in te irruet? Tu enim docuisti eos, et magistros in caput tuum fecisti: Nonne dolores invadent te tanquam foeminam parturientem? Quod si dicas in corde tuo: Cur evenient mihi ista? *In promptu causa est.* Propter multitudinem scelerum tuorum revelabuntur posteriora tua, et plantae tuae retegentur. Sicut enim Aethiops cutem suam mutabit, et pardus maculas suas: ita vos, qui malo estis imbuti, poteritis boni quid facere. Dissipabo igitur vos quemadmodum stipula raptatur ad ventum Meridionalem. Haec erit sors vestra, et pars eius mensurae, quam vobis reddam, ait Dominus, eo quod obliti estis mei, et speravistis in res fallaces. Ego igitur fimbria tua supra caput tuum collecta, nudabo femora tua, et videbuntur verenda tua, et petulantia, sive hinnitus tuus, crimen scortationis tuae. In agris enim et collibus vidi abominationes tuas. Vae tibi Ierusalem, quia non est spes, ut posthac unquam munderis.

VERBUM DOMINI

quod factum est ad Ieremiam super annonae caritate.

CAPUT XIV.

Lugebit Iuda, et portae eius infrequentes erunt: negligetur terra, et clamor Ierusalem exiliet. Mittent heri iuvenes suos ad aquandum, qui cum ad puteos venient, aquam non invenient; sed vasa vacua referent: tellus enim horrida erit, eo quo nulla in eam descendat pluvia. Agricolae quoque pudefient, et capita sua operient. Cerva, quem in agro pariet foetum relinquet, propter herbae inopiam. Onagri stabunt in palustribus locis, ventum haurientes instar draconum, deficientibus oculis eorum foeni penuria. Certe iniquitates nostrae respondebunt nobis: sed tu Domine secundum nomen tuum facito, tametsi multiplicatae sint defectiones nostrae ac peccata: Tu enim es expectatio et salus Israëlis in tempore tribulationis. Cur fieres peregrinus in terra, et sicut viator, qui ad pernoctandum modo divertit? Cur fieres sicut

vir attonitus, et sicut robustus, qui salvare nequit? Tu enim noster es Domine, et nomen tuum impositum est nobis, ne ergo derelinquas nos. Hic dicebat Dominus super populo isto, qui tantopere fluctuare pedibus amat, neque cessat, unde et domino displicet, ita ut nunc in memoriam revocaturus sit iniquitates eorum, et peccata visitaturus, sic inquam dicebat ad me Dominus: Noli bene precari populo isti. Nam et si ieiunent, non exaudiam preces eorum: si holocausta offerant et victimas, ingrata erunt mihi: gladio enim, fame et peste consumam eos. Ego vero ad haec respondebam: Eheu Domine Deus, ecce prophetae dicunt eis, Non videbitis gladium, et fames non erit vobis, sed pacem firmam dabit vobis Dominus in loco isto. Dicebat ergo Dominus ad me: Prophetae isti mendacium prophetant in nomine meo. Non mandavi eis, non locutus sum eis, neque misi eos. Sed mendacem visionem, augurium, vanitatem, et fraudem cordis eorum prophetant vobis. Quapropter sic locutus est Dominus super prophetis, qui prophetant in nomine meo, cum tamen a me non sint missi, quique dicunt, Nec gladius, nec fames erunt in terra ista. Gladio et fame consumentur prophetae huiusmodi. Populus autem iste, cui ipsi prophetant, extra Ierusalem abiicientur, fame et gladio trucidati, nec erit qui sepeliat eos: nec soli id patientur, sed cum uxoribus, filiis et filiabus. Refundam enim in eos malitiam ipsorum. Hoc quoque dices ad eos: Deducent oculi mei lachrymas die ac nocte, et non cessabunt, quia contritione magna conteretur filia populi mei, et plaga ingenti conficietur. Nam si ad agrum egressurus ero, ecce interfectis gladio operta erunt omnia: si vero in urbem ingressurus, fame omnes videbo confectos. Sed et prophetae et sacerdotes abducentur in regiones ignotas. Numi ergo, inquam ego, prorsus et abiecisti Iudam, et Zion abominaris? Aut percussisti nos sine causa, ita ut sanitatis nulla spes sit reliqua? cum nos interim expectemus pacem, et nihil boni eveniat, et tempus curationis, et ecce maior atque maior turba? *Minime.* Ipsi enim agnoscimus Domine impietates nostras, et iniquitates patrum nostrorum, quod peccavimus in te. Tu vero noli exasperari, propter nomen tuum, nec *a bonitate tua* excidas: memento solii gloriae tuae, neque dissolvas foedus tuum quod nobiscum iniisti. Num sunt inter deos gentium qui pluant? aut coeli reddunt imbres? et non potius tu Domine Deus noster in quem speramus? tu enim facis haec omnia.

CAPUT XV.

Hic interpellabat Dominus, ad me dicendo: Si starent Moses et Samuel coram me, non esset anima mea ad populum istum: eiice illos a facie mea ut egrediantur. Cumque dicent ad te: Quo egrediemur? dices ad eos: Sic respondet vobis Dominus: Pars ad pestem, pars ad gladium, pars ad famem, pars ad captivitatem. Et mittam in eos quatuor mala, ait Dominus, Gladium ad interficiendum, canes ad dilaniandum, volucres coeli, et bestias terrae ad devorandum et perdendum. Et dabo eos ad male tractandum omnibus regnis terrae. Id autem praecipue propter Manassen filium Ezekiae regem Iuda, propter ea quae designavit in Ierusalem. Quem ergo miserebit tui o Ierusalem?

quis lugebit te? aut quis intercedet ut pacem tibi impetret? cum defeceris a me, ait Dominus, et retro abieris? Extendam ergo manum meam in te, et perdam te, ac parcere gravabor. Ventilabro dissipabo te ad fines terrae. Vastabo ac perdam populum meum: noluerunt enim de viis suis reverti. Augebo mihi viduas eius supra harenam maris. Adducam in matres adolescentium eorum vastatorem in meridie. Obruam eos subito hoste et terrore. Orba erit quae septem peperit, exanimabitur anima eius, occidet ei sol multa adhuc die, erubescenti ac prae dolore diffluenti. Reliquos autem eorum gladio hostium obiiciam, ait Dominus. Vae mihi, quod me mea mater unquam genuisti, hominem adversarium, et litigatorem totius terrae, qui etsi neque foeneravi aliis, neque foenori obaeratus sum, attamen omnes me proscindunt. *Ad hanc querimoniam meam* respondit Dominus: An non dirigo te ad bonum? an non succurro tibi in tempore malo? an non cum tibi ex hoste tribulatio imminet? Num adfligit ferrum ferrum? aut aes quod ab Aquilone venit aes? Sed substantiam vestram atque thesauros vestros in praedam dabo, non pro pretio, sed pro omnibus peccatis vestris, quae in omnibus finibus vestris commisistis, et transferam vos cum hoste vestro in terram, quam non novistis. Ignis enim, qui succensus est in furore meo, vos exuret. *Tunc rursus interpellabam:* Tu Domine perspecta habes omnia, recordare mei, et protege me, libera me a persequentibus me, ne suscipias causam meam post longam iram tuam: scis enim quod propter te opprobrium fero. Incidi in verba tua et devoravi ea, facta sunt mihi in gaudium et laetitiam cordis mei: quia nomen tuum invoco Domine Deus exercituum. Non versor inter derisores, ut exultem et glorier: sed metu manus tuae solus habito, quoniam replevisti me amaritudine. Num dolor meus erit perpetuus? et desperabilis plaga mea nunquam curabitur? Num eris mihi instar aquarum fallacium, quae firmae esse nesciunt? Ad haec mea sic respondebat Dominus: Si redis, restituam te ministerio meo, et cum separabis preciosum a vili, eris sicut os meum. Revertentur ipsi ad te, tu vero cave avertaris ad eos. Opponam enim te populo isti murum aeneum ac fortem. Oppugnabunt igitur te, sed non expugnabunt. Ipse enim tecum ero ad salvandum et liberandum te, ait Dominus. Et liberabo te de manu pessimorum, et de manu violentorum eximam.

CAPUT XVI.

Sermo Domini factus est ad me, hoc modo: Noli uxorem ducere, neque habendis liberis operam des in loco isto. Sic enim locutus est Dominus super liberis in loco isto natis, et super matribus eorum, quae eos pariunt, superque patribus eorum, qui generant in terra ista. Mortibus cruciatu plenis morientur. Non plangentur aut sepelientur, sed in sterquiliniis super terram iacebunt. Ferro et fame consumentur, et erunt cadavera ipsorum esca volucribus coeli et bestiis terrae. Item sic locutus est Dominus: Ne adeas coetus, planctum, aut luctum eorum: ego enim abstuli pacem meam a populo isto, ait Dominus, aeque gratiam et misericordiam. Et morientur in terra ista senes et iuvenes,

neque sepelientur ? nemo se pro illis incidet aut radet. Non visitabunt se mutuo in luctu ad consolandum pro mortuo, neque potabunt se mutuo poculo consolatorio ad eximendum moerorem super patre aut matre. Domum quoque symposiorum ne ingrediaris ut sedeas cum eis, nedum ut manduces ac bibas. Quia sic locutus est Dominus exercituum Deus Israël: Ecce ego auferam de loco isto, vobis videntibus ac viventibus, vocem gaudii ac laetitiae, vocem sponsi ac sponsae. Cum ergo annunciabis populo isti omnia verba illa, et ipsi ad te dicent: Cur decrevit Dominus super nos omnia ista mala ingentia? aut quae est iniquitas nostra, et peccatum, quod peccaverimus Domino Deo nostro? Respondebis: Eo quod patres vestri dereliquerunt me, ait Dominus, et secuti sunt deos alienos, quos et coluerunt et adoraverunt: me autem deseruerunt, et legem meam non custodierunt. Vos quoque sceleribus vestris malitiam patrum vestrorum superavistis. Quisque enim vestrum sequitur pravas cogitationes cordis sui mali, quo minus mihi pareat. Eiiciam ergo vos e terra ista in terram, et vobis et patribus vestris, ignotam, et servietis isthic diis alienis die ac nocte, ubi ego nullam vobis clementiam impertiar. Idcirco ecce dies venient, ait Dominus, ut non dicatur ultra, Vivit Dominus, qui eduxit filios Israël de terra Aegypti: sed dicetur, Vivit Dominus qui eduxit filios Israël de terra Aquilonis, et de omnibus regionibus, quo eieceram eos: reducam enim eos ad terram suam, quam dedi patribus eorum. Ecce ego mittam piscatores multos, ait Dominus, qui piscentur eos, et post haec mittam venatores multos, ut venentur eos per omnes montes et colles, et ex petrarum cavernis. Quoniam oculi mei intenti sunt ad omnes vias eorum, et abscondi non possunt a vultu meo, neque celari flagitia eorum a conspectu meo. Id autem posteaquam perfecte retribuero eis pro sceleribus et peccatis eorum, quibus terram meam contaminaverunt, nempe cadaveribus horribilium abominationum suarum, quibus impleverunt haereditatem meam. Domine, fortitudo mea, robur et refugium meum in tempore tribulationis, *tamen* gentes ad te venient de finibus terrae, et dicent: Certe mendacio adhaeserunt patres nostri, vana sunt idola, et nihil frugi inest eis: Num enim faceret sibi homo deos? qui certe dii esse non possunt. Propterea, ecce ego docebo eos nunc, *altera vice*, *ait Dominus*, et notam faciam eis manum meam ac robur meum, et scient quia nomen mihi, Domino.

CAPUT XVII.

Peccatum vestrum o tribus Iuda in tabulam cordis vestri, et in cornibus ararum vestrarum sic scriptum et impressum oportet stilo ferreo et ungue adamantino, ut filii quoque vestri recordentur ararum vestrarum, lucorum et arborum densarum, collium editorum, montium et agrorum. Omnem ergo substantiam vestram ac thesauros praedae exponam, propter crimen excelsorum, quae per omnes fines vestros coluistis. Expungemini etiam de hereditate vestra, quam dederam vobis, et servituti hostis vos subiiciam in terra, quam ignoratis: ignem enim addidistis furori meo, qui ardebit in perpetuum. Haec dicit Dominus: Maledictus homo qui confidit in hominem, et carnem facit brachium

suum, et a Domino recedit cor eius. Erit enim instar Myricae in deserto nascentis, non videns futurum bonum, sed sicca deserti habitans, terram salsuginosam et inhabitabilem. Benedictus homo qui fidit Domino, et cuius spes Dominus est. Erit enim sicut arbor ad aquas plantata, radices suas ad humorem extendens, quae venientem aestum non sentit, sed foliis viret, cumque siccitas annonam extenuat, non est sollicita, nec cessat a ferendo fructu. Omnium, quae vivunt, vaferrimum cor obtinet homo. Quis ergo cognoscet ipsum? Ego Dominus, et cor perscrutor, et renes exploro, atque reddo cuique iuxta vias suas, et iuxta fructum consiliorum eius. Nidum congerit, sed non excludit ova, qui opes parat, sed praeter aequum. In medio vitae suae derelinquit eas, et postremo stultus invenitur. Tu autem Domine cuius solium augustissimum, supremum ac antiquissimum est, qui locum sanctae requiei nostrae habitas, spes Israëlis es. Omnes qui te deserunt, confunduntur, omnes defectores in terra scribuntur, *non in coelo:* derelinquunt enim fontem aquarum perennium Dominum. Sana me Domine, et sanabor: salva me et salvabor: quoniam laus mea tu es. Ecce enim isti dicunt ad me, Ubi est verbum Domini? Eveniat obsecro. Quum tamen ipse gregem ducens in semitis tuis, non urgerem violenter: neque enim fatum hominis unquam concupivi, id quod tu nosti, sed et verba mea recta sunt in conspectu tuo Domine. Ne ergo sis mihi ad pavorem: tu enim es in quem spero cum periculum imminet. Confundentur persecutores mei, sed non confundar ego: formidabunt ipsi, ego autem non formidabo. Induces super eos tempus malorum, et vehementi contritione conteres eos.

Haec item locutus est ad me Dominus, I, et sta in porta populi, ad quem ingrediuntur et egrediuntur reges Iuda, et in omnibus portis Ierusalem, et dices ad eos: Audite verbum Domini reges Iuda et universus Iuda, et cuncti cives Ierusalem, qui transitis per portas istas: Sic mandat Dominus: Cavete animabus vestris, ne tollatis onera die Sabbathi, ad inferendum ea per portas Ierusalem. Neque efferatis onera e domibus vestris die Sabbathi, nec quicquam operae faciatis, sed sanctificate diem Sabbathi, quemadmodum praecepi patribus vestris: quamvis non paruerint, neque aurem praebuerint, sed induraverint potius cervicem suam, quo minus obtemperarent ac disciplinam reciperent. Vos autem si me audietis, ait Dominus, quo minus inferatis onera per portas civitatis huius die Sabbathi, et sanctificabitis diem Sabbathi, quo minus faciatis quicquam operis, transibunt per portas civitatis huius reges ac principes, qui sedebunt super solium David, vecti curribus et equis, ipsi et principes eorum, omnis quoque Iuda transibit, et cives Ierusalem, et habitabitur civitas ista in perpetuum. De civitatibus quoque Iuda, et agro Ierusalem, de terra Beniamin, de campestribus, montanis, et ab eremo venient, ferentes holocausta, victimas, oblationes et thura, laudem quoque offerent in domo Domini. Quod si mihi non obedieritis sanctificando diem Sabbathi, quo minus tollatis onus, et per portas Ierusalem baiuletis die Sabbathi, incendam igni portas eius, qui aedes Ierusalem devorabit, nec poterit extingui.

SERMO DOMINI
quem fecit ad Ieremiam, dicendo.

CAPUT XVIII.

Surge et descende ad domum figuli, ut isthic te reddam certiorem consiliorum meorum. Cum ergo descendissem ad domum figuli, offendebam eum facientem opus supra rotam. Vas autem illud quod faciebat e luto, intra manus figuli rumpebatur. Mutato ergo consilio faciebat aliud vas pro voluntate sua. Hic ergo Dominus ad me sic loquebatur: Num non instar figuli huius potero vobis facere o domus Israël? ait Dominus. Ecce vos estis in manu mea o domus Israël perinde atque lutum in manu figuli. Momento, ut constitui, extirpare, perdere, et excindere gentem aliquam aut regnum, et redierit ea gens a malitia sua, super qua iam consilium coeperam, iam et me piget mali, quod ei facere constitueram. Momento quoque, ut constitui aedificare et plantare gentem aliquam aut regnum, et malum fecerit ea gens in conspectu meo, neque audierit vocem meam, iam et me piget bonorum, quibus eam adficere constitueram. Tu ergo dic quaeso omni Iuda et civi Ierusalem: Sic dicit Dominus: Ecce ego fingo in vos malum, et contra vos conspiro. Redite igitur quisque a via sua mala, et bene tum agite tum consulite. Hic dicent, Mittamus ista! nos enim secundum consilia nostra ambulabimus, et faciemus quisque iuxta libidinem cordis sui. Propterea sic locutus est Dominus: Inquirite oro inter gentes, an quisquam similia audierit, qualia nimis horrenda commisit virgo Israël. Num nix quae in petra Libani tabescit, agros deficere potest? Aut aquarum venae funditus erui, quo minus profluant, irrigent et foecundent? At populus meus oblitus est mei, adeo ut vanis idolis incenderint, et vias suas sequendo aberraverint a via legitima et publica, et abierunt per semitam viae minime vulgaris aut tritae. Quo terram suam in perpetuam desolationem et exibilationem tradiderunt, ut omnis qui per eam transiturus sit, obstupescat et moveat caput suum. Contrario vento dissipabo eos, in conspectu hostis. Cum adest interitus eorum, tergum ipsis advertam non faciem. Dixerunt ergo: Eamus et conspiremus adversus Ieremiam, sacerdotes, quibus lex est credita, seniores, qui sapientia praediti sunt, Prophetae, quibus verbum Domini non deest: eamus inquam, et recidamus ei linguam, ne audire cogamur omnes sermones eius. Intende mihi Domine, et audi vocem adversariorum meorum. Num non redditur pro bono malum, quum fodiunt foveam animae meae? Memor sis, ut steterim coram te ad dicendum pro eis optima, et avertendum iram tuam ab eis. Nunc ergo trade filios eorum fami, et obiice eos violentiae gladii. Fiant foeminae eorum orbae, et viduae, viri autem eorum neci dedantur, iuvenes eorum ferro occumbant in praelio. Oriatur clamor a domibus eorum, de improviso irruentibus in eos latrociniis: quoniam foderunt foveam ad capiendum me, et pedibus meis laqueos absconderunt. Tu autem scis omne consilium eorum ad occidendum me initum. Ne ergo sis propitius sceleribus ipsorum et peccata eorum ante conspectum tuum

non deleantur, sed rei damnentur ante te. Haec facies eis tempore furoris tui.

CAPUT XIX.

Item sic locutus est ad Ieremiam Dominus: I et coeme amphoram figulinam. Et educ seniores populi et sacerdotum, in vallem Benhinnom, quae est extra portam fictilem. Et isthic praedica eos sermones quos tibi dicam. Sic inquam dices: Audite verbum Domini reges Iuda, et cives Ierusalem: Haec mandat Dominus exercituum Deus Israël: Ecce ego adducam adflictionem super locum istum, quam quicunque audiet simul aurium tinnitum experietur. Ista vero ex causa, quod me dereliquerunt, et profanarunt locum istum, et incenderunt diis alienis, quos nec ipsi noverunt, nec patres eorum, neque etiam reges Iuda, et impleverunt locum istum sanguine innocentum. Aedificaverunt enim aram Baal, ad incendendum igni filios suos in holocaustum Baal, quod equidem nec praecepi nec mandavi, neque unquam cogitavi. Idcirco ecce veniet tempus, ait Dominus, ut locus iste non vocetur ultra Thopheth, aut vallis Benhinnom, sed vallis occidionis. Caedam enim Senatores Iuda et Ierusalem in loco isto, et prosternam eos gladio in conspectu hostium suorum, et eorum qui animam ipsorum quaerunt, et tradam cadavera ipsorum escam volucribus coeli, et bestiis terrae. Et reddam urbem hanc desolatam et exibilatam, sic ut omnis qui praetereat eam stupeat, et exibilet supra omnem cladem eius. Et cibabo eos carnibus filiorum suorum, et filiarum suarum: quisque carnem proximi sui comedet in obsidione et angustia, quibus constringent eos hostes ipsorum, et qui quaerunt animam eorum. Et confringes amphoram coram viris istis qui tecum aderunt, ac simul dices ad eos: Sic locutus est Dominus exercituum: Ad hunc modum conteram populum istum ac civitatem, quemadmodum figulus conterit vas, quod refici ultra non potest. Et in Thopheth sepelientur, eo quod alium locum non habeant ad sepeliendum. Sic quoque faciam loco isti, ait Dominus, et habitatoribus eius: urbem enim similem faciam ipsi Thopheth. Sunt enim aedes Ierusalem, et aedes regum Iuda pollutae perinde atque locus Thopheth, propter omnes aedes in quarum coenaculis incenderunt omni exercitui coelorum, et incunctanter libaverunt diis alienis. *His rite peractis*, venit Ieremias ex Thopheth, quo miserat eum Dominus ad prophetandum, et constitit in atrio domus Domini, et dixit ad universum populum: Sic dicit Dominus exercituum Deus Israël: Ecce ego adducam super civitatem istam, et super omnes urbes eius, omne malum quod decrevi super eam: quoniam induraverunt cervicem suam, ut non pareant monitis meis.

CAPUT XX.

Pashur autem sacerdos, filius Immeri, primarius in aede Domini, cum audisset Ieremiam constanter ista prophetantem, percussit Ieremiam prophetam, et coniecit eum in nervum, qui erat ad excelsam portam Beniamin, quae erat in domo Domini. Sequenti vero die, produxit Pashur Ieremiam e nervo, dixitque Ieremias ad eum: Non Pashur,

Hoc est, ascendentem, vel augustum, nobilem, vocabit Dominus nomen tuum, sed Magor, *Hoc est, pavidum,* apud omnes. Sic enim dicit Dominus: Ecce ego faciam te pavorem, cum tibi ipsi, tum omnibus necessariis tuis, qui hostium suorum ferro cadent in conspectu oculorum tuorum. Omnem autem Iuda tradam in potestatem regis Babyloniae, qui partem eorum captivos Babyloniam transferet, partem autem gladio occidet. Aeque omnem opulentiam civitatis huius, omnia opera praeclara, omnia preciosa, et omnes thesauros regum Iuda tradam in manus hostium suorum, qui et spoliabunt eos, et captivos Babylonem transportabunt. Tu vero Pashur cum omnibus domesticis tuis captivus abduceris Babylonem, et isthic morieris ac sepelieris, tu et omnes qui te suspiciunt, quibus mendaciter prophetas. Frangis me Domine, ac rursum confortas potentemque facis. Ludibrio et sannis ab omnibus omni die obruor, propterea quod iam multo tempore praedicans, et in violentiam invehor, et vastitatem inclamo. Unde fit ut verbum Domini mihi opprobrent ac vitio vertant sine intermissione. Cogitabam igitur aliquando eius mentionem non amplius habiturum, neque in nomine eius praedicaturum: sed flebat *verbum Domini* in corde meo et in ossibus meis tanquam cohibiti ignis incendium, quem cum premere conarer, non poteram, etiamsi audirem multorum calumniam, etiam sodalium, et qui apud me assidui erant, undiquaque terrentium ac dicentium: Deferte, aut deferamus eum, si forte frangatur, et praevaleamus adversus eum, et vindictam de eo sumamus. Dominus autem mecum erat, non aliter quam robustus heros, quo propugnante, persecutores mei conciderunt, et nihil potuerunt, pudefiebant vehementer: stulte enim fecerant, unde et opprobrium sempiternum manet *illos.* Tu ergo Domine exercituum, explorator iuste, cui perspecti sunt renes et cor, videam ultionem de eis sumi, nam tibi commendo causam meam. Cantate Domino, et laudate eum: quoniam eripuit animam pauperis e manu violentorum. Maledicta sit dies, in qua natus sum, dies, quo genuit me mater mea, nefastus sit. Maledictus homo, qui nunciavit patri meo, laetificando eum, atque dicendo: Natus est tibi mas. Eveniat isti homini, quod civitatibus quas Dominus citra omnem cunctationem subvertit, audita pessima eorum fama sine intermissione, eo quod non sim occisus protinus cum e vulva effunderer, aut mater mea sepulcrum meum non est facta, retento in vulva conceptu in sempiternum. Cur de vulva egressus sum? ut experiar laborem et dolorem scilicet, et vitam meam in opprobrio agam.

CAPUT XXI.

Sermo Domini quem fecit ad Ieremiam, cum mitteret ad eum Zedekias, Pashur filium Malchiae, et Zephoniam filium Maasiae sacerdotem, cum huiusmodi mandato: Consule quaeso Dominum super nobis, quoniam Nabuchadnezar, rex Babyloniorum, obsidet nos: an forte agat nobiscum Dominus iuxta morem admirandae virtutis suae, atque avertat eum a nobis. Tunc dixit eis Ieremias: Sic respondebitis Zedekiae: Sic locutus est Dominus Deus Israel: Ecce ego eripiam arma bellica, quae in manibus vestris tenetis, et pugnatis contra regem Babylonis,

et contra Chaldaeos, foris ad murum vos oppugnantes, et colligam ea ad medium civitatis huius. Et pugnabo ego vobiscum manu extensa, et brachio forti, cum indignatione, furore et ira magna. Et percutiam habitatores civitatis huius; tam homines quam bestiae peste magna morientur. Et post haec, ait Dominus, tradam Zedekiam regem Iuda, et servos eius et populum, residuos quoque urbis huius, quos pestis, gladius, et fames reliquos fecerunt, in potestatem Nebuchadnezar regis Babyloniae, in manus scilicet hostium suorum, in manus eorum qui vitam eorum sitiunt, qui eos ore gladii ferient, non compatientur, non parcent, nec miserebuntur eorum. Ad populum autem istum dices: Sic locutus est Dominus: Ecce ego proponam vobis, viam vitae et mortis. Qui permanebit in civitate ista morietur ferro, vel fame, vel peste. Qui vero egredietur, ut ad Chaldaeos, qui vos oppugnant, transeat, vitam servabit, et erit ei anima sua veluti parta praeda. Ego enim firmavi vultum meum adversus civitatem istam ad adfligendum eam, et non ad benefaciendum, ait Dominus, ut tradatur in potestatem regis Babyloniae et igni succendatur. Domui autem regis Iuda *dices:* Audite verbum Domini domus David, sic enim locutus est Dominus: Ius reddite protinus, et adserite spoliatum de potestate violenti, priusquam egrediatur ut ignis furor meus, et incendat ut nemo possit extinguere propter malitiam studiorum vestrorum. En me vobis qui *passim* in vallibus, in petris, aut campestribus habitatis, ait Dominus, et dicitis: Quis terrebit nos? aut quis perveniet ad habitationes nostras? Visitabo enim vos pro merito studiorum vestrorum, ait Dominus, et incendam ignem per nemora vestra, ut devoret omnia quae circum vos sunt.

CAPUT XXII.

Sic quoque locutus est Dominus: Descende in domum regis Iuda, et isthic loquere sermonem istum, ac dicito: Audi verbum Domini o rex Iuda, qui sedes in solio David, tu et servi tui, et populus tuus, qui transitis per portas istas. Sic mandat Dominus: Servate aequitatem et iustitiam, et adserite spoliatum de potestate iniuriantis. Advenam, pupillum, et viduam nolite molestare aut depraedari, et sanguinem innocentem ne effundatis in loco isto. Et si constanter ista servabitis, transibunt per portas domus istius reges, qui in solio David sedebunt, et vehentur curribus et equis, ipsi, et servi, et populus eorum. Quod si non obtemperabitis praeceptis istis, per me ipsum iuro, ait Dominus, quod domus ista desolata erit. Sic enim locutus est Dominus super domo regis Iuda: Tu caput es perinde atque Galaad in Libano: sed nisi te in desertum redegero, et urbes tuas ut non habitentur. Destinabo enim in te exterminatorem cum armis suis, qui caedat electas cedros tuas, et in ignem praecipitet. Cumque praeteribunt hanc urbem gentes quaelibet, dicent quisque ad proximum suum: Quam ob rem sic fecit Dominus isti immensae urbi? Tunc dicetur: Eo quod prodiderunt foedus Domini Dei sui, et adoraverunt ac coluerunt deos alienos. Ne defleatis mortuum aut pro eo doleatis, sed impense flete super abeunte; is enim nunquam revertetur, neque videbit suum natale solum. Sic enim dicit Dominus super Sellum filio Iosiae regis Iuda, regnante post

patrem suum Iosiam: Qui egressus est de loco isto non revertetur in eum ultra, quoniam in eo loco, in quem captivus ductus est, morietur, et terram istam ultra non videbit. Vae aedificanti domum suam per iniuriam, et coenacula sua per violentiam *acquisitis*! proximi sui operam frustratur, et mercedem laboris non reddit ei. Apud se cogitat, aedificabo mihi domum amplam, et coenacula ambitiosa. Excindit sibi fenestras, postesque ac limina e cedro, synopide vero pingit. Num te iam regnaturum putas, cum cedro ad aemulationem et invidiam provocas? Pater tuus nonne quod aequum et iustum est operando, edebat, bibebat, ac bene illi erat? Cum videlicet causam oppressi et pauperis vindicaret, bene illi erat, quod unde, quam ab agnitione mei, proveniebat? ait Dominus. Sed oculi tui et cor tuum nullo spectant quam ad avaritiam, ad effundendum sanguinem innocentem, ad faciendum iniuriam et vim. Idcirco sic dicit Dominus de Iehoiakim filio Iosiae rege Iuda: Non plangent eum vulgaribus istis, Eheu frater, eheu soror. Neque istis, Eheu Domine, Eheu inclyte. Sed instar asini sepelietur, putridus et abiectus extra portas Ierusalem. Ascende in Libanum o virgo filia Zion, et clama. In Basan quoque da vocem tuam, et de omnibus limitibus vocifera: quoniam perierunt omnes amatores tui. Haec te monebam rebus tuis adhuc integris. Tu autem dicebas, Nolo audire: atque eum morem habuisti a iuventute tua, ut non pareres voci meae. Omnes pastores tui vento regentur, et amatores tui in captivitatem abibunt. Tunc nimirum erubesces ac pudefies propter omnem malitiam tuam, quae tamen interim in Libano habitas, et in cedris nidularis, Quantus erit gemitus tuus, cum ruina in te irruet sicut dolores in parturientem? Vivo ego, ait Dominus, quod etiamsi Chonenias filius Iehoiakim rex Iuda, sigillaris annulus esset dexterae manus meae, tamen isthinc eum detraherem. Tradam ergo te in potestatem quaerentium animam tuam, in potestatem eorum, quorum tu conspectum formidas, in potestatem Nebuchadnezar regis Babyloniae, et in potestatem Chaldaeorum. Transportaboque te et matrem tuam, quae te genuit, in terram peregrinam, in qua nati non estis: sed in ea moriemini: eam autem terram, in quam desiderabitis redire, non redibitis. Erit vir iste Chonenias sicut simulacrum, raptum et discerptum, quod cum toto adparatu suo nemini placet: unde et relegabitur ipse et semen eius, et eiicietur in terram incognitam. Sed o terra, terra, terra, audi verbum Domini. Sic loquitur Dominus: Scribite virum istum inter abdicatos! non enim prosperabitur vir iste in vita sua. Nullus enim de semine eius prosperabitur, ut sedeat in solio David et regnet in Iuda.

CAPUT XXIII.

Vae pastoribus, qui disperdunt et dissipant gregem meum, ait Dominus. Idcirco sic mandat Dominus Deus Israel ad pastores, qui regunt populum meum: Vos disperditis et extruditis gregem meum, et non visitatis eum: ego igitur visitabo apud vos malitiam studiorum vestrorum, ait Dominus. Et colligam residuos gregis mei de omnibus terris, in quas eieceram eos, atque restituam pascuis suis, ut sobolescant et multiplicentur. Constituam pastores super eos, qui eos pascent: non

pavebunt ultra, neque formidabunt, non enim peribunt, ait Dominus. Ecce tempus veniet, ait Dominus, ut excitem iustum germen David, quod regnet atque prudenter rem gerat, aequitatem quoque et iustitiam in terra instauret. In tempore eius salvabitur Iuda, et Israel habitabit secure, et hoc est nomen, quo *ipsum* adpellabunt, Dominus iustus noster. Ideo ecce tempus veniet, ait Dominus, ut non dicatur ultra, Vivit Dominus, qui eduxit filios Israel de terra Aegypti; sed: Vivit Dominus, qui eduxit et adduxit semen domus Israel de terra Aquilonis, et de omnibus terris, in quas disperseram eos, et habitabunt in terra sua. Vae prophetis quoque. Contritum est cor meum, in me fluctuant omnia ossa mea: similis sum viro ebrio, quem vinum turbat, metu Domini et verbi sancti eius. Quoniam terra plena est adulteris: unde factum est ut execrata lugeat, et speciosa deserti exaruerint. Est enim hominum cursus malus, et robur eorum dissimile *verbo sancto Domini.* Propheta enim et sacerdos ex aequo sunt polluti et hypocritae, et malitiam eorum deprehendi in domo mea, ait Dominus. Propterea erit eis via eorum offendiculum in tenebris, ad quod impingent et cadent. Adducam enim malum super eos, annum visitationis eorum, ait Dominus. Eandem stultitiam, quam vidi apud prophetas Samariae, qua in Baal prophetabant, et seducebant populum meum Israel, apud prophetas quoque Ierusalem vidi, adulterandi foeditatem, et mentiendi licentiam. Contrectant et palpant manus pessimorum hominum quo minus redeant, unusquisque a malitia sua. Hi omnes cum civibus suis sunt mihi loco Sodomae, et civium Gomorrae. Idcirco sic dicit Dominus exercituum super prophetis: Ecce ego cibabo eos absynthio, et aquis felle mixtis potabo. A prophetis enim Ierusalem egressa est hypocriseos contagio in omnem terram. Sic ergo monet Dominus exercituum: Nolite auscultare verbis prophetarum vobis prophetantium: ipsi enim decipiunt vos, visionem cordis sui loquentes, non ex ore Domini. Dicunt his, qui me despiciunt, Dominus dixit pacem futuram esse: et omnibus ambulantibus iuxta cupiditates cordis sui dicunt: Non eveniet vobis malum: quis enim stetit in consilio Domini, ut audierit et intellexerit cogitationem eius? quis perspexit vel audivit consilium eius? Ecce turbo Domini, hoc est, ira eius egredietur, et violenter torquebit se in capita impiorum; neque revertetur ira Domini, donec perfecerit et statuerit cogitationem cordis sui. At futuris diebus intelligetis consilium eius. Non misi, ait Dominus, prophetas *istos*, at ipsi currunt. Nihil locutus sum ad eos, at ipsi prophetant. Quod si in consilio meo stetissent, et verba mea audissent, avertissent populum meum a via sua mala, et a malis cogitationibus eorum. Num ego Deus sum, qui propinquius admota tantummodo videam, ait Dominus, et longius remota minus? Num abscondet se quisquam in latebras, ut eum videre nequeam, ait Dominus? Num non coelum et terram ego impleo, ait Dominus? Audivi *plane*, quaenam dicant prophetae qui prophetant sub praetextu nominis mei mendacium, dicentes: Somniavi, somniavi. Quousque permanebit hoc in corde prophetarum, ut prophetent mendacium? ut prophetent dolum cordis sui? Quorum consilium huc tendit, ut populum meum somniis suis, quae apud quosque narrant, in oblivionem nominis mei

trahant, quemadmodum et patres eorum nominis mei, successione Baali, obliti sunt. Propheta qui somnium vidit, somnium narret! Et cui revelatum est verbum meum, loquatur verbum meum ex fide! Quid enim rei est paleis cum tritico? ait Dominus. Annon verbum meum est sicut ignis, ait Dominus, et sicut bipennis petram findens? Quapropter en me prophetis, ait Dominus, qui suffurantur verbum meum quibuslibet. En me prophetis, ait Dominus, qui supra linguam suam recipiunt, ut dicant: Dicit, *Dominus scilicet.* En me prophetis somniorum mendacium, ait Dominus, quae tamen memorare audent, et seducunt populum meum mendaciis et rebus frivolis, quos ego nunquam misi, neque quicquam eis mandavi, qui et populo isti maximo detrimento erunt, ait Dominus. Cum populus iste te interrogabit, aut propheta, aut sacerdos, ac dicet: Quodnam est onus Domini? dices ad eos, Quid? Onus? Ideo abiiciam vos *quia onus estis*, ait Dominus. Et prophetam, sacerdotem, aut populum, qui hoc vocabulo utetur, Onus Domini, visitabo tam ipsum quam domum eius. Sic autem dicetis quisque ad alium: Quid respondit Dominus, aut quid mandat Dominus? et onus Domini non nominabitis ultra. Sua enim cuique verba onus dici debent, eo quod pervertitis verba Dei viventis, Domini exercituum Dei nostri. Sic dicet quisque ad prophetam: Quid respondit tibi Dominus? aut quid loquitur Dominus? et onus Domini non nominabitis. Propterea sic locutus est Dominus: Eo quod in usum recepistis verbum istud, Onus Domini, quum tamen ad vos miserim interdicendo ne diceretis, Onus Domini; ideo ecce ego credam vos onus esse, sed et abiiciam vos, et civitatem, quam dedi vobis, e conspectu meo, et sempiterno adficiam vos opprobrio atque ignominia quae in oblivionem nunquam venient.

CAPUT XXIV.

Spectrum ostendit mihi Dominus.

Ecce duo calathi ficuum stabant ante templum Domini, posteaquam captivos abduxerat Nebuchadnezar rex Babylonis Iechoniam filium Iehoiakim regem Iuda, principes Iuda, fabros et opifices de Ierusalem, et perduxerat Babylonem. Calathus unus ficus continebat vehementer bonas, quales sunt praecoces: alter vero calathus continebat ficus vehementer malas, quaeque prae austeritate edi non possent. Tunc loquebatur ad me Dominus: Quid vides Ieremia? Et dicebam, Ficus, quarum aliae supra modum bonae, aliae vero supra modum malae, adeo ut edi non possint, *videntur.* Factumque est verbum Domini ad me, hoc modo. Sic loquitur Dominus Deus Israel: Quemadmodum *tu cognoscis* ficus bonas, sic ego agnoscam transportatos Iuda, quos emisi de loco isto in terram Chaldaeorum, bono ipsorum, et oculos meos intendam super eos ad bonum: reducam enim eos ad terram hanc, et aedificabo eos, et non demoliar: plantabo eos et non extirpabo. Et dabo eis cor ut cognoscant me, quod ego sum Dominus. Ipsi erunt populus meus, et ego ero Deus eorum, quoniam revertentur ad me ex

toto corde suo. Et quemadmodum tu cognoscis ficus malas, quae prae malignitate edi non possunt, ita, inquit Dominus, dabo Zedekiam regem Iuda, principes eius, et residuos, qui relicti sunt in terra ista, eos quoque, qui in Aegypto habitant: dabo inquam eos ad vexandum et adfligendum omnibus regnis terrae, in opprobrium, in proverbium, in fabulam et contumeliam, omnibus in locis quo dispergam eos. Et mittam in eos gladium, famem et pestem, donec consumam eos de terra, quam dederam eis et patribus eorum.

SERMO FACTUS AD IEREMIAM

super universo populo Iuda, anno quarto Iehoiakim filii Iosiae regis Iuda, qui annus primus fuit Nebuchadnezar regis Babyloniae. Quem et habuit Ieremias propheta ad universum populum Iuda, et omnes cives Ierusalem, ad hunc modum.

CAPUT XXV.

A tredecimo anno Iosiae filii Amon, regis Iuda usque ad hunc diem, viginti iam tribus annis, creditum est mihi verbum Domini, et allocutus sum vos tempestive surgendo, et constanter admonendo: sed non paruistis. Quanquam miserit ad vos Dominus servos suos omnes prophetas mature surgendo et mittendo: attamen non paruistis, nec praebuistis aurem saltem ad auscultandum. Dicebat ille quidem, Revertimini quaeso quisque a via sua mala, et a malis cogitationibus vestris, et habitabitis super terram, quam Dominus vobis et patribus vestris dedit, a saeculo in saeculum. Et ne abeatis post deos alienos, ut serviatis eis, et adoretis eos: neque exasperetis me operibus manuum vestrarum, et non adfligam vos: sed non audivistis me, dicit Dominus: exasperavistis enim me operibus manuum vestrarum, sed non impune. Idcirco sic locutus est Dominus exercituum: Eo quod non audivistis verba mea, ideo ecce ego mittam et arcessam omnes gentes Aquilonis, ait Dominus, ipsum quoque Nebuchadnezar regem Babylonis servum meum, et adducam eos super terram istam, et super habitatores eius, et super omnes gentes istas, quae per circuitum sunt, et funditus exscindam eos. Redigam eos in desertum, in exibilationem et solitudinem sempiternam. Et auferam ab eis vocem laetitiae et gaudii, vocem sponsi et sponsae, vocem delibutorum cum facibus. Eritque tota terra ista solitudo et desertum. Et servient gentibus praedictis, et regi Babylonis septuaginta annis. Cumque impleti erunt septuaginta anni, visitabo et ipsius regis Babyloniae et populi eius iniquitatem, ait Dominus, ipsam quoque Chaldaeorum terram, et redigam eam in solitudines perpetuas. Et adducam super eam terram omnia verba mea, quae contra eam constitui: omnia quae scripta sunt in libro isto, quem prophetavit Ieremias de omnibus gentibus, quoniam servient et ipsi gentibus multis, et regibus magnis: retribuam enim eis iuxta facinora sua, et iuxta opera manuum suarum. Sic enim locutus est Dominus Deus Israel ad me: Sume calicem hunc vini in furorem trahentis de manu mea, ut potes eo omnes gentes ad quas te mittam, et poti in furorem et insaniam rapiantur, veniente gladio, quem in eos immittam. Accepi ergo calicem

de manu Domini ad potandum omnes gentes, ad quas mittebat me Dominus. Primum autem ipsam Ierusalem et urbes Iuda, reges eius ac principes, ut redigantur in solitudinem, in desertum, in sibilum, et execrationem quemadmodum videmus etiamnunc fieri. Pharaonem quoque regem Aegypti, et servos et principes eius, atque omnem populum eius. Imo promiscue omnes. Omnes reges Ausitidis. Omnes reges terrae Palaestinorum, Ascalonem, Gazam, Accaronem, et reliquias Aschoti. Idumaeos, Moabitas, et filios Ammon. Omnes reges Tyri, et Sidonis. Reges Insularum, quae sunt trans mare. Dedan, Thema, Buz, et attonsa coma Ismaelitas. Omnes reges Arabiae. Omnes promiscue reges qui habitant in deserto. Omnes reges Zimri. Omnes reges Elam. Omnes reges Mediae. Omnes reges Aquilonis prope aut longe sitos, quemque cum proximo suo. Et omnia regna terrae, quae sunt in superficie orbis. Et rex Sesach, inquit, potetur eum eis. Et dices ad eos: Sic mandat Dominus exercituum Deus Israël: Bibite et inebriemini, et concurrite, ut cadatis nunquam resurrecturi, id autem a gladio, quem in vos mittam! Quod si renuerint calicem de manu tua accipere ad bibendum, dices eis: Sic minatur Dominus exercituum. Bibetis certe: Quoniam ecce ego incipio adfligere civitatem, cui datum est nomen meum, et vos impunes dimitterem? non eritis impunes. Ego enim gladium advoco super omnes habitatores terrae, ait Dominus exercituum. Tu ergo annunciabis eis omnes sermones istos, ac dices eis: Dominus e sublimi intonabit et de sancto habitaculo suo vocem dabit, cum fragore intonabit de regia sua: Celeusma edet tanquam vindemiatores super omnes habitatores terrae. Pervenietque sonitus ad fines terrae. Iudicium enim erit Domino cum gentibus: iudicium subibit cum omni carne, ut supplicio dedat impios, ait Dominus. Sic enim locutus est Dominus exercituum: Ecce calamitas pervadet singulatim gentes, et turbo magnus excitabitur a diversis lateribus terrae, et caede grassabitur Dominus in die illo a finibus terrae ad fines terrae, nemo deplangetur, nemo colligetur, nemo sepelietur: sed stercoris instar iacebunt in superficie terrae. Ululate o pastores et clamate, cinere adspergite vos o arietes duces gregis: impletum est enim tempus mactationis et conculcationis vestrae, et concidetis velut vasa ad delicias adfabre facta. Peribit enim fugae occasio pastoribus, et arietibus gregis evasio. Tunc vociferabuntur pastores et arietes gregis ululabunt: Dominus enim vastabit pascua eorum. Et conticescent optima arva eorum prae furore irae Domini. Deserent caulas suas tanquam leo, nam terra eorum desolata erit propter grassantem indignationem et propter furorem irae eius.

CAPUT XXVI.

In principio regni Iehoiakim filii Iosiae regis Iuda factum est verbum hoc a Domino: Sic dixit Dominus: Sta in atrio domus Domini, et loquere ad omnes urbes Iuda, quae veniunt ad domum Domini adoratum, omnes sermones, quos tibi mando ut dicas: cave adimas verbum, si forsan pareant, et revertantur quisque a via sua mala, ut me pigeat malorum, quae constitueram illis facturum propter malitiam

consiliorum suorum, et dices inquam ad eos: Sic locutus est Dominus: Si non parebitis mihi, ut ambuletis in legibus meis, quas vobis tuli, audiendo sermones servorum meorum prophetarum, quos mitto ad vos, tempestive surgendo et mittendo: si inquam non parebitis, reddam aedem istam similem Silo, et urbem hanc obiiciam contumeliae omnium gentium terrae. Et audierunt sacerdotes et Levitae, universusque populus Ieremiam sermones illos praedicantem in aede Domini. Cum ergo perfecisset Ieremias omnia, quae praeceperat ei Dominus praedicare ad universum populum, prehenderunt eum sacerdotes, prophetae, et cunctus populus, et dicebant: Mori te oportet. Cur enim prophetasti tanquam iussu Domini, quod aedi illi eventurum sit quemadmodum Silo: et quod urbs ista desolanda sit, nemo in ea habitet? Cumque universus populus congregatus esset in aede Domini apud Ieremiam, pervenit fama eius rei ad principes Iuda, qui protinus ascenderunt ex aede regia ad aedem Domini, et considerunt ante portam Domini novam. Dicebant ergo sacerdotes et prophetae ad principes et ad cunctum populum haec verba: Reus est mortis homo iste: quoniam prophetavit adversus urbem hanc, quemadmodum auribus vestris audivistis. Tunc dicebat Ieremias ad omnes principes et cunctum populum haec verba: Dominus misit me ad prophetandum contra aedem istam et urbem hanc omnia, quae audivistis. Nunc ergo emendate vias vestras et studia vestra, et obtemperate voci Domini Dei vestri: tunc pigebit Dominum mali quod in vos decrevit. Equidem in potestate vestra sum, facite mihi, quod vobis aequum et bonum videbitur. Veruntamen hoc scitote, quod si me interficiatis, vos ipsos, urbem istam, et cives eius reos facietis innoxii sanguinis: id enim indubitatum est, quod Dominus misit me ad vos, ut praedicem in aures vestras omnes sermones istos. Tunc dixerunt principes et omnis populus ad sacerdotes et prophetas: Non competit capitalis actio in virum istum: nam praedicavit nobis in nomine Dei nostri. Simul etiam surgebant seniores terrae, et sic alloquebantur totam populi concionem. Micheas Morastitha propheta fuit, regnante Ezekia rege Iuda, is dicebat ad omnem populum Iuda: Sic locutus est Dominus exercituum: Zion sicut ager arabitur, Ierusalem in acervos redigetur, et mons domus Domini in excelsum nemus. Nonne longissime abfuit ut occiderit eum Ezekias rex Iuda, aut universus Iuda? Nonne magis reveriti et deprecati sunt faciem Domini? Unde et Dominum poenituit mali, quod in eos decreverat. Et nos committeremus tantum crimen contra animas nostras? Fuit et alius constanter prophetans in nomine Domini, Urias filius Semeae de Cariathiearim, qui prophetaverat contra urbem hanc et terram iuxta cunctos sermones Ieremiae. Et audiverant, rex Iehoiakim, omnes magnates, et principes sermones eius. Quaerebat ergo rex eum occidere. Cumque inaudiisset hoc Urias, timuit et aufugit, profectus in Aegyptum. Misit ergo rex Iehoiakim satellites in Aegyptum Aelnathan filium Achbor, et satellites cum eo in Aegyptum. Qui duxerunt Uriam ex Aegypto, et adduxerunt eum ad regem Iehoiakim, qui eum gladio percussit, et cadaver eius abiecit in sepulchrum vulgi. Sed Ieremiae

auxilium tulit Ahikam filius Saphan, quo minus traderetur in manum plebis et interficeretur.

HAEC IN PRINCIPIO
regni Iehoiakim filii Iosiae, regis Iuda, facta sunt a Domino cum Ieremia.

CAPUT XXVII.

Sic locutus est Dominus ad me: Fac tibi vincula et catenas, et accommoda collo tuo, et mitte ea ad regem Edom, ad regem Moab, ad regem filiorum Ammon, ad regem Tyri, ad regem Zidonis, id autem per legatos, qui venerunt Ierusalem ad Zedekiam regem Iuda, et ista mandabis eis ad heros suos perferenda: sic dicere Dominum exercituum Deum Israël, et ut sic loquantur ad heros suos: Ego sum qui terram feci, hominem et iumenta, quae sunt in superficie terrae, virtute mea magna et brachio meo extento, et tradidi eam ei qui mihi placuit. Nunc autem tradam omnes terras istas potestati Nebuchadnezar regi Babylonis servo meo. Bestias agri quoque illi dabo, ad serviendum. Et servient ei omnes gentes et filio eius et nepoti eius, donec eius quoque terrae tempus veniat, servient inquam, ei gentes multae et reges magni. Porro gens aut regnum, quod servire noluerit Nebuchadnezar regi Babylonis, et quae collum suum noluerit subdere iugo regis Babyloniae, visitabo eam gentem gladio, fame et peste, donec consumam eos in manu eius, ait Dominus. Vos ergo ne audiatis prophetas vestros, divinos, somniorum expositores, augures et incantatores, qui vobis dicunt: Non servietis regi Babylonis: quia mendacium prophetant vobis, ut vos longissime amandent a terra vestra, et ego vos expellam ut pereatis. Gens autem, quae collum suum praebebit iugo regis Babyloniae, et serviet ei, relinquam eam super terram suam, ait Dominus, et colet et habitabit eam. Quin et ad Zedekiam regem Iuda eadem per omnia locutus sum, dicendo: Subiicite colla vestra iugo regis Babyloniae, et servite ei populoque suo, ut salva sint vobis omnia. Cur moreremini, tu et populus tuus, gladio, fame, peste? quemadmodum constituit Dominus super gente, quacunque etiam, quae renuerit servire regi Babylonis. Atque iterum dico, ne audiatis sermones prophetarum prophetantium ac dicentium vobis, Non servietis regi Babylonis: quoniam mendacium vobis prophetant, neque ego eos misi, ait Dominus, etiamsi audeant mendaciter prophetare in nomine meo quo citius vos pellam, et pereatis cum his, qui vobis prophetant. Ad sacerdotes quoque et universum populum istum sic locutus sum: Sic mandat Dominus: Ne audiatis verba prophetarum haec vobis prophetantium: Ecce vasa domus Domini brevi revertentur Babylone, quoniam mendacium prophetant vobis. Nolite audire eos: sed servite regi Babylonis, ut salvi permaneatis! Cur enim redigatur urbs illa in solitudinem? Quod si omnino veri vates videri volunt, et verbum Domini eis est creditum, interveniant, obsecro, apud Dominum exercituum, quo minus reliqua vasa domus Domini, domus regis Iuda, atque Hierosolymae Babylonem perveniant. Sic enim locutus est Dominus

exercituum de columnis, de mari, et de basibus, deque residuis vasis, quae non accepit Nebuchadnezar rex Babylonis, quum transferret Iechoniam filium Iehoiakim regem Iuda de Ierusalem Babyloniam cum omni magistratu Iudae et Ierusalem. Sic inquam locutus est Dominus exercituum Deus Israël de vasis residuis cum domus Domini, tum domus regis Iuda, tum Hierosolymae: Babylonem transportabuntur, et erunt isthic, donec revisam eos, ait Dominus. Tunc restituam et reducam ea in locum istum.

CAPUT XXVIII.

Usuvenerat enim anno quarto Zedekiae regis Iuda, mense quinto, ut Hananias filius Azur propheta de Gabaon in domo Domini me alloqueretur in praesentia sacerdotum et universi populi, ac diceret: Sic locutus est Dominus exercituum Deus Israël: Ego contrivi iugum regis Babyloniae. Et post duos annos ego quoque restituam in locum istum omnia vasa domus Domini, quae abstulit Nebuchadnezar rex Babylonis de loco isto, et transtulit Babylonem. Ipsum etiam Iechoniam filium Iehoiakim regem Iuda, et omnes captivos Iuda, qui Babylonem abducti sunt, ego reducam ad locum istum, ait Dominus: iugum enim regis Babyloniae confringam. Respondebat ergo Ieremias propheta Hananiae prophetae coram sacerdotibus et cuncto populo, adstantibus in domo Domini, et dicebat Ieremias propheta: Amen, sic faciat Dominus, et praestet eam rem quam tu prophetavisti, ut restituat vasa domus Domini, et omnes captivos a Babylone in locum istum. Verumtamen tu quoque audias, quaeso, quod ego dicam te et universo populo audiente: Prophetae, qui ante nos omnibus retro temporibus fuerunt, et super regionibus multis et regnis magnis, vel bellum, calamitatem, et pestem prophetaverunt, vel pacem, in hoc probabantur, quod indubie Dominus misisset eos, si eveniret quod propheta praedixisset. Et tulit Hananias propheta catenam de collo Ieremiae prophetae, et comminuit eam. Atque simul dicebat Hananias audiente cuncto populo: Sic locutus est Dominus: Sic conteram iugum Nebuchadnezar regis Babyloniae, intra duos adhuc annos, de collo omnium gentium. Et abibat Ieremias ad sua, factusque est ad eum sermo Domini, posteaquam comminuisset Hananias propheta catenam de collo Ieremiae prophetae, in hunc modum: I, et dicito Hananiae ista: Sic nunciat Dominus: Catenas ligneas comminuisti, sed reficies pro eis ferreas. Sic enim locutus est Dominus exercituum Deus Israël: Iugum ferreum imponam cunctis gentibus istis, ut serviant Nebuchadnezar regi Babyloniae, quod et facient. Bestias agri etiam ei tradam. Dixit ergo Ieremias propheta ad Hananiam prophetam: Audi obsecro Hanania: Non misit te Dominus sed tu suggeris populo isti spes mendaces. Idcirco sic locutus est Dominus: Ecce ego mittam te, sed e terra: intra annum enim morieris, quia perfidiose locutus es contra Dominum. Et mortuus est Hananias propheta eo anno mense septimo.

CAPUT XXIX.

Hoc est exemplum epistolae quam misit Ieremias propheta de

Ierusalem ad eos captivos cum senes, tum sacerdotes et prophetas, tum populum quoque, quos Nebuchadnezar Babylonem abduxerat; posteaquam abiit Iechonias rex, et regina eius, et eunuchi, principes Iuda et Ierusalem, fabri quoque et artifices Ierusalem: perferentibus eam Aelassa filio Saphan: et Gamaria filio Helkiae, quos mittebat Zedekias rex Iuda ad Nebuchadnezar regem Babylonis Babyloniam. Epistola, inquam, Ieremiae, omnino haec continebat. Sic locutus est Dominus exercituum Deus Israël ad omnes captivos, qui abducti sunt a Ierusalem Babyloniam: Aedificate domos ad inhabitandum: plantate hortos ad vescendum fructibus eorum: ducite uxores ut generetis filios et filias: sed et filiis vestris uxores ducetis, et filias vestras nuptui tradetis ut pariant filios et filias, ut quam maxime sobolescatis isthic: nolite paucitati studere. Sed studete paci eius civitatis, in qua tenemini captivi: et orate Dominum pro ea, quoniam cum pace eius coniuncta erit vestra pax. Sic enim locutus est Dominus exercituum Deus Israël: Non vos seducant prophetae et divini vestri, qui vobiscum sunt, neque credatis somniis vestris quae somniatis. Isti enim mendaciter prophetant vobis in nomine meo, non misi eos, ait Dominus. Sed sic loquitur Dominus: Cum implebitis septuaginta annos in Babylone, visitabo vos, et praestabo vobis pro mea bonitate, ut reducam vos in locum istum. Ego enim scio consilia mea, quae constitui de vobis, ait Dominus. Consilia sunt pacis et non adflictionis, ut dem vobis alia, et denuo bene speretis. Clamabitis ad me, ibitis et orabitis ad me, et exaudiam vos. Quaeretis me, et invenietis, si modo quaeratis me in toto corde vestro. Inveniar inquam a vobis, ait Dominus, et vos a captivitate redimam, et colligam vos de omnibus gentibus, et de cunctis locis, in quae disperseram vos, ait Dominus, et restituam vos in eum locum, unde vos captivos abduxeram. Super eo autem quod dicitis, Dominum vobis in Babylone prophetas excitavisse: sic locutus est Dominus, cum super rege ipso, qui sedet in solio David, tum super omni populo qui habitat in urbe ista, fratribus vestris, qui non abierunt vobiscum in captivitatem, sic inquam locutus est Dominus exercituum super eis: Ecce ego mittam in eos gladium, famem ac pestem, et similes faciam ficubus immaturis, quae prae austeritate edi non possunt. Et persequar eos gladio, fame et peste: Tradam eos vexationi omnium regnorum terrae, in execrationem et horrorem, in exibilationem et opprobrium inter omnes gentes in quas dispergam eos, eo quod non paruerunt mandatis meis, ait Dominus, quae misi ad eos per servos meos prophetas, mane surgendo et mittendo, sed non paruerunt, ait Dominus. Vos autem captivi omnes, quos misi de Ierusalem Babyloniam, audite verbum Domini. Sic locutus est Dominus exercituum Deus Israël super Ahab filio Coliae, et super Zedekia filio Maasiae, qui prophetant vobis in nomine meo mendacium: Ecce ego dabo eos in manum Nebuchadnezar regis Babyloniae, ut occidat eos in conspectu vestro. Et sument de eis execrandi verbum omnes captivi Iuda, qui Babyloniae sunt, ut dicant, Faciat tibi Dominus sicut Zedekiae et sicut Ahabo, quos rex Babylonis igne frixit, eo quod stulte peccavissent in Israël: nam cum proximorum uxores stupravissent, verbum tamen mendax praedicaverunt in nomine

meo, quod non mandaveram eis: haec ego significo et testor, ait Dominus. Super Semeia vero Neelamita sic dices: Sic locutus est Dominus exercituum Deus Israël: Eo quod misisti literas nomine tuo signatas ad universum populum, qui est Hierosolymis, et ad Zephaniam quoque filium Maassiae sacerdotem, et ad omnes simul sacerdotes, quibus eum sic allocutus es: Dominus constituit te sacerdotem pro Iehoiada sacerdote, ut magisterio fungaris domi Domini in omnem fatidico furore correptum, et prophetantem, ut eum in carcerem aut nervum coniicias: qui fit ergo ut non corripueris Ieremiam Anathothitam sine intermissione apud vos prophetantem? Quin et super ista misit ad nos, qui Babyloniae tenemur, denuncians diuturnam fore captivitatem, et ut aedificemus domos ad habitandum, et hortos plantemus, quorum fructibus vescamur. Quas quidem literas Zephonias sacerdos Ieremiae prophetae audienti et auscultanti praelegit. Factum ergo est verbum Domini ad Ieremiam, sic loquentis: Nuncia toti captivitati in hunc modum: Sic locutus est Dominus super Semeia Neelamita. Eo quod prophetavit vobis Semeias iniussu meo, et spes falsas vobis infarsit, ideo sic mandat Dominus: Ecce ego visitabo Semeiam Neelamitam et semen eius, ut nemo suorum habitaturus sit in populo isto, neque visurus bona, quae ego populo huic faciam, ait Dominus: quia perfidiose praedicavit de Domino.

CAPUT XXX.

Sermo, qui factus est a Domino ad Ieremiam: Sic locutus est Dominus Deus Israël: Conscribe omnes sermones quos locutus sum ad te in librum. Ecce enim dies venient, ait Dominus, ut reduces faciam captivos populi mei Israël et Iuda, ait Dominus: restituam enim eos terrae, quam dedi patribus eorum, et possidebunt eam. Addidit autem Dominus, et illa quoque locutus est super Israële et Iuda, sic inquam locutus est Dominus: Vocem terroris plenam audimus, et formidinem rerum turbatarum. Quid enim aliud portendit quod video? nempe fortissimum quemque virum manus suas instar parturientis feminae lumbis impingere: quis enim unquam vidit ut vir pareret? inquirite si lubet! Sed et omnium vultus in aeruginem deformati sunt. Eheu diem istum, tam insignem ut nullus sit ei similis: et o tempus tribulationis Iacobi. De qua tamen liberabitur: Futurum enim est die illa, ait Dominus exercituum, ut comminuam iugum eius de collo tuo, et vincula tua confringam, ut non servias ultra sub eo alienis. Sed servient Domino Deo suo, et David regi suo quem eis excitabo. Tu vero serve meus Iacob ne timeas, ait Dominus, neque paveas Israël. Ecce enim ego salvabo te longe absentem, et semen tuum de terra captivitatis eorum. Et redibit Iacob, quiescet, et genio indulgebit, nec erit qui terreat. Tecum enim ego sum, ait Dominus, ad salvandum te. Quamvis enim consummationem facturus sim in omnibus gentibus in quas te dispersi, at te non consumabo, sed interim castigabo te, sed cum modo: scio enim te nulla ratione esse innoxium. Quia sic ait Dominus: Condoleo contritioni tuae, et languori vulneris tui. Nemo est, qui iudicet causam tuam, aut vulnus obligare pergat: unde

et sanitas tua nihil promovet. Omnes amatores tui obliti sunt tui, et non quaerunt te: quoniam hostili plaga percussi te, et correctione crudeli, id autem propter multitudinem iniquitatum tuarum, quia invaluerunt peccata tua. Cur defles contritionem tuam? dolori tuo ipse quidem condoleo: sed propter multitudinem iniquitatum tuarum, et vim peccatorum tuorum haec tibi feci. Quapropter et omnes qui te devorant, devorabuntur, et omnes hostes tui captivi abducentur. Qui te diripiunt, diripientur, et omnes qui te spoliant, spolium faciam. Quia valetudinem tibi restituam, et vulnera tua sanabo, ait Dominus, eo quod abiectam et neglectam te vocaverunt o Zion, et eam quam nemo curet. Sic enim dicit Dominus: Ecce ego restituam tabernacula Iacobi, et habitationibus eius favebo: Civitas aedificabitur in locum pristinum, et aedes recte fundabitur. Et egredietur de eis laus et vox laetantium. Multiplicabo eos, et non minuentur: amplificabo, et non attenuabuntur. Et erunt filii eorum sicut prius, et ecclesia eorum coram me crescet. Omnes quoque, qui eos molestabunt, visitabo. Et erit ut dux de eo, et princeps eius de medio eius egrediatur: hunc mihi sociabo, et ipse accedet mihi. Quis enim despondet cor suum ut accedat, ait Dominus? Et eritis populus meus, ego autem ero Deus vester. Ecce autem *contra*, furor Domini sicut turbo egredietur, sicut turbo rapidus, et in capite impiorum considet. Non cessabit furor irae Domini, donec faciat et erigat cogitationem cordis sui, quam posteris tandem temporibus intelligetis. In illo tempore, ait Dominus, ero deus omnium cognationum Israëlis, et ipsi erunt populus meus.

CAPUT XXXI.

Sic locutus est Dominus: Populus Israël olim in deserto reliquus a gladio factus, gratiam invenit, ut perveniret ad requiem suam. *Sic et nunc* de longinquo sese manifestabit mihi Dominus, *et dicet:* Ego te aedificabo, ut firma sis, o virgo Israël. Iterum sumes tympana tua, et egredieris cum choro saltantium. Iterum plantabis vineas in montibus Samariae, plantabuntque vinitores, et cantabunt. Cumque tempus erit, clamabunt custodes per montem Ephraim: Surgite, ascendamus Zion ad Dominum Deum nostrum. Quia sic dicit Dominus: Exultate laetitia propter Iacob, vocifera te ad caput gentium, praedicate, canite, et dicite: Liberabit et salvabit Dominus populum suum, reliquias Israëlis. Ecce ego adducam eos de terra Aquilonis, et colligam eos a finibus terrae cum caecis et claudis, qui inter eos sunt, cum praegnante et foeta, eritque ecclesia magna huc redeuntium. Flentes abierunt, sed cum solatio reducam eos. Iuxta aquarum flumina deducam eos, itinere recto et plano, in quo non offendent. Ego enim ero Israëlis pater et Ephraim erit primogenitus meus. Audite gentes verbum Domini, et annunciate per insulas, quae longe sunt dissitae, ac dicite: Qui disperserat Israëlem, colliget eum, atque custodiet sicut pastor gregem suum. Quia liberabit Dominus Iacobum, et adseret eum de manu potentioris. Et venient et exultabunt in monte Zion, et exuberabunt bonis, quae Dominus daturus est eis, tritico, musto, oleo, pullis gregum, et vitulis boum. Et erit animus eorum similis horto irriguo, neque

enim esurient ultra. Tunc laetabitur virgo in choro, aeque iuvenes et senes. Convertam enim luctum eorum in laetitiam, et solabor atque exhilarabo eos a dolore suo. Et imbuam sacerdotum animos pinguedine, et populus meus bonis meis saturabitur, ait Dominus. Sic locutus est Dominus: Vox planctus, fletus, et amaritudinis ad coelum usque pervenit, Rahelis filios suos deplorantis, neque consolationem ullam voluit super eis recipere, eo quod non essent amplius. Sed nunc dicit Dominus: Prohibe vocem tuam a fletu, et oculos tuos a lachrymis! erit enim merces labori tuo, ait Dominus, et revertentur de terra hostili. Sed posteritatem tuam ea spes manet, ait Dominus. Filii enim revertentur in terram suam. Ipsum Ephraim transmigrantem plane audivi, *sic querentem*, Correxisti me Domine, et disciplinam recipiam sicut rudis iuvencus. Converte me et convertar, quoniam tu Domine Deus meus es: quoniam protinus ut me convertes, poenitentiam agam, et ut intellexero, percutiam femur meum. Equidem pudenda et ignominiosa admisi, sed fero opprobria iuventutis meae. *Ad hanc querimoniam sic mecum reputavi*, Nonne filius meus inclytus est Ephraim? nonne natus meus delicatulus? memor enim sum eius, iam inde a primo colloquio: unde et viscera mea super eo moventur. Volens ac lubens miserebor eius, ait Dominus. Constitue tibi excubitores, adhibe tibi praeceptores, adverte cor tuum ad semitam eius viae, per quam tibi ambulandum est, et redi o virgo Israël, redi ad urbes istas tuas. Quousque diffluis o filia defectrix? Novam enim rem faciet Dominus in terra. Foemina circundabit virum. Sic enim dicit Dominus exercituum Deus Israël: Futurum est ut dicant, in terra Iuda et urbibus eius, postquam reduxero eos, verbum istud: Benedicat te mons sancte Dominus decorus iustitiae, *sponsus*. Et habitabunt isthic Iuda et omnes urbes eius, aeque pastores et agricolae. Quoniam saturabo animam esurientem, et omnem animam imbecillem implebo. His *auditis* velut ad me redii, et consideravi tanquam ab amoeno somno evigilasem. Ecce dies venient, ait Dominus, ut seminem domum Israël, et domum Iuda hominibus et iumentis. Futurumque est, ut quemadmodum curae mihi fuit evellere, dissipare, demoliri, perdere, et adfligere eos: ita mihi curae sit ad aedificandum et plantandum eos, ait Dominus. In diebus istis non dicent ultra, Patres comederunt uvam acerbam, et dentes filiorum obstupescunt. Quia quisque propter iniquitates suas morietur, ita ut omnis qui edat uvam acerbam, ipsius dentes obstupescant. Ecce dies venient, ait Dominus, ut feriam cum domo Israël, et cum domo Iuda foedus novum, non iuxta foedus, quod pepigi cum patribus eorum tempore, quo prehensa eorum manu eduxi eos de terra Aegypti, quod testamentum meum ipsi transgressi sunt, et ego severius animadverti in eos, ait Dominus. Sed hoc est foedus, quod feriam cum domo Israël post saepe iam dictos dies, ait Dominus. Inseram legem meam in viscera eorum, et in cor eorum scribam eam, eroque Deus ipsorum, ipsi autem erunt populus meus. Ita ut non doceat quis proximum suum aut fratrem, monendo, Agnosce Dominum. Sed omnes cognoscent me, a minimo eorum usque ad maximum, ait Dominus: Quia propitius ero iniquitatibus eorum, et peccata eorum

non recordabor amplius. Sic locutus est Dominus, qui dedit solem in lucem diurnam, et lunae stellarumque ordinem in lucem nocturnam, qui turbat mare quod fluctibus tumultuatur: Dominus exercituum nomen eius est: Ut lex ista nunquam tolletur e conspectu meo, dicit inquam Dominus: sic semen Israël nunquam cessabit, ut non sit gens coram me omnibus diebus. Sic item locutus est Dominus: Ut mensurari coelum, quod superne est, non potest, neque terrae, quae subtus est, fundamenta pervestigari possunt: ita neque ego repudiabo universum semen Israëlis, propter omnia quae fecerunt, ait Dominus, Ecce dies venient, ait Dominus, ut amplietur civitas Domini, a turre Hananeel usque ad portam moeniorum. Hinc ultra ducetur regula mensurae ante ipsam, usque ad collem Gareb, et circumibit Goatha, et totam vallem cadaverum et cineris, omnem Seremoth usque ad torrentem Cedron, atque isthinc usque ad angulum portae equorum versus Orientem, ubi et sanctuarium Domini constituetur. Et ad hunc modum instaurata non excindetur, aut evertetur in sempiternum.

CAPUT XXXII.

Sermo Domini, quem habuit ad Ieremiam, anno decimo Zedekiae regis Iuda, qui fuit decimus octavus Nabúchadrezar. Tunc obsidebat exercitus Babylonici regis Ierusalem. Ieremias autem propheta tenebatur in atrio custodiae, quae erat domi regis Iuda, quo coniecerat eum Zedekias rex Iuda, eo quod sic prophetasset: Sic locutus est Dominus: Ecce ego tradam urbem hanc in manum regis Babyloniae et capiet eam. Zedekias autem rex non evadet manus Chaldaeorum, sed indubie tradetur in manum regis Babyloniae, qui ore ad os alloquetur eum, et mutuis sese oculis intuebuntur. Et ducetur Zedekias Babylonem, et isthic erit donec visitem eum, ait Dominus. Quod si pugnare contra Chaldaeos constituas, parum prospere pugnabis. Ad quam accusationem sic respondit Ieremias: Dominus ad hunc modum locutus erat ad me: Ecce Hananeel filius Sellum patruelis tuus veniet ad te, postulans ut ad te redimas agrum, qui est in Anathoth: quia propinquitatis iure tibi debetur redemtionis indicium. Veniebat ergo Hananeel filius patrui mei iuxta sermonem Domini ad me in atrium custodiae, et dicebat ad me: Eme obsecro agrum meum, qui est in Anathoth terrae Beniamin: quia tibi ius est vendicandi ex propinquitate, redime eum obsecro. Cognoscebam autem iussu Domini haec fieri, et redemi agrum ab Hananeel filio patrui mei Anathothitae, adpendique pecuniam, siclos septem, et argenteos decem. Et confecto instrumento, atque signato, adhibitisque testibus adpendi pecuniam ad bilancem. Et accepi instrumentum vendicationis, posteaquam rite et pro more signatum et recitatum esset cum descripto, atque tradidi vendicationis instrumentum Barucho filio Neriae filii Mahasiae, praesente Hananeel patruele meo, praesentibusque testibus, qui scripti sunt in instrumento vendicationis, praesentibus denique omnibus Iudaeis, qui adsidebant in atrio custodiae. Simulque praecepi ipsi Barucho coram eis, hoc modo: Sic mandat Dominus exercituum Deus Israël: Ut accipias literas istas vendicationis signatas, et descriptum istud, et imponas in vas testaceum, ut manere

possint multo tempore. Sic enim constituit Dominus exercituum Deus Israël, ut iterum possideantur domus, agri, et vineae in terra ista. Orabam ergo Dominum, posteaquam dedissem literas vendicationis Barucho filio Neriae, ad hunc modum: Eheu Domine Deus, En tu es qui fecisti coelum et terram virtute tua magna, et brachio excelso, et nihil est tibi difficile. Tu facis misericordiam in millia: tu rependis patrum iniquitatem in sinum filiorum, qui post eos nascuntur. Tu es Deus ille magnus ac fortis, cui nomen est Domino exercituum, magnus consilio, et infinitus cogitatione. Oculi tui intuentur omnia itinera filiorum hominum, ad retribuendum cuique pro viis suis, et pro fructibus inventionum suarum. Qui fecisti signa et portenta in terra Aegypti, quemadmodum etiamnunc agnoscimus, tam in ipso Israële quam in *eis* hominibus, quo magnum faceres nomen tuum, quemadmodum etiamnunc est. Et eduxisti populum tuum Israël de terra Aegypti, signis, portentis, manu forti, brachio extento, et formidine magna. Et dedisti eis terram hanc, sicut iuraveras patribus eorum, te daturum eis terram lacte et melle manantem. Cumque venerunt et possederunt eam, non paruerunt voci tuae, et in lege tua non ambulaverunt, sed quicquid praecepisti eis ad faciendum, non fecerunt: idcirco evenerunt eis omnia mala ista. Ecce aggeribus pervenerunt ad urbem ad capiendum eam, quae et tradetur in manum Chaldaeorum, qui eam oppugnant, victa gladio, fame et peste. Et quicquid locutus es, eveniet: ecce enim tibi omnia sunt praesentia. Et tu nihilominus praecipis mihi Domine Deus: Vendica tibi agrum, data pecunia, adhibitisque testibus, cum civitas interim veniat in potestatem Chaldaeorum? Fiebat ergo ad me sermo Domini: Ecce ego Dominus Deus sum universae carnis. Num quid mihi est difficile? Propterea sic mandat Dominus: En ego tradam urbem istam in potestatem Chaldaeorum, et in potestatem Nebuchadnezar Babyloniorum regis, qui eam capiet. Aderunt enim Chaldaei et oppugnabunt urbem istam, et incendent eam igni et comburetur, cum aedibus, in quorum coenaculis incenderunt Baalo, libaveruntque diis alienis, quo me satis provocarent. Cum enim filii Israël et filii Iuda omne malum fecerint in conspectu meo a iuventute eorum: quid aliud quam me duntaxat provocaverunt operibus manuum suarum? ait Dominus. Aut quid aliud fuit urbs ista, quam irritamentum furoris mei, ab eo die, quo aedificata est, usque in praesentem horam? qua eam iure tollam e conspectu meo, propter scelera filiorum Israël et Iuda, quae fecerunt ad irritandum me, ipsi, reges eorum, principes eorum, sacerdotes eorum, prophetae eorum, omnis Iuda, et cives Ierusalem. Adverterunt mihi tergum non faciem, cum docerem eos, mane surgendo et docendo, neque aurem praebuerunt ut disciplinam reciperent. Idola sua posuerunt in aedem, nomini meo sacratam, ut eam polluerent. Aedificaverunt excelsa Baalo in valle Benhinnom ad initiandum filios suos et filias suas ipsi Moloch, id quod ego nunquam praecepi, neque unquam tetigit cor meum, ut faciendis abominationibus istis in peccatum traherem Iudam. Iterum ergo dicit Dominus Deus Israël super urbe ista, quae vobis etiam testibus tradetur in manum regis Babyloniae, victa gladio, fame, et peste: Ecce ego colligam eos

de omnibus terris, in quas dispersi eos in ira mea, in furore, indignatione vehementi, et reducam eos in locum istum, et habitabunt secure. Eruntque populus meus, et ego ero Deus eorum. Et dabo eis cor unum, et viam unam, ut me timeant omnibus diebus, quod profuturum est eis et filiis eorum post eos. Et pangam cum eis foedus sempiternum, quod nunquam desinam eis benefacere, quod timorem meum daturus sum in corda eorum ut non deficiant a me, quod eis benefaciendo delectabor, et quod plantabo eos in terra ista summa fide, ex toto corde meo, et ex tota anima mea. Sic enim locutus est Dominus: Quemadmodum adduxi super populum istum omne malum hoc ingens: sic adducam super eos omne bonum, quod destinavi eis. Et possidebuntur agri in terra ista, quam desertam merito nunc dicitis futuram ab hominibus et iumentis, et quod ventura sit in manus Chaldaeorum. Agri inquam ementur pecunia, scriptis desuper instrumentis, signatis, ac testibus adhibitis, in terra Beniamin, et per circuitum Ierusalem, per urbes Iuda, per urbes montanas, per urbes campestres, et per urbes quae in deserto sunt. Reducam enim captivitatem eorum, ait Dominus.

CAPUT XXXIII.

Iterum factum est verbum Domini ad Ieremiam, cum adhuc stringeretur in atrio custodiae, ad hunc modum: Sic loquitur Dominus, qui efficit quod loquitur, Dominus, qui quod cogitat et fingit, absolvit, *ille*, cui nomen est Domino: Clamavisti ad me, et respondi tibi, atque exposui magna et ardua, *quae* vobis ignota erant. Sic inquam loquitur, Dominus Deus Israël de aedibus regum Iuda diruendis per munitiones et arma, venientibus ad expugnandum Chaldaeis, et eas hominum cadaveribus implentibus, quos in ira et furore meo percutiam, averso vultu meo a civitate ista, propter omnia mala eorum. Ecce ego, *ait Dominus*, obducam eis cicatricem et sanitatem, et curabo eos, aperiam eis thesaurum pacis ac fidei. Et reducam aversionem Iudae, et aversionem Israëlis, et instaurabo eos ut olim fuerunt. Et emundabo eos ab omni iniquitate eorum, qua peccaverunt contra me, ac propitius ero omnibus sceleribus eorum, quae admiserunt praevaricando contra me. Et cedet hoc mihi ad nomen felix, et laetum, ad laudem et gloriam apud omnes gentes terrae, quae auditurae sunt omnia bona, quibus eos adficiam: nam horrebunt et stupebunt super omnibus bonis et officiis, quibus eos adficiam. Sic etiam loquitur Dominus: Rursus audietur in loco isto, quem vos quoque dicitis desertum futurum, ut neque homo neque bestia in ea sit, et in civitatibus Iuda et extra Ierusalem, quae et ipsae desolatae erunt, ita, ut nec homo nec bestia in eis habitet: audietur inquam vox laetantium et gaudentium, vox sponsi et sponsae, vox canentium: Confitemini Dominum exercituum, quia bonus est Dominus, quia in aeternum misericordia eius: et offerentium dona in domo Domini. Ego enim restituam terrae captivitatem in priorem statum, ait Dominus. Sic locutus est Dominus exercituum: Iterum erunt in regione ista deserta hominibus et iumentis, et in cunctis civitatibus eius, tuguria pastorum gregem curantium. In civitatibus

montanis, campestribus, et quae in deserto sunt, in terra Beniamin, in agro Ierusalem, et in civitatibus Iuda, iterum recensebuntur greges sub manibus numerantis, ait Dominus. Ecce dies venient, ait Dominus, ut praestem bonum istud quod promisi domui Israël, et domui Iuda. In diebus istis, et in tempore illo, producam David germen iustitiae, qui faciet aequitatem et iustitiam in terra. In diebus illis salvabitur Iudá, et Ierusalem habitabit secure, et hoc modo adpellabitur ea, Dominus iustus noster. Quoniam sic promittit Deus: Non deerit ipsi Davidi vir, qui sedeat in solio domus Israël. Sacerdotibus quoque et Levitis non deerit vir, coram me offerens holocausta, incendens sacrificium, et faciens victimas cunctis diebus. Et factus est sermo Domini ad Ieremiam, hoc modo. Sic loquitur Dominus: Si irritum fieri potest foedus meum quod cum die et nocte inii, quo minus dies sit aut nox, suo utrunque tempore, etiam irritum fieri poterit foedus meum, quod cum Davide servo meo habeo, quo minus filium habeat regnantem in solio suo. Eodem modo non deerunt Levitae et sacerdotes ministerio meo. Sicut enim stellae coeli numerari non possunt, neque arena maris mensurari, sic multiplicabo semen Davidis servi mei, et Levitas ministros meos, *ut numerari non possint.* Iterum factus est sermo Domini ad Ieremiam, sic loquentis: An non intellexisti quid populus iste loquatur? Duae cognationes, inquiunt, sunt, quas elegit Dominus, et easdem abdicavit. (Huc enim redactus est populus meus, ut diffidat se ultra coiturum esse in gentem.) Sic ergo dicit Dominus: Si foedus non pepigi cum die et nocte, si leges coelis et terrae non dedi, iam semen Iacob et David servi mei repudiabo, quo minus accipiam de posteritate eius principes super semen Abraham, Isaac et Iacob. Reparabo enim aversionem eorum, et ero eis propitius.

CAPUT XXXIV.

Sermo, qui factus est a Domino ad Ieremiam cum Nebuchadnezar rex Babylonis et omnis exercitus eius de omnibus regnis terrae, quae parebant eius imperio, omnesque populi *eius* bellarent contra Ierusalem, et socias urbes eius, hoc modo. Sic mandat Dominus Deus Israël: I, et loquere ad Zedekiam regem Iuda, et dic ei: Sic nunciat Dominus: Ecce ego tradam civitatem istam in manum Babylonici regis, qui eam igni incendet. Tu vero non evades manum eius, sed captivus duceris, traditus illius potestati. Oculi tui coram contemplabuntur faciem Babylonici regis, et ore suo praesentem ipse alloquetur, deinde Babylonem venies. Attamen simul audi verbum Domini, Zedekia rex Iuda. Sic nunciat ad te Dominus, quod non sis occubiturus ferro, sed in pace moriturus: in rogo enim, quemadmodum patres tuos reges antecessores tuos, comburent te: et heu domine in planctu tibi reddent: hoc enim consilium cepi, ait Dominus. Et locutus est propheta Ieremias ad Zedekiam regem Iuda omnes sermones istos Hierosolymis, cum exercitus regis Babyloniae oppugnaret Ierusalem et omnes urbes Iuda, quae reliquae erant, Lachis et Azekam, quae adhuc erant reliquae ex civitatibus Iuda munitis.

Sermo quem fecit Dominus ad Ieremiam prophetam: cum Zedekias

tulisset legem, cum omni populo Hierosolymitano, ut pronunciaretur libertas, ita, ut manumitteret quisque servum aut ancillam suam, Hebraeum aut Hebraeam liberos: et nemo Iudaeus servire sibi pateretur fratrem suum. Consenserant autem omnes principes et cunctus populus, qui hoc pactum inierant, ut quisque manumitteret servum et ancillam suam liberos, nec dominarentur eis ultra. Et iuxta consensum paruerunt, et manumiserunt. Postea vero poenitentia ducti, repetierunt servos et ancillas, quos manumiserant, et redegerunt iterum in servitutem. Ob eam ergo rem factus est sermo Domini ab ipso Domino ad Ieremiam, hoc modo: Sic nunciat Dominus Deus Israël: Ego foedus inieram cum patribus vestris, quum educerem eos de terra Aegypti, ne ultra servirent, his verbis: Finitis septem annis, manumittetis quisque servum suum Hebraeum emptitium, postquam sex annis servierit, liberum. Sed non paruerunt patres vestri mihi, neque aurem praebuerunt. Vos autem nunc reversi eratis, et rectum feceratis in oculis meis, pronunciando libertatem quisque proximo suo, et pangendo foedus in conspectu meo, in templo, cui nomen meum est impositum. Sed mutato consilio profanastis nomen meum, et repetivistis quisque servum suum, et ancillam, quos manumiseratis ut liberi essent, ac sui iuris: et subiugastis eos, ut denuo sint servi vestri et ancillae. Idcirco sic mandat Dominus: Vos non paruistis mihi, quo magis annunciaretis libertatem quisque fratri et proximo suo. Ego igitur vocabo vos ad libertatem, ait Dominus, ad gladium, ad pestem, ad famem, et tradam vos ad divexandum cunctis regnis terrae. Viros inquam istos, qui pactum meum transgressi sunt, neque servaverunt verba pacti, quod pepigerunt in conspectu meo, caesa in duas partes bucula, transituque inter ambas partes facto: principes Iuda, principes Ierusalem, aulicos, sacerdotes, et universum populum terrae, qui transierunt inter partes buculae, tradam in potestatem hostium suorum, et in manum qui animam eorum haurire cupiunt. Et erunt cadavera eorum esca volucribus coeli et bestiis terrae. Zedekiam vero regem Iuda, et principes eius tradam in potestatem hostium eorum, et qui vitam eorum sitiunt: in manus quoque exercitus Babylonici regis, qui nunc quidem alio recessit a vobis: sed me imperante, ait Dominus, iterum redibit ad urbem istam, quam expugnatam et captam igni incendent. Civitates quoque Iuda desertas reddam, ne quisquam inhabitet.

CAPUT XXXV.

Sermo, qui factus est a Domino ad Ieremiam, regnante Iehoiakim filio Iosiae regis Iuda, ad hunc modum: I ad domum Rechabitarum, et evoca eos, et ducito in domum Domini in exedram aliquam, et pota eos vino. Accepi ergo Iazaniam filium Ieremiae filii Habazniae, et fratres eius, et omnes filios eius et omnem familiam Rechabitarum, et adduxi eos ad domum Domini, in exedram filiorum Hanan filii Igdaliae viri Dei, quae erat iuxta exedram principum; illa vero erat supra exedram Maasiae filii Sallum praefecti Gazophylacii. Et posui ante filios familiae Rechabitarum cantharos vino plenos et calices, atque eis dixi: Bibite vinum. At illi responderunt: Non bibimus vinum, quia Ionadab filius

Rechabi pater noster interdixit nobis, dicens: Ne bibatis vinum, et vos et filii vestri in sempiternum. Domum ne aedificetis, sementem ne seratis, et vineam ne plantetis, nec erit inter vos, sed in tabernaculis habitate cunctis diebus vestris, ut vivatis longo tempore super terram, in qua peregrini estis. Paruimus ergo iussioni Ionadab filii Rechabi patris nostri in omnibus, quae nobis praecepit: ut neque vinum per omnem vitam bibamus, cum nos, tum uxores nostrae, tum filii et filiae. Neque domos aedificamus ad inhabitandum, neque vineae, neque sementes agrorum sunt inter nos. Sed in tabernaculis habitamus, obedientes et facientes pro virili omnia quae nobis Ionadab pater praecepit. Sed nunc factum est cum Nebuchadnezar Babyloniae rex ascenderet in provinciam, ut nos mutuo alloqueremur: Heus nos, eamus Ierusalem, ut evadamus ab exercitu Chaldaeorum et Assyriorum! Idcirco Ierosolymis nunc habitamus. Tunc factus est sermo Domini ad Ieremiam, dicendo: Sic locutus est Dominus exercituum Deus Israël: I, et dic universo Iuda, et civibus Ierusalem: Num disciplinam non recipietis? ut pareatis verbis meis, ait Dominus. Immota stant verba Ionadab filii Rechabi, quibus praecepit filiis suis, ne vinum bibant: non enim biberunt usque in praesentem diem, sed paruerunt interdicto patris eorum. Ego autem locutus sum ad vos mane surgendo et anxie monendo, et non paruistis mihi. Sed et omnes servos meos prophetas misi ad vos, mane surgendo, mittendo atque dicendo: Redite obsecro unusquisque a via sua mala, et in melius vertite studia vestra, et ne abeatis post deos alienos ad colendum eos, ut maneatis in terra, quam dedi vobis et patribus vestris, sed non praebuistis aurem, neque morem gessistis mihi. Filii Ionadab, filii Rechab ratum servaverunt praeceptum patris eorum, quod eis tradidit, sed populus iste non obedivit mihi. Propterea sic mandat Dominus exercituum Deus Israel: Ecce ego adducam super Iudam, et super omnes cives Ierusalem omnem adflictionem, quam constitui in eos. Locutus enim sum ad eos, sed non obediverunt. Vocavi eos, sed non responderunt. Familiae autem Rechabitarum dixit Ieremias: Sic locutus est Dominus exercituum Deus Israël: Eo quod obtemperavistis mandato Ionadab patris vestri, et servastis omnia praecepta eius, et egistis iuxta omnia: quae vobis mandavit: ideo sic dicit Dominus exercituum Deus Israël: Non deerit vir ipsi Ionadab filio Rechab, qui adsistat coram me omnibus diebus.

CAPUT XXXVI.

Anno quarto Iehoiakim filii Iosiae regis Iuda, factus est hic sermo ad Ieremiam a Domino, dicente: Corripe tibi volumen libri, et scribe in eum omnes sermones, quos locutus sum ad te, ad Israël, ad Iudam, et ad omnes gentes; ab eo die, quo coepi loqui tecum regnante Iosia usque in praesentem diem. An forte domus Iuda, audiendo omnia mala, quae ego delibero ei facere, revertantur quisque a via sua mala, condonem eis iniquitates et peccata eorum. Arcessivit ergo Ieremias Baruch filium Neriae, scripsitque Baruch ex ore Ieremiae omnes sermones Domini, quos ad eum locutus fuerat, in volumen libri. Mandavit ergo Ieremias Barucho, dicens: Mihi non est integrum, ut

ingrediar in domum Domini. Tu ergo eas et legas volumen, quod scripsisti ex ore meo, puta sermones Domini! audiente populo in die ieiunii, audiente denique universo Iuda, et eis qui veniunt de civitatibus eius, leges eos. An forte subuittant preces suas conspectui Domini et redeant, quisque a via sua mala. Quoniam ingens est ira et furor, quem constituit Dominus in populum istum. Fecit ergo Baruch filius Neriae pro virili omnia quae mandaverat Ieremias propheta, legendo e codice sermones Domini in domo Domini. Id autem factum est anno quinto Iehoiakim filii Iosiae regis Iuda mense nono, cum indixissent ieiunium ad propitiandum Dominum universo populo, tam ei qui erat Hierosolymis, quam ei qui de civitatibus Iuda illuc veniebat. Tunc legit Baruch e volumine sermones Ieremiae domi Domini de exedra Gamariae filii Saphan scribae, quae est ad vestibulum superius pro porta domus Domini nova, audiente universo populo. Cumque audivisset Micheas filius Gamariae filii Saphan omnes sermones Domini ex libro, descendit ad domum regis ad exedram scribarum: ibi enim consederant omnes principes, Elisama scriba, Dalias filius Semei, Elnathan filius Achbori, Gamarias filius Saphan, Zedekias filius Hananiae, et omnes principes. Et exposuit eis Micheas omnes sermones quos audiverat a Baruch e libro lectos audiente populo. Et miserunt omnes principes Iehudi filium Nathaniae filii Salamiae filii Chusi, ad Baruch nunciando: Tolle manu tua codicem, ex quo legisti audiente populo, et veni. Tulit ergo Baruch filius Neriae manu sua codicem et pervenit ad eos. Dixerunt ergo ad ipsum: Sede quaeso, et lege eum nobis auscultantibus. Legitque eum Baruch ipsis auscultantibus. Cum ergo audivissent omnes sermones, stupuerunt, quisque ad alium, et dixerunt ad Baruch: Nos indubie exponemus regi omnes sermones istos. Et ipsum Baruch rogaverunt his verbis: Expone nobis obsecro quomodo scripseris omnes sermones istos de ore eius. Quibus respondit Baruch: Ore suo dictabat mihi omnes sermones istos, quos ego, solus apud eum, excipiebam in codicem. Dixerunt ergo principes ad Baruch: I, et abscondere cum Ieremia, ita ut nemo sciat ubinam sitis. Et, abierunt ad regem in curiam, librum autem servaverunt in exedra Elisamae scribae, et exposuerunt praesenti regi omnes sermones. Misit ergo rex Iehudi ut adferret librum, quem et attulit de exedra Elisamae scribae legitque eum Iehudi audientibus cum rege ipso, tum omnibus principibus, qui aderant apud regem. Rex autem tunc habitabat in domo hiemali: erat enim nonus mensis, et focus iuxta eum ardebat. Cumque legisset Iehudi paginas tres aut quatuor, concidit librum scalpello scriptorio, et iecit in ignem, qui erat in foco, donec consumeretur totus liber igne, qui in foco ardebat: ut interim non horrerent, neque vestimenta sua scinderent, vel rex ipse, vel servi eius, cum tamen audivissent omnes sermones istos. Elnathan autem, Dalias et Gamarias, intercedebant apud regem ne liber combureretur: at non exaudivit eos, sed praecepit Ierahmieli filio Hamelech, Sariae filio Ezriel, et Salamiae filio Achdiel ut caperent Baruch scribam, et Ieremiam prophetam; veruntamen absconderat eos Dominus. Factusque est sermo Domini



Sic descendit Ieremias in lacum et in ergastulum, et delituit isthic multis diebus. Misit autem rex Zedekias et arcessivit eum, et interrogavit eum domi suae clam, et dixit: Putasne, quod nunc geritur, esse a Domino? Et respondit Ieremias: Est, atque addidit: In potestatem Babylonici regis traderis. Deinde locutus est Ieremias ad Zedekiam: Quid peccavi vel in te, vel in servos tuos, vel etiam in populum istum, quod retrusistis me in carcerem? Ubi sunt prophetae vestri, qui vobis prophetabant, non venturum esse contra vos regem Babylonis, neque ad terram istam. Nunc ergo ausculta domine mi rex: Grata sit obsecro deprecatio mea tibi, ut non iubeas me reduci domum Ionathae scribae, ne istic moriar. Mandavit ergo rex Zedekias, et incluserunt Ieremiam in vestibulum carceris, et dederunt ei quotidie tortam panis sine alio cibo cocto, donec consumeretur omnis panis in urbe. Erat ergo Ieremias in vestibulo carceris.

CAPUT XXXVIII.

Perceperant autem Saphathias filius Mathan, Godolias filius Pashur, Iuchal filius Salamiae, et Pashur filius Malachiae sermones Ieremiae, quos habuerat ad omnem populum, in hanc sententiam: Dominus sic locutus est: Quicunque permanserit in urbe ista, morietur aut gladio, aut fame, aut peste. Qui vero egredietur ad Chaldaeos, vivet, lucrique faciet animam suam tanquam praedam invenerit et vivet. Quia sic locutus est Dominus: Tradetur urbs ista in potestatem regis Babyloniae, qui et capiet eam. Dixerunt ergo principes ad regem: Occidatur quaeso vir iste! quoniam hac ratione solvit manus cum virorum bello aptorum, qui adhuc reliqui sunt in urbe ista, tum universi populi, dum huiusmodi sermonibus adfatur eos. Nec enim quaerit populo isti pacem, sed exitium. Respondit ergo rex Zedekias: Ecce in manibus vestris est. Rex enim non poterit vobis quicquam negare. Prehenderunt ergo Ieremiam, et coniecerunt eum in lacum Malchiae filii Hamalech, qui habitabat in vestibulo carceris. Demittebant autem Ieremiam funibus in lacum, in quo non erant aquae, sed lutum. Et mergebatur Ieremias, ac hacrebat in luto. Cumque audivisset Abdemelech Aethiops Eunuchus minister regiae domus, quod Ieremiam dedissent in lacum: abiit Abdemelech de domo regis, et alloquutus est regem, qui tum forte sedebat in porta Beniamin, his verbis: Domine mi rex, inique factum est quicquid viri isti fecerunt Ieremiae prophetae, nempe quod coniecerunt eum in lacum: morietur enim indidem fame, cum nullus supersit panis in urbe. Praecepit ergo rex ipsi Abdemelech Aethiopi, dicens: Accipe hinc pro tuo arbitrio viros triginta, et subduc Ieremiam prophetam e lacu antequam moriatur. Sumpsit ergo Abdemelech viros secum, et abiit domum Hamalech, sumptisque isthic sub penu veteribus pannis, veteribusque fragmentis, misit ea ad Ieremiam in lacum cum funibus, ac dixit Abdemelech Aethiops ad Ieremiam: Suppone quaeso pannos istos et fragmenta cubito manus tuae inter funem. Et fecit sic Ieremias. Traxerunt ergo Ieremiam funibus, et levaverunt eum de lacu, et mansit in vestibulo carceris. Misit ergo Zedekias rex, et arcessivit Ieremiam prophetam

ad se, ad tertium subsellium quod erat domi Domini. Et dixit rex ad ad Ieremiam: Ego interrogabo te quiddam. Ne ergo celes a me quicquam. Respondit ergo Ieremias Zedekiae: Si exposuero tibi, haud dubie occides me; et si tibi consilium dedero, non obtemperabis mihi. Dedit ergo iusiurandum rex Zedekias Ieremiae clam, istis verbis: Vivit Dominus, ille qui condidit nobis animas istas, quod non occidam te, neque tradam in manus hominum istorum, qui sitiunt vitam tuam. Dixit ergo Ieremias ad Zedekiam: Sic locutus est Dominus Deus exercituum Deus Israël: Si incunctanter egredieris ad principes regis Babylonici servabis vitam tuam, et urbs ista non comburetur igni, erisque salvus cum domo tua. Si vero non transfugies ad principes regis Babyloniae, tradetur civitas ista in manum Chaldaeorum; qui incendent eam igni, et tu non evades manus eorum. Dixit autem Zedekias ad Ieremiam: Ego Iudaeos istos vereor, qui transfugerunt ad Chaldaeos, ne tradar in manus eorum, et ludibrio me adficiant. Respondit autem Ieremias: Non tradent te. Crede obsecro voci Domini, quam ego ad te loquor, et bene habebis, et incolumis eris. Quod si prorsus renuas exire, istud significavit mihi Dominus: Ecce omnes foeminae, quae reliquae sunt in domo regis Iuda, egredientur ad principes regis Babyloniae. Ipsae enim persuasae sunt de te, quod seductus sis, quod praevaluerint in te viri, quibus inconcusse fidis, et in lutum demerserint pedes tuos, quod remorentur te. Transfugient ergo omnes uxores tuae cum liberis tuis ad Chaldaeos, et tu non evades manus eorum: in manu enim regis Babyloniae captivus eris, et urbs ista igni comburetur. Tunc dixit Zedekias ad Ieremiam: Nemo resciat ista, et non morieris. Quod si intellexerint principes me tecum esse locutum, et venerint ad te dicendo: Expone quaeso nobis quid locutus sis cum rege, nihil celes nos, et non occidemus te, quid obsecro locutus est tecum rex: respondebis eis: Ego supplex et proiectus oravi regem ne me reducat domum Ionathae, ne isthic moriar. Venerunt ergo omnes principes ad Ieremiam, et interrogaverunt eum. Narravit ergo eis ad omnem eum modum, quem illi rex praeceperat. Conticuerunt ergo haec eo dicente: nihil enim sentiebant. Mansit ergo Ieremias in vestibulo carceris usque ad eum diem, quo caperetur Ierusalem.

CAPUT XXXIX.

Et factum est, cum capta esset Ierusalem. Anno enim nono Zedekiae regis Iuda, mense decimo, venit Nebuchadnezar rex Babylonis et omnis exercitus eius Ierusalem, et obsidebat eam. Anno vero undecimo Zedekiae mense quarto, nona die mensis, irrupit in urbem. Veneruntque omnes principes regis Babyloniae, et considerunt in medio portae: Nergal, Saraezaer, Samgarnebo, Sarsechim, Rabsaris, Nergal, Saraezaer, Rabmag, et omnes reliqui principes regis Babyloniae. Factum est inquam cum vidisset eos Zedekias rex Iuda, et totus exercitus, fugerunt, et exierunt nocte de civitate per hortum regis et portam, quae est inter duos muros, perrexeruntque versus desertum. Persequutus est autem eos exercitus Chaldaeorum, comprehenderuntque

Zedekiam in campo Ieriho. Captum autem adduxerunt ad Nebuchadnezar Babylonicum regem Riblatham, quae est in terra Hamath, qui iudicio contendit cum eo. Caesisque filiis Zedekiae in parentis conspectu Riblathae occidit omnes quoque nobiles Iuda Babylonicus rex. Oculos autem Zedekiae eruit, vinxitque compedibus, ut mitteret eum Babylonem. Domum autem regiam ac reliquas publicas aedes igne incenderunt Chaldaei, et murum Ierusalem diruerunt. Populum autem residuum in urbe, et eos, qui auxilio venerant, reliquiasque plebis transtulit Nebuzar Adan praefectus praetorio Babylonem. Infimos autem vulgi et perditos quosque reliquit Nebuzar Adan praefectus praetorio in terra Iuda, et divisit eis vineas et agros eodem tempore. Praeceperat autem Nebuchadnedar Babyloniae rex super Ieremia Nebuzar Adan, praefecto praetorii, hoc modo: Fove illum et curam eius habe, neque ingeras ei quicquam mali; sed quicquid postulabit a te, facito illi. Misit ergo Nebuzar Adan praefectus praetorio, Nebusasban Eunuchorum praefectus, et Nergal Saraezaer princeps rationum, et omnes principes regis Babylonici miserunt et arcessiverunt Ieremiam e vestibulo carceris, et commendaverunt eum Gedoliae filio Ahicam filii Saphan, ut eum domum deduceret, habitavitque in populo. Factus fuerat autem sermo Domini ad Ieremiam cum clausus esset in vestibulo carceris, ad hunc modum. I, et dicito Abdemaelech Aethiopi: Sic locutus est Dominus exercituum Deus Israël: Ecce ego adducam cogitationem meam, asperam plane, non mitem, quam constitui super urbem istam, te vidente hoc die, quo tamen te liberabo, ait Dominus, ut non tradaris in potestatem eorum hominum, quos tu tantopere formidas. Indubie enim servabo te, ne gladio cadas, eritque vita tua praeda tibi, quoniam speras in me, ait Dominus.

CAPUT LX.

Actio, quam gessit Dominus cum Ieremia, cum dimitteret eum Nebuzar Adan praefectus praetorio de Rama, quo eum compedibus vinctum duxerat inter cunctos Ierusalem et Iuda captivos. Arcessivit praefectus praetorio Ieremiam, et dixit ad eum: Dominus Deus tuus constanter testatus fuit aerumnam hanc super locum istum. Adduxit ergo et perfecit Dominus quemadmodum locutus fuit, quia peccavistis contra Dominum, et non paruistis voci eius, quapropter vobis evenit ista calamitas. Nunc ergo, en solvo vincula, quae sunt in manibus tuis hodie. Et si tibi placeat mecum proficisci, in Babyloniam, venias: curam enim et rationem tui habebo. Si minus placeat mecum Babylonem proficisci, maneto. Ecce universa terra in arbitrio tuo est; ubicunque tibi bonum et commodum videbitur habitare, isthic habites. Quod si seorsim habitare displiceat, habita apud Gedoliam filium Ahicam filii Saphan, quem praefecit rex Babyloniae civitatibus Iuda, et versare cum eo in medio populi, aut ubicunque placuerit tibi versari. Deditque ei praefectus praetorio commeatum, et munera, atque dimisit. Concessit ergo Ieremias ad Gedoliam filium Ahikam ad Massphat, et habitavit cum eo in medio populi, qui reliquus erat in terra. Cum autem percrebuisset apud omnes eos, qui exercitui *Iuda* praefuerant,

per agrum dissipatos cum sociis, quod rex Babyloniae praefecisset Gedoliam filium Ahikam terrae, quodque sub eius imperio essent viri, foeminae ac pueri, pauperes quoque terrae, qui non erant captivi Babylonem abducti, venerunt ad Gedoliam in Massphat, Ismael filius Nathaniae, Iohanna et Ionathan filii Careae, Saraias filius Thanhumaeth, et filii Ephai Netophathitae, Zenias filius Maachathi, cum sociis suis. Iuravit autem Gedolias filius Ahikam filii Saphan tam illis quam sociis ipsorum, ad hunc modum: Ne formidetis servire Chaldaeis, habitate in terra, et servite regi Babyloniae, et prospere succedet vobis. Ecce enim ego Massphat habito, ut nomine Chaldaeorum praesim, atque satisfaciam, si qui venerint ad nos. Vos ergo colligite vinum, frumentum et oleum, et recondite in penuaria vestra, atque habitate in urbibus vestris, quas tenetis. Omnes etiam Iudaei, qui inter Moabitas versabantur et Ammonitas, in Idumaea et in omnibus regionibus, comperto quod Babylonius dedisset, ac praefecisset reliquiis Iuda Gedoliam filium Ahicam filii Saphan, redierunt omnes Iudaei de cunctis locis, ad quae profugerant, et venerunt in terram Iuda ad Gedoliam in Massphat, et collegerunt vinum et annonam multam nimis. Iohanna vero filius Careae, et omnes qui exercitui praefuerant, et per regionem dispersi erant, venerunt ad Gedoliam in Massphat, et dixerunt ad eum: Num ignoras quod Baalis rex Ammon misit Ismaelem filium Nathaniae ad interficiendum te? Attamen non credidit eis Gedolias filius Ahikam. Iohanna vero filius Careae clam allocutus est Gedoliam in Masspha, his verbis: Vis eam et percutiam Ismaelem filium Nathaniae, ut nemo hominum conscius fiat? Cur enim hauriret animam tuam, et dissiparentur omnes Iudaei, qui ad te collecti sunt, et perirent reliquiae Iuda? Dixit autem Gedolias filius Ahikam ad Iohannen filium Careae: Noli hanc rem facere: vana enim sunt quae tu de Ismaele narras.

CAPUT XLI.

Mense autem septimo venit Ismael filius Nathaniae filii Elisamae de regio semine nati, cum optimatibus regis et decem conspiratis ad Gedoliam filium Ahikam in Masspham, ubi et convivati sunt simul. Ismael autem filius Nathaniae insurrexit cum decem coniuratis, qui cum eo erant, et percusserunt Gedoliam filium Ahikam filii Saphan, gladio, et interfecerunt eum quem praefecerat Babyloniae rex terrae. Omnes quoque Iudaeos, qui cum Gedolia erant in Masspha, et Chaldaeos, qui isthic inveniebantur praesidii gratia, percussit Ismael. Factum est autem die altero post caedem Gedoliae, quae adhuc latebat, ut venirent viri quidam de Sichem, de Silo et Samaria octoginta numero, attonsis barbis, scissis vestibus, et squalentes, munera et thus in manibus portantes, ut offerrent ea domi Domini. Egressus erat autem Ismael filius Nathaniae de Masspha obviam eis velociter euntibus, et lacrimantibus. Cumque occurrisset eis, dixit: Ite ad Gedoliam filium Ahikam. Et cum venissent in mediam urbem, trucidavit eos Ismael filius Nathaniae in medio laci, ipse et qui cum eo erant coniurati. Inter istos autem octoginta viros, decem erant, qui dicerent ad Ismaelem: Noli interficere nos! habemus enim thesaurum

in agro, tritici, hordei, olei et mellis. Pepercit ergo eis, et non occidit eos inter fratres eorum. Lacus autem, in quem proiecit Ismael omnium percussorum corpora, quos percussit propter Gedoliam, is est quem fecerat rex Asa metu Baasae regis Israël. Eum implevit Ismael filius Nathaniae interfectis. Et omnes reliquias populi captivas abduxit, filias regis et omnem populum, qui reliquus erat in Masspha, quibus Nebuzar-Adan praefectus praetorio Gedoliam filium Ahikam praefecerat, eos omnes coepit Ismael filius Nathaniae, et abiit, ut transiret ad Ammonitas. Iohannes autem filius Careae, et omnes principes, qui cum eo exercitui praefuerant, cum audissent omne malum, quod fecerat Ismael filius Nathaniae, acceperunt omnes socios, et profecti sunt ad confligendum cum Ismaele filio Nathaniae, et offenderunt eum ad aquas Rabim, quae sunt in Gabaon. Cumque vidisset cunctus populus, qui captivus erat apud Ismaelem, Ioannan filium Careae, et omnes principes exercitus, qui cum eo erant, gavisi sunt. Reduxerunt ergo omnem populum, quem averterat Ismael, ex Masspha. Reversi ergo transierunt ad Iohannen filium Careae. Ismael autem, filius Nathaniae, evasit cum octo coniuratis a facie Ioannae, et profectus est ad Ammonitas. Porro Iohanna filius Careae et omnes principes exercitus, qui cum eo erant, acceperunt omnem reliquum populum, quem reduxerant ab Ismaele filio Nathaniae a Masspha abductum, post caedem Gedoliae filii Ahikam, viros bello strenuos, uxores, liberos, et eunuchos, quos reduxerant a Gabaon, et abierunt ac consederunt in Geruth Chimham, qui locus est iuxta Bethlehem, ut profecti venirent in Aegyptum, meth Chaldaeorum: quos ob hanc causam timebant, quod Ismael filius Nathaniae percussisset Gedoliam filium Ahikam, quem rex Babyloniae terrae praefecerat.

CAPUT XLII.

Accesserunt autem omnes principes, Iohanna filius Careae, Iezanias filius Hosiae, et universus populus a minimo ad maximum, et dixerunt ad Ieremiam prophetam: Exaudi obsecro petitionem nostram, ut ores pro nobis ad Dominum Deum tuum pro omnibus reliquiis istis, quae admodum exiguae de multis supersunt, quemadmodum nos vides, ut ostendat nobis Dominus Deus tuus viam, qua proficiscamur, et opus quod factum oporteat. Quibus respondit Ieremias propheta: Exaudivi. En ego orabo ad Dominum Deum vestrum iuxta petitionem vestram, et quicquid responderit vobis Dominus, referam vobis, nec quicquam celabo. Isti autem dicebant ad Ieremiam: Sit Dominus veritatis ac fidei testis noster, si non iuxta omnia verba, quae tibi respondebit Dominus Deus tuus de nobis, faciamus, sive bonum fuerit, sive maluni. Voci Domini Dei nostri, ad quem te mittimus, obediemus, ut bene nobis sit, si paruerimus voci Domini Dei nostri. Post decem vero dies factus est sermo Domini ad Ieremiam. Vocavit ergo Iohannan filium Careae, et omnes principes exercitus, qui cum eo erant, universum quoque populum a minimo ad maximum, et dixit ad eos: Sic locutus est Dominus Deus Israël, ad quem me misistis ad exponendum preces vestras ante eum: Si habitabitis in terra ista, aedificabo vos, et

non demoliar; plantabo, et non evellam: quia placatus sum super malo quod feci vobis. Ne formidetis regem Babyloniae, a quo timetis, ne formidetis inquam eum, ait Dominus: quoniam ego vobiscum ero, ad salvandum et liberandum vos de manu illius. Venia donabo vos, et miserebor vestri, atque reducam ad terram vestram. Si vero deliberabitis non habitare in terra ista, non obtemperando voci Domini Dei vestri, sed sic dicendo: Non *habitemus sic*, sed in terram Aegypti proficiscamur, ubi bellum non videbimus, et classicum non audiemus, nec cibi penuriam, ut isthic habitemus: idcireo audite verbum Domini reliquiae Iuda! Sic locutus est Dominus exercituum Deus Israël: Si omnino statueritis in Aegyptum proficisci ut isthic exuletis, usuveniet, ut gladius, a quo timetis, vos in Aegypto assequatur, et fames, quam hic formidatis, adhaerescet vobis *usque* in Aegyptum, et isthic moriemini. Omnes enim, qui contumaciter pergent ire in Aegyptum, ut isthic solentur exilium, morientur gladio, fame et peste. Nullus ex eis remanebit, aut evadet a malo, quod inducam super eos. Quia sic dicit Dominus exercituum Deus Israël: Quemadmodum defluxit ira mea, et furor meus super habitatores Ierusalem, sic defluet furor meus super vos, si in Aegyptum abieritis. Eritis enim execratio, horror, contumelia et opprobrium *hominibus*, et locum hunc ultra non videbitis. Edicit vobis Dominus, o reliquiae Iuda, ne pergatis in Aegyptum, et ne vobis excidat quod vos hodie testatus est: deciperetis enim vos ipsos. Vos enim misistis me ad Dominum Deum vestrum, dicendo: Ora pro nobis Dominum Deum nostrum, et quicquid responderit Dominus Deus noster, refer ad nos, et faciemus. Exposui ergo vobis nunc vocem Domini Dei vestri, cuius causa me ad vos misit, sed non vultis parere. Scitote igitur quod gladio, fame et peste moriemini in loco, qui vobis tantopere placet ad exulandum isthic.

CAPUT XLIII.

Factum est autem cum desiisset Ieremias loqui ad omnem populum cuncta verba Domini Dei eorum, quorum causa eum ad ipsos miserat, ut Azarias filius Hosiae, et Iohanna filius Careae, et omnes praesumtuosi dicerent ad Ieremiam: Falsa refers nobis, neque misit te Dominus Deus noster mandando, ne pergamus in Aegyptum ad exulandum isthic, sed Baruch filius Neriae committit te in nos, ut tradat nos in potestatem Babyloniorum, ut occidant nos, et captivos Babylonem abducant. Et non obtemperaverunt Iohanna filius Careae, et omnes principes exercitus, et cunctus populus sermoni Domini, ut habitarent in terra Iuda. Abduxit ergo Iohanna filius Careae, et omnes principes exercitus, totas reliquias Iuda, quae rursus coierant, ex omnibus gentibus, in quas dispersi fuerant, ut habitarent in terra Iuda velut inquilini, viros, foeminas, pueros, filias regis, omnes quotquot reliquerat Nebuzar-Adan praefectus praetorio cum Gedolia filio Ahikam filii Saphan, Ieremiam quoque prophetam, et Baruch filium Neriae, et venerunt in Aegyptum. Quia non paruerunt voci Dominicae. Venerunt autem in Thaphnen. Factus est autem sermo Domini ad Ieremiam in Thaphna, dicentis: Accipe manu tua lapides grandes, et defode eos in cuniculo latericio,

qui est subter ostium domus Pharaonis in Thaphna, videntibus viris Iuda, simulque dicito ad eos: Sic dicit Dominus exercituum Deus Israël: Ecce ego mittam et arcessam Nebuchadnezar regem Babylonis servum meum, et imponam solium eius lapidibus istis, quos abscondi, et expandet tentorium suum super eos. Veniens autem percutiet terram Aegypti caedibus, captivitate, et gladio. Igne succendet templa deorum Aegypti, et comburet ea, captivosque tenebit eos. Terraque Aegypti sese post haec induet, quemadmodum pastor veste sua se induit, et rebus salvis isthinc exibit. Columnas quoque templi Solis, quod est in Aegypto, comminuet, et templa deorum Aegypti igni consumet.

CAPUT XLIV.

Sermo qui factus est ad Ieremiam super omnibus Iudaeis, qui habitabant in Aegypto, in Migdalo, in Thaphna, in Memphi, et in terra Patheres, ad hunc modum. Sic locutus est Dominus exercituum Deus Israël: Vos vidistis omnem calamitatem, quam induxi super Ierusalem, et super omnes urbes Iuda, ut desolatae sint ad hunc diem, et nemo in eis habitet, id autem propter scelera eorum, quae perpetrarunt exasperando me, dum abirent et incenderent, atque colerent deos alienos, quos non cognoscebant vel ipsi, vel vos, vel patres vestri. Etiamsi miserim ad eos servos meos omnes prophetas mature surgendo, mittendo, et monendo: Nolite obsecro, facere abominabilem rem istam, aut istam quam odio persequor. Sed non obtemperarunt, neque aurem praebuerunt ut recederent a malo suo, quo minus incenderent diis alienis. Incensa est igitur ira et furor meus, et incendit urbes Iuda, et agrum cum plateis Ierusalem, factaeque sunt desertae et desolatae, quemadmodum videtur hoc die. Nunc ergo sic dicit Dominus Deus exercituum Deus Israël: Cur facitis tantum malum adversus animas vestras, ad perdendum viros vestros ac foeminas, parvulos et infantes de Iuda, ut scilicet nullos faciatis reliquos. Dum provocatis me ad iracundiam operibus manuum vestrarum, incendendo diis alienis in terra Aegypti, in quam abiistis ad exulandum, ut excindamini, et ut sitis execrabiles ac opprobriosi inter omnes gentes terrae. Num estis obliti scelerum patrum vestrorum? scelerum regum Iuda, et uxorum vestrarum? quae fecistis in terra Iuda, inque plateis et agro Ierusalem? non estis humiliati usque ad hunc diem: non reveremini, neque ambulatis in lege mea et in moribus meis, quae et vobis et patribus vestris tradidi. Propterea sic loquitur Dominus exercituum Deus Israël: En ego posui vultum meum in vos ad malum, et ad extirpandum universum Iuda. Capiamque reliquias Iuda, qui contumaciter perstiterunt ut intrarent in Aegyptum, ut isthic solarentur exilium suum; et consumentur omnes, in terra Aegypti cadent, gladio et fame consumpti. A minimo enim ad maximum ferro et fame morientur. Eruntque execrationi, horrori, maledictioni, et opprobrio. Visitabo enim habitatores terrae Aegypti, sicut visitavi Ierusalem, gladio, fame, et peste, ut et de superstitibus Iuda, qui ad exulandum abierunt in Aegyptum, nemo fiat reliquus aut salvus, ut redire possit in terram

Iuda, id quod tamen ipsi animo conceperant, puta reditum. Non enim revertentur, nisi qui effugerint. Responderunt itaque Ieremiae omnes viri isti, qui conscii erant quod uxores eorum sacrificarent diis alienis, et omnes foeminae, quae aderant concione frequenti, omnis denique populus, qui in Aegypto habitabat in urbe Patheres, hoc modo: Sermonem, quem ad nos habuisti nomine Domini, nullatenus recipiemus. Sed faciemus quicquid egredietur de ore nostro, sive reginae coeli sacrificando, sive libamina offerendo, quemadmodum fecimus et nos, et patres nostri, tam reges quam principes nostri, cum in civitatibus Iuda, tum in plateis et agro Ierusalem. Tum enim et alimento abundabamus et eramus felices, malumque nullum videbamus. Quum primum autem cessavimus a sacrificando reginae coeli, et a libando ei libamina, omnium sumus indigi, et ferro ac fame consumimur. Postremo quum *nos foeminae* sacrificavimus reginae coeli, et libavimus: num absque maritis fecimus ei placentas, et libamina libavimus ad provocandum eam? Dixit ergo Ieremias ad universum populum, ad viros et foeminas, totamque plebem, qui hoc modo responderant ei: Nonne et sacrificiorum, quae obtulistis in civitatibus Iuda et Hierosolymis tam in urbe quam in agro, cum vos tum patres vestri, cum reges et principes vestri, tum populus terrae, memor fuit Dominus? nonne in corde volutavit ea? Et ferre ultra non potuit Dominus malitiam consiliorum vestrorum, et abominationes, quas faciebatis. Nonne facta est terra vestra desolata, deserta, et execrabilis, usque adeo, ut nemo in ea habitet ad hunc usque diem? Id autem, quia sacrificastis et peccavistis contra Dominum, neque paruistis voci eius, ut in lege eius, in moribus, et in testimoniis ambularetis? His ex causis usuvenit vobis malum istud, ut haec dies testatur. Addiditque Ieremias ad universum populum et omnes foeminas: Audite verbum Domini omnis Iuda qui estis in terra Aegypti: Sic locutus est Dominus exercituum Deus Israël: Vos et uxores vestrae locuti estis ore vestro, quod et opere implevistis; dixistis autem: Incunctanter faciemus placita nostra, quae decrevimus, ut incendamus reginae coeli, et libamina ei libemus. Audacter erexistis placita vestra, et incunctanter perfecistis vota vestra. Idcirco audite sermonem Domini omnis Iuda, qui habitatis in terra Aegypti. En ego iuravi per nomen meum magnum, ait Dominus. Non adpellabitur nomen meum ore cuiusquam de Iuda, ut dicat, Vivit Dominus Deus, in omni terra Aegypti. Ego enim advigilabo super eos in malum, et non in bonum, et consumetur omnis Iuda, qui est in terra Aegypti, ferro et fame, donec deficiant. Qui autem evaserint a gladio, redibunt de terra Aegypti ad terram Iuda, sed oppido pauci. Et scient omnes reliquiae Iuda, quae abierunt in terram Aegypti ad exulandum isthic, cuiusnam sermo firmus surgat, meus an illorum. Hoc autem vobis esto signum, quod visitaturus sum vos in loco isto, ut sciatis quod indubie erigam consilium meum super vos ad adfligendum. Ecce ego tradam Pharaonem Haphram regem Aegypti in potestatem hostium suorum, qui sitiunt vitam eius, quemadmodum tradidi Zedekiam regem Iuda in manum Nebuchadnezar regis Babyloniae, hostis sui, qui vitam eius sitiebat.

CAPUT XLV.

Sermo, quem locutus est Ieremias propheta ad Baruch filium Neriae, cum conscriberet sermones istos in librum ex ore Ieremiae, anno quarto Iehoiakim filii Iosiae regis Iuda, in hunc modum. Sic locutus est Dominus Deus Israël ad te o Baruch: Cogitasti *inter scribendum*, Proh dolor mihi, quoniam addet Dominus dolorem defatigationi meae. Anhelans laboravi, et requiem non inveniam? Tu ergo Ieremia sic dicito ad eum: Sic loquitur Dominus: En ego quae aedificavi, demoliar, et quae plantavi, extirpabo, omnem quoque terram istam; et tu, ad ardua adspiras? noli adspirare aut ambire. Quia ecce ego adducam calamitatem super omnem carnem, ait Dominus. Veruntamen vita tua te, velut manubiis, donabo, in quemcunque tandem locum veneris.

SEQUUNTUR SERMONES DOMINI ad Ieremiam prophetam, quos ad gentes habuit.

CAPUT XLVI.

Qui sequitur, habuit ad Aegyptios, super exercitu Pharaonis Necho regis Aegypti, cum esset in Charchamis iuxta flumen Euphratis: cum caederet eum Nebuchadnezar rex Babylonis, anno quarto Iehoiakim filii Iosiae regis Iuda. Adornatis quidem umbones et scuta, et ad confligendum proceditis. Sternitis equos et inscenditis, o equites. Obfirmatis galeas, profertis lanceas, politis gladios, et loricas induitis. Sed heus, cur videre videor mihi vos ipsos pavidos? retro cessantes? fortes vestros percuti? Sic fugere, ut nemo respiciat? Trepidatio, ait Dominus, omnia teneat. Levis non effugiet, et fortis non evadet. Ad Aquilonem iuxta fluvium Euphratem cadent et corruent. Quis autem iste est, qui tanquam flumen intumescit, aquarum gurgitibus instar fluvii stridens? Aegyptii sunt, qui sicut flumen intumescunt, et sicut fluvii aquarum gurgites cum stridore revomunt. Dicunt enim, Ascendamus et operiamus terram, perdamus urbes cum habitatoribus suis. Ascendite equos, stridete currus, prodite fortes, Aethiopes, et qui clypeos gestatis Lybes, Lydi quoque arcum tendentes. Sed erit dies illa Domino Deo exercituum dies ultionis, ut vindictam sumat de hostibus suis. Vorabit ergo gladius, et saturabitur, madebitque sanguine. Quia sacrificium erit Domino deo exercituum, ad Aquilonem iuxta fluvium Euphratem. Ascende o Galaad, et resinam adfer virgini filiae Aegypto. Sed in cassum multiplicabis medicamenta: nequit enim vulnus coalescere. Audient gentes ignominiam tuam, et infamia tua replebit terram. Fortissimus enim quisque cum fortissimo cadet. Sermo, quem locutus est Dominus ad Ieremiam prophetam, de profectione Nebuchadnezar Babyloniorum regis, ad excindendum terram Aegypti. Nunciate per Aegyptum, et praedicate in Migdalo, Memphi et Taphna, ac dicite: Sustine gradum, et accommoda te, quia gladius devorabit te undique. Cur ceciderunt fortes tui? cur non steterunt? Quia Dominus impulit eos. Multa est strages. Cecidit enim alius in alium, dum interim quisque consulendo dicit, Heus vos, redeamus ad populum nostrum, et ad natale solum a conspectu grassantis gladii. Clamate

isthic o Pharao rex Aegypti, tumultum adferet tempus. Vivo ego, ait rex cui nomen Domino exercituum. Quod quemadmodum Thabor inter montes est, et Carmelus in mare excurrit, sic veniet. Fac tibi, o filia habitatrix Aegypti, vasa sive sarcinas ad transmigrandum. Quia Memphis deserta erit, et diruta, ut nemo in ea habitet. Vitula elegans et formosa est Aegyptus, stimulator veniet ei ab Aquilone. Mercenarii milites eius, qui apud eam sunt, sicut vituli saginati, ipsi quoque in fugam se coniicient simul, neque consistent: quoniam dies interitus eorum aderit, et tempus visitationis eorum. Vox enim hostilis velut aerea ingruet: cum exercitu enim incedent, et cum securibus venient sicut lignorum caesores. Et excindent saltum eius, ait Dominus, citra omnem delectum aut discrimen: plures enim erunt locustis, neque erit numerus eorum. Erubescet filia Aegypti tradita in potestatem populi Aquilonaris. Dixit *iterum* Dominus exercituum Deus Israël: Ecce ego visitabo fastum Alexandriae, Pharaonem et Aegyptum, deos eius, et reges eius, Pharaonem et qui fidunt eo. Et tradam eos in potestatem quaerentium animas eorum, et in potestatem Nebuchadraezar regis Babyloniae, atque in potestatem servorum eius, et post ista habitabitur quemadmodum retro temporibus, ait Dominus. Tu vero serve mi Iacob ne timeas, et ne formides Israël. Quia ecce ego de longinquo salvabo te, et semen tuum de terra captivitatis. Et redibit Iacob, quiescet, et ditabitur, et non erit qui turbet. Ne timeas serve mi Iacob, iterum atque iterum monet Dominus, quia tecum sum. Ego enim consumptionem faciam in omnibus gentibus, in quas dispersi te. Te autem non consumam, sed corrigam te, veruntamen cum iudicio: nullatenus enim es innocens.

CAPUT XLVII.

Sermo Domini, quem fecit ad Ieremiam prophetam adversus Palaestinos, antequam percuteret Pharao Gazam. Sic locutus est Dominus: Ecce aquae descendent ab Aquilone, et exundabunt in flumen, inundabuntque terram, et quicquid in ea est, urbes cum habitatoribus suis. Et clamabunt homines, atque ululabunt omnes habitatores terrae, a strepitu incessus ungularum cataphractorum eius, a tremore curruum eius, et a fragore rotarum. Non spectabunt patres ad filios: tam lassae erunt manus eorum. Eo tempore, quo aderit ad vastandum universam Palaestinam, etiam Tyrum et Zidonem, atque omnes reliquos auxiliatores *vastabit*. Vastabit enim Dominus Palaestinam, et reliquas insulas a terra divisas. Veniet calvitium in Gazam, conticescet Ascalon cum reliquis vallibus suis. Quousque caedes, eheu, mucro Domini? Quousque non cessabis? redi in vaginam tuam, quiesce et cessa. Veruntamen quomodo cessaret cum Dominus praeceperit ei, et adversus Ascalonem atque maritimas urbes incitaverit eum?

Ad Moab sic locutus est Dominus exercituum Deus Israël.

CAPUT XLVIII.

Vae Neboni, quia vastabitur, erubescet, et capietur. Erubescet et Kiriathaim illa valida, et pavebit: non erit ultra splendor Moab.

Super Esebon malum capietur consilium. Venite excindamus eam ex gentium numero, ut ne mentio quidem eius supersit. Sic eam persequetur gladius. Vox clamabit de Horonaim, vastitate et contritione magna contritus est Moab, et exaudietur clamor per oppidula eius: Clivum enim Luhit pervadet fletus, et ad Horonaim clamor hostilis et vastationis descendens audietur. Fugite, salvate animas vestras, et myricis in deserto estote similes. Pro eo enim quod confisa fuisti in munitiones tuas, et in thesauros tuos, tu quoque capieris. Chamos in captivitatem abibit, sacerdotes quoque et principes simul. Et veniet vastator ad omnem urbem, nulla evadet. Peribunt valles, et campi perdentur, quemadmodum dixit Dominus. Date signum Moab, ut ocissime avolet: nam civitates eius desertae erunt, ut nemo in eis habitet. Maledictus, qui faciet opus Domini negligenter, et maledictus, qui prohibet gladium suum a sanguine. Opulentus et securus fuit Moab ab ineunte aetate, desedit apud reposita sua. Non est translatus de vase in vas, hoc est, in captivitatem non abiit. Hinc est, ut sapor eius duret, et odor non sit immutatus. Sed ecce dies venient, ait Dominus, ut mittam ei concinnatores, qui concinnent eum, et vasa eius adornent ac imbuant, lagenas autem quassent. Et pudefiet Moab a Chamos, quemadmodum pudefactus est Israël a Bethel, spe sua. Quare sic cogitatis: Fortes sumus, et viri robusti ad praeliandum? Vastabitur Moab, et civitates eius comburentur; electi vero iuvenes eius caede interibunt, ait rex, cui nomen est Domino exercituum. Accelerat interitus Moab ad veniendum, calamitas eius properat vehementer. Lamentabuntur eum omnes vicini eius, et omnes, quibus notum est nomen eius dicent: Quomodo contritus est baculus fortis, virga praeclara? Tu quoque filia, quae Dibon inhabitas, descendes de magnificentia, et sedebis in penuria. Nam vastator Moab ad te veniet et dissipabit munitiones tuas. Et tu o habitatrix Aroër stabis ad viam, et contemplaberis, interrogabis fugientem, et qui evasit, ac dices: Quid accidit? Confundetur enim Moab, et superabitur, Ululabunt, clamabunt, et nunciabunt in Arnon, quod vastatus sit Moab. Par quoque calamitas veniet ad regionem campestrem, ad Holon, ad Iahazam, et Mephat, ad Dibon, ad Nebo, et ad domum Diblathaim, ad Kiriathaim, ad Bethgamob, et ad Bethmeon, ad Kirioth, ad Bassra, et ad omnes urbes terrae Moab longe vel prope sitas. Cornu Moab confringetur, et conteretur brachium eius, ait Dominus. Inebriabitis eum, quia supra Dominum magnificatus est, et manibus complodet Moab in vomitu suo, et ludibrio erit ipse quoque. Num enim non erit tibi ludibrio Israël, qui inter fures inventus est? Quin et propter verba tua in ipsum eiiceris. Deseretis urbes, et habitabitis in petris o Moabitae, eritisque similes columbae in ore foraminis nidulantis. Audivimus superbiam Moab, superbus est valde. Superbia eius, fastus, arrogantia, et elatio cognita sunt mihi, ait Dominus. Neque enim furori eius respondent vires eius, neque facta. Idcirco super Moab eiulabitur, et propter Moab vociferabunt omnes, ad viros muri coctilis lamentabuntur. Eodem planctu, quo te defleo Iazer, deflebo te vinea. Sibema. Propagines tuae transibunt mare, propagines autem Iazer ad mare per-

venient. In messem tuam, et in vindemiam tuam vastator irruet. Tolletur gaudium et laetitia de Carmelo, et de terra Moab. Mustum de torculari cessabit, neque calcabit inhortator: imo nullus erit inhortator, qui prius clamabant ab Hesebon usque ad Eleale et Iahaz, qui vocem reddebant a Zoar ad Horonaim vitulam triennem, sed et aquae Nimrim desolatae erunt. Vacare quoque faciam Moab, ait Dominus, ab oblatione in excelsis, et suffitu deorum suorum. Idcirco habet cor meum propter Moab perinde atque tibia triste mussitans, propter viros quoque muri coctilis itidem habet sicut tibia triste murmurans: quoniam in paucos redigentur, et peribunt. Omne caput rasum erit, et omnis barba tonsa, omnes manus alligatae, et omnes lumbi sacco cincti. In omnibus tectis Moab, et plateis eius omnibus, planctus erit: quia confringam Moab tanquam vas vile, ait Dominus. Papae, ut pavet et ululat, ut deiecit cervicem, et pudet Moab? Erit ergo Moab ludibrio et exemplo cunctis, qui circum eum sunt. Quoniam sic ait Dominus, Ecce advolabit *hostis* velut aquila, et expandet alas suas super Moab. Capientur ergo muri *eius*, et munitiones occupabuntur. Eritque cor robustorum Moab, eo tempore, sicut cor foeminae parturientis. Et dissipabitur Moab, ne sit populus: eo quod contra Dominum se extulerit. Pavor tibi, fovea, et laqueus o Moab, ait Dominus. Qui effugerit pavorem *sive periculum*, incidet in foveam, et qui emerserit de fovea, capietur laqueo. Adducam enim super Moab annum visitationis eorum, ait Dominus. In umbra Hesebon stabunt, quibus vires erunt ad fugiendum. Ignis enim exibit de Hesebon, et flamma de Sihon, et devorabit tum vultum tum verticem Moab fastuosi populi. Vae tibi Moab! peribis enim populo Chami: quia abducentur filii tui et filiae in captivitatem. Reditum autem Moab suis postea temporibus curabo, ait Dominus. Hactenus de iudicio et ultione Moab.

CAPUT XLIX.

Filiis Ammon sic loquitur Dominus. Num Israëli desunt liberi, aut haeres deest ei? Cur ergo occupat Malcham Gad, et populus illius huius urbes inhabitat? Idcirco ecce veniet tempus, ait Dominus, ut Rabbathae filiorum Ammon inferam classicum praelii. Lahel deserta erit, et oppidula eius igne comburentur. Et possidebunt filii Israël eos, qui se possederant, ait Dominus. Ululet Hesebon, quia funditus excindetur. Clament oppida Rabbath, et sacco se accingant, plangant, et circum sepes oberrent: quia Malcham captivus abibit, sacerdotes quoque et principes eius cum eo. Cur fidis gurgitibus, qui temere diffluunt, o filia ferox? et propter thesauros tuos securam te putas, quasi nemo sit ad te venturus? Ecce ego adducam in te pavorem, ait Dominus Deus exercituum, ab omnibus, qui circum te sunt, et dispergemini quisque seorsim, nec erit qui fugientes colligat. Post haec autem restituam captivitatem filiorum Ammon.

Idumaeae sic locutus est Dominus exercituum: Nunquid nulla superest sapientia in Theman? num periit consilium ab hominibus eis? et frivola facta est sapientia eorum? Fugite, terga vertite, in valles vos demergite ad habitandum, o cives Daedan: interitum enim Esau

adducam super eum, et tempus visitationis. Si vindemiatores venissent tibi, non reliquissent tibi racemum; si praedones nocte, diripuissent pro sua libidine. Ego autem renudabo Esau, et revelabo occulta eius, ut celari non possint. Vastabitur semen eius, fratres et vicini eius, et ipse non supererit. Pupillos tuos relinques, et ego servabo eos, et viduae tuae in me sperabunt. Quia sic locutus est Dominus: Ecce, quos videbatur parum aequum bibere calicem, cum primis biberunt: tu autem innoxius et exors esses? Non eris innoxius aut exors, sed aeque bibes. Ego enim per meipsum iuro, ait Dominus, quod in desolationem, opprobrium, contemptum, et execrationem abibit Bosra, et omnes urbes eius erunt solitudo perpetua. Manifeste enim audivi a Domino, legatum ad gentes esse missum. Congregamini, et procedite contra eam! insurgite ad praelium! Ecce enim ego parvam reddam te inter gentes, et contemptam inter homines. Arrogantia tua perdidit te, et audacia cordis tui, eo quod habites in petrarum foraminibus, et ad sublimia collium pertingas; sed etiamsi elevatus sit velut aquilae nidus tuus, tamen inde detraham te, ait Dominus. Et erit Idumaea deserta. Omnis, qui praeteribit eam, stupebit et sibilabit super omnibus aerumnis eius. Quemadmodum subversae sunt Sodoma, Gomorrha, et vicinae urbes eius, ait Dominus: sic nemo habitabit in Idumaea, neque incolet ullus mortalium. Ecce quemadmodum ascendit leo a viretis Iordanis ad laeta prata Ethan: sic impellam et ad currendum incitabo eum adversus eam. Sed quis est iuvenis, quem ad hoc deligam? Quis vero mihi similis est? quis mecum certet? aut quis pastorum iuxta me consistat? Idcirco audite consilium Domini, quod cepit super Idumaea, et cogitationes, quas cogitavit super civibus Theman. Quod discerpturi sint eos minimi de grege, et quod pulcherrima eorum cum eis deserta reddent. A fragore casus eorum crepabit terra, clamor vocis eorum exaudietur in mari rubro. Ecce sicut Aquila ascendet *hostis*, advolabit et expandet alas suas super Bosram. Tunc simile erit cor fortissimorum Idumaeae cordi foeminae parturientis.

Damasco *sic.* Erubescent Hamath et Arphat: quia rumorem pessimum audient; formidine fluctuabunt sicut mare, quod nescit quiescere. Exanimabitur Damascus, atque in fugam vertetur, tremor obruet eam. Angustia et dolor occupabunt eam sicut parturientem. Sed num deseretur urbs celeberrima, civitas gratissima? Idcirco *audite:* Iuvenes eius in plateis eius cadent, et omnes bello strenui consopientur eo die, ait Dominus exercituum, et accendam ignem in muris Damasci, qui devorabit aedes Benhadad.

Ad Cedar et regna Hazor, quae cecidit Nebuchadraezar rex Babyloniae, sic locutus est Dominus: Surgite, ascendite ad Cedar, et vastate filios Orientis! Rapient ergo tabernacula eorum, et gregem eorum, pelles eorum, et omnia vasa eorum, Camelos quoque tollent sibi, et metu undique arcessito stipabunt eos. Fugite, facessite protinus, et in antra demergite ad habitandum o habitatores Hazor, ait Dominus: quia consilium iniit adversum vos Nebuchadraezar Babyloniae rex, et cogitationem contra vos cepit. Surgite, ascendite ad gentem divitem, et secure habitantem, ait Dominus, quae ostia non habet aut vectes,

quaeque seorsim habitat. Eruntque cameli eorum in direptionem, et armenta iumentorum eorum in praedam. Et dissipabo eos in omnem ventum Kezuze Phea, hoc est, attonsa coma, quin et ab omnibus familiaribus eorum adducam eis interitum, ait Dominus. Et erit Hazor cubile draconum, et deserta in sempiternum: nemo isthic habitabit, neque incolet filius Adam.

Sermo Domini, quem fecit ad Ieremiam prophetam super Elam in principio regni Zedekiae regis Iuda, sic habet. Sic loquitur Dominus exercituum: En ego confringam arcum Elam quo praecipue valent, et adducam super Elam quatuor ventos a quatuor plagis coeli, et dispergam eos ad quatuor ventos istos, nec erit gens ulla, ad quam non veniant profugi Elam. Efficiam enim, ut Elam paveat ab hostibus suis, atque ab his, qui quaerunt animam eorum, et adducam in eos malum furorem irae meae, ait Dominus. Et persequar eos gladio, donec consumam eos. Ponam solium meum in Elam, et perdam isthinc regem et principes, ait Dominus. Successu tandem temporis restituam captivitatem Elam, ait Dominus.

CAPUT L.

Sermo quem locutus est Dominus super Babylone terra Chaldaeorum ad Ieremiam prophetam: Nunciate per gentes, ac praedicate, signum quoque date, edicite, et ne celetis, ac dicite: Capta erit Babylon, pudefiet Bel, capietur Merodach. Pudefient et sculptilia eius, et idola capientur. Proficiscetur enim adversus eam populus ab Aquilone, qui rediget in solitudinem regionem eius, ut nemo in ea habitet, non homo, non iumentum: fugient enim et abibunt. In diebus istis, et tempore illo, ait Dominus, venient filii Israël, ipsi et filii Iuda simul, flentes et properantes, et quaerent Dominum Deum suum. Viam ad Zion pervestigabunt, versisque huc vultibus venient, et adhaerebunt Domino foedere, quod nunquam solvetur. Oves perditae fuerunt populus meus. Pastores mei seduxerunt eos, et in montibus errare fecerunt. De montibus ad colles perrexerunt, obliti cubilis sui. Omnes, qui invenerunt eos, devoraverunt eos, et hostes eorum dixerunt: Non peccavimus: eo quod offenderunt Dominum, Dominum qui est decor et ornamentum iustitiae, quique patres eorum custodivit. Sed fugietis de medio Babylonis, et de terra Chaldaeorum egrediemini, et eritis sicut arietes, qui ante gregem incedunt. Quia ecce ego excitabo, et adducam contra Babylonem exercitum gentium magnarum de terra Aquilonis, et oppugnabunt eam, et deinde quoque capient. Sagittae eorum non redibunt vacuae, quemadmodum sagitta viri iaculandi periti. Eruntque Chaldaei praeda, et omnes praedones eius saturabuntur, ait Dominus. Eo quod gavisi et laetati estis conculcando haereditatem meam, quod gestivistis sicut vitula super gramen, et sicut admissarii hinnivistis. Confundetur mater vestra vehementer, et quae vos genuit, pudefiet. Erit enim postrema inter gentes, puta deserta, inculta et arida. Ab ira Domini non habitabitur, sed universa erit desolata. Quicunque praeteribit Babylonem consistet, et admiratus sibilabit super omnibus plagis eius. Coite in classem adversus Babylonem per circuitum,

omnes qui mittitis arcu, iaculemini in eam, nolite parcere sagittis: quia contra Dominum peccavit. Incendite tubas contra eam per circuitum, tradet manus suas, cadent fundamenta eius, et muri decident. Haec enim erit ultio Domini. Vindictam enim de ea sument, et quemadmodum ipsa fecit, ita facient ei. Eliminabunt satorem ex Babylone, et falcem tenentem tempore messis. Metu gladii grassantis, quisque ad populum suum se vertet, et quisque ad populum suum se vertet, et quisque ad terram suam profugiet. Pecus dispersum est Israël, Leones dissiparunt ipsum, primus eorum devoravit eum rex Assyriorum, et postremus iste rex Babyloniae Nebuchadnezar ossa eius comminuit. Propterea sic dicit Dominus exercituum Deus Israël: Ecce ego visitabo regem Babylonis, et regnum eius perinde ac visitavi regem Assyriorum. Et reducam Israëlem ad amoena prata sua, et depascet Carmelum ac Basan, et in monte Ephraim et Galaad saturabitur anima eius. In diebus illis, et tempore isto, ait Dominus, si quaeratur iniquitas Israël, nulla erit: si peccatum Iuda, nullum invenietur: quia propitius ero eis, quos reliquos feci. Ascende *o vindex* ad terram perduellionum, et habitatores eius visita, consecra et caede terga eorum, ait Dominus, et perfice omnia, quae praecepi tibi. Fama praelii et contritionis magnae per terram vagabitur, dicentium: Quomodo fractus et contritus est malleus universae terrae? Qui factum est ut Babylonia inter gentes ad desolationem redacta sit? Ego tibi insidiatus sum, et capta es Babylonia, ignorans deprehensa es, et comprehensa, propterea quod Dominum provocasti. Adperuitque Dominus armamentarium suum, et protulit tela indignationis suae. Hoc enim opus, quod in terra Chaldaeorum factum est, a Domino Deo exercituum est. Venient ista ei aliquando, irruent in penetralia eius, compilabunt eam, quemadmodum lapidum acervi comportantur, et sic excindent eam, ut nihil eius fiat reliquum. Perdent omnes robustos eius, et neci dedent. Eheu illis: quoniam aderit dies et tempus visitationis eorum. Audire mihi etiamnunc videor vocem, cum fugientium et evadentium de terra Babylonis, quae in Zion nunciet ultionem Domini Dei nostri, ultionem templi eius: *tum dicentium:* Accersite contra Babylonem multitudinem omnium arcu mittentium, castra figite adversus eam per circuitum, ut nullus evadat. Reddite ei iuxta opus suum, et secundum omnia quae fecit facite ei: quia contra Dominum ausa fuit, contra sanctum Israëlis. Quapropter cadent iuvenes eius in plateis eius, et omnes bello strenui consopientur in die illo, ait Dominus. En ad te loquor o superbe, ait Dominus Deus exercituum: quia veniet dies tuus, tempus visitationis tuae. Et cadet superbus ac corruet, nec erit qui erigat eum. Incendam igni urbes eius, et comedet omnia, quae per circuitum eius sunt. Haec dicit Dominus exercituum. Vim patiuntur filii Israël et Iuda simul. Omnes, qui ceperunt eos, detinent eos, ac renuunt dimittere. Sed fortis vindex eorum, cuius nomen est Dominus exercituum, defendet causam eorum, ita ut terram misceat, et cives Babylonis committat. Gladius ad Chaldaeos, ait Dominus et ad habitatores Babylonis, ad principes eius, et ad sapientes eius. Gladius ad divinos

eius, et stultescent. Gladius ad fortes eius, et pavebunt. Gladius ad equites et currus eius, et ad omne vulgus, quod est in ea, et erunt sicut foeminae. Gladius ad thesauros eius, et diripientur. Gladius ad aquas eorum, et exarescent: est enim terra ista idolorum cultrix, et portentis gaudent. Quocirca habitabunt Satyri cum simiis in ea, et filiae Sirenum: neque enim habitabitur in perpetuum, neque incoletur a generatione ad generationem. Quemadmodum evertit Deus Sodomam et Gomorram cum vicinis urbibus, ait Dominus: sic nemo isthic habitabit, neque incolet in ea filius Adam. Ecce populus veniet ab Aquilone, cum copiis magnis et regibus multis, excitatus a latere terrae. Arcum ferunt et umbonem, crudeles sunt et immites, vox eorum mari tumultuanti similis est, equis vehuntur, et armati ad bellandum contra te procedent o filia Babylon. Audita illorum fama, dissolventur manus Babylonici regis, angustia et dolor adprehendent eum sicut parturientem. Ecce, quemadmodum ascendit leo a viretis Iordanis ad amoena prata Ethan: sic impellam et ad currendum incitabo eos adversus eam. Porro quem eligam ad hanc rem atque praeficiam? Quis enim mihi similis est? aut quis certet mecum? aut quis pastorum consistat contra me? Propterea audite consilium Domini, quod iniit contra Babylonem, et cogitationem, quam coepit contra terram Chaldaeorum. Quod discerpturi sint eos infimi de grege, et quod amoenissima eorum simul cum ipsis deserta reddentur. A fragore, dum capietur Babylon, contremiscet terra, et clamor inter gentes exaudietur.

CAPUT LI.

Sic locutus est Dominus: Ecce ego concitabo adversus Babylonem, et adversus cives, qui hostili animo sunt in me, ventum pestilentem. Deinde mittam in Babylonem ventilatores, et ventilabunt eam, et agrum eius perdent, erunt enim circum eam undique in tempore adflictionis. Ad eos autem, qui arcu mittunt, quique lorica induti, muros subeunt, *sic locutus est Dominus:* Nolite parcere iuvenibus eius, obtruncate omnem exercitum eius. Et cadent caesi per agrum Chaldaeorum, et confossi in plateis eius. Quia non relinquentur Israël et Iuda orbi, a Deo suo, a Domino exercituum, a sancto Israëlis, etiamsi delictis impleverunt terram suam. Fugite de medio Babylonis, et servet quisque vitam suam. Nemo dissimulet iniquitatem eius. Quia tempus ultionis Domini tunc aderit, vices enim ei ille rependet. Fuit Babylon calix aureus in manu Domini, inebrians universam terram. De vino eius biberunt populi, et ideo insanierunt. Sed subito cecidit Babylon, et contrita est. Plangite ergo propter eam, et resinam adhibete plagae eius, si forte sanetur. Sed curavimus diligenter, inquiunt, Babylonem: at non est sanata. Deseremus igitur eam, atque abibimus quisque ad regionem suam. Veruntamen rediit ad coelos iudicium eius, et reiectum est ad nubes. Protulit Dominus iustitiam nostram. Adeste igitur, et memoremus ipsi Zion opus Domini Dei nostri. Acuite sagittas, et implete pharetras: Dominus enim incitabit spiritum regis Medorum, alias contra Babylonem propensum, ad perdendum eam. Haec autem erit ultio Domini, ultio templi eius. Corripite signum in muros Baby-

lonis, augete excubias, constituite custodes, struite insidias. At nihilo secius faciet Dominus consilium, quod constituit super habitatores Babylonis. O quae habitas ad aquas immensas, o dives thesaurorum, adest finis tuus, recensio lucri tui. Iuravit Dominus exercituum per se ipsum, quod obruet te hominibus sicut locustis, qui se mutuo inhortabuntur contra te. *Dominus inquam exercituum*, qui fecit terram robore suo, orbem constituit sapientia sua, et prudentia sua coelos extendit. Dante eo vocem, tumultuantur aquae in coelis, evocat nubes a finibus terrae, fulgura in pluviam mutat, et educit ventos de loculis suis. Stultus est omnis homo, si eum a scientia aestimes. Confusus erit omnis, qui sculptile conflat: quia mendax est quod concinnat, nec enim est in eo spiritus. Vana sunt, et opus ludibrio dignum, tempore visitationis suae peribunt. Non est his similis portio Iacob: sed qui omnia condidit, cui nomen est Domino exercituum, hic est virga haereditatis eius. Dissipas tu mihi arma bellica, et dissipavi ego per te gentes, et regna disperdidi. Dissipavi per te equum et equitem eius, currum et inscensorem eius. Dissipavi per te viros et foeminas, senem et iuvenem, adulescentem et virginem. Dissipavi per te pastorem et gregem eius, agricolam et iumentum eius, principes et magistratus. Rependam ergo Babyloni et omnibus civibus eius Chaldaeis omnem calamitatem, qua adfecerunt Zion, id autem vobis videntibus, ait Dominus. En me tibi mons perniciose, ait Dominus, qui perdis universam terram: ego extendam manum meam super te, et devolvam te e saxis, reddamque montem exustum, ut non accipiant de te lapidem in angulum aut pinnaculum, et lapidem ad fundamentum, sed solitudo perpetua eris, ait Dominus. Date signum in terra, clangite tuba in gentibus, devovete adversus eam gentes, accersite contra eam regna, Ararat Miniaeorum et Ascenez, numerate in eam Tiphsar. Adducite equos sicut locustarum examen. Destinate ei gentem Medorum cum rege, principibus, et omni magistratu, totam denique terram quae paret eius imperio. Iam commovebitur terra, et languescet, cum adèrunt contra Babylonem consilia Domini, ad reddendum terram Babylonis desertam, ut nemo in ea habitet. Cessabunt robusti Babylonis a propugnando, desidebunt in munitionibus, deseret eos robur ipsorum, erunt sicut foeminae, incendentur habitacula eius, frangentur vectes eius. Occurret cursor cursori, et nuncius nuncio ad nunciandum regi Babylonis, quod civitas eius undique capta sit, quod vada occupata, palustria igne incensa, et miles metu sit attonitus. Quia sic locutus est Dominus exercituum Deus Israël: Filia Babylon tempore suo fuit velut area triturae, sed brevi tempore veniet messis eius. Devoravit et perdidit me Nebuchadnezar Babyloniae rex, fecit me vas inane, deglutivit me sicut draco, implevit ventrem suum teneritudine mea, expulit me, praedam meam et reliquias meas ad Babylonem, ait habitatrix Zion, et sanguinem meum, dicit Ierusalem, ad cives Chaldaeae. Idcirco sic locutus est Dominus: Ecce ego defendam causam tuam, et ulciscar ultionem tuam. Ego hauriam mare eius, et exiccabo venas eius. Redigetur Babylon in tumulos, erit habitatio draeconum, horror et stupor, eo quod nemo isthic habitet. Simul rugient ut leones,

et sicut catuli leonum dum irati sunt comam ventilabunt. In calore eorum potum ponam eis, et ebrii erunt prae laetitia, deinde dormient somnum sempiternum, a quo non expergefient, ait Dominus. Deducam eos ad mactandum sicut agnos, sicut arietes et hoedos. Quomodo capta est Sesach, et comprehensa inclyta totius terrae? Quomodo facta est in stuporem Babylon inter gentes? Intumuit super Babylonem mare, quae et fluctuum eius multitudine obruta est. Factae sunt urbes eius desertae, terra inculta et inaccessa, terra, in qua nullus hominum habitat, neque transit per eam filius Adam. Ipsum quoque Bel in Babylone visitabo. Et eripiam ex ore eius, quod deglutiverat. Et non properabunt ad eum ultra gentes. Murus etiam Babylonis corruet. Egrediamini de medio eius populo meus, et servet quisque vitam suam a furore irae Domini. Ne mollescat cor vestrum, et paveatis ad quemvis rumorem, qui audietur in terra: alius enim rumor veniet alio atque alio anno, alia item atque alia violentia, imperiaque semper alia. Ad haec, Ecce dies venient ut visitem sculptilia Babylonis, et pudefiat omnis regio eius, et desiderati eius in ipsa caesi iaceant. Et gratulabuntur super Babylone coeli et terra, et quicquid in his est, cum ab Aquilone venerint ei vastatores, ait Dominus. Ut Babylon stravit desideratos Israëlis, sic Babylonis desiderati sternentur per universum regnum. Qui fugitis a gladio, properate, nolite stare, memores interim vel de longinquo, Domini, et Ierusalem vobis in mentem veniat. Nos enim audiendis opprobriis erubuimus, operuit pudor vultus nostros: eo quod alieni pervenerunt ad sacra domus Domini. Idcirco ecce dies venient, ait Dominus, ut visitem sculptilia Babylonis, et per omnem regionem cadentes rugiant. Si ascenderit Babylon ad coelos, et robur suum etiam sublimitate muniat, a me tamen aderunt ei vastatores, ait Dominus. Vox querula de Babylone, et contritio magna audietur de terra Chaldaeorum, cum vastabit eam Dominus, et eliminabit ex ea strepitum superbum, quo tumultuati sunt instar fluctuum aquarum ingentium, et voce sua fragorem ediderunt. Quia venient ad eam, ad Babylonem dico, vastatores, qui capient robustos eius, et arcus eorum confringant. Quia Deus ad rependendum vices propensus, et Dominus retribuet abunde. Et inebriabo, ait Dominus, principes eius, sapientes, magistratus, et robustos eius, ut dormiant somno perenni, a quo nunquam evigilent, ait rex cui nomen est Domino exercituum. Sic locutus est Dominus exercituum: Murus Babylonis ille densus perrumpetur, et ambitiosae portae eius igne comburentur. Et quod gentes ac populi labore et fatigatione operati sunt, in vanum et in ignem abibit.

Mandatum quod praecepit Ieremias propheta Sariae filio Neriae filii Mahasiae, quum proficisceretur cum Zedekia rege Iuda Babylonem anno quarto regni eius. Sarias autem praefectus erat muneri aedilitio. Scripsit Ieremias omnem calamitatem, quae Babyloni eventura erat in tabulam unam, videlicet omnes sermones istos, qui scripti sunt contra Babylonem. Deinde praecepit Sariae: Cum pervenies Babylonem, vide legas omnes sermones istos, ac dicas: Domine tu constituisti super loco isto, ut excindas eum, ita, ut nemo habitet in eo, neque

homo neque bestia, sed ut desolatus sit in sempiternum. Cumque ad finem legeris totam paginam, alligabis ei lapidem, et abiicies eam in medium Euphratem, ac dices: Sic mergetur Babylon, et fatigabitur onere malorum, quae ego inducam super eam, ut nunquam resurgat. Hactenus sermones Ieremiae.

CAPUT LII.

Natus erat viginti unum annos Zedekias cum regnum acciperet, et undecim annis regnavit Ierosolymis. Nomen matris eius Hamital filiae Ieremiae de Lobna. Fecitque malum in oculis Domini iuxta omnia quae fecerat Iehoiakim. Quia iratus erat Dominus Hierosolymis et Iudae, donec abiiceret eos e conspectu suo. Defecit autem Zedekias a rege Babylonis. Factumque est ut anno nono regni eius mense decimo, decima die mensis veniret Nebuchadnezar rex Babylonis cum omni exercitu suo Hierosolyma, et obsideret eam extructis circum eam munitionibus. Et durabat urbis obsidio usque ad undecimum annum Zedekiae regis. Mense autem quarto, nona die mensis obtinuit urbem fames, ut non esset cibus populo terrae. Eruperunt ergo omnes viri bellatores, et fugerunt ab urbe, nocte ingressi per viam portae duorum murorum iuxta hortum regis, Chaldaeis urbem circum vallantibus, et abierunt versus campestria. Insecutus autem exercitus Chaldaeorum adprehendit Zedekiam regem in campo Ieriho, cum iam omnis exercitus eius dissipatus esset ab eo. Comprehensum ergo regem adduxerunt Reblatham ad regem Babylonis in terra Hemath, ubi damnavit eum. Et occidit rex Babylonis filios Zedekiae in conspectu eius, sed et omnes principes Iuda occidit in Reblatha. Et oculos Zedekiae eruit, vinxitque compedibus, et Babylonem perduxit, et tradidit eum in domum custodiae usque ad diem mortis eius. Mense autem quinto, decima die mensis, anno decimo nono Nebuchadnezar Babyloniae regis, venit Nebuzar Adan praefectus praetorio, ministerque regis Babyloniae, Hierosolyma, et incendit domum Domini, regiam, omnes domos Ierusalem, et omnem domum insignem igne incendit. Omnes quoque muros per circuitum Ierusalem diruit universus exercitus Chaldaeorum, qui cum praefecto praetorii erat. Tenues autem de populo, et qui in urbe reliqui de populo erant facti, quique profugerant ad regem Babylonis, et quicquid artificum erat reliquum, transportavit Nebuzar Adan praefectus praetorio. Pauperes autem terrae reliquit Nebuzar Adan praefectus praetorio, ut vineas et agros colerent. Columnas aereas, quae erant domi Domini, comminuerunt Chaldaei, et omne aes ex eis tulerunt Babylonem. Lebetes, forcipes, cultros, aspersoria et cochlearia, et omnia vasa aerea, quibus ministrabatur, tulerunt. Hydrias, acerras, urceos, pelves, candelabra, mortaria et luteres, quorum alia erant aurea, alia vero argentea, tulit praefectus praetorii. Columnarum ambarum, maris autem unius, et duodecim boum aeneorum, qui sustinebant bases, quae fecerat rex Salomon domui Domini, et omnium vasorum istorum, pondus aeris rationem superabat. Erat enim columnae unius altitudo decem et octo cubitorum, funis autem qui eam ambiebat duodecim erat cubitorum, porro rotunda densitas eius quatuor digitorum.

Super funem autem summum caput aeneum, et altitudo capitis unius quinque cubitorum. In ipsis autem capitibus rete erat punica mala per circuitum colligens, atque omnia ex aere. Ad hunc modum utraque columnarum formata erat cum punicis malis, quorum fuerunt centum nonaginta sex, omnia velut in aere pendentia de reti per circuitum. Tulit quoque Nebuzar Adan praefectus praetorio Sariam primarium sacerdotem, et Zephoniam secundum ab eo, et tres custodes gazophylacii. Ex urbe autem tulit eunuchum unum, qui erat magister militum, et septem viros ministros regis, qui inveniebantur in urbe. Scribam denique, exercitus ex populo in militiam conscribendi officio praefectum, cum sexaginta viris qui erant de populo terrae, inventi in urbe. Hos inquam tulit Nebuzar Adan praefectus praetorio, et adduxit eos Reblatham ad regem Babylonis. Et occidit eos rex Babylonis in Reblatha in terra Hemath. Et captivum abduxit Iudam e terra sua.

HAEC EST SUMMA POPULI
a Nebuchadnezar in captivitatem abducti.

Anno regni sui septimo, Iudaeorum abduxit millia viginti tres.

Anno decimo octavo Nebuchadnezar, abduxit captivos de Ierusalem octingentos homines et triginta duos.

Anno vigesimo tertio Nebuchadnezar, captivos abduxit Nebuzar Adan praefectus praetorii Iudaeorum septingentos quadraginta quinque.

Summa summarum, omnium captivorum numerus quatuor millium et sexingentorum.

Factum est autem septimo et tricesimo anno captivitatis Iehoiachim regis Iuda, duodecimo mense, vigesimo quinto die mensis, ut Aevil Merodach rex Babylonis ipso anno regni sui restitueret capitis diminutionem Iehoiachin regi Iuda, et educeret eum de carcere, et loqueretur cum eo humaniter, et solium eius constitueret supra solium reliquorum regum, qui cum eo erant Babyloniae. Mutavit et vestem captivitatis eius. Cibum quoque sumebat apud eum cunctis diebus vitae eius. Victus quoque perpetuus dabatur ei a rege Babylonis certo dimenso in singulos dies vitae eius, donec moreretur.

THRENI IEREMIAE, BARUCH.

Quomodo nunc sola sedet urbs aliquando populosissima? et quae erat inter omnes gentes frequentissima, viduae similis facta est? domina provinciarum ad tributum coacta?

Insomnes perflendo noctes ducit, rigat pereuntibus lacrymis maxillas suas: non enim est ex omnibus amatoribus eius, qui soletur eam, quin et cognati eius abhorrent ab ea, et facti sunt eius inimici.

Captus est Iudas propter humiliationem, et propter multitudinem cultuum nunc inter gentes habitat. Requiem non invenit: omnis, qui persequitur, adprehendit eam, atque inter hostes habitat.

Viae Zion moerent, eo quod non sint qui ad solennitates veniant:

omnes portae eius desolatae sunt, sacerdotes eius gemunt, incultae squalent virgines eius, et ipsa animo est adflicto.

Irruerunt hostes in caput eius, inimici vero illuserunt ei: quia Dominus adflixit eam propter scelerum multitudinem. Pueri eius captivi ante hostem abacti sunt.

Periit filiae Zion omnis splendor eius: similes sunt principes eius arietibus, qui non inveniunt pascua, sic abiguntur ante persequentem, quod nullus supersit vigor.

Veniunt Hierosolymae in mentem cum dies adflictionis et rebellionis eius, tum laeta quibus usa est retro temporibus, dum cadit populus eius hostili manu, nec est qui auxilium ferat. Contemplantur eam hostes, et derident Sabbata eius.

Perpetuo peccando effecit Ierusalem, ut varie iactata sit. Omnes, qui suspiciebant eam, contemnunt eam: quia viderunt pudenda eius. Quin gemens abhorret a se ipsa.

Pollutae sunt fimbriae eius: posteriora sua non consideravit, ut descenderet a fastu: hinc est ut nec fit qui consoletur eam, neque ipsa dicat,- Vide Domine adflictionem meam, quia invalescit hostis.

Manum suam extendit hostis ad omnia pretiosa eius, id quod ipsa videre coacta est, gentes videlicet ingredi et egredi de sanctuario suo, de quibus interdixeram, ne intrarent in concionem tuam.

Omnis populus eius cum gemitu cibum quaerebat: expendebat quisque pro cibo pretiosissima sua, ut animam retineret. Vide Domine et intuere quam vilis facta sim.

O vos omnes, qui isthac praeteritis, contemplamini et videte an sit quem dolor vindemiet sicut me, quo me adflixit Dominus in die furoris irae suae.

De excelso misit ignem, et inseruit eum ossibus meis. Expandit rete pedibus meis, et supinum dedit retrorsum. Desolatam reddidit me ac perpetuo moerentem.

Maturatum est iugum transgressionum mearum eius manu, elevatum est et implexum collo meo, concidit robur meum, tradidit me Dominus in manus, e quibus me non potero adserere.

Perdidit Dominus omnes magnates, qui mecum erant. Indixit in me solennitatem contritionis electorum meorum. Tanquam torculari pressit Dominus virginem filiam Iuda.

Horum causa ploro, et reddunt oculi mei aquam: quoniam longe est a me consolator, qui me mihi restituat: filii mei eliminati sunt, quia praevaluit hostis.

Sparsit Zion manus suas, nec est qui consoletur eam. Adduxit Dominus hostes Iacob per circuitum eius, et facta est Ierusalem in medio eorum, sicut menstruata.

Iustus quidem est Dominus, ego enim vultum eius offendi. Audite quaeso omnes populi, et considerate dolorem meum. Virgines meae, et iuvenes mei capti abducuntur.

Voco amatores meos, at ipsi fallunt me: sacerdotes meos, et urbis meae seniores, at isti perierunt cum cibum sibi quaererent ad sustinendam vitam.

Vide Domine, quoniam adfligor, venter meus remurmurat, invertitur cor meum intra me, et amaritudine plena sum. Foris viduat me gladius; domi vero morti simillima sum.

Audiunt me gementem, sed consolari cessant. Omnes inimici mei, audita calamitate mea, laetati sunt, quoniam tu fecisti. Adduces et accerses tempus, quo fiant mei similes.

Veniet illis omnis calamitas abs te. Vindemiabis eos, quemadmodum vindemiasti me propter omnes *transgressiones eorum:* infiniti sunt enim gemitus mei, et cor meum moestum.

CAPUT II.

Quomodo obscuravit Dominus in ira sua filiam Zion? coelo dissipavit inclytam terram Israëlis, ut non meminerit scabelli pedum eius cum irasceretur?

Praecipitavit Dominus citra indulgentiam omnia speciosa Iacob: diruit in indignatione sua munitiones filiae Iuda, et ad terram adflixit: prophanavit regnum eius, et principes eius.

Confregit in ira furoris sui omne cornu Israël. Avertit dexteram eius ab hoste, ac succendit Iacob vèlut ignis flamma, omnia circunquaque devorante.

Tetendit arcum suum quasi hostis, obfirmavit dexteram suam quasi inimicus, et contrucidavit omnia, quae erant visu desiderabilia: in tabernaculo filiae Zion effudit sicut ignem iram suam.

Factus est Dominus quasi hostis, praecipitavit Israëlem, praecipitavit omnia palatia eius, diruit omnes munitiones eius, et multiplicavit filiae Iuda tristitudinem et tristitiam.

Et dissipavit tabernaculum eius paradiso simile, et solennitates eius abolevit. Oblivioni dedit dominus in Zion solennitates et sabbata et in fremitu irae suae contumeliae exposuit regem et sacerdotem.

Repulit Dominus altare suum, succensuit sanctuario suo, et tradidit in manum hostis muros turrium eius. Vocem dederunt *hostes eorum* in domo Domini sicut in die solenni.

Constituit Dominus perdere murum filiae Zion, tetendit regulam, non reduxit manum, quo minus deiiceret. Lugent ergo simul propugnacula, et murus dissipatus.

Deiectae sunt ad terram portae eius, confracti et contriti sunt vectes eius. Reges et principes eius ad gentes *abducti sunt.* Non est eis lex aut propheta, neque contingit visio a Domino.

Sedent in terra, et silent seniores filiae Zion, conspersi cinere capita sua, accincti saccis. Deiiciunt terrae capita sua filiae Ierusalem.

Deficiebant prae lacrymis oculi mei, remurmurabant viscera mea, effundebatur terrae iecur meum propter contritionem populi mei, cum deficerent pueri et lactantes in plateis urbis.

Cum dicerent matribus suis, Ubi est cibus aut potus? et haec dicentes corruebant in plateis urbis, sicut qui vulneribus conciduntur, pars animam exhalabant in sinu matrum suarum.

Quo te contester? quid enim tibi comparem, o filia Ierusalem?

Quid tibi aequiparem, quo te consoler o virgo filia Zion? quia contritio tua immensum mare est: quis medeatur tui?

Prophetae tui viderunt tibi vana et stulta, neque prodiderunt iniquitatem tuam, quo magis averterent captivitatem tuam, sed viderunt tibi onera et dispersiones falsas.

Complodunt manus super te omnes qui te praetereunt, sibilant et movent capita sua super filia Ierusalem: Haeccine est urbs de qua praedicabant absolutam pulchritudinem, quae iuvaret universum orbem?

Diducunt super te os suum omnes hostes tui, sibilant ac dentibus frendunt, dicentes: Devoremus, adest enim tempus, quod expectabamus, invenimus, et vidimus.

Fecit Dominus quod cogitavit, implevit verbum suum, quod constituerat retro temporibus. Destruxit ut non pepercerit. Laetificavit super te inimicum, et extulit cornu hostium tuorum.

Clamet cor tuum ad Dominum o civitas filiae Zion, dimana torrentis instar lachrymas die et nocte, ne impendas tibi requiem, neque cesset pupilla oculi tui.

Surge et precare nocte, ad principium excubiarum: effunde sicut aquam cor tuum ante conspectum Domini: leva ad eum manus tuas, pro animabus parvulorum tuorum, qui fame pereunt in compitis omnium platearum

Vide Domine, et contemplare, cur sic vindemiasti? Num uspiam comederunt mulieres foetus suos, infantes palmi magnitudine? Num trucidatus est in sanctuario Domini sacerdos et propheta?

Humi iacent foris puer et senex, virgines meae, et iuvenes mei gladio ceciderunt, quos interfecisti in die furoris tui, occidisti, nec pepercisti.

Vocavisti tanquam ad solennitatem vicinos, qui circum me sunt, nec fuit qui effugeret aut reliquus fieret in die irae Domini. Quae fovi et multiplicavi, hostis absumpsit.

CAPUT III.

Ego vir ille sum, qui miseriam expertus est per baculum irae eius.

Me egit ac duxit, sed in tenebras, et non in lucem.

In me duntaxat vertit, et admovet manum suam omni tempore.

Vetustescere fecit et carnem et pellem meam, ossa vero mea comminuit.

Aedificavit ad me, et circumvallavit felle et labore.

In tenebrosa locavit me, sicut in sempiternum mortuos.

Circumsepivit me ut non evadam, et pedicas meas degravavit.

Sed et si clamem ac supplicem, aversatur orationem meam.

Obstruxit vias meas quadro lapide, et semitas meas incurvavit.

Ursus insidians factus est mihi, et leo in occulto.

Iter meum invertit, et frustratus est me, reddidit me desolatam.

Arcum suum tendit, et constituit me scopum in quem sagittam iactet.

Misit in renes meos filios pharetrae suae.

Fabula factus sum, et risus universo populo meo, carmen omni tempore.

Saturavit me amaritudine, inebriavit me absynthio.
Retudit saxo dentes meos, provolvit me in cinere.
Depulit a tranquillitate animam meam, bonorum oblivio me tenet.
Sic ergo mecum reputo, Et finis mihi periit, et exordium apud Dominum.
Recordare adflictionis, et violentiae meae, absynthii et fellis.
Recordando enim recolit, et tabescit in me anima mea.
Dum haec in mentem reduco, sic iterum ad spem redeo:
Quod misericordiae Domini non sunt consumptae, et bonitates eius non cessant.
Fides tua multa similis est recenti diluculo.
Pars mea Dominus, ait anima mea, quapropter in eum spero.
Bonus est Dominus fidenti, animae quaerenti eum.
Bonum est expectare, et tacite praestolari salutem Domini.
Bonum est viro, si tulerit iugum ab adolescentia sua.
Solus sedet et tacet, quia se ipso contentus est.
Ponit os suum ad terram, an forte se offerat spes.
Exhibet percutienti se maxillam, saturatur opprobrio.
Quia non deserit in sempiternum Dominus.
Nam et si abiicit, pro abundantia tamen misericordiae suae iterum indulget.
Non enim adfligit, neque repudiat filios hominum ex corde.
Ut conterat sub pedibus suis omnes vinctos terrae.
Ut deflectat iudicium hominis in conspectu altissimi.
Ut calumnietur hominis causam, Dominus non novit.
Quis quid dixit, quod factum sit iniussu Domini?
De ore altissimi non egrediuntur mala et bona.
Quo fidit homo vivens, strenuus scilicet peccatis gestis.
Pervestigemus et recolamus vias nostras, et revertamur ad Dominum.
Levemus corda nostra cum manibus ad Dominum, qui in coelis est.
Nos quidem praevaricati sumus, et descivimus; tu vero non condones?
Retexisti in ira tua, et persecutus es nos, trucidasti absque gratia.
Operuisti teipsum nube, ne penetret oratio.
Reiectos et contemptos fecisti nos inter populos.
Diduxerunt super nos os suum omnes inimici nostri.
Timor et laqueus evenerunt nobis, elevatio et contritio.
Rivos aquarum demanant oculi mei propter contritionem filiae populi mei.
Fluit oculus meus, et non cessat: eo quod nulla adparet requies.
Quando inspicies et contemplaberis Domine de coelo?
Vastat oculus meus mentem meam propter omnes filias civitatis meae.
Acriter venati sunt me inimici mei tanquam avem, atque hoc sine causa.
Oppresserunt in puteo vitam meam, et posuerunt lapidem super me.
Fuderunt aquam super caput meum: dicebam, perii.
Invocabam nomen tuum Domine de lacu altissimo.
Vocem meam audivisti, nec avertisti aurem tuam a singultu et clamore meo.

Adpropinquavisti in die, qua invocabam te, et dixisti, Ne metuas.

Defendisti Domine causam animae meae, adseruisti vitam meam.

Vidisti Domine facinora mea, suscipe causam meam.

Vidisti omne illorum noeendi studium, et omnia consilia eorum contra me.

Audivisti opprobria eorum Domine, omnes cogitationes eorum contra me.

Labia quoque insurgentium in me, et meditationes eorum, quas concinnant quotidie adversum me.

Vides et sessionem et resurrectionem eorum, ego materia carminum eorum sum.

Repende ergo eis vices Domine iuxta opera manuum suarum.

Redde eis citharam cordis, execrationem tuam.

Persequere eos cum indignatione, et extirpa eos de his, quae sub coelo sunt Domine.

CAPUT IV.

Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus, dispersi sunt lapides sanctuarii ad compita omnium platearum?

Filii Zion inclyti, amicti auro primo quomodo aequiparati sunt amphoris testaceis manu figuli factis?

Sirenes nudata mamma catulos suos lactant. Filia vero populi mei sylvestris ac fera sicut struthiones in solitudine habitat.

Adhaesit lingua lactentis palato eius prae siti. Petebant parvuli panem: sed non erat qui praeberet eis.

Qui delicate vescebantur, in plateis, interierunt; et qui in purpura educati fuerant, stercus induerunt,

Et maius reputatum est peccatum filiae populi mei peccato Sodomae, momento eversae, neque in deditionem acceptae.

Candidiores erant Nazarei eius nive, lacte nitidiores, rubebant instar sardii inter margaritas, saphyri similis erat elegantia et polities eorum.

Nunc species eorum nigredine ipsa est obscurior; forinsecus non agnosceres eos, adglutinata est cutis eorum ossibus eorum, aret ac riget instar ligni.

Pulchriores sunt interfecti gladio, quam qui fame perierunt, qui contabuerunt ab agri proventu confossi.

Manus mulierum natura mitium coxerunt natos suos, ut essent eis cibus, in calamitosa contritione filiae populi mei.

Implevit Dominus furorem suum, effudit indignationem irae suae, succendit ignem in Zion, qui devoravit fundamenta eius.

Nunquam credidissent reges terrae, neque totus orbis, quod ingressuri essent hostes, et inimici per portas Ierusalem.

Quod tamen evenit propter peccata prophetarum eius, et scelera sacerdotum eius, qui fuderunt in ea sanguinem innocentium.

Ut in plateis vacillent caeci, luctantes in sanguine, quorum tamen vestem interim nolebant tangere.

Sed fugite contaminationem clamabant ad omnes, recedite, abite,

nolite tangere. Veruntamen hoc dixerunt: incendamini, incertis vagemini sedibus inter gentes, nolite ultra incolere.

Vultus Domini relegavit eos, neque interim eos intuebitur: quia neque ipsi vultum sacerdotum reveriti sunt, aut senum miserti.

Idcirco etiamnunc deficiunt oculi nostri intenti ad vanum auxilium nostrum, dum anxie spectamus ad gentem, quae salvare nequit.

Insidiati sunt itineribus nostris, ne incederemus in plateis. Venit enim finis noster, impleti sunt dies nostri, exitus noster adest.

Velociores fuerunt persecutores nostri aquilis coeli. In montibus persecuti sunt, et in deserto insidiati sunt nobis.

Spiritus vultus nostri Messias Dominus capietur in vastatione eorum, de quo nos dicimus: In umbra eius salvi erimus inter gentes.

Tu vero gaude, et laetare filia Edom, quae habitas in terra Uz: nam ad te quoque veniet calix, quo ebria epoto fias.

Perfectum est peccatum tuum filia Zion, non transportabit te amplius: sed visitabit iniquitatem tuam filia Edom, et transportabit propter peccata tua.

CAPUT V.

Recordare Domine quid passi simus, inspice et contemplare opprobrium nostrum. Haereditas nostra derivata est ad alienos, domus nostrae ad peregrinos. Pupilli sumus patre orbati, et matres nostrae sicut viduae sedent. Aquas nostras pretio bibimus, ligna nostra pecunia comparamus. Imminet persecutio iugulo nostro, laboramus, et nulla requies adparet. Aegyptiis olim dediti fuimus, nunc autem et Assur, ut saltem pane vesci daretur. Patres nostri peccaverunt, qui nunc non sunt, et nos baiulamus iniquitates eorum. Servi dominati sunt nobis, nec erat qui de manibus eorum vindicaret. Vitae periculo paramus victum, prae siccitate deserti. Cutis nostra tanquam clibano excocta est metu procellae famis. Mulieres in Zion humiliatae sunt, et virgines in civitatibus Iuda. Principes manu hostium suspensi sunt, vultus senum non sunt reveriti. Adolescentium viscera hauseruut, et pueri in arboribus suspensi sunt. In portis desunt senes, et apud organa musica iuvenes eorum. Desiit gaudium cordis nostri, versus est in luctum chorus noster. Excidit corona capitis nostri. Eheu nobis quod peccavimus! Idcirco moeret cor nostrum, idcirco hebetes sunt oculi nostri propter montem Zion, qui vastatus est, ut vulpes in eo versentur. Tu autem Domine in aeternum permanes, soliumque tuum per omnes generationes. Cur perpetuo oblivisceris nostri? cur deseris tanto tempore? Converte nos ad te Domine, et convertemur. Instaura dies nostros quemadmodum olim. Quoniam repulisti nos, et iratus es nobis iam plus satis.

ANNOTATIONES ET SATISFACTIONES

COMPLANATIONIS HULDRICI ZUINGLII IN IEREMIAM PROPHETAM,

CUR, QUIDQUE, QUOMODOQUE VERSUM SIT.

EX CAPITE PRIMO.

Sermones Ieremiae. Verba habent Hebraei, si modo non utuntur דבר, pro Re, sermone, oratione, ratione, et aliis alias vocibus. Sed cum Hebraei eodem, quo Latinos uti Fabius perhibet, artis beneficio utantur, puta ut quibus linguae non est tam locuples supellex, suas tamen voces tam varie ac noviter accipiant, ut varietate non inferiorem quam copia gratiam pariant, fit ut longe plura, cunctorum opinione, apud eos figurarum ac troporum pigmenta reperias. Unde mirum non est, si quosdam Isaias noster offendit, qui ut se in primis Rhetorices cultores admirantur, ita quod amoenissimum in ea disciplina est, nempe doctus et prudens variegandi usus, non perspectissimum habent. Sed lucem huius rei cum magis ac magis inclarescere quibusdam videam, non est ut quicquam durius contumacibus istis, qui manum etiam obiiciunt ne solem intueantur, respondeam. Ad me redeo. Orationes si ex דברי vertissem, *ὑποφόγκον*, delicatis forte visum fuisset: eo quod aequabili sermone ac filo contentus est, eruditus alias quemadmodum neniae testantur, propheta. Idcirco sermones et cavillatoribus et iudicio praeditis vertimus.

Facto primum. Primum, de nostro non est, sed de virtute sensus.

Et perdurante. Et fuit, sive, Et factus est, habent Hebraea; sed *ἐπανάληψις* cum sit, pro Factusque est: hoc sensu: Ut sub Iosia coepit, ita sub Ioakim perstitit et continuavit.

Temporibus Iehoiakim. Sic habet temporum, et filiorum Iosiae, qui ei successerunt, ratio. Iosias regnavit annis uno et triginta. Ieremias ergo cum tredecimo regni illius prophetiam orsus sit, sub eo decem et octo implevit annos. Iosiae vero filii Ioahaz, Iehoiakim et Zedekias. Ioahaz, qui hic ob regni brevitatem praeteritur, tribus modo mensibus regnavit. Et quum captivus in Aegyptum deportaretur, frater Iehoiakim successit, qui annis undecim rerum potitus in Babylonem abductus est, et filium Iehoiakim successorem accepit, quem subito post menses tres et dies decem, regno adempto, Babylonem, quo patrem, deportarunt. Supererat Zedekias, ad quem postliminio regnum redibat. Is annis undecim rebus cum misere praefuisset, miserius regno

exutus est, et iam tertius de sanguine Iosiae ad infestam Babylonem captivus tractus. Omnes igitur anni quibus Ieremias prophetavit, usque ad captivitatem, quadraginta unus, menses sex, et dies decem. Secundum insignem istam filiorum Iosiae calamitatem, nobis quoque principum quorundam nostro tempore insolescentium ac tumultuantium fata prorsus vicina, nisi non sit idem, qui semper est deus, transmittenda non sunt. Ut enim Iosiae sanguine cretos, nulla potuit fidelis Ieremiae admonitio aut increpatio, ab idololatria, petulantia, tyrannide et luxuria avellere, donec quatuor continue reges, quod exemplo carere (quantum ipse rerum commemini) arbitror, captivi in servitutem et carcerem traherentur: sic isti nostri, sanguinem innoxium haurire, ius aut negare, aut praevaricari, prophetarum monita caede rependere, suos exactionibus non iam extenuare, sed conterere, cum audacia cuncta gerere, veritati ex professo resistere, cauponari, ligurire, ludere, scortari, fallere, peierare, belligerare, circumscribere, fraudare, proh dolor non desinent, donec malus iste ab Aquilone turbo aeque misere nescio quo dissipet, atque infelix sanctissimi regis posteritas sublata est. Quis haec libenter moneat? Sed quis contra tam corruptos mores dissimulet? An ne impune unquam publica iustitia conculcata est? Concursatur ad comitia, quibus quo pacto Turci (nam ille nobis satis masculus est, ne Turcam ex eo faciamus) potentia vel frangi vel excipi possit, deliberetur. Nulla interim prophetiae, atque restituendae in locum suum iustitiae et innocentiae habita ratione. Qui mihi perinde facere videntur ac si quis ad necem vulneratum, exanguem, et animam vix retinentem, urgeat ad induendum arma et moenia defendendum. Sic enim dissidiis concissa est Christiana res, sic exhaustae principum rerumque publicarum opes, sic omnium studia a re publica ad privatam aversa, imo sic inoleverunt furta, compilationes, violentia, ut nisi his primum medeamur, languidum et exhaustum simus gladiatorem robusto et viribus abundanti obiecturi.

Priusquam te formarem. Haec est vocationis expositio, quam fere omnes faciunt, quamque Christus ipse non uno loco tuetur, cum signis deprehendi missionem suam a patre adfirmat. Est autem occupatio: ne scilicet Ieremias nativitatem aut solum causaretur, antevertit eum divinus sermo: Scio quis sis, quo loco, quoque numero natus. Quamvis propheta alia via erumpat ad causandum, dum imperitiam et aetatem excusat, non originis obscuritatem.

Et prophetam populis constitui. Populos ex גוים vertimus, quos interim pro populis, interim pro Gentibus ponunt Hebraei. Nam Ieremias non solis Iudaeis prophetat, neque solis Gentibus, ut videbimus.

Eheu domine deus. Hebraei habent, Aha, dolentis interiectionem, quam in tria A. a. a. placuit Hieronymo vertere, nimirum occasione a Graecorum tragoediis accepta, qui *aî* duplicant et triplicant pro rei indignitate. Qui modus Helveticae quoque linguae est Ae, ae, ae, reduplicandi.

Aetate adhuc tenera. נער non tantum puerum, sed adulescentem quoque et simplicem significat.

Ad omnia enim ad quae te mittam, ibis. Sic Helias ad impium

et furentem Ahab, sic ad Herodem libidine spumantem Ioannes, intrepide ibant. Hic locus eius sensum, quo Christus secessionem docet, illustrat. Ne, quod quidam faciunt, temere et inani metu perculsi loco cedamus. Misce enim istum, Ad quaecunque te mittam, ibis, illi, Cum persecuti vos erunt in urbe una, fugite in aliam, et temperatam sententiam reportabis.

Et quaecunque mandavero tibi, loqueris. Habet autem hic locus e diverso ex Pauli Corinthiis temperamentum, Lacte vos alui, non solido cibo etc. Quibus discimus quod quemadmodum nihil est omittendum quod dominus adnunciare iussit, ita suo quodque tempore proponendum esse. Id quod doctus ac prudens paterfamilias domus dei fideliter servabit.

Ait dominus. Hanc orationem fere ad fastidium inculcat Ieremias: sed sedulitas est, non oscitantia. Nequit enim sollicitus propheta, satis ostendere, quod quae dicit domini sint.

Ac simul extendit. Simul, de virtute est Hebraici ו Vaf, quae multis locis celeritatem connotat. Visum est ac spectrum, quod Ieremiae contigit.

Ut extirpes ac demoliaris. Iucundum paranomoeon est Hebraeis in לנתוש et לנתוץ.

Et ut aedifices ac plantes. Haec duo verba superioribus quatuor, hoc est, duobus iugis opposuit. Aedificandi, opposuit demoliendi et dissipandi verbis; plantandi vero, extirpandi ac perdendi.

Ieremia quid nam vides? Vocationem et initiationem mox sequitur visio.

Virgam imminentem ac vigilantem. Nos Vigilans isto loco credimus pro minaci, incumbente, atque instar destricti gladii vibrato poni, ut cum ad percutiendum quis baculum stringit. Idcirco virgam imminentem ac vigilantem vertimus; et postea, Incumbam ac vigilabo, quo rectius et adpertius vis prophetici sermonis liqueret.

Et incumbam consilio meo. Verbo meo est apud Hebraeos, si דבר nihil nisi verbum significat, quo literatores, ne desit rixandi materia, spectant. Sed latior est virtus huius vocis, ut antea et in Isaia ostendimus.

Atque eam ab Aquilone. Ad verbum est, Et vultus eius ab Aquilonis facie sive parte. Quam sententiam satis dilucide nostra reddunt.

Ab Aquilone malum prodibit. Malum aperietur, est ad verbum, sed hac metalepsi, aperiri pro prodire non temere utuntur Latini, sed pro prodere frequentius.

Omnes regnorum Aquilonis nationes. Ex משפחות, hoc est, cognationibus aut familiis nationes, qua voce Cicero quoque usus est, fecimus.

Et ponent quisque solium suum etc. Quod Hebraeorum tribunalia pro portis essent, manifestum est. Minatur ergo dominus fore, ut gentes Iudaeorum iudiciis praesint.

Iudicia mea per eos proferam. Iudicium pro ultione familiariter ponunt Hebraei. Est igitur sensus. Vel, Ego exponam illis ultionem meam. Vel, Ego ultionem meam per illos pronunciabo.

Super omnibus malis istorum. Si Eorum pro Istorum vertissem, ambiguum fuisset an ad gentem Iudaeorum an Chaldaeorum referretur. Sed cum Istorum verti, satis claret ad Iudaeos referri.

Accinge renes tuos, surge etc. Hic προθύςερον Hebraicum reliqui. Prius enim fere est Surgere, et deinde sese accingere. Sed cum non magni momenti est reliquisse, id facere soleo, non ubi pondus aut cardo versatur.

Contra universam terram. Contra pro Super, ex עַל vertere in loco ius est. Terra vero hoc loci pro terra Iuda poni videtur, quomodo Itali et nostri hodie utuntur Terra pro regione, Germanice, Das land.

EX CAPITE SECUNDO.

Propter bonitatem adolescentiae tuae. Propter, de nostro est: videntur enim duo quaedam recénseri, propter quae non temere obliviscatur eius, hoc est Israëlis. Bonitas scilicet ab adolescentia, et amor integer quo deum prosecutus sit. Sumit autem propheta allegoriam ab uxore, quae iuvenis quidem morigera et amans mariti cum est, omne imperium illius prompta exequitur, et post eum quoquo versum proficiscitur. Sic Israël iuvenis ac parvus in Abraham, Isaac, et Iacob deum observat, amat, et e Chaldaea ipsum sequitur in Chanaan, e Chanaan in Mesopotamiam et Aegyptum, ex Aegypto per desertum, locum inhospitum, et rerum necessariarum expertem.

Sacrosanctus eras Israel. In secundam personam vertimus, quo sermo esset tum planior tum vividior. Sacrosanctum autem Hebraeis in loco fere id significat quod Romanis, sacrum scilicet et inviolabile, unde tribunitia potestas sacrosancta fuit adpellata. Sic Israël sacrosanctus erat domino, ut quicunque attigisset aut offendisset eum, non impune tulisset a domino.

Et frugum eius primitiae. Ex lege enim ager aut arbor, quae primo proferebat, domini erant, et qui ea demessuisset, domino devovebatur. Sic qui Israëlem familiarem populum dei attigisset, primitias domini violabat.

Ubi relinquimus dominum. Ad verbum est, Ubi est dominus. Sed sequentia manifeste indicant cum dei beneficia numerantur, quod huc spectat propheta, quod Israël merito dixisset: Cum dominus tot nobis bona ostenderit, cur illum prodimus? cur ab eo recedimus?

Legisperiti ignorant me. תפשי התורה, LXX. sive Graeci (nihil enim moror interpretes quinam fuerint, certe Hieron. Septuaginta refert prophetae huius versionem) verterunt in ἀντεχομένους, hoc est, in numerato habentes, qua voce Paulus quoque ad Titum usus est, ἀντεχόμενον τῶ κατὰ τὴν διδαχὴν πιστῶ λόγω, id est, tenentem, instructum, et doctum doctrinam verae fidelisque praedicationis. Nos ergo legis tenaces aut locupletes in legis peritos vertimus.

Pastores praevaricantur Pastores hic, reges, principes, praefecti ac magistratus sunt. Quomodo et apud Paulum Eph. 4. pastores et doctores coniuncti sunt in unum membrum, quod prophetia et magistratu regitur populus dei.

Prophetae serviunt Baal. Est quidem ad verbum, Prophetant in Baal. Sed cum prophetae sensus amplior sit, nempe, Prophetae transierunt ad Baal, me prodito, atque illi operam officiumque suum locant, vertimus, serviunt. Septuaginta enim transtulerunt, *ἐπροφήτευον τῇ βάαλ*, ubi facile deprehenditur dicere voluisse, prophetiam religione Baal adulterant.

Et abeunt post ea quae iuvando non sunt. Hunc sensum habent Hebraea. Cum vero Hieronymus verterit, Et idola secuti sunt, nihil a sensu deflexit, nisi quod Hebraicus sermo amplior est, ut qui non modo idolorum cultum, sed omnem simul vanitatem ac superstitionem, quibus gentes erant deditae, complectatur. Hieronymus autem cum videret idololatriam universum errorem secum trahere, vertit impotentiam in Idola, ausus aliquando a verborum literatura ad sensum deficere; quamvis, an opportune hoc fecerit, Lectori permittamus.

Chithiim et Cedar. Scio Chithim Occidentales vel regiones vel insulas ab interpretibus exponi: at mihi videntur Aquilonares esse. Tum quod Hebraei fere solent aut duabus oppositis regionibus totum orbem complecti aut quatuor: tum quod Aquilonaris regio apud eos celebratior atque notior est. Nunc vero cum Cedareni Palaestinae Australes sint, et propheta ad contemplationem orbis defectores mittat, Lectori expendendum offero, Chithim ad Occasum an ad Arctum sint. Adde quod alias quoque scripturae locis de auro Chithim sit mentio; et quod Hyperborei propter auri copiam apud Poetas et Historicos celebrantur. Naves quoque quibus Solomon aurum convehebat, non est verisimile sinum mediterraneum emensas, vasto de Oceano ad Indos penetrasse, converrisseque illorum myrmecia. Neque hoc recipi potest, in sinu Arabico ipsum naves aedificasse. Auguramur ergo Chithim esse gelidum qui habitant ad Arctum. Sequatur quisque quod vero propius esse credat. Hoc plane certum est, populorum, terrarum, fluminum ac montium nomina quotidie mutari; quanto magis verendum est post tot secula multarum huiusmodi notitiam etiam Hebraeis ipsis interiisse.

Populus meus prodidit gloriam suam. Gloria gentis Israëliticae dominus est. Hic enim, ut est in Exodo videre, promiserat sese ante exercitum illorum populis nuntiaturum, quod legiones Domini venirent. Ipse quoque sese nunquam non Dominum exercituum adpellat. Cui quae par gloria fingi potest?

Vehementer exarescite. Opportuna est haec prophetae exclamatio, post tantam indignitatem. Exarescite autem ex חָרַב vertimus, quoniam et Christus prae stupore ac metu exarituros perhibet eos, qui mundi casum expectant.

Aquarum perennium. Sic Latini vocant fontes ac venas, quae non exiccantur, sicut apud Livium videtur. Atque ista est malorum omnium summa, errorisque ac malitiae scaturigo, deum deseruisse, non audiendo, neque iussibus eius morem gerendo, et proprias cisternas effodisse, nostrum consilium sequendo, legesque pro cupiditate nostra sanciendo. Hinc inter Christianos haec non iam certamina, sed bella enata sunt.

Qui aquas non habent. Hebraei ad verbum, Qui aquas non possunt: sed eo schemate, quo posse pro habere accipitur. Nam et Germani Vermögen, pro habere vel possidere accipiunt.

Instar leonum. Hebraice est, Cur rugiunt in eum leones? Per leones autem intelligit omne genus hostium, qui inhiabant Israëli. Leones ergo cum per allegoriam vocaverit hostes, nos recte allegoriam in comparationem dissolvendo, Instar leonum, dicere possumus.

Cervicem tuam constupraverunt. Tantum valet quantum si diceres, Nihil hostilis ludibrii saevitiaeque fecerunt reliquum. Aut (qui mihi sensus magis probatur) amicitia Aegyptiorum corrupti per omnem idololatriam grassamini. Amicitiam enim ac foedera iunxerant Iudaici reges cum Aegyptiacis non una vice, quemadmodum in Isaiae scommatis patet, rebusque gestis, de quibus in hoc propheta sumus aduturi. Ne quis obscoenum quid auguretur: quanquam a libidinosis intemperantibusque sermo huc sit adcommodatus. Sed hoc pias aures offendere non debet. Tales enim erant eius temporis mores, tanta erat contumacia, ut prophetalis cura et castimonia cogerentur propter ἄτοπον, et propter auditorum impuritatem, κατ' ἄτοπον absurde et impure quoque auditores mordere. Sicut in sequentibus latius patebit.

Memphis et Thahaphnes. Quae sit Memphis apud Geographos et rerum scriptores clarum est. At nisi Thebe est Thahaphna, ut ת Hebraica litera in medio evanescat, non satis scio quomodo nomen mutaverit.

Quid negotii tibi est in via Aegypti etc. Nasus est: opprobrat enim futuram captivitatem, qua pars in Assyrios trahendi, pars in Aegyptum profugituri essent. Nisi mavelis Aegypti viam taxari propter legationes, quae in Aegyptum mittebantur pro impetrandis auxiliis.

Ut aquam fluvii bibas. Fluvius κατ' ἀντονομασίαν Hebraeis Euphrates est.

Malitia tua increpabit te. Hoc magnum est, et admirabile divinae per omnia praesentiae argumentum, quod ut primum in nos invehit ultio, iam cuiusque conscientia velut praeco pronuntiat, cur ista et quam digne patiamur. Grassatus est latro, prehendit illum praetor, iam protinus clamat conscientia cur prehendatur. Urgetur Aegyptus, fatetur propter adulterium pati conscientia.

Et timor eius. Meus est apud Hebraeos, sed nos citra iacturam sensus tam salebrosae ἀποφορᾶς vim fecimus.

Cum a saeculo. Mirum est unde Latinis עלם olim Hebraica vox allata sit: nisi quod in omnibus linguis huius supellectilis aliquid reperimus.

Eo quod orares. Vaf Hebraica isto loco causalis est; et dicendi verbum pro quaerendi aut deprecandi positum, hoc sensu: Cum ego semper ab omnibus retro temporibus iugum tuum atque vincula ruperim, quoties servitute oppressa me orares.

Sed supra omnem collem etc. כי Hebraica particula isto loco adversativa est non causalis.

Prostituis te o meretrix. Non est ut hic ad Isaiae adnotationes remittam, in quibus ostendimus, quam frequentes sint apud Hebraeos

alloeoses: nam אתצעה, Hebraicae voces suopte ingenio hic loci prostituis significant, sive diffundis aut spargis.

Ut sis vinea degener. Iucundissima paronomasia est apud Hebraeos in Sorec et Sore. Ubi tamen Hebraice candidati praeterire non debent, quod veteres Sore legerint non Sure, quemadmodum Rabini legendum punctis suis exhibuerunt, ab omni plerique humanarum literarum eruditione alieni.

Borith. Quod nomen hodie haec herba habeat ipse non video. Mihi magis videtur odorata esse, quam ablutoria, qua fullones uti perhibet Hieronymus. Habent enim, quae usum sui venum exponunt foeminae, herbas odoresque familiares, quibus foemineam tabem celent.

Nec est cur dicas contam etc. Anthypophora est. Ambulat enim genti Iudaicae excusationem, quam nemo non parat, quantumvis in *αὐτοφώρῳ* deprehendatur.

Post deos non abii. Baalim dii illis sunt, sive heroes. Invenimus enim varios Baalim sive Baales passim in scripturis.

In lucis, convallibus, ac bustis. Cum Hebraei unam modo vocem habeant גיא, quae tamen interim locum amoenum significat: et LXX. eam hic *εἰς πολυάνδριον* verterint, iam omnes istas, lucum, vallem ac bustum vertimus: tum quod Hebraica vox haec omnia simul contineat: tum quod in his fere locis idololatriam sectarentur perfidi.

Tanquam velox Dromedarius. Mirum est interpretibus excidisse, quod apud Isaiam iidem Bichrim, hoc est, Dromedarii, Camelopardales, sive Nabes habentur, quorum hic quoque fit mentio. De quibus habes apud Plin. lib. 8. cap. 18. Leve pro veloci per metalepsim accipere vulgare est.

Qui leni incessu graditur. Lenem incessum ex משרכת traduximus. Quae vox temperantem ac miscentem inter alia significat. Passum enim et gressum miscent ac temperant iumenta, quae mollius insessorem vehunt. Contra, quae incomposito rudique gradu pergunt, oneribus non hominibus destinantur, propter duriciam et asperitatem motus. Vocat igitur propheta gentem suam Dromedarium levem, sive velocem, temperantem ac lenientem iter suum: nimirum quod fastuoso quidem, sed propenso cursu ad idolorum cultum properarent, et ad omne genus libidinis ac voluptatis, quod sequenti comparatione fiet adpertius.

Et ferocia tua similis est Onagro etc. Ferociam vertimus ex תאנתה, feritatem pro tristitia, eo quod haec illius comes sit. De Onagro apud Plin. lib. 8. cap. 44.

Desertis assueto. Ad verbum est, Desertum docto.

Qui pro voluntate animi spiritum haurit. Scio beluis neque voluntatem neque animum tribui. Cum autem hic homo illi comparetur, virtute prosopopoeiae tribuimus ei utrunque.

Et reddit. Hoc habent Hebraea *κατ' ἔμφασιν* non ad verbum: nam et Graeci habent *ἐπνευματοφορεῖθε.*

Quis te circumabit? Hebraica habent ad verbum, Quis revertet aut reflectet eam? Israëlem scilicet. Cum autem reflexio ista tracta

sit ab equorum circumactione, iam nullo negotio videtur prophetam hoc velle, quod Israëlis sit incicurabilis prae ferocia et insolentia. Est enim Onager omnium contumacissimum ad disciplinam animal. Iam totius comparationis, quam ex allegoria vertimus, sententiam conabimur ad verbum reddere. Quo et Hebraicantes nihil desiderent, et nostrae versionis ratio constet, cum a superioribus interpretibus nonnihil discordemus. Onagri desertum docti, proque libidine animae suae spiritum haurientis, est ferocia eius. Quis eam cicurabit? meretricem scilicet Israëlem. Unde tertiam personam in secundam vertimus in, Ferocia tua, pro Ferocia eius: et in, Quis te cicurabit, pro, Quis eam cicurabit.

Omnes qui te investigant, nullo negotio te in menstruis tuis invenient. Vide quam libere imo foede taxet castissimus propheta, sed huc tractus corruptissimis moribus sui temporis. Perstat enim in meretricis comparatione, et genti suae omnes illius spurcitias et obscoenitates opprobrat. Parcerem et ipse interius ista eruere, nisi vererer quosdam non videre quonam propheta spectet. Quarum libido tanta est (sicut Physici perhibent) ut sese sine intermissione subiiciant, earum quoque menses vel raro sistuntur vel celerius redeunt. Sic dicit Israëliticum populum idololatriae omnis petulantiae tam intemperantem esse, ut nunquam non sit foedus et abominabilis.

Munis pedem tuum a nuditate. יָחֵף, Nuditas pedis est, cui Latini cum similem vocem non habeant, vertit in Isaia Hieronymus, Discalceatus. Germani dicunt Barfuß. Perstat in eadem pigmentorum solertia Ieremias. Meretrices ubi frontem perfricuerunt, sic inertiae et libidini praetexunt: Sola sum, imbecillis, paupercula, illi meam egestatem levant, cogit me inopia, non libido, non inertia, vel otium, donec sese cunctis prostituant. His ergo coloribus Israëlem pingit. Instar meretricum abhorretis a labore, quo extirpanda esset idololatria: quae enim tam alte radices egerunt non temere possunt refelli. Vos igitur segnes estis ac otio dediti, etiam ii quibus alioqui displicet idololatria, ut ad haec mala, luxus scilicet, violentiae, audaciae et idololatriae conniveatis, tantummodo ut quietis ac otiosis iacere vobis liceat.

Omnem curam adiiciam. Ex נוֹאַשׁ לֹוא est, quas voces LXX. verterunt in ἀνδριῶμαι, quae isthic in malam partem capitur, hoc est, obduro, pervicax sum, aut immedicabilis.

Populus. Ex הַמָּה, hoc est, ipsi. Ponitur autem ipsi emphatice, pro ipso populo.

Pater meus tu es. Quid aliud faciunt qui creaturam quamcunque sic adpellant Pater noster; aut quo non risu dignum est, dum ille Roncum (Rhochum dicere debui) aliquem, alius Gerdrudem anum sic appellat Pater noster etc. An istud non est creaturam vertere in creatorem, et gloriam creatoris creaturae tribuere?

Respondebo. De nostro est. Quod verbum tamen eleganter ἀποσιωπᾷ dominus, ut indignationis vehementiam ostendat. Latinis auribus asciscendum erat.

Surgat ac liberent te. Et, recte vertit ex אִם Hieronymus: hoc enim loco firmantis est non dubitantis, sed εἰρονικῶς. Ipsa quoque אִם in sacramento, certitudinis aut conditionis nota est, de quo alias.

Cur quaeso contenditis mecum? Contendere audebant cum deo, nunc non tam sceleratos esse quam eos faceret prophetalis ardor, nunc vero non universis cordi esse quae vulgo designabantur: nunc denique non imminere tam atroces poenas, ac Ieremias caeterique prophetae intentabant. Terram enim istam patribus et promissam et praestitam, ut eam perpetuo colerent etc. de quibus in sequentibus. Contendere cum deo tantum fere est quantum tentare spiritum dei, in Actis: hi enim contendunt cum deo, qui monita eius non recipiunt: sed in vita corrupta pergunt. Hi tentant deum, qui istis ei placere volunt quae ipse non amat.

Populus domini estis, audite ergo sermonem eius. Ex generatione populum fecimus, quod hoc loco non tantum aequipolleat, sed etiam lucem quandam secum adferat. Domini, non est ex nostro, sed ex hypozeugmate, sic enim ad verbum habent Hebraica: Generatio vos, contemplemini sermonem domini! Hic domini *ὑποζευγματικῶς* positum est, ut ad utrunque membrum pertineat, nempe ad, Generatio vos domini, et inspicite verbum domini. Quod autem audiendi verbum pro inspiciendi posuimus, virtute linguae factum est, quae sensum pro sensu crebro per alloeosim ponit.

Num tellus Cimmeria? Hebraice est, tellus tenebricosa aut caligine obruta. Cimmeria igitur huc competebat. Vide Chiliades Erasmi de Cimmeriis tenebris.

Cur ergo dicit populus. Cum non sim solitudo, sed *παντάρκεια* et opes meae sint inexhaustae; cum non sim in tenebras abstrusus, sed lux ipsa: cur ergo dicit populus meus?

Deficimus. Quod forte verbis non dicebant, sed re ipsa cum non redirent ad bonam mentem. Et est desperantium hoc loco verbum רדנו.

Cur commendas viam tuam, ut gratiam invenias? Sic pro se satisfaciebant, ut paulo ante ostendimus, non tam sceleratos, aut non tot esse: cum autem hoc falso et impudenter facerent, Cur audes, inquit, opera et consilia tua excusare, quasi in hoc facias, ut tibi gratia debeatur. Hic amor pro gratia ponitur, quomodo in sexcentis scripturae locis. Quid enim est dei in nos amor, quam gratia? Sic deus amavit mundum, hoc est, tam benignus est ac liberalis in miseros mortales.

Sceleribus etiam imbueris. Vide quae Prosopopoeiae. Via primum hic pro vitae ratione capitur. At propheta mox pro ipso terrestri itinere ponit, et illud personam facit quod possit disciplinam capere aut doceri. Et dicit: Tu o meretrix tam venenata es, ut viam ipsam infeceris, ut quotquot hac ingressuri sunt infieiantur. Imbuitur autem via scelere, cum doctrina et publica professio sensusque communis corrupta sunt. Huc quadrat imbuendi verbum, quod a vasis ad animos transportatur.

Et sub alis tuis inventus sit sanguis. Alas vel eas quae sub humeris latent accipiamus, vel pro defensione aut propugnatione; sensus tamen est, reos esse innoxii sanguinis, quem aut per insidias hauserint, aut corrupti non defenderint. Quod quantum scelus sit, dominus testatur, cum negat ipsam tellurem inultum laturam si innoxio sanguine

imbuatur. LXX. non imprudenter verterunt, In manibus, ad sensum magis spectantes quam sermonis gratiam.

Sed in his locis omnibus. ὑποδεικτικῶς istud legendum est. Circumtulit enim propheta simul cum his verbis aut os aut manum, et ea loca demonstravit, in quibus idolis sacrificabant. LXX. fecerunt ex אלה, quercum κατὰ ἀποκοπήν ון. Sed idem sensus manet.

En ego iudicio tecum contendam. Hic videmus verbum נשפט hanc locutionem efficere, En me iudicandum tecum. Qua tamen nihil aliud volunt quam, Ecce iudicio tecum agam, En litem tibi denuntio. Sic Psal. 50. Ut vincas cum iudicaris, cadit causa et sic cedit David. Equidem scelus meum agnosco, id enim me perpetuo excarnificat, quod in te unum peccaverim, et malum hoc designare in conspectu tuo ausus fuerim, quanquam hoc quoque ad gloriam tuam facit, ut veraces inveniantur sermones tui; deinde, ut non sit tibi mecum iudicio contendendum: fateor enim.

Cum constabit quoties iteraveris vias tuas! Ad verbum habent Hebraei, Ad iterationes viae tuae, hoc est, ad manifestationem, qua velut per testes constabit quoties repetiveris facinora tua. Istud autem, quantum vilesces etc. eo schemate dictum est, quo: Quis putas est fidelis dispensator et prudens: hoc est, quantam rem creditis esse, si quis ex fide dispenset etc.

Ab Aegypto enim confunderis perinde etc. Non minus contaminata es Aegyptiorum diis, quam Assyriorum. Unde et Aegyptiorum praeda eris, non minus quam Assyriorum.

Et manus tuas supra caput tuum copulabis. Symbolicus sermo est, quo significatur summa moestitia. Qui et Germanis usitatissimus est, Die hend ob dem kopff zesamen schlahen, hoc est, Manus supra caput collidere, pro, In summa angustia et moerore esse.

EX CAPITE III.

Vulgo sic sentitur. Hebraei habent לאמר. Quae vox cum hic sine controversia ponatur pro, Dicitur, docet quam varie quamque noviter utantur Hebraei, tum verbis, tum locutionibus suis. Deinde cum Dicendi verbum hic, pro, vulgo sentiendi accipiatur, plane sensum reddere voluimus.

Nonne enim contaminatus est ager ille? ארץ, terra est, quam nos Agrum fecimus. Execrantur enim ea loca vel areae, in quibus aut patriae proditor, aut latro, aut sacrilegus, vel habitavit, vel scelus perpetravit. Huc spectare visus est propheta. Deinde agro similis est uxor: ut enim ille proventus, sic ista liberorum gratia colitur, quos ubi vulgo concipere ac promiscuos facere coeperit, profanata est.

Cum pastoribus multis. רעים, aeque Vicinos atque Pastores significat. Hinc est ut Hieronymus verterit, Amatores. Nos autem LXX. imitati sumus, qui Pastores verterunt. Hoc enim mali habet pastorum alias sanctissimus victus, ut solitudinis occasione stupra non raro admittat. Id quod in Canticis et in hoc ipso propheta deprehenditur. Servant enim pecus non tantum adolescentes, sed et puellae; hinc ubi in silvas et recessus venitur, allubescit libido.

Leva oculos tuos ad omnes partes. על שפים, est Hebraeis, hoc est, ad fines, sed per emphasim ad omnes fines, quaqua versum.

Insidiabaris eis in deserto latronis instar. Quam iucunde perstat in meretricatus comparatione. Insidiantur enim scorta non minus amatoribus, quam viatoribus latrones. Per scortationem autem nihil, quam idololatriam intelligi vult. Adulterari enim et scortari cui sunt similiora, quam idolorum cultui luxuique? Deserto marito novos concubitus quaerit adultera. Relicto vero deo, novi quaeruntur perfidis. Conculcatis honestate ac pudore omne cum omnibus libidinis genus pervadit scortum. Qui iustitiam prodiderunt, per omne luxuriae genus impudenter grassantur.

Alioqui vel nunc. מעתה, ad verbum, De nunc. Sed Latini absolute dicunt nunc.

Num aversaberis in perpetuum etc. Num custodiet vel abstinebit, est ad verbum. Primum igitur personam tertiam in secundam vertimus, quo planus esset sermo. Secundo cum sermo sit ad dominum qui sese cohibeat, et exorari nolit, cohibendi verbum in aversandi traduximus etc.

Quid fecerit defectrix Israel. Degravatio est regni Iuda. Cum enim decem tribus iam essent in captivitatem abductae, quae maluin ratio, exemplo domestico nihil moveri?

Super omnem montem, et sub omnem arborem densam etc. Tales recessus quaerunt adulterae et scorta. Pares quaesierunt idololatrae. Quid autem nova sacella, quae Christiani scilicet, per omnia nemora, montes, campos ac valles excitavimus, novis opitulatoribus velut ex Pessinunte allatis, quid inquam ab istorum stultitia distant? Adde quod non tam fuerunt ad orationem adcommoda, quam ad scortationes, adulteria, et compotationes.

Quod cum perspecta fuissent. ואראּ, Hic Vaf Hebraica posita est vice, כי, pro coniunctione quod.

Totam terram pervasit. Pervasit ex חנף traduximus. Pervasit sicut contagio et pestis: sic enim polluere quoque significat Hebraicum verbum.

Iustior est defectrix Israel etc. Ad verbum habent Hebraei, Iustam servavit animam suam defectrix Israël. Sed sic loquuntur, cum eum sensum exprimere volunt, quem nos vertimus. Minus peccat qui exemplum non videt, quam cui exemplum ob oculos ponitur.

Non enim avertam vultum meum etc. LXX. verterunt στηρίσω firmabo. Sed avertere vultum, et firmare aut intendere, in loco, idem pollent: cum utrunque fit per indignationem.

Et copiam tui fecisti. Ad verbum est, Et, dispersisti vias tuas, hoc est, Excurristi licentius ad alienos. Quam sententiam nostra versio servat.

Audire noluisti. Noluistis est ad verbum, sed nunc mutatus numerus est. Sensui ex nostra expositione nihil deest.

Convertimini filii proditores. שובבים, hic in malam partem capiuntur pro defectoribus, quemadmodum paulo ante משובה, pro defectrice Israële ponitur, quam et Hieronymus Aversatricem transtulit. LXX. vero, ne in ea voce peccarent, quam veriti sunt in malam partem vertere, omiserunt.

Et ego connubium vobis conciliabo. Latine esset ad verbum, Uxorem vos ducam. Sed cum et hic sensum possit erui ex Hebraicis, Ego vos nuptui tradam (sequitur enim allegoria de vocatione Gentium), iam ad hunc modum transferre decrevimus.

Accipiam enim ex vobis unum ex urbe, et duos de cognatione. Sic inseruit divina providentia promissionem vocationis gentium, ut plerisque locis, quibus ex Babylone reditus promittitur, atque ille magnificus, semper addatur gentium vocatio. Re enim vera Iudaeorum regnum in pristinum statum nunquam restitutum est, quemadmodum prophetae pollicentur. Fit igitur manifestum, quod ea amplitudo, quae promissa est, non aliunde contigit, quam gentium ad ecclesiam dei accessione. Sic isto loco, unus cooptatur ex urbe, duo vero ex cognatione. Unus, Hebraica gens est, quae tot saeculis ante Gentium vocationem civitate donata est. Duo vero, Gentes sumus, ex agro olim et cognatione, nunc autem et ipsi cives et domestici sanctorum.

Et adducam vos in Zion. Magnum non erat Zion, Iudaeis restitui, sed magnum est gentes in Zion, hoc est, ecclesiam adduci.

Et dabo vobis pastores iuxta cor meum. Sic missi Apostoli; sic rerum summae Christiani magistratus ac principes praeficiuntur. Cum igitur pastores hoc saeculo habeat ecclesia, qui non pascunt, sed tondent, excoriant, in frusta secant, et ossa comminuunt: iam indubitatum est numen in nos irritatum esse.

Non dicetur ultra, Arca foederis domini. Arca hic repudiata certissimum argumentum est, vocationis gentium, et repudiationis eius cultus, qui tum erat.

Tunc vocabunt Ierusalem sedem domini etc. Cum Iudaei ostenderint haec omnia, quae hic dicuntur historice impleta esse, tunc redemus, hunc et similes scripturae locos non intelligendos esse de vocatione gentium. Ad quam enim Ierusalem collectae sunt universae gentes, quam ad ecclesiam? de qua Paulus in Galatis.

Tunc ibunt qui sunt de domo Iuda. Quanquam et hunc locum in allegoria servare, si quis pressius cum adversario ageret, posset: at nihil vetat eum de carnali Israële ac Iuda accipere. Simul enim redierunt ex captivitate. Veruntamen tam numerosa soboles, qualis ex gentibus promittitur, tantae opes, quales olim habuerant, nunquam contigerunt eis, nisi post gentium accessionem, cum et illae factae sunt populus domini.

Et praeclaros exercitus Gentium. Praeclaros fecimus ex צבי. Quae vox ideo decorum et illustre significat, quod ea capream ferarum ac damarum principem, proprie nominant. Ac deinde ad quaeque venusta et splendida abutuntur.

Sed quemadmodum. Est ex אכן, ubi adparet א *κατὰ πρόθεσιν* esse adpositam כן, sequitur enim aliud כן in altero membro. Ut sic duo כן comparantis ac comparati notae sint, perinde ac duo כי conditionis, quemadmodum in Isaia adnotavimus.

Audietur ergo undique vox. Ergo, de nostro sumptum est. Hebraei enim non tantum rationales, sed ferme omnes notas, tam adverbiorum quam coniunctionum, in loco omittunt.

Revertimini filii defectores. Haec velut intercalarem inculcat propheta, ut eo vehementius ad poenitentiam trahat, qui status est totius orationis.

Dicite, En tui sumus. Dicite, nostrum est, sed sensus hoc a nobis efflagitavit. En tui sumus, dixi pro, Ecce nos venimus. Quae et ipsa dedentium verba sunt.

Sed devoravit impudentia. Pudor hic Hebraeis pro re, propter quam pudet homines, accipitur. Cum igitur eius rei non puderet eos, certum est impudentia peccavisse. Nisi tu malis והבשת sic vertere, Sed proh pudor. Sed tunc אכלה non tam plane sequitur.

Obdormiemus in impudentia nostra etc. Desperantis prophetae verbum est, ut vel desperationis malo aliquos terreat.

EX CAPITE IV.

Si autem reverteris etc. Post intentatam desperationem, iterum felicia promittit.

Et iurabis, Regnat dominus. Qui per deum iurant, ostendunt quod nomen illi dederint. Regnat dominus, diximus, pro, Vivit dominus: nam recens inauguratis regibus adclamatur, Vivat rex, pro, Feliciter regnet.

Et didentur in eo gentes. Benedicendi verbum Latinis post illatam religionem Christianam satis receptum est, nisi quod recentiores virtutem eius, qua ברך, Hebraico respondet, minus capiunt. Dominum igitur benedicere est, eum benignum, liberalem, atque faventem esse. Diximus ergo, Ditentur, pro, Benedicantur, hoc est, prosperentur Gentes in domino.

Tunc sic loquitur dominus. Tunc ex כי est. Et isto loco evidentissime patet Hebraeorum Rabinos nihil vidisse per omnia, ut scripturae sensus digerendi ac partiendi essent.

Novabitis vobis novale. παροιμιαχῶς dictum est hoc, pro eo quod est, In patria et domi manebitis cum rebus vestris. Et non seminabitis in spinas, itidem proverbiale est, pro, Non erit frustraneus aut alienus labor vester, qualis est captivorum ac servorum, qui colendo agrum ipsi nil reportant, cunctis ad herum reduntibus.

Circuncidimini domino etc. Παραίνεσις est. Quas prophetalis ardor ubique interspargit; quantumvis enim hic desperate minatus sit, adhuc tamen in hortando spem facit, si mores mutent.

Adnuntiate in Iuda etc. Alia comminatio est, qua praedicit constitutum esse, ut hostium exercitu obruantur, coeundum ergo illis esse et latendum in locis munitis: iam enim solvere Babylonicum tyrannum, qui perinde ac leo ad praedandum de cubili suo prodit.

A vobis. Ab eo, Israële scilicet sive Iuda habent Hebraica ממנו. At violentam alloeosim sustulerunt tam LXX. ἀφ' ὑμῶν, quam Hieronymus. Cur igitur hoc non perpetuo liceat dummodo postulet usus?

Eheu. Satis visum est nobis dixisse Eheu ex אהה.

Tu profecto decepisti. Profecto, fecimus ex anadiplosi. Reiicit autem errorem populi in dominum: non quasi ipse pacem promiserit, ut deciperet, sed quod stulti mortales, quae nobis bona promittuntur

a deo incunctanter exigimus, quae vero minatur non curamus. Salutem promiserat Israëli in terra, sed hac lege, si leges illius custodirent, nec deficerent ad deos alienos. Isti ergo salutem exigunt perpetuam, utcunque leges conculcaverint ac dominum prodiderint. Est igitur prophetae sensus: Fidunt miseri pace ac salute, quod eam tu promiseris, neglecto interim eo, quod perniciem praevaricantibus comminatus es. Pax, Hebraeorum שלם, non tam probe exprimit atque Salus.

Animam penetrabit. Tanget est apud Hebraeos: sed perpetuum est hoc eis ut interim mitiora pro vehementioribus, interim vero vehementiora pro mitioribus accipiant: quemadmodum in Isaia monuimus.

Per viam populi mei. A Meridie enim dum Aegypto proficiscerentur in Palaestinam venerunt. Intelligit autem per שפיים et desertum, et undique. Nam prius ab Aquilone minatus est, nunc minatur ab Austro, pro undique, accipiens duo latera. Quanquam et ab Aegyptiaco rege Iohaz rex Iuda captivus est abductus. Quo simul hic spectat propheta.

Non ad ventilandum vel purgandum. Hic aposiopesis est, quam Hieronymus posterius locavit: reticetur enim, ad quid noxium ventum adducturus sit.

Tunc ego istos quoque docebo iudicia. Tunc ex עתה vertimus, quomodo et Hieronymus in Michea fecit, et Istos, ex אותם. Istos autem Iudaicam gentem demonstrare autumo.

Ecce enim ascendet. Enim, ex nostra liberalitate est. Ascendet autem, ad Babylonium regem spectat: nam superior quoque sententia, Post haec veniet mihi ventus vehemens, etiam de Babylonio est accipienda. Undique enim perhibet ventis esse petendum Iudam. Ab Austro et Aquilone. Ab Austro raptus est Iohaz, ab Aquilone Ioakim, Ioachin et Zedechias.

Vae nobis quoniam vastati sumus. Dira exclamatio, vide quo in loco quem secum horrorem trahat. Idcirco protinus subdit, Ablue a malitia cor tuum etc.

Cogitationes tuae perniciosae. Perniciosas vertimus pro laboriosis, quas Hebraei et LXX. habent: nam et Hieronymus Noxias vertit. Posuit autem propheta virtute metalepseos laboriosas pro perniciosis, posterius pro priore: perniciosa enim laborem et adflictionem pariunt.

Ecce gentes monent. Diximus pro Ecce nuntiant gentibus, hoc est, apud gentes. Vult autem propheta, praesagire cunctos populos regno Iuda imminere exitium.

Sicut agrorum excubiae monent. Custodes agrorum, excubias vertimus: dicit enim, Omnia monere Iudam, perinde ac dum excubiae monent de adventu aut consiliis hostis; et est comparatio. Monendi autem verbum ex voce dandi, quod et ipsum exposuimus per nuntiandi verbum, expressimus, quo sensus fieret liquidior.

Et rebellio. Et, ex כי est, hoc loco expositionis nota, vel relativo.

Quae cor tuum possedit. Hic כי sine controversia relativum est. Possedit autem pro tetigit vertimus, sicut prius penetravit pro

tetigit, cum sit idem apud Hebraeos verbum נגע: sed sensum quaerimus non verba.

Tunc dices. Addidimus in hoc ut sequentis querimoniae persona non lateret; quam propheta non exprimit, sed magna nare contemptim tractat.

Ad caedem et excidium conclamatur. Ad verbum est, Contritio super contritionem conclamatur. Praedicit autem quomodo hostes sint se mutuo ad caedem Iudaeorum incitaturi, quae res mortalem metum sit desperabundis allatura.

Quia contempsit me populus meus. Ad verbum est, Quia stultum putavit populus meus me. Rectius ergo est, Contempsit.

Et sensum exuit. Ad verbum habent Hebraei, Et non sciunt, vel non intelligunt; hoc Latini dicunt sensum exuere.

Inspexi terram etc. Quae sequuntur si ἰσοριχῶς intelligenda sunt, sensus eorum ex superioribus pendet. Quibus stultitiam, hoc est, malitiam et ingratitudinem populi coarguit. Ut sit sensus, Ita sunt omnia vanitati dedita, ut nihil sanum οὐδὲν ὑγιές videam. Et sic coeli aut per allegoriam principes viri sunt, aut per hyperochen summa et infima, quae inania prudentium atque bonorum esse queritur. Qualis hyperocha est, Stellae cadent de coelo etc. Si vero visum est, et non ficta, atque rhetorica κατάπληξις, iam adparuit ei vastitas atque excidium, quod hic narratur antequam fieret. Veruntamen pro spectro sive pro circumlatione rhetorica et historica accipias, utrumque ad unum hunc finem tendit, vastitatem usuventuram esse perfidis et contumacibus.

Et omnes volucres coeli recesserunt. Vehementem solitudinem comminatur. Sunt quaedam aves, quae his tractibus maxime victitant in quibus homines habitant. Propheta igitur tam atrocem fore vastitatem denunciat, ut nullae prorsus aves permanere isthic possint, nedum homines: hyperocha est.

Consummationem non faciam. Promittit hac vice non funditus perituram: quo reditum insinuat ex Babylonica captivitate. Et terra hic pro regione Palaestinae capitur, quomodo sexcentis scripturae locis. Germanice, Das Land. Itali quoque et Galli in loco terram pro regione ac patria capiunt.

Idcirco lugeat terra, et coelum superne moereat. Vide quantum epiphonema quibus prosopopoeiis inspiretur, cum terra lugere, et coelum moerere iubentur. Loquitur autem dominus.

A voce equitum etc. Haec est sive visionis sive historicae praedictionis expositio. Sequutus autem sum LXX. qui σκήλαια καὶ ἄλση verterunt.

Si pinges oculos tuos stibio. Stibium qui lapis sit Plin. vide lib. 33. cap. 6.

Qui te hactenus deamabant. Iterum rediit ad meretricatus comparationem. עגב Hebraicam vocem Graecis esse receptam non est mirum: ἀγάπη enim amorem illis significat. Nam sunt in ea lingua innumera, quae cum mercibus nimirum Syriacis in Graeciam translata videntur.

Querulae Zion. יהה meditari ac secum reputare est. Sed He-

braei saepenumero pro lugendi ac querendi verbis utuntur virtute *μεταλήψεως*: qui enim lugent, aut meditantur aut queruntur. In Psalmis et Isaia istud deprehendimus.

EX CAPITE V.

Intus quoque per plateas. Intus et foris iubet Ierosolyma inspicere. Et est alia redargutio valde acerba: nihil enim aeque populum offendit, atque dum omnes iniqui esse dicuntur.

Quod aequum est etc. aut fidei studeat. Aequum ex משפט, et fidem ex אמנה vertimus: cuius potestatis rationem in Isaia puto reddidimus.

Ait dominus. Septuaginta quoque ex suo depromserunt.

Cum oculi tui domine nihil aeque spectent ac fidem. Perhibet propheta fidem exulare, et dolo agi omnia; etiam insiurandum eludi. Quem locum Catabaptistae, qui aut reditus sive pensiones, pro quibus sponsiones, fideiussiones, satisdationes, et id genus munimenta sunt praestita, negant dandas; aut decimas eis adiudicant, quorum tamen praedia nunquam non servierunt in decima. Adde quod decimae et venundari et comparari coeperunt non secus atque alia merx: de qua re plura et necessaria dicendi locus non est. Hunc inquam locum paulo interius perpendant Catabaptistae, ut ne dum fidem suam iactant alios perfidiam doceant.

Emendavisti sed etc. Septuaginta verterunt *συνετέλεσας*. Posuit autem propheta consummandi vel perficiendi verbum pro corrigendi aut emendandi; atque hoc perpetuo faciunt Hebraei virtute metalepseos: corrigimus enim et emendamus ut perfectum reddamus.

Forsan adeo ignobiles. Ignobiles ex pauperibus formavimus: nam iterum per metalepsim דלים pro obscuris ac ignobilibus rudibus indoctisque accipi videntur.

Ibo igitur. Hebr. Ibo mihi. Sed לי mihi, se ipsum inhortantis est hoc loco. Vertimus ergo in, igitur, quod est rationi cedentis.

An forti isti. Hic כי, si forte, significat, ut in Psalmis saepenumero ostendimus.

Et lora confregerunt. Lora hoc loco decentiora sunt, quam vincula, מוסרות; quamvis LXX. *δεσμοὺς* verterint.

Lupus ad vesperam. Vesperam Hieronymus quoque vertit ex ערבה, cum planitiem aut campum, si meam sententiam secutus essem, magis placuisset vertere. Belle enim opposita sunt, Leo in sylva, in campo lupus etc. Sed cum rabiem luporum vespera magis, quam alio tempore perhibeant crudescere, cessimus Hieronymi sententiae. Tum quod Beniamin ad vesperam ceu lupus venator praedam promittit. Comminatur autem propheta non tam ferarum istarum violentiam quam hostilem vastationem, quantumvis post captivitatem solitudo terrae et haec mala tulerit.

Cum iureiurando adstrinxissem eos. Visus est propheta spectare ad sacramentum, quo non semel adstrinxerant sese filii Israël, quod iuxta legem victuri essent. Nobiscum sentiunt Rabini dextro puncto in שבע. Hieronymus LXX. secutus est, qui verterunt *ἐχόρτασα*.

Meretricis familiae coniuncti sunt. Defectionem queritur propheta: cum igitur גדד praedonum ac latronum more conspirare inter caetera significet, coniuncti sunt, vertimus pro luxuriabantur. Nam et LXX. verterunt ἐν οἴκοις πορνῶν κατέλυον, in meretricum ganeas diverlebant. Et redit propheta ad meretricatus et adulterii allegoriam, quam defectionem eorum accusat.

Equi admissarii furore libidinis. Insaniam idololatriae et luxus tam late exposui, ut Septuaginta vocem θηλυμανεῖς probe redderem, cuius etymon a libidinoso furore et impetu foeminarum profluit. Habent Graeci aliam vocem quae huic metaphorae melius conveniret ἱππομανεῖν, nisi quod ista videntur hac usi ratione, quod sub beluina libidine humanam taxat insaniam.

Ad uxorem proximi sui adhinnit. Et hic non tantum adulterium, quamvis forte et illud taxat (adulterii enim lues apud nullam gentem minus inolevit atque Iudaicam; casta ferme connubia custodierunt) sed sub isto scelere idololatriam et luxum carpit, quibus quisque ad quodvis idolum adcurrebat, quisque quam liberet voluptatem ac violentiam sequebatur.

Sed consummationem ne faciatis. Mihi magis arrisisset כלה אל תעשו cessationem nolite facere, hoc est, Ne cunctemini. Sed unanimiter verterunt Hieronymus et Septuaginta. Deinde alias quoque videbimus promitti a propheta quod Israëlitica gens hac vice non sit penitus perdenda. Quamvis ista nihil vetarent, quo minus in impetu irati dei, quem illi propheta hic induit, ultimum excidium intentaretur.

Ipse non est deus. Ex לוא הוא, id est, non ille deus scilicet est, transtulimus. Tam foecundâ est apud eos ista vox, הוא. Germanice possumus hanc emphasim exprimere, Er iſts nit, deus scilicet, aut istud quod creditur.

Prophetae in ventum abibunt. Proverbialis sermo est, in ventum abire, pro auferri aut evanescere, sicut Latinis, Ventos pascere, aut in aërem loqui, pro frivole ac vaniter blaterare. Inferius capite 22. Pastores tuos pascet ventus, dixit, pro nulli aut inutiles erunt. Grave autem intentat deus, quoties prophetas ablaturum comminatur. Hic enim nudae et inadfectatae veritatis ministri sunt. Quibus sublatis, nemo credit officii sui esse, ut quod verum est usque ad mortem confiteatur, testetur, aut tueatur. Dominus deus det ecclesiae suae prophetas fideles, qui veritatem supra cuncta ducant, Amen.

Sic agetur cum eis. Haec verba nota sunt insignis damni, ut iam diximus.

Eo quod loquimini sermonem istum. Hunc videlicet, Malum non veniet super nos, gladium et famem non videbimus.

Ecce ego vertam. Dixi pro, Ego dabo: tam ampliter enim utuntur verbo dandi, ut pro ponere, reddere, facere, donare, vertere accipiant, ut et in Isaia diximus.

Populum autem istum in ligna. Venustissima μετάϛασις sive μεταμόρφωσις est, Verba ignis erunt, et populus ligna, quo scilicet vere usuventurum ostendat, quod minatur. Nam nihil aliud vult, quam re ipsa sensuros ac experturos, quae nunc verba tantum esse iactent.

Praesens sepulchrum est. Praesens pro adperto diximus, sed eodem quo propheta sensu.

Non perficiam nobiscum consummationem. Ambiguus sermo est, tam ad hunc sensum, Non prorsus perdam vos Babylonica clade, quam ad istum, Non cessabo adfligere, etiam cum haec omnia perpessi eritis.

Qui arena mare coercui. Amplificatio dei est, quo magis eum revereantur.

Impetus quidem molitur etc. παρέκβασις est cum προσωποποιΐᾳ. Exit enim ut maris conatus ac impetus velut immanis alicuius beluae insultus introducat, quibus non iam verba quaerit, quod a propheta debet alienissimum esse, sed monitionem. Admonet enim, impios sese attollere quidem atque evehi immaniter ac insolenter, at nihil magis efficere, quam cum mare aestuet: mox enim refluit ac residit.

Defecerunt et abierunt ita ut non etc. Et hic irrefragabile testimonium est, Rabinos aut non vidisse prophetae sensum, aut fortuito nonnunquam sententiales punctus infixisse.

Iurata serie. Inter nostram et Hieronymi sententiam parum interest, etiam si ille cum Septuaginta שְׂמֹאל Sinistram legit, nos autem Dexterum. Sensus est enim, messem quotannis reddi.

Iniquitates autem vestrae. Autem adversativa particula ἐκλείπει hic apud Hebraeos, sed sensus eam repetit: ostendit enim propheta, quod si quod vitium in his usuveniat, commeruisse ipsorum scelera.

Qui laqueos clam tendunt. כשׁר apud Hebraeos hoc pollet, quantumcunque fieri potest occulte.

Dolo quaesitis. Ex מִרְמָה est: non enim solum vult dicere dolis scatere huiuscemodi homines, sed dolo quaesitis ditatos esse. Taxatur hic nominatim avaritia, deinde fraus et violentia, ancillae illius.

Criminibus quoque pessimis. דבר רע, Rebus malis est ad verbum, sed per intentionem, malum dicitur. Simile est in Gen. cap. 37. Considerandum est igitur hoc loco, quae nam sint pessima inter mortales crimina.

Sacerdotes obtemperant illis. Sacerdotum collegium non secus habebat apud Hebraeos quam Pontificum apud Romanos. Aeque enim erant Nomophylaces, oraculorum expeditores atque interprètes, portentorum curatores, et consiliorum arcanorum mystae. Prophetae vero veluti coactores erant, qui vitia arguerent et virtutes proveherent. Utrumque igitur ordinem taxat: prophetas quod mendaciter doceant, et sacerdotes quod illis pareant, hoc est enim descendere ad illorum manus, sese subdere potestati eorum. Consentiebant enim indubie turpis lucri gratia. Taxat et populum quod ista sibi placere permittebat: ubi forsan nobis difficilior quaestio suboriretur, cur ergo deus rudem populum et ob id insontem taxet? Nisi quod certum est, sacerdotum prophetarumque fraudem semper posse deprehendi, cum a veritate ad mendacium, a deo ad Mammonem avertuntur; sed nostra quoque malitia eis patrocinatur et consentit. Exemplum. Quis non vidit fictis indulgentiis mundum circunduci? Cur igitur omnes tulimus hunc dolum? Quia quisque viri boni laudem ac nomen citius liberabat stipe, quam

iustitiae opere. Cum ergo vulgo ad errores conniveamus in hoc, ut et nobis liceat lucrari ac libidinari, pessimis interim existentibus, iure cum sontibus puniemur.

EX CAPITE VI.

Hoc scilicet. De nostro est. Subiungit enim propheta, quantum ipse video, quem exitum tanta audacia sit sortitura. Hunc videlicet, quod ab hoste crudeliter trucidentur, quodque omnis virtus ac potentia ipsorum nihil sint profuturae.

De Ierusalem. De medio Ierusalem est ad verbum, sed in Isaia ostendimus, de medio, ad medium, et in medio, et similes, interdum locutiones esse, interdum vero significare quoque quod sonant. Hic cum locutio videatur esse, De Ierusalem, dixisse contenti fuimus. Adpellat autem Beniamitas, sive quod in terminis Beniamin sita est Ierusalem, sive quod iam obsidionem urbis ante fingit, in qua sociorum exercitum adpellat, non Iudam, quasi iam auxilio venissent: est autem *συμμάχων* omnia polliceri, solarique. Elicit ergo eos ad pugnam.

Thecuitae clangite tuba. Apud Hebraeos *παραγμένον* est in Thecua et clangere. Deinde buccina sive cornu est potius quam tuba: sed cum verbo clangite convenit tuba magis quam cornu vel buccina, quam et LXX. in *σάλπιγγα* verterunt. De Thecua et fatidica isthinc muliere subornata a Ioab, 2. Reg. 14. habes.

Pulchrae et delicatae etc. Ironice hic loquitur propheta. Pastorum genus ad venustarum obtutum stupet, ac temere ad amorem rapitur, quod Poëtae omnes et maxime Bucolici canunt. Hinc studia ipsorum et obsequia incenduntur, ut amatam per omnia sequantur aut quaerant. Ab horum amore comparationem decerpit, quo hostile odium melius depingat. Hostes adfore non minus frequentes ad perdendum Iudam, quam pastores ad demulcendum et gratificandum amoribus suis adsunt.

Potestati suae traditos. את ירו. Vide quam brevis locutio quantum polleat. Intelligit autem duces ac tribunos, qui exercitui praesunt.

Sed plane loquar. Hanc notam expositionis, quam propheta subiungit, de nostro adiecimus. Iure autem an iniuria, lector iudicet.

Decernite contra eam praelium. Hieronymo placuit, sanctificandi verbum, quod tamen nescio an Latinis in hac significatione sit in usu. LXX. in *παρατάξασθε* vicinius nostro verbum traduxerunt.

Surgite. Verbum est hostium se mutuo ad properandum invitantium.

Umbrae vespertinae adpetunt. Et hoc poëticum ac Virgiliano simile est. Queruntur autem hostes, diem se deficere, quo minus excindere ac perdere cuncta possint.

Ut ascendamus nocte. Hostilis alacritas intentatur, quam prompti sint futuri hostes ad demoliendum ac vastandum, ut ne nox quidem a labore possit eos deterrere.

Munimenta eius. ארמנות aeque munitiones ac aedes ambitiosasque domos significat. LXX. verterunt in *θυμέλια*.

Cedite arbores. עץ et lignum et arborem Hebraeis significat.

Huc quadrabant arbores, quae circum urbes caeduntur et aptantur in vallum.

De qua ultio capienda est. הפקד Hebraica vox hoc pollet, quam visitatam oportet. Ponitur autem hic visitandi verbum in malo.

Emendare potius Ierusalem. Isto loco iterum videmus omnem prophetarum impetum, quantumvis furat ac importunetur, huc tamen spectare, ut poenitentia deo reconciliemur. Hinc in medio orationis cursu ad paraenesim velut divertit.

Sicut residui racemi. παντελεθρίαν, id est, ultimum exitium comminatur, si mores non mutent.

Manum tuam ad cartallum refer. Hic sermo anceps est an ad Ierusalem pertineat (ut scilicet manum cartallo admoliri proverbialiter dicatur pro, poenitentiae studere) an ad Babylonium hostem. Posterior sensus nobis probatur.

Furore tuo ita repletus sum. Ira domini plenus fit propheta, cum ipsam imminere videt, ac tempestive monet, ut ea declinetur scuto poenitentiae; veruntamen nullos invenit, quos malorum pudeat, sed plurimos qui magis ac magis deum irritent.

Hac vanitate. על נקלה Ad levitatem vel vanitatem est ad verbum: sed sensui nostra interpretatione nihil defit, imo luci accedit.

Pax pax. Dudum ostendimus, pacis nomen Latinis constrictius esse, quam שלום Hebraeis. Ea etenim vox salutem, pacem, rerumque omnium integritatem significat. Sic falsi prophetae mendaciter promittebant cuncta salva et integra fore, cum extrema pernicies immineret.

Pudefacti ergo sunt. Non quasi ipsos puderet, haec dicta sunt, quemadmodum sequentia probant, sed quod apud iusti rectique iudicii homines pudefacti iure viderentur, quamvis eos nihil puderet. Sicut hoc saeculo quosdam videmus pudefieri quidem, non apud se, sed apud pios.

Sed quid dico pudefacti. Totam hanc metanoeam ex uno גם expressimus.

Accedite ad vias. Standi verbo Hebraei perinde utuntur pro verbis accedendi atque Graeci παρασῆναι. Hinc Accedite vertimus potius, quam State. Decerpsit autem hanc paraenesim valde eleganter ab his, qui vias et itinera iudicant, quorum est agrorum situs ac necessitates, deinde servitutes quoque et monimenta praesentes invisere, deinde pronuntiare. Sic et hic noster invitat, ut vias universas, hoc est omnium gentium religiones, leges ac mores expendant.

Iter sempiternum. Pulchre a perenni itinere ad sempiternam viam, hoc est primam ac infallibilem unius dei religionem, sermonem adcommodat.

Addidit dominus. Mutatae personae nota est a nobis addita.

Constituam speculatores. Maiorum suorum religionem, atque legum custodiam postquam abnegant, At, inquit dominus, prophetas vobis dabo ac magistratus. Vel istos ergo audite, et signis, quae dederint (a militia tracta est allegoria) obtemperate.

Quid in eos constituerim. Aposiopeseos virtute addidimus, constituerim. Est autem ea figura hoc loco eleganter posita.

Tu quoque tellus audi. Κατασκευή est, qua ad rem magnam attentos facit.

Et calamum optimum etiam. De calamo odorato sive aromatico vide Plinium. lib. 12. cap. 23.

Et scuto armabuntur. Ad verbum, Fortes erunt, hoc est, muniti arcu et scuto. Armabuntur itaque vertimus.

Ad unum expedita ad praelium. Accincta viritim ad pugnam, esset ad verbum. Perhibet autem nullum imbellem aut socordem inter eos esse. Porro quod Chaldaeos intelligat non est opus monere.

Adversum te o filia Zion. Haec periphrasis prophetae amanter monentis animum indicat. Id quod fere omnes apud ipsos periphrases faciunt: omnibus enim pene aut blandiuntur aut amplificant. Etiam cum dicunt filii Ammon aut filii Moab, hostem magnificant, sed ad odium, non ad gratiam. Est ubi per ironiam dicatur, ut ab initio istius capitis. Sed de hac re in Isaia fusius disseruimus.

Hic protinus ut famam eius audiemus. Hanc paraphrasim ex anadiplosi vertere coegit vis Hebraici sermonis.

Dicemus. Itidem nostrum est: sed lucis aliquantum adfert.

Filia populi mei. בת עמי. Et haec periphrasis quam blanda, amans, et venusta sit in Hebraico sermone, vix dici potest. Modis ergo omnibus debent ad poenitentiam invitare prophetae, amanter, blande, duriter et acriter iuxta Pauli verbum: Opportune ac importune.

Quem exploratorem constitui. Secundam personam in tertiam mutavi, quo planior esset sermo: complanamus enim, quantum cum salute sententiarum fieri potest, salebras.

Proditorum proditores sunt. Sic dixit propheta, pro, sceleratissimi sunt proditores.

Turpe lucrum sectantur. Incedentes mercatorie, ad verbum esset. Quod quid aliud est quam αἰσχροκερδεῖς, id est, turpiter lucri cupidos esse? Est enim emphasis in רכיל.

Deficiet qui follibus ignem inflammat. Probatorem vel exploratorem Babylonicum hostem prius fecit. Nunc eundem facit excoctorem. Ad cuius rei intellectum nihil aeque proderit ac legisse Plinii caput sextum lib. 33. Elicitur ut liqueat ac fluat argentum plumbo, vel genere illius quodam quod Galenam vocant. Istud ergo dicit propheta: Excutiet, velut explorator facit, interius gentem suam dominus per Babylonium. Et per eundem excoquet eam, sicut argentum excoquitur: sed deficient omnia, ignis, folles ac plumbum, quam quicquam frugi ex eis elici possit. Huc spectavit Paulus Corinthiis scribens de die domini et igne: ubi, quantum quisque praedicando profecerit, adversitatem demonstraturam esse, perhibet. Vocat autem adversitatem ignem, eleganter allegoria a metallorum excoctione tracta. Qui enim periculis et adversitatibus non mollescerent aut frangerentur, eos tandem perhibet (velut opus artificem praedicat) Apostolos ac doctores suos commendaturos, quod recte ac sancte praedicaverint.

EX CAPITE VII.

Sta in porta domus domini. In porta stare iubetur propheta, cum propter frequentiam introeuntium et exeuntium, tum propter odium, quantum ipse video, quo vehementer laboravit apud suos Ieremias propheta, fide nulli secundus, quo fiebat ut in templo sacerdotum audacia et pseudoprophetarum insidiae publice docere non permitterent. In porta igitur stetit. Nisi, quantum coniectura videtur alias quoque, pro portis mos fuit docendi. Est autem hic alius sermo, sed eiusdem argumenti cum superiore.

Si iuś reddetis cuique. Isto loco duo ista, quibus deus maxime irritatur, nominatim proferuntur, quae sunt: Publicam iustitiam adulterare, et deum verum prodere. Quae mala quamcunque gentem vitiaverint perdunt. Tanta est enim divinae providentiae rerum omnium custodia, ut nullam per omnes historias reperire gentem liceat, cuius audaciam, violentiam, ac impietatem impunitam abire permiserit.

Etiamsi admisimus etc. Etiamsi vertimus ex למען, quae isto loco causalis esse nequit, sed conditionalis. Taxatur autem hoc loco rerum externarum iustitia: cum scilicet stulti mortales credimus, numen tale esse, ut cum per omnia grassemur vitia perque omne perfidiae genus, si suffitum, si molam salsam, caprum, porcum, similam, aut aliquid huiusmodi ei obtulerimus, iam placari non secus, quam cum irritabili molosso offam obieceris. Sic enim argutabantur, cum pseudoprophetae tum plebs ipsa: Templum domini apud nos est, quo ille praesentiam suam promisit. Quibus respondet ore prophetae dominus: Num spelunca latronum facta vobis videtur domus ista, cui datum est nomen meum? Quo nihil aliud vult quam, si templo atque hostiis scelerum poenas redimere licet, iam latronibus, periuris, adulteris, idololatris, imo scelestis simul omnibus classicum significatum est: quisque enim furabitur, aut vim faciet, ac protinus quod nequiter fecit voto aut munusculo expiabit, quod quid aliud est quam scelera accersere? Et templum quid aliud cum hostiis suis faciet, quam protegere authoritate sua perditissimos homines? Haec comparemus cum eo ecclesiae statu, in quo libidinosi sacerdotes, meretrices Nonnae, et procaces Monachi creduntur, precibus, missis, inedia, expiare populi admissa. Quid enim, an non error iste universis simul flagitiis non iam fenestram, sed portas omnes adperuit?

Haud clam. Hoc ex emphasi huius, Me vidente, expressimus.

Sed ite quaeso ad locum meum in Silo. Simile est, unde argumentum petitur. Sicut Silo locus, ubi tabernaculum fuit, desertus ac repudiatus est propter malitiam populi: sic et templum istud repudiabitur.

Nullatenus te exaudiam. Ex his duo discimus: Et prophetam solitum anxie apud dominum intercedere pro gente sua, utcunque illam praedicando acriter obiurgaret; et quam miserum sit, eousque irarum dominum impulisse, ut sese exauditurum neget.

Filii colligunt. Haec anthypophora est. Praevertit enim vulgarem querimoniam, qua dicimus: nunquid innocens cum sonte peribit?

ac dicit, Ne pueros quidem alienos ab idololatria esse: cooperari enim in sacrificiis deorum.

Reginae coeli. LXX. στρατιάν, id est, exercitum sive militiam coeli verterunt. Hieronymus Lunam intelligit, meo iudicio, non temere: cum enim genti Israëliticae neomeniae sacrae essent, proclive fuit Lunae cultum de integro adsumere.

Et vescimini carnibus. In epulis sacris gratificaturi scilicet domino, si frequentes in his adessent ac vescerentur. Nam alias carnes edere, non est cum vitio coniunctum aut scelere, si ad omnia necessarius servetur modus.

At ego nihil locutus sum cum patribus etc. Haec nobis hic oritur quaestio: cur deus dicat se nihil praecepisse de ratione sacrificiorum, cum omne genus illorum ab ipso praeceptum esse perhibeat Moses? Ad quam pro nostra parvitate breviter post multam inquisitionem sic respondemus: Sermonem domini ad prima legum, tum exordia tum fundamenta spectare. Quod ad exordia pertinet, certum est dominum non a sacrificiorum lege coepisse, sed ab isto: Ut foedus iniisset cum patribus ipsorum, sic illud servaturum ut ipse esset deus ipsorum, et eam terram, quam patribus promiserat, exhiberet: ipsi vero essent populus eius, verum hac lege, si iussa ipsius capesserent. Quod autem ad fundamenta, scimus decalogum legum omnium fontem primo datum esse, citra expressam ceremoniarum mentionem, excepto sabbatho, quod et ipsum praecipua sui parte (quae est, agnovisse et confiteri unum deum creatorem rerum omnium, et verbum domini inandivisse) non est cerimoniale. Ut sic testetur dominus: Quae prima sunt sive ordine, sive dignitate ac pondere, ea nihil habent de cerimoniis et sacrificiis: cur igitur non spectatis ad prima et praecipua? Sed his desertis ad postrema convertimini, in his iustitiam quaerentes, quae vere iusti postrema esse sciunt. Nervis igitur ac ossibus legum reiectis ac posthabitis, imo corpore ipso neglecto, cur ad pilos et ungues spectatis? An non summa religionis in hoc consistit, ut sitis populus dei et praecepta illius custodiatis? Cerimoniae vero quid aliud, quam deliciae quaedam non necessariae quidem, quod ad substantiam et corpus adtinet: sed quatenus pro ornamento sunt additae atque praeceptae non conculcandae? Cerimoniae igitur carni datae sunt, leges spiritui. Spiritu autem cum vivatis non carne, iam constat me cerimonias non aliter a vobis requirere, quam matremfamiliae puppas a filiabus: non quasi istae curae sint matri, sed cum filiolae his delectantur, eas requirit ne ad lusum et exercitium desint. Rursus vero cum eadem materfamilias ad religionem trahit, ac mores liberorum format, cum orare docet, ac quae facienda quaeque mittenda sint monet, nonne iam prima et necessaria versat? Sic ista mea prima ac praecipua corpus ac summa sunt, cerimoniae umbra et puppae. Unde et ea inter postrema reieci.

Et artes cordis sui etc. Artes in malam partem quoque accipiuntur pro versutia, fraude, et astutia.

Semper tempestive surgendo. Hieronymus vertit, Per diem surgendo. Die, tamen hic adverbialiter positum esse videtur, sicut

Latini dicunt: tempore vel etiam tempori venisti, pro tempestive. Induit autem deus personam iusti patrisfamilias, cuius est tempestive surgere, et servis omnibus opera cuique sua dividere.

Tu quoque nunc loqueris. Hic duo ista, quoque et nunc, ex una Vaf elicuimus. Quod in hoc solum ostendimus, ut pateat quantam vim uni isti coniunctioni in loco tribuant.

Et contaminaverunt eam. Hebraice est למאו, ubi ל non ponitur causaliter, sed per sequelam, hoc sensu: posita abominatione ipsorum in templo ipsum iam templum contaminarunt. Sicut Matth. 5. dictum est, Ut videant opera vestra bona et honorificent etc. Ubi iterum, Ut, non est causalis, sed consequentiam notat. Sic: ut luceat lux vestra: cum enim homines videbunt opera vestra bona, iam honorificabunt etc. Et, Ut videntes non videant, hoc est, cum videbunt, nolent per contumaciam vidisse.

Aram quoque Thopheth. Ut hic meam coniecturam in breve redigam, adparet aram in isto loco esse positam, ad quam sacrificarentur ingenuorum ac nobilium liberi. De qua forsan alias dabitur dicendi locus. Caetera de isto loco pete ex Hieronymo.

Sed vallis interfectorum. Recte quidem reddidit Hieronymus verbum verbo, Vallis interfectionis: sed rectius LXX. φάραγξ ἀνῃρημένων, docti scilicet rem creberrime pro persona capi Hebraeis, interfectio pro interfectis: eos igitur secuti sumus.

Voci sponsi et sponsae. Vacationem daturum minatur deus. Licet igitur his quoque qui deo grati sunt cum sponso gaudere: nam et Christus in nuptiis aquam in vinum convertit, primum laetitiae instrumentum. Quo minus Catabaptistica hypocrisis mediocria et decentia possit cavillari. Exuberantiam et omnis omnem excessum modi damnamus. Sed sunt quae non tantum ferri, sed etiam non tolli debent, quales sunt publici honestique coetus ac epulae, dummodo rara sunt. Redierunt mensae beneficio in gratiam duo inimici acerrimi, ut est apud Gellium. Et Christus ipse coenam, inter alias, etiam ob istam causam instituit, ut in unum corpus ac panem coalesceremus. Iosephus coetuum a deo praeceptorum causam adfert, notitiam, familiaritatem, et gratiam, quibus opus est his, qui communem bello paceque fortunam expectant.

EX CAPITE VIII.

In tempore isto. Vastitatis scilicet, cum terra in solitudinem redacta erit.

Proferent ossa regum Iuda etc. Mercenariorum militum (qui fere ex perditis hominibus sunt) avaritia nihil inexcussum et non perlustratum relinquens, ossa, inquit, e sepulchris eruet, et sub divo exponet, ut conspicua fiant soli, lunae, et universo exercitui astrorum, quae coluerunt. Et hoc ad verecundiam dicitur ac pudefaciendum, quod ista colant, quae ab huiusmodi calamitate non possint eripere. Deinde et prosopopoeia hic latet. Ossa, de quibus loquitur, velut adulteram facit, cuius foeditas patefacta sit his, cum quibus moechata sit. Quomodo et inferius obiurgabit sub persona adulterae, cuius pudendorum sordes expositae sint amatoribus.

Quae amaverunt, quibus, quae etc. Habetur hic vehemens συναθροισμός, quem non temere, qui huius linguae rudes sunt, inventuros credidissent.

Num sic cadunt homines. Hebraei, Num cadunt, habent, sed impersonaliter. Personam ergo cum addidimus, sensum non vitiavimus.

Num avertuntur et non revertuntur. Homines scilicet, hoc sensu: Num quisquam sic abit, ut non sit rediturus? Cur ergo Ierusalem sic defecit, ut nolit reconciliari?

At nemo est qui huius quicquam cogitet. Ex לוא כן ידברו, hoc est, non sic reputant. At ipsa emphasis id pollet quod nos vertimus.

Quamobrem feci. מה non solum, Quid, interrogat, sed etiam, Cur. מה עשית Cur fecisti, dicunt.

Novit ciconia etc. turtur, hirundo, et grus. Animalium ferme omnium nomina varie admodum transferuntur ad Graecos et Latinos. At hic nulla difficultas est visa, cum hoc sit omnium istorum ingenium migrare ac redire. Hinc enim decerptum est τὸ ἄτοπον, quod ista tempus reditus observent, Iuda vero redire nesciat.

Vindictae domini. Iudicium pro vindicta et ultione, sicut alias frequenter.

Et legem domini in numerato habemus. אתנו, id est, vobiscum, potuisset videri hoc sensu esse positum, quo Paulus per amplificationem suae genti legem creditam esse gloriatur: Lex nobiscum est, hoc est, nobis est credita. Sed cum mox nominatim scribas et doctos, prophetas et sacerdotes taxet, cumque adversus sapientes disserat, quibus uno ferme iugo docti iunguntur, vertimus אתנו cum hac emphasi, In numerato habemus: quomodo et in Isaia simile quiddam est.

Quae ergo illis sapientia reliqua esse poterit? Gravis sententia, quam et miror a Hieronymo non esse luculentius exornatam. Verbo domini neglecto, quae obsecro sapientia residua fit homini? numinis enim agnitionem ac reverentiam ex humanis tolle! iam nihil antestabit homo belua. Nos LXX. secuti sumus, qui Hebraei sermonis sensum clarius expresserunt.

Turpi lucro inhiant. Tam vehemens verbum, Inhiant, ex anadiplosi iure videor transtulisse בצע בצע.

Medentur, elevando ac dicendo. Similis sermo superius est habitus, Vaniter solantur contritionem populi mei etc.

At verecundia nulla tenentur. Et haec μετάνοια superius habita est. Sed δὶς καὶ τρὶς τὸ καλόν. Proderat enim perfricta fronte homines impudentiae suae crebro admonere.

Colligi quoque faciam eos. Colligendi verbum pro tollendi capi in Isaia ostensum est. Tracta metalepsi vel a vindemia et messe, ubi colligunt ut domum auferant: vel ab eo, quod dum quid abiicere volumus, omnes simul adpendices colligimus. Tolli ergo curaturum minatur dominus, quemadmodum messis, vindemia ficuumque collectio fit.

Et dicant. Hoc ex nostro adsuere coegit personae mutatio: sine nota enim inducuntur loquentes, id experti, quod iam intentaverat dominus.

Quid cunctamur. Deploratorum et captivorum verbum esse videtur, sive captivitati vicinorum.

Potavit nos aqua felle infecta. Parabolicus sermo est, pro adflixit, misere adfecit, quo tamen impense utuntur Hebraei.

Expectamus pacem. Salutem, melius quadrabat: sed cum iam monuerimus pacem cum emphasi, ut שלם possit reddere, poni, eam vocem servamus plerunque.

Fortium equitum eius. אבירים Cataphracti sunt apud Hebraeos; aeque גבירים, sed in loco, equites gravis armaturae.

Concidet omnis regio. LXX. verterunt ex ערשה ἐσείθη, commota est. Eos secutus est Hieronymus. Sed cum commovendi verbum positum sit pro cadendi, maluimus id vertere, quod sensus proprietas requirebat. Comminatur autem propheta non tantum hostium adventum, sed etiam qua parte irrupturi sint.

Urbes quoque. Ut nihil profuturum sit in eas confugisse.

Mittam in eos Basiliscos. Non legimus hoc historice factum esse. Sed mos est Hebraeis, ut et in Isaia ostendimus, ultimorum malorum faciem intentare. Comminantur ergo fore, ut matres incidantur et foetus ad saxa allidantur, non quod historicῶs usuventura adseverent, sed ut *καθ' ὑπερoχήν* summae calamitatis malo terreant.

Num dominus non est in Zion? Sic fingit extorres et aerumnosos clamaturos esse de terra captivitatis, propter taedium prolongatae liberationis.

Ad quae dominus respondebit. Ideo adiecimus, quia quae sequuntur in domini persona dicuntur.

Praeteriit messis. Iterum inducuntur deflentes laborem suum ad heros redire, se nihil commodi reportare.

Infelices sumus. Est quidem ad verbum, Non sumus salvi: sed antiphrasis cum sit, sicut non nego pro fateor, non nescio pro scio, commodius visum est, Infelices sumus, quam non sumus salvi.

Nulla est resina in Galaad etc. Haec per interrogationem leguntur apud Hebraeos, sed quae responsionem negativam requirat: maluimus ergo absolute ac definitive transferre. Mittit autem Galaad primariam ferme resinam, si Plinio credimus, qua medici ad cerata, cataplasmata, et emplastra utuntur.

EX CAPITE IX.

Quis suppeditet capiti meo aquam? Imperite nimis distinxerunt et hoc loco Rabini: pertinet enim et hoc ad querimoniam, quae isthic incoepit, Contritus sum propter contritionem etc. Est autem Rhetorica *ἀπορία*, id est, consternata ignorantia: ut, Unde exordium capiam? quid dicam? quo me vertam etc.

Quis det mihi diversorium avium in deserto? Hebraismus est, dicere vir iustitiae pro vir iustus, sic et isto loco, diversorium peregrinantium dictum est pro, diversorium peregrinum, hoc est, longinquum et avium sive solitarium. LXX. *ἔσχατον* dixerunt pro remotissimo, ab humano scilicet commercio. Optat autem sibi propheta, tugurium

aliquod in solitudine dari, ubi lateat, ne in tam corrupta urbe ac populo versari cogatur.

Prorsus nihil possunt. In terra, hic locutio est pro, in toto orbe, nulla ratione, quemadmodum in lingua Germanica dicimus, Nüt vff erdtrych, id est, nihil in terra pro, nihil prorsus. Id res ipsa indicat.

Vicinus vicinum circumscribit. Adparet רכיל Hebraeis eam circumventionem significare, qua turpis lucri causa alius alium fallit, quod Latini circumscribere vocant.

Sedem suam posuerunt in medio doli. Cum hic secunda singularis persona tam violenter in medio tot personarum tertiarum pluralium inducatur (cum tamen sermo fiat de eodem subiecto): quis non videt, aequandam esse huiusmodi salebram? Quae LXX. sic sollicitos tenuit, ut alieniorem sensum transtulerint τοῦ ἐπιχρίσαι. Cum sermo sit alioqui doctus et elegans: cum dolum virtute prosopopoeiae locum aut aream facit, in qua sedem sibi quaesierint.

Sed domi struunt etc. Domi diximus, pro intus, quod priscis in usu fuit.

Carmen ordiar. נשׂא tollendi verbum pro ordiendi vel incipiendi.

Ut exusta sint. Prophetam, qui in huiusmodi populis ac moribus versatur, facere ferme oportet quod popinatorem delicati et fastidiosi heri, quem unam eandemque carnem aut piscem variis modis ac artibus macerare ac coquere necesse est, quo petulcam gulam aliqua salteratione demulceatur. Sic noster propheta ἰσχνῷ πλάσματι, id est, simplici parabilique sermone iam iterum atque iterum vastationem illis intentavit; at nunc illam neniae condimento praecinit, ἀδρῷ scilicet, hoc est, opimo, ut Cicero loquitur, sermonis genere, ut sequentia ostendunt.

Ipsam quoque Hierosolyma in acervos redigam. Nunc redit ad simplicem apertumque sermonem.

In acervos redigam. Locutio est pro demoliar, destruam, ac dissipabo: quo non uno loco utuntur prophetae. In lingua Helvetica eius locutionis quoque usus est, Zu steinhuffen richten, hoc est, in lapidum acervos vertere.

Quis quaeso mortalium tam prudens est? Videtur propheta negare dominum cuique praeter se ista revelavisse. Ac simul taxare pseudoprophetas, quod huiuscemodi nihil moneant, sed perpetuo salutem promittant ac pacem. Quomodo et hoc corrupto saeculo, hi qui maxime divinam bonitatem irritant, si paulo acrius, ultionem imminere adseverent, pacem inclamare audent, cum ipsi nihil quam perniciem advehant.

Prospicite ut vocetis lamentatrices. Redit ad superius condimentum, ubi neniam orsus est, nunc vero lamentatrices, quibus mos fuit apud Iudaeos funus celebrare, vocari iubet, ut mortui, hoc est, vastati ac perditi Iuda canant epicedium. Vocari autem peritas, ut vel illae lachrimas saltem exprimant, posteaquam prophetalis fides ad poenitentiam eos pertrahere nequeat, ut aerumnam tamen suam defleant.

Et canant de nobis. Et hic verbum נשׂא est, quod paulo ante in ordiendi verbum transtulimus, hic vero in canendi.

Patriam enim relinquimus. Hic terra pro patria. Sic Helvetii in loco, Z'land, pro patria utuntur.

Sed audite potius o vos foeminae. Correctio est, ut cum prius perituros iusserit accersere lamentatrices, ipse nunc potius eas alloquatur, ac carmen designet, quo utantur.

Ascendit mors per fenestras nostras. Hoc iam carmen est quod illis canendum praescripsit cum filiabus ac sodalibus suis. Belle autem obrepsisse mortem per fenestras imprudentibus canunt, quod populus Iuda cuncta prophetae monita negligeret, et supinus sterteret, donec imparati et imbelles periclitarentur.

Tu autem edicito. Se ipsum rursus loquentem inducit propheta.

Sicut foenum post metentem. Foenum vertimus ex עמיר, quam vocem credo aliquando per d. in fine fuisse scriptam: proclivus enim fuit error ille ר in ד et rursus ד in ר transeundi. Nam lingua Germanica, in qua Hebraica multa deprehendimus, Emed vel Emd foeni hoc genus secundarium vocamus, quod Latini cordum adpellant.

Non glorietur sapiens. Hic gloriandi verbum pro fidendi et iactandi positum esse quis non videt? Sed cum sententia sit tam celebrata, reliquimus gloriandi verbum.

Ut visitem omnem qui est circunciso praeputio. Hic circuncisioni minatur: nam hae fere gentes, quas recenset, praeputium incidunt. De Aegyptiis et Madianitis, hoc est, Ismaëlitis, sive Saracenis, aut si mavis Agarenis, istud apud rerum scriptores constat. Quibus etiamnunc Idumaei, Amonitae, Moabitaeque accensentur. In hoc autem comminatur toti circumcisioni, ut eo magis populus Iuda videat sibi exitium imminere.

Attonsa coma Madianitas. Madianitae hic non sunt nominatim positi, sed per periphrasim, ut alias etiam visum est. Sunt autem quadrinomines in scriptura; Madianitae, Ismaëlitae, Agareni, et Cedareni vocantur.

Nam omnes quidem gentes. Haec expositio est, quid nam per circuncisionem intelligat, nempe Iudaeos. Hi enim ut circumcisi sint carne, ita praeputium, hoc est, irreligionem adhuc servent in corde. Huc quadrat, quod Paulus in Romanis de externo internoque Iudaeo scripsit.

EX CAPITE X.

Audite sermonem domini. Adparet, hunc peculiarem esse sermonem, cuius argumentum est, ostendere quam stultus sit idolorum cultus, quamque irrefragabile unum deum esse, cuius virtute cuncta gerantur. Similia habentur apud Isaiam de idolorum contemptu, sed lepidiore roncho. Quod autem peculiaris sermo sit vel hinc adparet, quod ad Israëlem fit: quum superior ad Iudam sit adcommodatus.

Ritus enim gentium. Ritus ex חקות traduximus: Gentes autem ex עמים. Ubi videmus irrefragabiliter, עם etiam gentibus tribui.

Vanitas ipsa sunt. הבל הוא: tanta est emphasis huius orationis.

Securi formatur. Fit, est ad verbum.

Instar palmae riget. Solidum stat, esset ad verbum; sed sensui credo nihil decessit.

Sed baiulatur tantum. Hanc ex anadiplosi exclusivam expressi.

Tibi autem domine. Diis reiectis, dominum amplificat.

Aut quis regum ex gentibus. Hoc vere ad amplificationem pertinet, quod omnes omnium gentium reges morem illi gerere compelluntur, ut in יאתה paragoge sit finalis ה.

Ex Tharsis advectum. Ego mallem Argentum mari advectum dicere, quemadmodum superius attigimus. Pelago scilicet, quod naves Solomonis testantur, aurum et argentum adportata esse.

Omnis ars eorum vanitas est. Ars pro doctrina aut disciplina visa est hic accipi. Deinde cum ars vanorum Hebraismus sit pro, ars vana, iam artem vanam ipsam vanitatem fecimus. Postremo cum sermo sententiosus sit, quod id magis pateret, Omnis, adiecimus.

Omnium simul sapientium ipsorum. Sapientia hic non solum pro gnaris, scientibus, et artificiosis videntur accipi, sed etiam pro prudentibus, hoc sensu: Cum omnes quicquid sapientiae illis est, exerunt, tandem exit opus risu dignum.

Sed dominus. Hic irrefragabile est, Vaf coniunctionem adversativam esse.

Huic autem nostro tribuetis. Istud non tam nostrum est quam ex verbo: Dicetis, quod antecessit repetitum. Quod verbum προληπτικῶς est praepositum, Sic dicetis eis, diis scilicet gentium et deo vero. Sed diis gentium dicetis quae priore membro habentur, sed deo vero dicetis quae secundo membro continentur. Hoc vero nullatenus transmittendum est, quod cum praescribit quid de gentium diis praedicari debeat, per χαχόζηλον Chaldaice loquitur. Quod in hoc ostendo, ne, qui tam tetrici sunt, ut Catones sibi videantur gravitate, si diis placet, superasse, possint supercilio suo notare, si quis paulo festivius quorundam vanitatem ac stultitiam taxet, modo id in loco erudite et amanter fiat, et res in serium tendat non in ludibrium.

Terram condidit, orbem perfecit coelos extendit etc. Et hoc eleganter fecit cum cuique membro peculiare verbum adposuit.

In aëre coit. Latini quoque coelo vicissim pro aëre utuntur.

Nubes elevat. Exaltationes generale vocabulum, LXX. et Hieronymus in nubes verterunt, et iure, et meo iudicio, si modo alias paterentur sibi licere quod merito facerent.

Ventos de loculis suis. Thesauros habent Hebraei si literatores audias, sed sexcenties utuntur thesauro pro loculo vel receptaculo thesauri, virtute synecdoches: sic igitur vertimus. ut vides. Isthic, Qui producit ventos de thesauris suis, idem factum oportebat.

Sapientia sua. Fors melius erit scientia vel arte.

Simul tempore visitationis peribunt. Sic et Isaias locutus est cap. 1. Flagrabuntque ambo nemine extinguente. Tempus autem visitationis, ideo non mutamus semper in tempus ultionis aut vindictae, quia inolevit Hebraismus, visitationem accipiendi pro ultione.

Non talis est sors Iacob. Sors, pars, haereditasque Iacob, Dominus est, qui cunta formavit.

Virga haereditatis eius. Alio loco, funiculus haereditatis domini vocatur, sed eodem sensu. Virga enim geometrica, non minus quam regula, dividuntur agri. Quo propheta spectat, cum vel funem vel

virgam haereditatis dei facit Israëlem. Vult enim dicere peculiarem ac proprium esse populum dei.

Quae adhuc in munitis desides. Adhuc: de nostro est: arbitramur enim minas intendi in eos, quorum res adhuc salvae erant.

Una vice. כפעם הזאת, Ista vice, pro una, ut sit epidixis in, Ista.

Et torquebo. Angustiandi verbum pro torquendi poni visum est.

Ne compareant ultra. Ad verbum esset, Ut inveniantur, sed aut למען, pro Ne, aut ימצאו, pro desiderentur ponitur. Idcirco hunc sensum reddidimus.

Hunc dolorem, meum reputo. κοινότης sive κοινωνία est, cum sese orator iis connumerat de quibus loquitur. Quae ars in loco et plurimum efficit et periculum declinat.

Funes mei omnes fracti sunt. Querimonia tracta est a superato exercitu et castris incensis ac direptis.

Aut erigat pelles meas. Sic queritur populus Israëliticus Ieremiae verbis et persona.

Stulte egerunt pastores. Culpa recidit in pastores cum peccatur. Non intelligunt autem Hebraei solos prophetas hoc loco, sed et principes.

Imprudenter egit. Antiphrasis est Hebraeis, Non sapienter, hoc est, Imprudenter.

Non est homini datum ut vias suas dirigat. Sententia est: Monet propheta populum poenitentiae; sed ad se rediens, dicit, Tum donum est domine, ut quis sese emendet: da igitur ut emendatos tibi reconcilies. Emendes autem cum venia et indulgentia. Loquitur autem propheta in persona populi: idcirco in eam personam licuit nobis transferre.

Vel hanc saltem ob causam. Tam late vertimus כי, quo magis quadraret ad eos, qui indignationem dei deprecantur.

EX CAPITE XI.

Et alloquimini. Generale praeceptum est ad omnes, qui prophetico munere fungebantur, quorum tamen praeter Ieremiam vix unus et alter erant.

Tu vero praecipue dices ad eos. Tu dices, habent Hebraica, sed mutatus numerus isthic loci manifeste adfert secum emphasin descensus a genere ad speciem. Verba vero legis, ad quae remittit, habentur Deut. 27.

De fornace ferrea. Proverbialem sermonem, quo frequentissime utuntur, intactum reliqui. Dicitur enim eis fornax ferrea sicut Graecis et Latinis ferrea necessitas, hoc est angustia summa, de qua tamen exire non liceat. Intelligitur autem hoc loco Aegyptiaca servitus.

Praedica omnia verba ista. LXX. verterunt ἀνάγνωθι: sed praedicandi verbum accommodatius est visum.

Reos eos feci omnium verborum foederis. Hebraeis quidem est, Attuli vel adduxi omnia verba foederis. Cum autem hac locutione nihil volunt quam dicere, Poenas lege constitutas illis irrogavi, iam ne longissime recederemus a verbis, et tamen sensum clarius proferremus, ad hunc modum vertere placuit.

Deprehensa est defectio. שקר, coniurationem fecit Hieronymus; Septuaginta nimirum secutus, qui *σύνδεσμον* verterunt. Sed cum hic coniuratio pro defectione vel perduellione accipiatur, (sunt enim coniunctae: nulli enim coniurant ni prius perduellem animum induerint) sic vertendum esse visum est.

Pudendas aras, aras in quibus. Iam nihil aliud hic annoto, quam quod interpretes elegantiam Hebraici sermonis velut de industria nonnunquam dissimulant. Ut est isto loco factum. Ararum enim anadiplosis, quae hic habetur, quam graviter, quamque acriter increpat?

Cur amata mea, faciś scelera etc. Amatam feci ubi marem habet Hieron. sed LXX. imitari malui. Facis ex faciens participio foemenino iure feci.

Malitiam tuam iactaveris. Pro iactandi verbo LXX. verterunt *διαφεύξῃ*, id est, effugies, quod admodum miror, quod non viderint *ἀλαζονείαν* suam ab Hebraeis mutuo esse ex עלץ acceptam. Repudiantur et hic sacrae, hoc est, sacrificatae carnes sive hostiae.

Sed audita vehementi fama contraria. Vox pro fama, quem admodum et in Gen. clamor pro fama et rumore, si ab interpretibus accipi fuisset intellectum, non tam obscure transtulissent. Iudicum quoque 18. pro fama ponitur.

Et adfligentur frondes tuae. *Δαλούς* et Graeci ab Hebraeis mutuo habent, sed alienata nonnihil significatione: his enim frondem, illis vero torrem aut facem significat. Huc quadrabant frondes: Iudam enim oleam fecerat, eius ergo frondes aduruntur hic.

Te doctore intellexi. Reddit hic propheta fidei suae, quam in praedicando servaverit, rationem, hoc modo: Quae ad hunc modum o Domine usuventura demonstrasti, ex fide omnia denunciavi. At dum hoc sedulo facio, isti mihi struunt insidias, et inter eos, quod indignissime me habet, cives mei Anathotitae asperrimi sunt.

Quod tale consilium contra me iniissent. Pro tali habent Hebraei consilia, hoc modo, Quod consultavissent contra me consilia: ubi tamen, consilia, velut *ἐπιδεικτικῶς* posita sunt, videlicet pro consiliis quae sequuntur, hoc est, pro consilio tali quod sequitur. Non enim infrequens est apud eos *ἑτέρωσις* numerorum, sic et isto loco consilia, pro tali consilio.

Corrumpamus ligno panem eius. Proverbium istud plane *αἰνιγματῶδες* est. At nobis ex sequenti ephexegesi sensus eius satis patet, cum dicit, Exterminemus eum de terra etc. Porro unde natum sit, explicare tentabimus. Non ambigimus, ligno crucem eos intelligere: primum enim apud eos supplicium erat *ξύλῳ τυμπανίζεσθαι*, id est, cruce discerpi. Cibum autem sive panem, pro vita accipi, et divinis et humanis literis consonum est, cum commeatus sive annona pro victu capiatur, et victus a vita dictus sit. Hinc ergo natam *παροιμίαν* credimus, ut lignum in panem mittere, nihil sit aliud, quam cruce vitam intercipere aut praeripere. Nam et alias dens et gula offenduntur, si quid in pane lignosum occurrerit. Referuntur autem quae hic dicuntur historice quidem ad Ieremiam, quod et Hieronymus post multa fateri coactus est. Sed typice ad Christum: quae enim prophetae gesserunt

quaeque passi sunt, eadem, sed *κατ' ὑπεροχήν*, gessit et passus est Christus.

Consecrata sit mentio. Humanae quidem est necessitatis ac iustitiae scelestissimorum hominum nomina abolere: sed saevitiae, si insontium ac pietatis studiosorum nomina consecrentur. M. Manlii nomen sacrum Romanis erat.

Explorator renum et cordium. Renibus cupiditates, corde cogitationes et consilia hominum symbolice significantur.

Ut videam vindictam de eis sumi. Est tempus supplicii et tempus veniae: hinc est ut propheta hic vindictam imprecetur, apud quos venia nihil poterat. Nam alioqui miserum est ex suo dolore malum proximo imprecari: sed si pietatis aut reipublicae causa nobis doleat, et quosdam adflictos ac emendatos oporteat, iam vindex deus citra pietatis damnum invocari potest. Neque aliter maxilla illaesa praecipitur exhiberi, quam ne nostro dolore furamus beluarum instar.

Ne moriaris in manibus nostris. Istud Ne, non est caventium, sed minantium, pro, Alioqui: hoc sensu: Noli prophetare in nomine domini, alioqui morieris in manibus nostris.

Annum visitationis eorum. Quamvis annus pro tempore possit videri accipi, tamen angustior est hoc loco annus quam tempus, cum quod Hebraei ad verbum Annum habent, tum quod Anno significatur statutum tempus atque hora magis quam tempore. Rerum enim scriptores per annos tempora digerunt, et annos felices ac miseros ab eventibus vocant.

EX CAPITE XII.

Iustior es quam ut tecum contendere debeam. Iustior ex iusto est, nam comparativorum illi egentes sunt: sed sequens כִּי planum facit sermonem comparativum requirere. Tractatur autem hic ea quaestio, quae et in Iob, et Psalmis, et Ecclesiasta ventilata est: Qui fiat ut pessimis hominibus bene sit, boni autem viri variis iactentur casibus. Quam cum proponit, innuit sese indignis modis exagitari: quo fit, ut et oratio varie sit adfecta, nunc ad se, nunc ad deum, deinde et ad hostes sermonem convertat.

Ades ori ipsorum. Latinis quoque ista locutio satis habet lucis, pro, Quicquid postulant praestas eis.

Domine, cui notus et perspectus sum. Non inquit, Cur hostes mei feliciter agunt qui pessimi sunt, et ego nusquam tutus sum, vir sanctus et innocens: sed, Qualis qualis sum, tu domine nosti.

Tolleres eos potius sicut gregem etc. Primum ה interrogandi notam putavimus hoc loco pro electionis nota poni. Deinde verbum תקם a נקם esse censemus, nihil morati rabinorum puncta aut lectionem. Hunc ergo sensum esse credimus: Faves eis, cum potius tollendi essent e mortalium numero.

Quousque lugebit terra? Cur quorundam criminibus tota terra tanto tempore adfligitur?

Abeunt iumenta et volucres. Et hic proverbialis ac symbolicus

sermo est. Abeunt inquit, in praedam scilicet abiguntur iumenta, quin et volucres abeunt, quod signum est extremae vastitatis.

Non molitur nobis ultima deus. Non videt vel videbit est ad verbum, sed prospicit vel cogitat, hoc est, non cogitat ultima nostra, vel finem deus.

Sed dicunt. Hoc de nostro est fateor: nam quocunque me verto, non video hic aliam disputationem tractari, quam ut narretur adversariorum Ieremiae odiosa delatio ac detractio, qua illum undique proscindebant, et humilitatem eius opprobrabant. Scio quo sententiae inclinet Hieronymus. At ista non videntur quadrare praesenti argumento. Induximus igitur hostes Ieremiae loquentes.

Cum curreres cum peditibus deficiebas etc. παροιμία est, cum peditibus currere, pro inferiori sorte esse, cum equitibus vero pro splendidiore. Quomodo Plautus, ab asinis ad boves ascendere, dixit, pro sorte opulentiore ac honoratiore fieri. Dicunt igitur inimici Ieremiae, Cum in Anathot oppido tenui esses, pulsus es non alia causa, quam quod homo procax es et pacis impatiens. Dum igitur illorum indignationi cesseris, quomodo Hierosolymorum feres?

In fremitu et fastu Iordanis. Et hoc proverbium est. Intelligunt autem Hierosolymitani se ipsos. Anathot rivulum faciunt, se autem Iordanem: nam alias familiare est Hebraeis aquarum flumina pro hostium tumultu accipere.

In terra integra securus eras. Terram integram vocant patriam eius, quae quum tranquilla esset ac pacis studiosa, huius modestiam ferre nequiverit, quomodo igitur urbem, quae tot factionibus aestuet tamque sit opulenta, laturus sit?

Imo proscriptionem post te proclamarunt. Proscriptionem vertimus ex verbo vocandi et מלא, quae vox eis consecrationem et initiationem significat: sed cum consecrare pro devovere et execrari accipiatur, proscriptionem fecimus pro execratione. Hoc enim fere peculiare habet impiorum furor, ut innoxios patria relegent. Quod si מלא, pleniter aut maxime vertas, quomodo LXX. videntur intellexisse cum sic verterunt, ἐβόησαν ἐκ τῶν ὀπίσω σου, id est, Post te clamarunt, contumaciter scilicet: adhuc non obstat sensus noster. Nam et post aliquem clamare, quid aliud est quam apud omnes deferre et facinora eius vulgare, quod proscriptioni proximum est. Et proscriptio lingua Helvetica vocatur, Ein verrüffen.

Non credis eis etiam cum bona tecum loquuntur. Dissidere illum cum conterraneis suis adeo perhibent, ut homo ad simultates natus ferre nequeat eos quoque, qui bene de eo sentiant.

Quibus ad hunc modum respondeo. Hoc plane nostrum est: nam visus est propheta diluere nunc contumelias in se iactatas. Congruunt autem huiusmodi salebrae, primum Hebraeo, deinde prophetae, cuius fere est impetu spiritus ferri; postremo, irritato. Adde quod et σχόρτινον ἠραχλιτικὸν modestis hominibus in eiusmodi locis placet, ne quisque intelligat, neque etiam nullus.

Facta est mihi sors mea. Sors pro praediis paternis, cognatis, ac contribulibus.

Unde et odio eam prosequor. Excusat odium, quo ipsum laborare obiiciebant erga suos: non iniuria natum esse, cum tot insidias ei tetenderint. Odium tamen istud nobis videatur magis esse rei quam personae, hoc est, magis detestatur perfidiam et impietatem, quam homines. Hominem enim miserescimus, etiam cum perduellionem videmus supplicio adfici.

Avitium pictum sors mea mihi est. Avitium pro avium ἀγέλῃ, id est, armento sive coetu, diximus. Videtur autem hoc velle, patriam suam sibi non aliter imminere et inhiare, quam ingens rapacium avium examen, quod escae obvolat ac imminet, quomodo milvi et vultures.

Avitium per circuitum supra ipsam est. Vicissim comminatur, illis imminere aves inauspicatas scilicet, quae opperiantur corporum in cadavera mutationem. Deprehensum est enim vultures longe ante praesensisse strages quasdam, et cadaverum multitudinem.

Ite et congregate. In dei persona accersit bestias agrestes in eos.

Pastores multi. Et haec in persona dei de principibus quibusque dicit. Horum scilicet causa rerum omnium confusionem esse factam.

Vastata gemit. Gemit pro luget diximus iure metalepseos: gemitus enim lugentium est.

Cui curae sit. Hac locutione Latinis incommoda efferunt Hebraei, Qui ponat ad cor. Germanis familiaris est, Jeherzen ſetzen.

Per omnia itinera agri. מדבר, non modo eremum, sed agrum quoque, quamvis eum, qui vomere aut ligone quidem non colitur, sed pecorum pastu depascitur, significat. Hae igitur sunt aves, quas eis minatur, imminentes undique hostes.

Ulli carni. Carnem pro vivo et quovis spirante accipi, saepe ostendimus.

Seminabunt triticum et metent spinas. Haec et quae sequuntur magis allegorica, quam ἱστορικά esse crediderim, et minari spei elusionem ac frustrationem. Cum enim salutem sibi semper promitterent, contrarium usuventurum dicit. Quod ad principalem quaestionem pertinere videtur: puta, quod etsi mali aliquandiu salvi sint, et fastuose ἐμβατεύωσι, extrema tamen ipsorum luctum et aerumnam occupare.

Super omnibus vicinis. Nunc planissime expedit quaestionem. Quod Israël nunc adfligatur, correctionem esse et emendationem, non repudium aut abdicationem: rediturum enim cum eis in gratiam. Et gentes universas, quas et ipsas aeque sit adflicturus, cum dei agnitionem receperint, sibi conciliaturum, ut ita qui repulsi videantur, suo tempore domestici fiant.

Si expugnatores populi mei. Totum hoc adsuere coegit par quod hic est. Loquitur enim et de Israële et gentibus, quasi nolit ut nos mutuo sive bonos sive malos adpellemus: liberalitatis ac iustitiae suae esse, ut nunc istos cooptet, paulo verò post corripiat, alios autem aliquamdiu abdicet, quos postea in filios familias referat.

Inserentur populo meo. Pro verbo inserendi Hebraei habent aedificandi verbum: sed hoc eis est familiare, Latinis tamen inserendi verbum eundem sensum reddit. Et est locus iste unus ex irrefragabilibus de vocatione gentium.

Quod si non obtemperaverint. Idem dicit quod Christus, cum parabolam ξένων adducit. Ubi invitatus etiam, cum tamen veste incongrua nuptiis indutus esset, eiicitur.

EX CAPITE XIII.

Baltheum lumbarem. Is baltheus est quem renibus maiores nostri circumdabant, ut ad eum caligas alligarent. Helvetica lingua, Ein lender. Nunc thoracibus ac diploidibus fere utuntur. Adparet autem istud paradigma dudum antea factum, quod hic testimonii causa producitur, quo testatur fore, ut Israël repellatur: quod ad praesentem disputationem pertinet.

Ut nulli prorsus aptus esset usui. Totum hoc ex יצלח לכל elicuimus, tametsi et locutio videri possit pro, in totum, in universum, prorsus, improsper vel inauspicatus. At sensus utrorumque verborum idem est, unde et LXX. secutus sum.

Superbiam Ierusalem gladio. Scio חרב, per ח scribi hoc loco, non per ך. Sed cum eas literas videam temere confundi apud Hebraeos, perinde ac apud Graecos δασεῖαν καὶ ψίλην, et comparatio hac parte similitudinem requirat, quod quemadmodum baltheus humore, sic ferro Iuda pereat, neglectis Rabinorum punctis חָרֵב, legimus pro חרב, id est, multam, superbiam scilicet Ierusalem.

Sic adglutinavi mihi omnem domum Israël. Elegans comparatio est. Ut enim eiusmodi balthei velut ipsa verenda viri custodiuntur et proxime adglutinantur corpori: sic coniunctum et familiarem sibi fecit Israëlem deus.

At non obtemperarunt. Mihi magis probaretur, At non perpenderunt.

Dices ergo eis hoc aenigma. Verbum habent Hebraei. Sed cum istud problema sit αἰνιγματῶδες, aenigma vertere malui, quam verbum.

Et contrudam eos quemque ad proximum suum. Hoc paradigma decerptum est ab ebriorum convivio, qui se mutuo aut impetunt aut impingunt. Quale est apud Lucianum Lapitharum. Minatur autem deus se consiliorum inopes, temeritatis autem abundantes facturum, adeo ut in se mutuo vel convertantur vel trepidi incidant, non aliter ac ebrii rerum omnium ignari.

Obtemperate etc. Redit ad prophetalem animum, atque ut convertantur ad dominum potius quam pereant, orat.

Cedite igitur domino deo vestro gloriam. Venustissima locutio Hebraeorum, Dare gloriam deo, pro revereri illum, et quod monet recipere atque amplecti, primas illi dare.

Ad montem. Hebraei addunt, tenebricosum, sed prius inductae tenebrae satis faciunt Latinis, ut offendant, sive ad montem sive ad quamcunque rem. Nisi caliginosum malis vertere in occultum vel latentem.

Tunc sic expectetis lucem etc. Tunc, idcirco adiecimus, quod propheta eadem fere videtur dicere, quae Christus et Paulus: Operemini dum dies durat. Et, Nunc tempus gratum, nunc dies integri etc. Monet enim propheta, adhuc tempestivum esse ut poenitentiam agant: at si hanc occasionem negligant, intercludi veniae iter.

In occulto monentem. Locutio est pro familiariter et amice: hoc enim solent vere amici, clam admonere.

Abdicate vos magistratu. Paraenesis est ad principes. Hebraica autem vox השפילו concidite, vel humiliemini, visa est nobis poni pro, Abstinete vos ab arduitate regnandi. Aeque, שבן, Sedete, visum est nobis eadem emphasi intendi, ut privati sedere iubeantur.

Urbes ad Meridiem claudentur. Cur urbes ad Meridiem potius quam aliae? quod istae nimirum essent munitiores, idcirco pro universis urbibus ponuntur. Claudendi autem verbum pro tenendi et capiendi accipi, quis non videt? Quae hic imperative dicta sunt, satis ostendimus in futura verti debere in Isaia.

Instar gregis tui opimi. Bella comparatio. Grex enim quanto est opimior, tanto petulantius incedit. Sic Babylonicum hostem superbe ac immaniter adfore denuntiat.

Tu enim docuisti eos. Comparatio haec est. Ut mali magistri ac praeceptores malam gratiam referunt a discipulis: sic scelera tua, quae domino praeceptore tuo nequicquam monente ut eis abstineres, perpetrasti, hanc gratiam, hoc praemium exigunt.

Tanquam foeminam parturientem. לדה, Ledam sonat, hoc est, parturientem. Quo adparet Ledam suam Graecos ab Hebraeis accepisse ob felicem partum, cum ovum, non vivum peperierit.

Et plantae tuae retegentur. Mulieris decorum est, tectam esse undique. Nunc retegi plantam eomminatur velut rem molestam, quod etiam impudicae curent ut bene tectae sint. Ponuntur autem plantae per synecdochen pro cruribus. Qui mos in Suevica lingua est, ut pedes pro cruribus accipiant.

Et Pardus maculas suas. ברברה, Barbariem sonat, quantumvis LXX. *ποικίλματα*, hoc est, variegationem aut maculas verterint. Adparet autem Graecis hanc vocem sub alia significatione usuvenisse, nempe pro inconstantia, varietate, audacia ac versutia, hoc enim est esse Barbarum, noxium, fraudulentum, inconstantem, ac trucem; non in Peloponneso aut Italia natum.

Ego igitur fimbria tua. Fimbriam fecimus, quae paulo ante LXX. *πτερόνας*, Hieronymo plantae erant שולה. Nam si femora hic fecissemus aut plantas, suppuduisset pias frontes spectaculi. At ut omnia liquidiora fiant, attendendum est: Quod quemadmodum foemineo pudori, hoc est, populo Israëlitico prius renudationem crurum comminatus est: sic ad eandem renudationem veluti *κατ' ἐπάνοδον* revertitur, quo eam clarius distinguat coloribus suis, hoc est, universa gentis suae scelera prodat. Et dicit se fimbriam vestis collecturum supra caput, quemadmodum pueris facimus, in quos ferula volumus acrius animadvertere. Hic obnubitur facies, brachiola tenentur, quo minus possint aliquam vibicum partem in sese excipere. Talem animadversionem comminatur Israëli dominus, cum illius universa scelera sese in lucem daturum denuntiat.

Ut posthac unquam munderis. Atroces ac desperabiles minae in loco non sunt alienae etiam in eo propheta, qui nihil quam salutem

suorum quaerit et optat. Quales et in Isaia audimus, et Christus easdem inde petiit. Excaeca cor populi huius etc. Ne convertantur et salvi fiant. Sic enim institisse nonnunquam aliquos compungit.

EX CAPITE XIV.

Super annonae caritate. LXX. verterunt הבצרות in ἀβροχίαν, quam Hieronymus in Siccitatem, illos secutus, traduxit. Nos quanquam videmus imbrium inopiam intentari, opinamur tamen prophetam, de eo hac voce loqui quod ἀβροχίαν sequitur, hoc est, annonae angustia sive caritas. Est autem praesens sermo doctus, fidelis ac vehemens, id quod fere fidem sequitur. Argumentum autem ferme idem est cum reliquis omnibus. Propter perfidiam et scelera, denuntiat iram, hoc est, vindictam domini. Orditur autem ἀφ' ὑποτυπώσεως, hoc est, ab adumbratione et pictura eleganti, qua totam angustiae faciem, caritatis et siccitatis ante oculos ponit.

Portae eius infrequentes erunt. Nulla erunt iudicia, nulli consessus.

Negligetur terra. קדרו לארץ Tristes erunt terrae, id est, per totam regionem, aut contempta erit terra, quasi et illi non defuturus sit malorum sensus; nos respeximus ad cultum, qui terrae negatur aut detrahitur, cum per siccitatem nihil reddit.

Agricolae quoque pudefient. Fors commodius fuisset Agricolas pigebit: ut pudendi verbum apud Hebraeos pro pigendi perinde accipiatur atque pigendi pro pudendi apud Latinos, qui dicunt, Piget me tui, pro pudet.

In palustribus locis. Ad verbum, In terminis: sed termini pro recessibus cum poni videantur hoc loco, et onager palustri recessu gaudeat, sic vertere libuit.

Ventum haurientes instar draconum. Docta comparatio est. Plin. lib. 8. cap. 14. sic fere tradit: Apud Rhindacum amnem in Ponto, tanta magnitudine, ut supervolantes, quamvis alte perniciterque, alites haustu raptas absorbeant, esse dracones perhibet Metrodorus. Onagros ergo siti sic laboraturos perhibet propheta, ut draconum ritu ventum anheli hauriant.

Deficientibus oculis eorum foeni penuria. Omnium fere dolorum et affectionum sensus in oculis deprehenditur: aut enim marcent cruciatu, aut hilarescunt rebus laetis. Vide, quoties symbolicis Hebraei utantur sermonibus.

Certe iniquitates nostrae. Certe ex אם est, nota non minus adseverandi, quam ambigendi aut stipulandi.

Cur fieres peregrinus etc. Peregrinum pro alieno sive hoste: nam et Hebraei alienigenam hostis nomine aeque ac Latini veteres comprehendunt. Ait ergo, Cur fieres nobis alienus? Cur nos praeterires velut viator? Cur attonitus abhorreres a nobis? Cur, cum possis liberare et salvare, non faceres?

Tu enim noster es Domine. בקרבנו, id est, in nobis vel in medio nostri, ad verbum est. Sed cum locutio sit frequens apud eos,

In medio esse, pro, ex illis esse, illorum esse, imo ducem esse ipsorum: iam aliter vertendum erat, puta, Noster es, dux noster es, aut ad aliquem eum modum. Nam et istud, Ego in medio vestri deus vester sum, in hunc sensum erat vertendum: Ego qui deus vester sum, dux vester ero, aut: ero sicut unus ex vobis: aut, ero vester: aut, ero vestrum unus.

Nomen tuum impositum est nobis. Nomen invocari, Hebraeis locutio est, pro, nomen imponi: ne quis invocandi verbo aliorsum abutatur.

Qui tantopere fluctuare pedibus amat. Haec παρέκβασις est usque ad, Sic inquam locutus est Dominus. Tantopere, autem ex emphasi כֵּן expressimus

Unde et Domino displicet. Unde ex עַתָּה est, quae vox tria gerit apud illos officia: adverbium temporis est, nunc: coniunctio causalis, ut hic pro quapropter: et rationalis, igitur. etc.

Nam etsi. Hic videmus adperte כִּי pro nam etsi, accipi.

Non exaudiam preces eorum. Ieiunium ergo est, non tam cibi abstinentia, quam precum assiduitas.

Pacem firmam. Hoc est salutem ac prosperitatem firmam, dabit vobis. Dabo quidem est apud Hebraeos. Sed sic loquentem faciebant Dominum pseudoprophetae: nos eam Latinis amoliti sumus lamam.

Populus autem iste cui prophetant etc. Quid huius possunt miseri, quod a falsis doctoribus seducebantur? Sed allubescit impiis falsa doctrina, frigidis vero non expenditur: simul igitur cum doctoribus puniuntur. Argumentum hinc sumitur, non temere audiendum esse prophetiam; sed cum iudicio, attente, et gnaviter.

Deducent oculi mei lachrymas. Iubet Dominus, ut propheta se ipsum loquentem inducat, hoc est, ut eam commiserationem, quam ipse praecipiebat, et comminationem Domini, palam testetur populo.

Aut percussisti nos sine causa. Sine causa, ex מִדְּוֹן est: interrogat enim propheta negative, Num temere percussisti nos? Sequitur enim paulo post, quod sua sponte peccata sua agnoscunt, propter quae merito puniantur. Non ergo quaeritur, cur percuties? Minime: ipsi enim fatemur iure nos puniri.

Nec a bonitate tua excides. Hic verbum excidendi ἐμφατικοτέρως positum est, quomodo et Latini dicunt, Cave tibi excidas, pro, cave obliviscaris tui ipsius aut honoris tui. Sic et hoc loco, ne excidas, pro, ne bonitatis tuae obliviscaris: quomodo alias saepe, et si recte memini, in Isaia quoque ostendimus.

Memento solii gloriae tuae. Hebraismus est, pro memineris non nostri, sed solii tui magnifici et honorati, hoc est maiestatis tuae, cuius symbolum est solium. Iterum habemus symbolicum sermonem.

EX CAPITE XV.

Hic interpellabat. Interpellandi pro dicendi verbo sumus usi. Est autem unus et continuus sermo usque ad caput 16.

Sic starent Moses et Samuel. Hi duo et prophetae et duces populi fuerunt, et eam ob causam domino gratissimi: uterque enim fidelis in domo et negotio dei fuit, ut de altero Apostolus, de altero

scriptura et populi confessio testantur; adde quod uterque anxie apud dominum pro populo intercessit. Quod intercessionis divorum, qui iam portum attigerunt, hinc testimonium petunt Papistae, error est. Si starent enim, ait, non stant aut interpellant.

Eiice illos a facie mea. Eiice dixit pro, denuntia eis, quod solo ac patria sim eos pulsurus. Vide quales emphases familiares habeat haec lingua. Et quamvis Latinis hoc deberemus, ut emphasim enuclearemus: tamen quia hic loquendi modus Papistarum errorem prodit, utilius fuit relinquere, quemadmodum Hieronymus vertit, cuius authoritas sacrosancta est, quam hoc munimentum deserere. Quorum remiseritis peccata, inquit ad Apostolos suos Christus, pro, Quibus annuntiabitis remissionem peccatorum, eis remittentur, si scilicet domino fidentes novam vitam ordiantur. Et ut protinus hinc solvam (satis enim est occasionem expendendi praebuisse veritatis amatoribus): nunquam evinci a quoquam aliter poterit, quam Apostolos perinde remittere peccata atque hic propheta e patria eiicit; hoc est, praedicant Apostoli et hic propheta, illi remissionem, iste exilium.

Pars ad pestem. Qui ad pestem ad pestem, locutio est, quam non erat necessarium in alienam linguam ad verbum transportare: nostrae interpretationi nihil deest genuini sensus.

Quatuor mala. Rectius vertisset Hieronymus si genera dixisset pro speciebus. Cum autem genera malorum quatuor intelligat, mala iudicavimus satis fore ad capiendum prophetae animum.

Ad male tractandum. Ad divexandum et molestandum. At malae tractationis crimen apud iuris peritos est.

Id autem praecipue propter Manassen etc. Praecipue, ex causa, et ingenio בגלל, causalis notae, quae a circulo derivatur, transtulimus: quasi dicas, Omnibus expensis hanc originem invenio. Erant enim et aliae causae, puta, violata religio et iustitia publica. Propter Manassen. Cur propter hunc? Quia permittebant eum impune esse pessimum. At hoc perduellio fuisset, si in regem quantumcunque saevientem in innoxios quicquam fuissent moliti. Non negamus fuisse, si perduelli animo factum esset. At Clodium nefarium hominem nonne satius fuit occisum esse a Milone, quam ut eum per omne libidinis genus grassantem populus Romanus ferre coactus esset? Caesaris in caput invenias qui mallent strinxisse ferrum Catonem, quam in se ipsum. Tullius tot labores subire coactus fuit, quod nullus patriae vindex esset, qui publicam pestem Catilinam forti animo tolleret. Sed est modus in rebus. Nulla gens nisi corrupta corruptissimos cuiusquam mores ferre potest. Habet hoc bonitatis ipsa humanitas, ut profligatissimi homines non audeant promiscue apud bonos, et sui similes, hoc est, malos quicquid libet designare. Obstat enim vel pudor ultimum in conscelerationе bonum, vel suppliciorum metus. Hinc est, ut cum audias quemque per omne facinus vadere, nec quemquam esse qui obstet, nihil ambigas similes habere labra lactucas. Sic et Manassen pessimi pessime agere permittebant. Perduellio maxime cavenda est: sed simul cum boni et innocentes viri adfliguntur, sciendum in propinquo esse vindicem. Arrigendae ergo sunt aures, ut cum dominus veniat ultionem sumpturus,

nihil cunctemur; praeter illius expressam iussionem nihil tentandum. Eam autem sic aut adparitione, signis, aut prophetis denuntiat, ut nullae non mentes videant, quid facto sit opus.

Aut quis secedet ut salutem tibi impetret. מי יסור, Quis recedet: intelligit recessum ad orandum. Abstrudunt enim se, qui anxie sunt oraturi. Aut recedet, hoc est, ibit vel proficiscetur, ut salutem tibi impetret.

Ad fines terrae. Fines ex portis fecimus. Adpellantur enim et fluviorum fines, quibus in mare defluunt, ostia.

Augebo mihi viduas eius. Fortificabo dixit propheta pro multiplicabo, metalepsi fretus, quod multitudinem sequitur robur.

Adducam in matres. Matres pro iis dixit, quarum liberi vel adhuc essent superstites, vel paulo ante fuissent: sive eae maritos haberent vivos, sive iam mortui essent. Viduas autem dixit, pro iis, quae iam quotidianis cladibus viduae fierent.

In meridie. In media luce, vel indubie: quae enim media luce cernimus, haud temere possunt fallere.

Obruam eos. Eam est Hebraeis: sed cum urbem Hierosolyma intelligat, clarius visum est eos, quam eam.

Prae dolore diffluenti. Ex חפרה est, hoc est, pudore, quem in dolorem vertimus: quia erubescenti antecessit, concidit, aut exanimis facta est.

Reliquos autem eorum. שארה, non tantum reliquias, sed etiam necessitudinem et cognationem in loco significat, ut est in Mosis libris videre. Unde forsan melius huc quadrassent Cognati. Fecit enim matrum, viduarum, earumque, quae septem liberis gauderent, mentionem.

Vae mihi quod mea me mater etc. En felicitatem vobis prophetae vestram. Perpetuo contendendum et iurgandum est, et postremo taedium vitae expectandum.

Neque foeneravi. Opes comitatur invidia. At, inquit, cur sic petor, cum parandarum opum cura non laborem, nulli quicquam praeripiam?

Ad hanc meam querimoniam. *Παράφρασις* est eius quod sequitur, Dixit dominus.

Num adfligit ferrum ferrum. Satis antiquum est proverbium. At ferrum et aes meo iudicio videtur ponere pro ferreo hoste et ferreo propheta, quod uterque sit insuperabilis. Defendo te inquit: cur ergo Babylonicum hostem metuas, quem ferreum atque impenetrabilem in Iuda mittam? at quid in te poterit, qui aeque ferreus es? Aut quid poterit hostilis contumacia in me, quo minus te salvem, quem semper servo?

Sed substantiam vestram. חיל exercitus quoque verti potuit. Tu non patieris quod reliqui, qui omnes cum re peribunt.

Tu domine perspecta habes omnia. Verbum sciendi, ampliorem hic vim habet quam interpretes reddiderint; eam igitur expressimus per: perspecta habes omnia. Vel, Solus scis omnia.

Et visita me. Visitandi verbum hic in bono est positum, pro tuere et protege me.

Post longam iram tuam. Antiphrasis est. Ne suscipias causam meam post longam iram tuam, pro subito ut irasceris, ad misericordiam redi.

Incidi in verba tua, et devoravi ea. Ad verbum, Inventa sunt verba tua, mihi scilicet. Est ergo planius, Incidi in verba tua, et devoravi: aviditatem hoc verbo exprimit. Veritatis enim amantes, cum in verbum domini inciderint, summam voluptatem sese adeptos sentiunt.

Non versor inter derisores. Derisores videtur pro petulcis et voluptati deditis, imo pro perditis hominibus accipere, et se abstinere ab eorum commercio perhibet.

Metu manus tuae. Metu, est ex מִפְּנֵי, id est, a facie, quae locutio illis vice causalis est, propter: cum ergo hic loci ponatur pro, eo quod manum tuam metuo, iam instrumentalis casus, metu, sensum prophetae explicat.

Solus habito. Ad id pertinet quod superius miratus est odium adversariorum, cum iis rebus non studeat, quibus homines in se mutuo irritantur, se non foeneratum esse etc.

Quoniam replevisti me amaritudine. Labore scilicet et dolore quem concepit, ex futura calamitate, quam dominus per eum populo denuntiabat.

Num dolor meus erit perpetuus? An non rude donabis me aliquando? et laboribus finem nunquam impones? Aut, ut in persona populi loquatur. Mihi tamen in sua videtur loqui, sed commiseratus aerumnam suorum. Nec obstat, quod desperabilem plagam suam vocat: interrogat enim, num curari mala sua nequeant aut saluti restitui.

Aquarum fallacium. אַכְזָב, et crudelem et mendacem significat. Huc utrunque satis quadrat: Num o deus me perpetuo impetu torrentis instar abripies? Aut: Num instar aquarum, quae vento quovis moventur, me perpetuo iactabis? Istud autem, Quae firmae esse nesciunt, inconstantiae periphrasis est. Ut sic sit enallage: Num eris mihi instar aquarum inconstantium, pro, Num me iactabis velut aquae iactantur?

Si redis restituam te etc. Quod prophetam alloquatur sequentia manifeste testantur. Loquitur ergo de reditu ad officium prophetae, quod ille videtur aut iam declinavisse, aut saltem deprecatus esse. Hic locus fideles huius temporis prophetas solari debet, cum laboribus attriti recessum aut fugam cogitant. Homo est, ut inquit Cato, veluti ferrum: ferrum si exerceas, conteritur, sed usus inde capitur; si non exerceas, rubigo interficit.

Tu vero cave avertaris ad eos. Constantia docetur non contumacia. Nihil est vero propheta tractabilius, qui sese in omnia vertit, iuxta Pauli exemplum, ut omnes lucretur. Sed a summa rei, ab ipsa veritate, non patitur se abstrahi. Unde non est cur hinc Catabaptistae pervicaciae suae praesidium petant.

EX CAPITE IV.

Noli uxorem ducere. Et hic sermo eiusdem argumenti est, Propter idololatriam et proditam iustitiam imminere captivitatem. Unde et

Inssus sit ἄγαμος, hoc est, coelebs esse, cum lex abhorreret ab eo, qui non auxisset gentem Israëlis: excipitur ergo hic a lege.

Mortibus cruciatu plenis. LXX. et Hieronymus videntur תחלאים, pro valetudinariis accepisse, cum isti verterint *νοσερῷ:* ille vero, aegrotationum. Sed cum acerbitatem hic intendat, vertimus, Mortes cruciatu plenas: sive enim fame, sive gladio, sive peste (quibus generibus perierunt) morerentur, crudeles erant mortes.

Ne adeas coetus. LXX. verterunt ex מרזח, *θίασον*, Hieronymus, domum convivii, quum בית et ad, et in, et intra, et intro, significet: unde in hoc loco non erat necesse in domum vertere. Nos praepositionem verbo composuimus, qua praeditum, *θίασον* sive coetum potuit sibi asciscere citra domum aut aliam praepositionem. Intelligit autem propheta per מרזח, epulas publicas, aut publicos choros, quae ambo coetus comprehendit.

Nemo se pro illis incidet aut radet. Haec lugentium ac funera celebrantium erant.

Non visitabunt se mutuo in luctu etc. LXX. crediderunt verbum Hebraicum פרס, quod dividere significat, hanc emphasim habere, ut pro panem frangere ac dividere, hoc est, impartiri sit positum: unde sic verterunt, *καὶ ὁ μὴ κλαθῇ ἄρτος*. Hos secutus est Hieronymus. Nos dividendi verbo credimus prophetam usum, ut aut ad consolationem referatur aut ad consolatorem. Aut hoc sensu: Non divident sibi in luctu ad consolandum eum, luctum scilicet, pro mortuo: hoc est, non partientur aut suppeditabunt consolationem. Sic enim et Fabius dividendi verbo usus est. Aut isto: Non divident, hoc est, non ingerent, aut insinuabunt se in luctum pro mortuo ad consolandum plangentes. At sententiam prophetae puto clarius hac nostra versione patere.

Poculo consolatorio. Hebraei habent, Poculo consolantium, sed suo idiotismo, quo dicunt, homo pacis meae, pro homo mihi amicus: sic poculum consolantium, pro poculo consolatorio. De potu in luctu et moestitia dando, et de nepenthe non est hic disserendi locus. Hoc modo videtur, Hebraeis solenne fuisse, ut convivio ac potu funestas domos ac familias consolarentur. Hinc puto epulas funebres usque ad nos defluxisse.

Cur decrevit. Hebraei habent דבר, sed intensum, ut non simpliciter significet, dixit, sed cum authoritate ac maiestate dixit; hoc ergo est, decrevisse.

Clementiam impertiar. Hieronymus vertit Requiem: sed non est נחה, sed חנה. LXX. habent *ἔλεος*, hoc est, clementiam sive bonitatem, quos secuti sumus.

Ut non dicatur ultra, vivit dominus etc. Quae hic dicuntur non pertinent ad hoc ut Israëlem solentur, sed ut captivitatem contestentur, hoc sensu: Tam certum et indubitatum est, ut praedicta mala sitis experturi, ut reditus a Babylone non sit minus celebris futurus, quam reditus ex Aegypto. Intentatur ergo certa captivitas, cum reditus fore praedicitur.

Mittam piscatores, et mittam venatores etc. Hoc est, nullus

erit locus, quem non indagaturus sim. Sciam ubi sint, nam et nunc non latet me quibus in locis peccent.

Posteaquam perfecte retribuero etc. Perfecte ex משני, est, quomodo et in Genesi et alias dictum est.

Domine fortitudo mea. Apud Hebraeos iucundum παραγμένον est. Intervenit autem propheta apud dominum, hoc modo: Domine, tamen futurum est, ut gentes contemptis idolis suis ad te redeant. Qui fit ergo, ut et tuam gentem non serves, quo minus in hanc calamitatem propter idololatriam incidat? Et respondet dominus κατ' ἀντίστροφον: Hoc me maxime irritat, quod gentes deos suos contemnent, qui mei notitiam nullam habuerunt, et populus meus cui coelo locutus sum, cui leges tuli, me prodit, et ad idola convertitur. Idcirco docebo, hoc est corrigam (en metalepsim Germanicam, Bub ich wil dich leeren) eos nunc altera vice. Prius in Aegyptiaca nunc autem Babylonica captivitate. Aut, corrigam eos iterum.

EX CAPITE XVII.

Sic scriptum et impressum oportet. Haec omnia ut ποιητικῶς, hoc est, erudite et per prosopópoeiae virtutem venustissime dicta sunt, nihil tamen aliud quam hoc volunt: idololatriam ipsorum sic offendisse dominum, ut oblivisci aut ignoscere absque gravi mulcta non possit. Malorumque vim ad posteros eorum perventuram esse, quo perpetuo meminerint quid sit a domino deficere.

Propter crimen excelsorum. Hebraica sic servant ordinem: Excelsorum propter crimen. Quae causa fuit cur Hieronymus Excelsa ad superius verbum Diripiendi adcommodaverit. LXX. capitis huius exordium non habent usque, Maledictus homo etc. Et profecto si finem superioris capitis huic, Maledictus homo, adneetas, sensus redditur non violentus. Unde adparet in eo exemplari non fuisse hanc pericopam, quod secutus est, qui in Graecam transtulit. Sed alias totum hoc caput usque ad: I, et sta etc. superioris sermonis est.

Expungemini etiam de haereditate vestra. Hic ornatus quidam Hebraici sermonis deprehenditur, quod Vaf coniunctio repetitur, non tantum ad verbum, sed etiam ad casum sequentem, hoc modo: Et derelinqueris, et in te, pro et ipsa ובך, fies elapsa vel derelicta, de haereditate. Nos quo sensui nihil deesse credimus modo vertimus.

Ignem enim addidistis furori meo. Hoc est proverbio, perinde ac Oleum flammae, vel Ignem furori meo ad incendendum illum adhibuistis. Quas venustates nonnunquam dolet ab interpretibus esse neglectas.

Et carnem facit brachium suum. Carnem pro creatura, vel praecipua inter creaturas homine in scripturis accipi, vel unicum hoc probat, Videbit omnis caro salutem domini. Brachium autem pro vi ac robore, istud, Fecit potentiam in brachio suo. Hinc obvium est videre, hac paroemia devoveri eos qui creatura aut humana virtute fidunt.

Erit enim instar myricae. De myrica apud Plin. est lib. 13. cap. 21. Vocatur autem et Tamarica, Helvetica lingua Tamariſch.

Est autem virgultum tenue et foliis parum vestitum, nascens in arenosa, neque florem neque fructum ferens. Idcirco dei desertores myricae similes facit; pios autem et constantes, arbori quae in pingui irriguoque solo est posita.

Nidum congerit, sed non excludit ova. Ad verbum, Nidulatur, sed non parit. Adparet proverbium esse, Nidum struere, sed ova non excludere, quod in divites optime quadrat: quid enim illis satis est, quo contenti avere opes desinant? Contra quid minus sanam, non dicam enim beatam, saltem vitam, potest praestare quam divitiae? Reponunt ergo avari, sed cum plurimum congesserunt, minime fruuntur: tunc enim ocissime coguntur deserere.

Postremo stultus invenitur. Nunquam mutamus sententiam, ut non in summo pretio habeamus opes. At cum illas aliis relinquere cogimur, et nihil in illis auxilii esse deprehendimus, quo vel unicum momentum vitae adiiciatur, iam stultitiam tandem fatemur.

Non in coelo. Ipsi hac causa addidimus, ut plane videretur, quid esset in terra scribi: nam in coelo adscribi, in beatorum coetum receptum esse cum sit, iam in terram scribi est ex beatorum numero repelli.

Sana me domine. Prophetica ad deum conversio. Cum enim contemplatione rerum fluxarum animus aut per commiserationem mollescat, aut per horrorem ad desperationem spectet, non habet ad quem recurrat quam deum: quomodo et hic propheta, moerore oppressus, ad dominum recurrit.

Sed et verba mea. Ad verbum, Quod exit de labiis meis; sed est verborum periphrasis.

Ne ergo sis mihi ad pavorem. Da, ut a te non abhorream. Tam benignus esto in me, ut ad te confugere non paveam.

Et vehementi contritione. Hie fit irrefragabile quod משנה ponitur, non tam pro duplici quam summo aut vehementi.

Cavete animabus vestris. Cum capitalem poenam minantur, animabus cavere iubent. Est et locutio Animabus vestris pro vobis ipsis. Anima enim in loco, illum ipsum, significat.

Sed sanctificate diem sabbathi. Exposuimus in Isaia, cuius causa sabbatum, quantum videtur externa res, tam anxie praecipiatur ad observandum. Quibus si istam non adiecimus, nunc reddenda est: Quod deus septimo die quievit ac destitit a creando mundo. Qui ergo sabbathum servant, symbolo ac velut sacramento fatentur deum esse creatorem rerum omnium. Adhuc tamen cum causae adsunt, quae otium in occupationem vertunt, iam debemus meminisse, sabbathum esse propter hominem factum, non hominem propter sabbathum.

Laudem quoque offerent. Et laudes sive gratulationes offeruntur domino, ne Papistae mirentur Eucharistiam, hoc est, gratiarum actionem oblationem vocari et esse; sed non eo modo quo ipsi docent: non enim est merx, de qua nundinari debeant aut tam altum pretium eius indicare.

EX CAPITE XVIII.

Quod faciebat e luto. In luto est ad verbum Hebraice. Sed materialibus utuntur perinde cum praepositione ב atque instrumentalibus.

Elegans paradigma est, quo perfidis et oscitantibus dei tum omnipotentiam tum providentiam ante oculos ponit. Hinc decerpsit Paulus figuli sui libertatem faciendi preciosa et honorata, vilia et abiecta vasa ex eodem luto.

Et contra vos conspiro. Verbum חשב, quod consulere, cogitare, et invenire est, hoc loco videtur velut pro conspirandi verbo accipi, quasi dicat dominus: Ego quoque conspiro contra vos, quemadmodum et vos fecistis me prodendo.

Mittamus ista. נואש Hebraeis verbum est vel dimittendi vel repudiandi, quomodo Graecis *εἶεν*· quasi dicant: Desine nos istis exemplis et pigmentis molestare.

Num nix quae in petra Libani est etc. Primum adparet verticem Libani perpetuis nivibus praeditum campis perpetuas aquas propinare. Deinde considerandum quod dissimile est quod hic adducitur, et ad *ἄτοπον* pertinet. *Ἀναίσθητα*, id est, sensum non habentia ordinem suum servant, demittunt nives e Libano torrentes suos, fontium venae obturari non possunt, quo minus latices suos profundant, at populus meus me deserit? Et est pulcherrimum *ὁμοιόπτωτον* in Hebraico sermone יזלים, קדים, זרים.

A via legitima et publica. Hoc legitimum et publicum ex עולם est. Aeternae enim viae, publicae sunt ac legitimae.

Contrario vento dissipabo eos. קדים, Contrarium non minus, quam Orientalem plagam vel Carbunculum significat. Cum autem rei militaris periti magni momenti putent esse, si ventus suis secundus adspiret, hostibus autem contrarius ac infestus inferatur (quod Hannibali alicubi rerum suarum victoriam obtinuit): malui Contrarium dicere quam vel Orientalem, vel Carbunculatorem.

Eamus et conspiremus. Hic verbum חשב, ut paulo ante annotavimus, in malo pro conspirare ponitur.

Sacerdotes quibus lex est credita. Hebraei habent antiphrasim, Non perit lex, pro, Non deest lex, pro, quibus est lex credita. Erant enim sacerdotes velut *νομοφύλακες*. Vide autem perduellem conspirationem! Conspirat Pontificum collegium cum senatu, hi enim senes Hebraeis vocantur, et cum prophetis, hoc est, demagogis, concionatoribus sive ecclesiastis. Ut non deesset potentiae maiestas, non sanctimonia, neque vulgi ignobilitas et impetus quicquam posset cum essent populares prophetae. Sic et nunc, conspirant principes, sacerdotes, et *ψευδοπροφῆται*.

Et recidamus ei linguam. Ad verbum est, Percutiamus eum in lingua: sed ut iam diximus materialia ponunt cum ב coniunctione, quae cum, in, ad, aliaque similia et vicina significat. Percutiendi autem verbo pro scindendi, caedendi, sternendi impensissime utuntur.

Cum fodiunt foveam animae meae. Proverbium hic est et locutio, Foveam fodere, insidiari est; Animae meae, mihi est.

Nunc ergo trade filios eorum. Quae sequuntur permittentis potius sunt, quam imprecantis: nam et apud Latinos imperativa deprecatoria quoque sunt. Postquam enim videt omnia in deterius labi, se nequicquam admonendo ac terrendo anxio, iam reducta manu, gloriam

dat, hoc est, cedit divinae iustitiae, perinde ac Simeon fato cedebat, quod prius anxie deprecatus nimirum fuerat, Nunc dimitte servum tuum domine etc.

Sed rei damnentur ante te. מכשלים, id est, cadentes. Adparet forense verbum fuisse ea aetate, ut cadere dicti sint, qui iudicio superarentur aut damnarentur. LXX. verterunt ἄσθένειαν.

EX CAPITE XIX.

I et coëme amphoram figulinam. בקבק, quam nos in amphoram refinximus, Latinis credimus esse cacabum: vocum enim translationes miris occasionibus fieri, linguarum periti sciunt. Splendidior est amphora cacabo, idcirco eam formavimus. Est autem et hoc paradigma, quo ad persuadendum, et ad poenitentiam pertrahendum utitur dominus. Vehementius enim movet orator cum sermonem actione ac gestu adiuvat; quanto magis cum huiusmodi exemplum ante oculos aedit, cuiusmodi agit argumentum? Sic in Eucharistia fortius moveri ad gratias agendum animos piorum nemo negat cum sacris symbolis pane et vino velut ipsis Christi corpore ac sanguine circumlatis, sensus etiam huc ducuntur ubi est animus. Sed tamen interim hoc non est omittendum, externa ista nihil facere nisi animus antea huc inclinet, quo symbola tendunt. Id quod hic videmus. Quantum enim cumque urgeret propheta oratione non tantum ferrea, sed exemplis actionibusque tam evidentibus, ut a re ipsa parum ferme differrent, nihil tamen proficiebat: hi enim apud quos agit animum a deo desponderant. Sic et symbola piis et proficua et grata sunt, impiis ludibrium ac risum movent. De qua re infra latius.

Aurium tinnitum experietur. Proverbialis sermo est pro, minis terrebitur aut consternabitur.

Et prophanarunt locum istum. Profanandi verbum magis commodum est visum.

Sanguine innocentium. Humanis enim hostiis in eo loco faciebant, quae immanitas unde sit orta, in Isaia credo iudicium nostrum exposuimus.

Caedam enim senatores Iuda. Consilium est Hebraeis: sed et Latini nonnunquam consilium pro senatu accipiunt, quanquam rarius.

Qui praetereat eam exibilet. Sic lege, Qui praetereat eam, stupeat et exibilet.

Supra omnem cladem eius. Contra enim quam dirutae nonnunquam urbes apud praetereuntes commiserationem inveniunt, contemnetur Ierusalem et explodetur, quod deum suum prodiderit etc.

Et cibabo eos carnibus filiorum suorum. In obsidione Babylonica nihil tale factum apud eos legimus: in Romana quidem, Iosephus commemorat. Sed quod saepe monuimus, mos est prophetarum, extrema et crudelissima comminari, non ut eae species usuveniant, sed ut eis omne crudelitatis et saevitiae genus ob oculos ponatur.

Quod refici ultra non potest. Ex testis comminuti vasis figulini nihil refici potest; sic et populum funditus periturum comminatur καθ' ὑπεροχήν· nam post captivitatem Babylonicam, ad quam ille spectat,

aliqua fuit instauratio populi, quamvis perfecte nunquam fuerit sibi restitutus.

Sic quoque faciam loco isti. Ierusalem demonstrat.

In quarum coenaculis incenderunt. Huc insaniae pervenit novarum rerum immoderatum studium, ut peregrinis ritibus in publico satiari non possint animi deo inanes. Hinc et apud Christianos tot myriades sacrorum non poterant implere stultorum superstitionem, nisi penetralia quoque scaterent idolis, quae ad cultum adorationemque familiariter prostarent. Sed iure ista usuveniunt impiis: ubi enim vera veri dei cognitio non est, quid firmum ac solidum esse potest? Aut quae religio est, quae ad verum deum religata non est? Circumferuntur ergo impuri ac inconstantes animi, aquae ritu, quae quovis vento exagitatur.

His rite peractis. De nostro est, et ad continuationem, et ad tollendum hiatum adsutum. Orditur autem nunc aliam historiam, quae eam in Topheth mox est secuta. Nempe quod et domi domini eundem sermonem repetiverit, et ob id vapulaverit.

EX CAPITE XX.

Primarius in aede domini. Alibi divinarum literarum deprehendimus primarium quendam fuisse in templo domini, qui tamen non esset, ἀρχιερεύς, quod is nimirum solis sacrificiis intentus esset: alter vero rerum inferiorum gereret curam. Pashur sutem quum sacerdos vocetur, dubium fit an summus sacerdos fuerit an templi praefectus. Idcirco primarium eum fecimus. Adparet apud Iudaeos functiones quotidie increvisse et auctas esse, quemadmodum et apud Monachos usuvenisse vidimus. Abbas erat primum curandae pietati praefectus: mox cum opes contigissent, et eis frui magis allubesceret, religionis curam in Priorem aut Decanum ablegavit. Postea cum et rerum procuratio delicatulo molestior esse coepisset, in praefectos et advocatos transtulit, quo ipse per omne genus libidinis posset liberius grassari. Sic ferme coniectura adsequimur factum esse apud Iudaeos quoque.

Et coniecit eum in nervum. Dedit eum in nervum, est ad verbum Hebraeis. Sed sic utuntur verbo dandi, quomodo alias ostendimus. Et Suetonius Ad terram dedit, dixit pro, deiecit in terram.

Sequenti vero die produxit Pashur Ieremiam. Adparet metu populi missum esse Ieremiam: antea enim auditum est, insidiantes hoc cavere voluisse, quo minus fieret.

Non Pashur, hoc est etc. פּוּשׁ, Incrementum vel crescens est, חוֹר autem clarus, insignis, aut etiam ingenuus. Est autem paronomasia non inelegans. Non Pashur, sed Magur adpellaberis, hoc est, non Augustus, sed angustiatus, non Nobilis, sed mobilis.

Apud omnes. Hebraice est Undique מִסָּבִיב.

Tum omnibus necessariis tuis. אֹהֲבִים, Amici, cognati, observatoresque in necessarios vertendi esse visi sunt.

Partem captivos etc. Vocem istam, Partem, lucis causa inseruimus, de nostra liberalitate.

Omnia opera praeclara. Hoc enim solent victores, opera prae-

clara in triumphis vehere, quod tam vulgare apud omnes fere fuit, ut nullae aetates hac ambitione caruerint.

Et omnes qui te suspiciunt. Hic ex אוהבי observatores, clientes, sive cultores fecimus.

Frangis me domine. Gratiarum actio est, quod beneficio domini a violentia Pashur liberatus sit. Ad verbum habent Hebraica, Seducis me et seducor. Quae verba primum cognosci debent quod locutio sunt, pro, seducis me: Deinde quod in eis seducendi verbum pro tentandi accipitur. Tentandi autem pro corrigendi, deiiciendi, et experiendi. Tentas igitur me domine, hoc est, deiicis et frangis, ut mihi excidam, de me spem omnem abiiciam, sed ea re ad te trahis. Fractus hoc malo quod Pashur irrogavit, de otio coepi cogitare ac renuntiare ministerio verbi tui. Sed tu fractum reficis, atque in locum restituis.

Omni die obruor. Obruendi verbum ex duobus verbis colligendi et subsannandi collectum esse ne nescias Lector!

Sed fiebat verbum domini. Hebraei tantummodo habent, Sed fiebat, absque verbum domini. Sed emphasis requirit hoc, vel simile enuntiatum vel praedicatum.

Tanquam cohibiti ignis incendium. Iucunda et commoda comparatio. Ignis dum intus augescit, fieri nequit quin erumpat aliquando. Et spiritu divino pectus exagitante, iacta alea prosilit propheta.

Etiam sodalium et qui apud me assidui erant. Sodales ex אנוש שלמי, pro, homines pacis, hoc est, amicitiae et familiaritatis meae vertimus, quo Hebraismos alieniores non propinaremus Latinis. Assiduos autem ex lateris stipatoribus שמרי צלעי.

Prehendite, aut prehendamus eum. Exponit quomodo in se machinati sint amici, ut ipse credebat, nempe, ad comprehendendum eum, si forte frangeretur eius impetus metu mortis, ut a praedicando tam severiter abstineret; aut si istud minus succederet, supplicium de eo caperent.

Opprobrium sempiternum manet illos. Manet illos, virtute antiphraseos transtulimus: nam, quod non veniet in oblivionem est Hebraice.

Cantate domino, et laudate eum etc. Gratulatorium carmen, quod de violentia Pashur ereptus est.

Maledicta sit dies. Eadem execratio in Iob habetur. Inseritur autem hic, ut aestus ac tentatio prophetae exponatur, qua exagitatus deliberabat non amplius praedicare in nomine domini.

Quod civitatibus quas dominus citra omnem cunctationem subvertit, audita etc. Haec nihil aliud sunt, quam periphrasis Sodomae, Gomorrhae, Sebois, Zoare, et Adamae.

Audita pessima eorum fama. Gen. 18. sic loquitur dominus, Videbo an clamorem opere compleverint, hoc est, num re et opere id faciant, quod fama ad me refert.

Sine intermissione. Hebraea habent, Mane, et fremitum sive fragorem in tempore meridiei, quae tamen nihil aliud sunt, quam adsiduitatis periphrasis. Quod videlicet divina bonitas fatigata sit pessima Sodomorum fama, quae assidue ad illum clamaverit, donec everterit eos radicitus.

Et vitam meam in opprobrio agam. Hic pudor ponitur pro eo, cuius quem pudet, nempe opprobrii et convitii, μετάληψις est.

EX CAPITE XXI.

Pashur filium Malchiae. Alius est hic Pashur a superiore, qui fuit filius Immeri.

Consule quaeso dominum super nobis. Hoc fere venit usu tyrannis, ut quos ferre monitores non potuerint, consultores et liberatores postea requirant. Exemplum est Saul, qui Samuelis desiderio sic tenebatur, ut sagam consuleret. Lege ad hunc locum 4. Reg. cap. 25. et Paral. 2. cap. 36.

Ecce ego retorquebo arma bellica. Verbum retorquendi ex מסב est, quod aeque potuit in verbum eripiendi transferri, sed idem sensus manet, sive in hoc, sive istud vertas. Est autem hic magna parecbasis, sive macrologia in forma epitheti, Arma bellica, quae in manibus vestris tenetis etc. usque ad, Et colligam.

Tradam Zedekiam regem Iuda etc. Hic perspecta fit prophetica virtus, cum etiam ipsi regi nihil obscure sua scelera et eorum mulcta denuntiantur.

Ad populum autem istum dices. Popularis res est propheta, at populo non magis parcit quam principi, si modo non minus, quam principes, peccat.

Ut ad Chaldaeos transeat. Cadendi verbum pro transeundi habent Hebraei, quomodo et Germani, Hinuß fallen, id est, excidere, accipiunt pro, ad hostem vel transire vel deficere. Hoc loco palam fit, quam periculosa res sit prophetia. Quid enim, suadere ut ad hostem transeatur, aliud videri apud omnes poterit, quam proditio ac perduellio? At istud periculum subire iubetur Ieremias. Sed solatur is, qui imperat.

Ego enim firmavi vultum meum etc. Firmandi verbum in malam partem hic capi propheta ipse exponit.

Domui autem regis Iuda dices. Nunc aulam regiam adfatur atque prosapiam.

Ius reddite protinus. Hic est locus, qui aperte probat בבקר, id est, mane, Hebraeis in loco vice tempestiviter, celeriter, confestim atque similium esse. Deprehenditur autem hic clare, quod nihil aeque dominum offendit atque iustitiam violare, cum ante omnia illam repetendam esse admonet, si ultionem divinam declinare velint.

En me vobis qui passim in vallibus etc. Hic exallagas generum, personarum ac numerorum sustulimus. Est autem ista exhibitio irati dei minax, qua se praebet, non fruendum, sed formidandum.

EX CAPITE XXII.

Descende in domum regis Iuda. Adparet hunc peculiarem esse sermonem usque ad hunc locum, Vae aedificanti domum suam per iniuriam etc. Atque eum esse factum mox ut Ioahaz in Aegyptum est abductus, quem binominem fuisse adparet. Urget autem ad publicae iustitiae restitutionem, id quod principum atque magnatum esset pri-

mum officium. Et eam si in locum restituant, pollicetur securitatem in patria.

Qui transitis per portas istas. Plenum est emphaseos hoc dictum: Qui ambitiose arrogantique ornatu hic versamini: alloquitur enim totam aulam cum rege. Est autem periphrasis, per portas transire, pro isthic habitare.

Transibunt per portas domus istius reges. Hic manifestum fit quod diximus. Pollicetur enim regnum eis firmum permansurum, si leges dei custodiant, iustitiam colant, et iniuriam resecent.

Tu caput es perinde atque Galaad in Libano. Ad verbum sic habent Hebraei, Tu Galaad mihi es, caput Libani. Quae tamen verba haud aliud possunt, nisi, quemadmodum Galaad ex omnibus costis ac promontoriis sive πρόποσι Libani primas tenet, sic tu domus regia primas apud me tenes super universa regna. Galaad autem quid reliqua loca antecellat, non tantum divinae, sed et humanae literae testantur. Nam fere quicquid aromatum ac ῥητίνων Libano tribuitur, huius est montis, qui tamen et ipse Libano accensetur, unde et peculiare nomen non est sortitus apud rerum scriptores: quomodo et Alpes, et Atlas, Taurus et Apenninus multos habent peculiares montes, qui tamen herilis montis nomine vocantur exteris, accolis autem eorum modo nota sunt nomina specialia.

Sed nisi te in desertum redegero. Alia aposiopesis perquam elegans, qua plus minatur, quam si exprimeret quid passurum se offerret, si non faceret.

Destinabo enim in te exterminatorem. Exterminatorem singulari numero vertimus ex corruptoribus. Vocant enim משחיתים, vastatores et grassatores, qui strage aut caede crudeli multos hominum trucidarunt. Placuit autem exterminatoris nomen, quod illud caesoris sit vicinius, cum mox allegoriam ingrediatur, qua per cedrorum incisionem, quarum in Libano sedes perinde est atque magnatum in aula regis, principum virorum caedem futuram praedicit.

Neque videbit suum natale solum. Ista negatio, Neque, non habetur hoc loco apud Hebraeos, sed ex superiore membro, in quo προληπτικῶς ponitur, huc derivata est a LXX. et Hieronymo, nec iniuria, nisi quod aliis in locis, ubi idem liceret, sua potestate non utuntur. Vetat autem, ne Ioahaz patrio more defleant, quantumvis eis fletum ac dolorem privatum permittat: non enim rediturum esse. Quasi dicat, flere ac dolere cuique licet pro abducto rege, at publico funebrique luctu nulli licebit: non enim apud vos morietur.

Super Sellum filio Iosiae etc. Sacrae literae perhibent Ioahaz patrem Iosiam in regno proxime secutum esse: cum autem hic Sellum habeatur adparet binominem fuisse, et Ioahaz ac Sellum fuisse adpellatum. Adducit autem hic eum, quem in liminari titulo omisit, propter regni, quantum video, brevitatem: ut manifestum faciat, quantopere neglecta a principibus iustitia deum offendat, cum is tam brevi quidem tempore praefuerit, sed maxime deum irritaverit.

Vae aedificanti domum suam etc. Hac parte admovet arietem

in divites, quorum nomine comprehenditur omnium violentorum iniuria et audacia, sicut in Isaia patuit.

Proximi sui operam frustratur. Magnificam emphasim habet hic, proximus. Dives non reputat egenum pro suo proximo, sed propheta facit ipsum eius proximum, etiam inviti et ingrati. Quod autem ad verba attinet, Hieron. sic vertit: Amicum suum opprimet frustra. Quo quid velit non satis intelligo, nisi quod יעבד serviendi aut operandi verbum in opprimendi vertit, quod huc ut quadret Lector decerne. Septuaginta clarius verterunt, *Παρὰ τῷ πλησίον αὐτῦ ἐργᾶται δωρεάν*, ubi primo adnotandum est, *παρὰ* quandoquidem, ab, potius quam, ad, hoc loco significet, suum casum, hoc est, genitivum non habere, sed per alloeosim dativum sibi ascivisse, ut hic sit sensus, A proximo suo operatur gratis. חנם enim non minus significat gratis quam frustra, hoc est, operam conductam non rependit mercede, ut verbum יעבד habeat ante se instrumentalem casum, quem et Hebraei ב coniunctione produnt, hoc sensu: Proximo suo operatur gratis, hoc est, per proximum suum operatur, negotia sua scilicet, gratis. Quod quid aliud est quam, proximi sui operam frustratur?

Et mercedem laboris non reddit ei. Mirum est Hieronymum ausum esse, opus in mercedem vertere, Hebraea enim habent, Et opus suum: at superiore membro non de oppressione, sed fraudatione loqui, vel non attendisse, vel libenter a Septuaginta dissidere voluisse. Nisi quod virum sanctum plus aequo tenuit religio verborum, quae quidem observanda est, sed hac lege, ne verborum observantia sensus negligatur.

Synopide vero pingit. De Synopide apud Plin. lib. 35. cap. 6. Taxat autem sumptuosas aedes et adparatum, non iam superfluum, sed etiam foemineum: quid enim distat herus ab uxore petulca et superba, cum illa nescit nisi purpura vestiri, ipse vero non nisi purpura habitare?

Edebat, bibebat etc. Vulgaria scilicet ac parabilia. Tendit autem huc prophetae ratio, iniuriarum tantum esse, quia nemo sua sorte contentus velit vivere, quod tamen maiores fecerint, cum moderate rebus cunctis usi sint.

Sic dicit dominus de Iehoiakim. Is secundus Iosiae filius erat, et Ioahaz fratri successit. Adducit autem illum propheta pro secundo exemplo, in quem divina ultio animadverterit propter neglectam iustitiam.

Vulgaribus istis, eheu frater etc. Ista, eheu frater, eheu soror, eheu inclyte etc. tam vulgaria fuerunt, ut citra notam vulgus suas istas voces, quibus in publico luctu utebantur, agnosceret. Unde prophetae non erat necesse addere notam qua vulgaria cognoscerentur esse, sed nobis hac nota opus fuit: idcirco, Vulgaribus istis, e nostro attulimus.

Sed instar asini sepelietur. De fato huius regis diversa tradunt Regum quartus, et Paralipomenon secundus, Ille domi defunctum et cum maioribus sepultum tradit, Hic autem Babylonem captivum abductum, quem nos, hac potissimum causa, sequimur: quod Regum librorum author ad actiones diurnales remittit. Nam in Babylone quomodocunque sepultus sit, extra tamen portas Ierusalem sepultus est. Atque istic nimirum pecoris ritu libitina ei contigit.

Et de omnibus limitibus vocifera. מעברים, de transitibus,

viis, aut itineribus etiam significat. Ponunt autem Hebraei vias nonnunquam pro quaqua versum: quomodo istud dictum est, Ite ad exitus viarum, pro, ite quacunque via est, qua libet, quaqua versum. Hinc est ut dixerimus, De omnibus limitibus.

Perierunt omnes amatores tui. Iterum facit Iudam, vel meretricem, vel adulteram. Amatores autem ponit pro eis, quos Iuda secutus erat, sive deos sive *συμμάχους* alienos, sive denique cupiditates suas.

Omnes pastores tui vento regentur. Vento pascentur, aeque congruit. Sed nobis regendi verbum ideo placuit, quod eiaculandos fore comminatur ac dissipandos, quomodo stipulae et quaevis levia reguntur, hoc est, feruntur, ut sit sarcasmus in verbo regendi. Illi debebant legitime regnare, quod cum non fecerunt, temere vento regentur, hoc est, dissicientur.

In Libano habitas. Cedros e Libano Hierosolyma transferri solitas, testantur sacrae literae. Opprobrat autem eum luxum, quod isthic ferme tantum esset cedrorum quantum in Libano. Et est synecdocha, Cedri pro cedrinis domibus.

Quod etiamsi Chonenias. Choneniam esse Ioachin, sive ut Rabini barbarizant Iehoiachin, facile vident qui nominis ex duobus integris compositi partes transponunt. Chonias et Ioachin ex כון et יה. Sic enim videmus veteres, יהו extulisse, quasi tu io dicas, ut i sit consonans, sed paululum adspirata, et non ieho: id enim apud priscos non licet deprehendere, ut י pro יע legant, hoc est, ie pro i. Sed de hoc alias forte. Nam magni momenti fatemur non esse quod monemus; at simul praestitisset Rabinos, qui puncta vocalia parturiverunt, paulo doctiores et humaniores fuisse, ut vel vocum atque enuntiationis passiones melius calluissent. Quae enim haec est iniuria, nolle legere ex יהו io, ubi apud Latinos, ה, tenuis adspiratio excidit, Hebraeis autem nonnihil adspirat vehementius: quomodo ja Helveticum, et jho Argentoracense. Et quamvis ipsi quoque vocales ad Rabinorum morem soleamus vertere, magis tamen arridet priscorum voculatio, ubi non est depravata, quam magistrorum male feriatorum. Profert autem propheta tertium divinae ultionis exemplum, quod et Chonias sive Ioachin propter idololatriam iustitiaeque neglectum punitus sit.

Sigillaris annulus. Hic sigillum tantum est dexterae manus, sed LXX. cum non simpliciter *σφραγίδα* sed *ἀποσφράγισμα* verterunt, satis indicarunt sigillarem annulum intelligi debere. Quem iure etiam Evangelici (si diis placet) episcopi in dextera ferent posthac, cum videbunt tam antiquum morem esse in dextera ferendi sigillarem annulum.

Tradam ergo te. Personae desultum reliquimus, quod et vividior est sermo, et nullo negotio videtur ad quem sermo fiat.

Sicut simulachrum raptum et discerptum. Vide Lector quid LXX. licuerit, non pessimis huius prophetae interpretibus, hoc loco. Ubi generalem sententiam verterunt, cum prophetae animum non ex amussi caperent. Non est autem frivola comparatio, regis regno exuti et simulachri ex aliquo sacello rapti, quomodo hostili tempore fieri solebat. Stabat Apollo aut Iupiter non tantum amictus aurea chlamyde, sed etiam aliquoties ex solido auro: hunc si fortior miles suum fecisset,

quo iam non ornatus ac vestis, sed deus ipse misellus cadebat? Sic regius splendor, ut obscuratur, cum rex captivus abducitur?

Unde et relegabitur. Unde ex מדוע, quae vox non tantum quare, sed etiam quapropter significat.

Inter abdicatos. LXX. fecerunt עריר *ἐκκήρυκτον*, quem nos in abdicatum vertere coegit res ipsa, nisi tu relegatum aut extorrem sive exulem malis. Sed eodem redit sententia.

Nullus enim de semine eius prosperabitur. Quid ad hanc execrationem dicent Iudaei, cum vident ex hac prosapia natos infelices fore: cum tanta felicitas sit filio David promissa, adde et regni fortunati aeternitatem? sed obruit Israëlem caecitas.

EX CAPITE XXIII.

Vae pastoribus. Pulchre ab exemplis malorum aliquot pastorum sive regulorum transit ad omnes in genere pastores. Intelligit autem per pastores, iustitiae publicae praefectos. Potest et הוי in ὠ comminantis aut increpantis vocem transferri, O pastores, vel, Proh pudor pastores.

Qui regunt populum meum. Cur hic non licuisset dicere populum eius, quantumvis divinus sermo habeat populum meum? Sed cum sui generis esse permisimus Hebraico sermoni in loco, ubi mutata persona nihil obscuritatis habebat, imo laevorem propter sequentia quendam secum adferebat, planior factus est sermo, quam si quid esset mutatum. Plane enim sequitur Vos disperditis etc.

Ego igitur visitabo apud vos malitiam. In Hebraico sermone venusta paronomasia est in רעה et רע vocibus literarum substantia similibus, cum tamen illa pastorem, ista vero malitiam significet.

Et colligam residuos gregis mei de omnibus terris, in quas ejeceram eos. Promittitur hic per anagogen vocatio gentium: non autem anagoga quam nos fingamus, sed qua propheta ipse usus est, hoc est, amplifica ista et ingens promissio, quae in prophetae verbis renitet, mentis illius est, non quod temere verba profuderit, quae tantum splendoris et magnificentiae habeant, ut nos, praeter eius mentem, significationem et sensum eorum intendamus; sed quod propheta ipse intenderit et sublimaverit orationis virtutem, ut non modo liberatio Iudaicae gentis ac restitutio ad sua, quamvis et ista, significaretur, sed cum illa simul caperetur vocatio gentium ad ecclesiam dei, quae vocatio accessio est Israëlis: nam Israël tam ingens nunquam est factus, quemadmodum in prophetarum oraculis promittitur, quam cum gentes in eius societatem sunt receptae. Haec ideo, ne quis putet me loqui de anagogae isto genere, quo recentiores Theologi in divinis literis luserunt, ne dicam nugati sunt. Sed de isto loquor genere, quo author quisque orationis suae virtutem sic intendit, ut auditores maius istud, quo orator ipse significat, nullo negotio intelligant. Ut cum Christus de pastoris officio locutus dixit illum oves educere, ante eas ire, cognoscere vocem eius oves, ipsum vero oves nominatim posse vocare etc. Iam Anagoga est, species allegoriae, hoc orationis genus. Res

enim sublimes, arduae, ac divinae significantur. Quod ipse verus et magnus pastor, hoc est, pastorum omnium caput, e tenebris ignorantiae et perfidiae humanum genus eduxerit, dux illius factus (hoc enim est Hebraeis anteire), quodque qui credunt, verbum eius cognoscunt, eo pascuntur et aluntur, et eos tandem tales esse, quos divina liberalitas ad hoc elegerit. Hic non est ut ipse anagogam fingam, sed ipsa sua virtute allegoria manuducit, ut sensus arduitatem, simul cum cuiusque pastoris officio vulgariter exposito, capiamus. Sic et praesenti loco, anagoga est prophetae sermo: nam cum liberatione gentis Iudaicae, simul capit erecta et intenta mens gentium ex errorum tenebris liberationem et vocationem, et utrunque horum ex voluntate et mente prophetae, id quod successu patebit. Nunquam enim tam amplifica et laeta contigerunt Iudaeis, quae hic promittuntur, quam cum gentes ad eos concesserunt. Residui ergo gregis non tantum superstites sunt, sed aliae istae oves, quas se Christus habere ait, quas caulis suis coniungat.

Non enim peribunt. אָבַד verbum inter alia quae significat etiam pro desiderare, cum amittere est, accipitur. Diximus igitur, non peribunt, pro, non desiderabuntur.

Ut excitem iustum germen David. David in genitivo poni cum ל articulo alienum non est, imo in Psalmorum titulis usitatissimum est. Habet hic sermo tantam emphasim, ut liquido deprehendatur, ex prosapia David eum nasciturum promissum esse, qui iustus iustitiam in locum suum restitueret. Qui autem quando praestitus aut datus est, nisi cum Christus, nostra iustitia factus, per hoc nos fecit novos homines, qui iam ad iustitiae normam, quam ille vivendo praefixit, vivamus?

Dominus iustus noster. Sive legas, dominus iustitia nostra; sive, dominus iustus noster, in idem redit sensus: Dominus iustitia nostra est, nam alias nulla est nostra iustitia. Dominus iustus noster est, nullus enim ex nobis iustus est, nisi quod ille iustus noster est, cuius iustitia freti ad deum accedimus.

Et de omnibus terris, in quas disperseram eos. Haec nota est, qua videmus anagogam evehi et extendi ad universas gentes. Nam Israëlitae non in alias regiones tunc abductae, quam ad Septentrionem erant. Insinuat igitur plures post captivitatem futuros quam unquam, non ex carnali Israële, sed gentium accessu.

Vae prophetis quoque. Hebraica sic habent: Prophetis. Ut illud הַנְּבִיאִים, quod ad pastores dictum est προληπτικῶς positum, etiam huc detrahatur ad prophetas. Id ergo clare diximus, Vae prophetis quoque.

Contritum est cor meum. Totum hoc exordium usque ad, Propheta enim et sacerdos, κατασκευή est, ut res dicenda non temere transmittatur. Quo adparet nulla in re gravius peccari, quam cum prophetae errant: non enim soli pereunt, sed populum secum in ruinam trahunt: quod utinam scripturam discere ac legere licuisset, et non re ipsa experiri. Tam igitur tragico epiphonemate excitat ad inaudiendum prophetarum castigationem.

Terra plena est adulteris. Non tam adulteria taxat, quam idololatriam et in omnibus corruptissimos mores. Solent enim adulterio pro omni corruptela uti, quomodo et Latini adulteratum dicunt quicquid vitiatum et corruptum est. Nam alioqui apud nullam gentem immaculatiora fuerunt connubia, quam Iudaicam.

Dissimile sancto verbo domini. Hebraica sic ad verbum, Et robur eorum non sic. Est autem לא כן, id est, non sic, locutio apud eos pro, non quemadmodum oportebat: ut et in Iudicibus deprehendere licet. Cum autem verbi sancti domini prius facta sit mentio, visus est eo propheta spectare, quod omne robur eorum, hoc est, potentia, difformiter sese gereret a verbo domini sancto.

Ex aequo sunt polluti et hypocritae. Verbum Hebraicum חנף, et polluere et simulare significat, quomodo fere verbi Germanici, Beſchyſſen, vis habet, quod et polluere et simulatione fallere ex aequo significat. Voluimus ergo totam emphasim eruere.

Annum visitationis eorum. Annus pro tempore, sed certo ac destinato, frequenter apud Hebraeos accipitur. Sic et hoc loco Annus visitationis istud tempus constitutum significat, quo illos ultio divina adfligere statuerat.

Eandem stultitiam, quam vidi apud prophetas Samariae etc. apud prophetas quoque Ierusalem vidi. En nobis hic comparandi aut aequiparandi morem Hebraeorum, de quo in Isaia diximus. Dicunt enim, Et in prophetis Samariae perfidiam invenio: et in prophetis Ierusalem perfidiam invenio, pro, Parem perfidiam invenio apud prophetas Ierusalem et Samariae. Vel, Aequa est Hierosolymitarum atque Samaritanorum perfidia. Idcirco ad hunc modum vertimus.

Contrectant et palpant etc. Ut malitia utitur artibus suis omni saeculo? ut non sic absynthium ingenium suum a creationis exordio servet, atque virtutes et vitia. Haec est pseudoprophetarum blandiloquentia et palpatio, haec est assentatio, quae Paulo infesta fuit; haec eadem et nostro saeculo, et futuro quoque grassabitur. Erunt enim pseudoprophetae, inquit veritas.

A prophetis enim Ierusalem egressa est hypocriseos contagio in omnem terram. Haec nobis sententia significantior videtur quam primo aspectu videatur. Nempe quod quicquid simulationis et hypocriseos in toto orbe sit, ab hoc Iudaeorum sacerdotio sit ortum et natum. Quantum enim bellorum, de fiducia operum et fide in deum, utrum scilicet illorum summa religionis et cardo sit, vel hodie geritur, a sacerdotibus Iudaeorum est. Quicquid de ceremoniis pugnatur, hinc est. Quicquid de virtute sacramentorum certatur, omne ex horum hypocrisi tanquam fronte prodiit.

Num ego deus sum, qui propinquus admota tantum videam? etc. Haec ad hunc modum ea causa verti quod, deus e propinquo, et deus de longinquo, locutiones sunt quibus significant deum omnia permeare, videre, disponere: Et utroque utuntur pro rei ac loci opportunitate: si qui adeo licenter peccant ut iudicari possint credere deum nostra non curare, coelo sedere, terrena negligere, his dicunt, deum in propinquo esse, hoc est, praesentem omnia intueri. Si qui putant

potentiam eius non porrigi ad omnia, his dicunt, deum de longinquo esse, hoc est, remotissima in eius esse potestate.

Num non coelum et terram ego impleo? Hoc Latini vocant infinitum esse, quod Hebraei, omnia implere. Quamvis impletionem aut plenitudinem alias in loco accipiant pro iis, quae in eo continentur, cuius plenitudo dicuntur. Ut, Terra et plenitudo eius, terra est, et quicquid in ea continetur. At hoc loco significatur implendi verbo infinita potentia, virtus, et essentia.

In oblivionem nominis mei trahent. Sunt qui aniles fabulas, quas vulgo depraedicare audent, sic defendant: Quid obest, si istud aut aliud narremus? nam et si parum prosit, parum tamen nocet. Hi ergo hunc locum ponderent. Ut enim quaedam parum noceant, tamen propterea ferenda non sunt, quod dum his attenditur obsolescit dei mentio et cognitio.

Qui recipiunt supra linguam suam, ut dicant, Dicit, dominus scilicet. Dominus scilicet ex nostro est depromptum, nam prophetae sermo ἠθολογίᾳ constat. Sic enim solebant prophetae ordiri sermones suos: Haec dicit dominus, vel, Dicit dominus. Invidet autem falsis prophetis hic noster verus, ut vel hoc verbum, Dicit, in ore habeant. Huius ergo Ethologiae virtutem ut explicarem, addidi, Dominus scilicet. Hoc quoque non est praetereundum, quod constantissimae παρασιωπήσεις hic habentur: En me prophetis, en me prophetis: insinuatur enim ipsis minis ira dei, sed ultionis genus adhuc reticetur.

Maximo detrimento erunt. Antiphrasim commutavimus. Est enim ad verbum, Proficue profutura non sunt, pro, nocebunt. Antiphrasim ergo sustulimus, et simplicem sensum cum intentione, quae in anadiplosi Hebraica est, reddidimus.

Quod nam est onus domini? Taxatur et hic vitiosa aemulatio, sicut prius pseudoprophetarum formula communis, qua perinde utebantur ac veri vates. Adpellaverat Isaias divina oracula et monita, quibus illis poenas comminabatur a domino impendentes, Onera. Eum igitur, per hypocrisim quidam, qui religiosi videri amabant, imitati, cum ad prophetas venirent, sciscitabantur: Quod est onus domini? quasi maxime revererentur numinis iram, cum nihil minus metuerent. Eripit igitur huiusmodi hypocritis, Onus, ex ore: non quasi a voce abhorreat, sed ab eorum hypocrisi. Cuiusmodi exempla hoc corrupto saeculo multa produci possent, ubi tot sunt qui strenue de Evangelio rhetoricantur; at de restituenda religione, publica iustitia, bonisque moribus non nisi verbo sunt solliciti, opere frigent angue magis.

Quid? onus? Bis interrogamus, contra Rabinorum puncta, quo indignitatem clarius exponamus.

Ideo abiiciam vos, quia onus estis. Quia onus estis, ex ratiocinatione est: dixit enim, Ideo abiiciam vos, ideo nimirum quod divina responsa simulata imitatione onus vocabant: requirit ergo ratiocinium, ut dicat: Idcirco quod onus estis, onus adpellatis; abiiciet ergo vos dominus: ut sit sarcasmus, Onus vocatis, onus estis, abiiciemini ergo.

Sua enim cuique verba onus dici debent. Hebraica ad duos istos sensus sunt ambigua: Nam onus erit cuique verbum suum: et,

Sua cuique verba onus erunt. Ut prior sensus specialis sit, et ad hoc tantum referatur quod in praesentia arguitur, hoc modo: Verbum istud, Onus, quod quis dicet de responsis domini, illi onus et transgressio reputabitur. Posterior autem generalis sit sive *γνώμη*, sua cuique verba, quaecunque scilicet aut nequiter aut temere protulerit, onus, hoc est, detrimentum aut damnum erunt.

Quid respondit tibi dominus. Docet hic locus nihil temere novandum: nam si a verbis interdictum est, ut non novemus ea, sive per hypocrisim, sive per ostentationem, quanto magis in rebus universis cavendum est a novandi studio. Simul autem cavendum est, ne quod rerum lapsarum instauratio est, novationem vocare pergamus. Christiana res pene collapsa fuit: cum ea revocatur ad normam Christi et Apostolorum, novatio non est, sed refectio, et instauratio. Docet etiam hic locus, reverenter ac religiose de divinis rebus loquendum esse.

Et onus domini non nominabitis. Minax Aposiopesis est apud Hebraeos, Et onus domini si nominabitis. Rabini puncta sententialia pro veteri more inseruerunt, hoc est, incommode.

Ecce ego reputabo vos onus esse. Reputabo diximus pro credam. Vide quam doctus *σαρκασμός*. Onus cum nimium degravat atque molestum est, ponitur: Sic dominus, onus estis inquit; hinc et abiiciam vos: quia plane onus mihi et molestiam adfertis.

Quam dedi vobis. Hic adde, Et patribus vestris.

EX CAPITE XXIV.

Spectrum ostendit mihi dominus. *φάσμα* fuit, quod prophetae demonstratum est, aut visum.

Ficus continebat vehementer bonas. Vult autem spectro isto ostendere, quod etsi Iudaica gens simul in captivitatem sit abitura, non tamen paria sint omnibus usuventura. Se enim perinde perspectos habere hominum et mores et animos, atque hominibus notae sint ficus, quae pro suavitate aut acerbitate edantur aut repudientur.

Quales sunt praecoces. Cum LXX. *πρώϊμα*, et Hieronymus, primi temporis, transtulerint ex הבכרות, neque a vero abhorreat praecoces dulces esse (sunt enim praecocia poma fere dulcia) idcirco et nos praecoces loco movere noluimus. Nam alias בכורים, non modo primogenita aut primitias, sed etiam prima et optima quaeque significant, quemadmodum in Isaia ostensum est.

Prae austeritate. Prae malitia habent Hebraica ad verbum, sed malitiam Hebraei hic loci accipiunt pro immaturitate et acerbitate: quomodo et Helvetica lingua dicitur, Vor böſe, hoc est, prae amaritudine.

Ut edi non possent videntur. Videntur ex nostro est additum, ut visionem esse videatur.

Quemadmodum tu cognoscis ficus bonas. Tu cognoscis, non est ad verbum apud Hebr. Sed ex valore *ὑποζεύγματος*. Quod sic habet, Sicut ficus bonas istas, sic ego agnoscam captivos. Ut sic agnoscendi verbum ad utrunque membrum spectet, et duabus personis etiam serviat. Sicut ficus bonas tu, sic ego captivos discerno.

Quoniam revertentur ad me etc. כי per quoniam verti: sed etiam significat, si revertantur ad me. Lectori liceat per nos sequi, quod vero videatur esse proximum.

Dabo Zedekiam regem Iuda. Hic ficubus malis significabatur, hi quoque, qui in Aegyptum profugiebant.

EX CAPITE XXV.

A tredecimo anno etc. Numerus annorum, quibus Ieremias prophetavit, antea computatus est. Et quadrant omnia. Nam dum Iohaz regnum non negligis quantumvis breve, fit ut iam vigesimustertius annus sit, quo haec Ieremias praedicat. Nos Ieremiam vigesimotertio anno nostrae praedicationis complanavimus.

Exasperavistis enim me. Hic למען aperte ponitur pro causali, nam.

Sed non impune. Hic nos in antiphrasim vertimus quod prophetae est simpliciter dictum, sed cum emphasi atque minaciter. Vestro malo, sive, ad malum vobis, quod vobis male vertet, traduximus, sed non impune.

Regem Babylonis servum meum. Os domini servum suum vocat, quo lictore et carnifice utitur, ad sumendum de sontibus supplicium.

Et funditus excindam eos. Ex חרם, devovendi et excerandi verbo, hanc velut periphrasim finximus.

Vocem delibutorum. LXX. visi sunt rectius ex רחים vertisse ὀσμὴν μύρου quam Hieronymus Vocem molae, quae nescio an inter iucunda numerari possit. Hos ergo secuti, Delibutos reddidimus.

Cum facibus. Scio אור נר splendorem potuisse verti, sed cum nuptiarum, delibutorum, laetitiae et gaudii mentionem faciat, credidimus et faces ac taedas nuptiarum hic auferri. Iam ista comminantur prophetae ad fastidium, veruntamen energia non caret: sunt enim desolationis et excidii ὑποτύπωσις. Quam omnibus inculcat sermonibus; quo factum est ut cum hic sermo eiusdem argumenti sit, quo totus fere liber constat, ab initio argumentum ponere pepercerimus.

Septuaginta annis. Haec annorum diserta definitio evidens testimonium est, a deo missum esse et instinctum prophetam.

Quem prophetavit Ieremias de omnibus gentibus. Prophetae sermones in duo genera distincta sunt: quidam enim ad gentem suam, quidam vero ad exteras gentes aut habiti aut scripti sunt. Ad suam habiti, ad exteras scripti videntur, quemadmodum is, qui ad Chaldaeos scriptus et in Euphratem mersus est, indicat. Comminatur ergo Babyloni usu venturum esse, quicquid in eo sermone contineatur, quem Ieremias scripsit contra eam,

Quoniam servient et ipsi gentibus multis etc. Nobis ad verbum Hebraica sic placuisset vertere, Et servituti subiicient eos, quemadmodum et ipsi fecerunt, gentes magnae sive multae etc. Non enim temere positae sunt בם et גם. Deinde verbum serviendi vehementis actionis est, et in בם ipsa ב materialis nota est etc. Sed cum fusior alicui, quam par esset, tam longa translatio videri potuisset, hisce contenti sumus, quibus sensui nihil defit.

Sume calicem hunc vini in furorem trahentis. Vini furoris est quidem ad verbum, sed synecdochice vinum furoris vocatur, vinum vel potus, ex quo furor sequatur. Adparet autem et hoc φάσμα sive spectrum esse, quo propheta viderit sibi exhiberi calicem, quem gentibus, quae sequuntur, propinaverit ebibendum. Quo symbolo discant eadem sibi patienda esse, quae Iudaeis.

Ad quas te mittam. Cum constet Ieremiam non pervenisse ad istas gentes, quibus tamen fata sua denunciat, adparet mittendi verbum positum esse pro functionem aut ministerium credendi. Ut sic propheta missus dicatur ad gentes, quarum nomina sequuntur, hoc est, iussus ut et illis mala sua praedicat.

Veniente gladio, quem in eos mittam. מִפְּנֵי a facie est, sed hac locutione varie utuntur. Est autem sensus: Pota eos, ut quemadmodum vino ebrii redduntur homines, sic gladio petitos sciant se insanituros, consilii et opis egentes. Hoc enim fere usuvenit populis atque principibus, ut quanto audacius atque minacius furant et grassentur, tanto turpius concidant, ut neque quid consilii, neque quid operis capiant, satis prospiciant, cum panici terrores ingruunt.

Ut redigantur in solitudinem. Calix hic aerumnam et passionem significat. Sic et Christus calicem, hoc est, mortem crucis deprecatur. Significat superius sodalitatem et societatem miseriarum: sic et in coena symbolum est societatis, sed beatorum, hoc est, credentium.

Imo promiscue omnes. Cum Arabes postea quoque nominatim adpellentur, adparet hic עֵרֶב pro omnibus promiscue accipi, cum ea vox et promiscuum et vulgare significet, ut multis locis praesertim in Exodo videre licet.

Et attonsa coma Ismaëlitas. Ismaëlitas ad hanc periphrasim semper addidimus. Ipsi enim sunt qui hoc modo περιφράζονται, ut supra quoque visum est.

Et vos impunes dimitterem? Cum dominus aliquos per aliquos castigat et corripit, iam qui alios adfligunt non debent aut sibi victoriam tribuere, aut immoderatius saevire, aut se his quos petunt meliores ducere. Victoria enim non hominum, sed dei est. Et qui in adfligendo crudelitati suae modum non ponunt, a domino et ipsi tradentur ut superentur. Et postremo, ii fere domino grati sunt, qui ab eo corripiuntur. Corripit enim omnem filium, quem amat.

Celeusma edet tanquam vindemiatores. Edet traduximus ex יַעֲנֶה, respondebit vel praeibit. Unde et sic reddi potest: Celeusma praeibit quemadmodum vindemiatores, hoc est, signum pugnae dabit perinde ac sese vindemiatores celeusmate inhortantur.

Iudicium enim erit domino etc. Iudicium subibit cum omni carne. Priore loco Iudicium ex רִיב transtulimus, quae litem obiurgationemque significat, non minus quam iudicium. Si cui ergo magis placebit obiurgatio, sic habeat: Dominus enim obiurgabit. Sed augustius est Iudicium, quam obiurgatio: cum et Latini Iudicium vocent cum sontes ad tribunal trahuntur, ut poena de eis sumatur. Iudicium Verris Rabirii etc. Posteriore vero loco habent Hebraei, יִשָּׁפֵט, iudicabitur. Dominus in iudicium veniet cum omni carcere, hoc est, ad

iudicium vocabit atque damnatos mulctabit: quomodo et supra dictum est. Omnis caro, locutio est, nunc omne vivens, nunc omne hominum genus significans. Hic omnes homines, cuiuscunque gentis aut orbis, intelligit.

Ut supplicio dedat. Hic חרב est, gladius pro supplicio: istud ergo vertimus.

A diversis lateribus terrae. Latera tantum sunt Hebraeis. Sed ea fere pro omnibus lateribus terrae, nedum pro diversis: nos cum aliquot diximus, violentiae possumus eo minus coargui.

Velut vasa ad delicias adfabre facta. Figulina *κατ' ἐμφασιν* vasa, sive Samia intelligit: haec enim ut multam adferunt gratiam dum integra sunt: ita cum conciderunt nullius aestimantur. Sic hominum audax fastus ubi deiectus et humiliatus est, quid eis contemptius aut vilius?

Peribit enim fugae occasio etc. Et in Psal. scriptum est, Periit fuga a me, pro, fuga occupata aut intercepta est mihi. Cum autem et Latini, perire occasionem dicant, et perire alicui fugam, nihil aliud sit quam fugam ei negari, iam adeo elegantem locutionem non magis pudere debet Latinos in civitatem recipere, quam si e Graecia esset allata. Quae enim iniquitas esset, pulcherrima et optima non undiquaque recipere?

Optima arva eorum. Hic videmus שלם non modo pro integro, sed etiam optimo accipi. Pinguissima et cultissima arva pastorum sic tacitura minatur, ut neque boantes boves, neque balantes oves audiantur. Hoc est, utcunque voluptatibus indulgeant, iustitiam autem negligant: utcunque sese credant securos esse, fore tamen, ut exules et destituti rebus cunctis egeant.

Deserent caulas suas tanquam leo. Hic nihil dicam de vocum orationisque adfectibus. Comparatio sic habet: Pastores deserent caulas suas, hoc est, greges (per quos larem, potentiam, et patriam intelligit) non aliter quam leo, rugiendo scilicet ac misere plorando, ut comparatio sit in rugitu et ploratu: non in caulis et cubili.

Propter indignationem. Propter grassantem indignationem verteram, sed operae *grassantem* emiserunt. חרון היונה. Hieronymus perpetuo columbam facit ex יונה. LXX. cum columbam non competere viderent, generalem reddiderunt sententiam. Lege ergo Lector, grassantem indignationem, pro indignatione.

Furorem irae eius. Eius hic refert dominum, non iram sive indignationem, et est *ἐξαλλαγή*.

EX CAPITE XXVI.

Reddam aedem istam similem Sylo. Hinc fere accipiunt occasionem contra veritatem prophetarum saeviendi hypocritae, si quid externum, quod vulgus in precio habet, attigerint. Quod hic Ieremiae et in Evangelio Christo usuvenisse patet. Utrobique enim accusatio hinc sumitur, quod templum domini dixerint diruendum. Summa huius rei satis iam prodita est. Intentatur mors prophetae, quod templum domini dixerit abolendum ac destruendum esse. Tumultu ad aulam prolato, concurritur ad seditionem, et post multa ultro citroque iactata,

absoluitur propheta demagogi Ahikam beneficio. Sylo scripsimus per *υ* magis in hoc, ut nomen augustius esset quam ut Graeci sic scribant: hi enim *η* habent. Est autem is locus in quo tabernaculum situm erat; ut in Regum historia habetur. Is autem locus cum tabernaculo post extructum templum, ita negligebatur, ut etiam in oblivionem veniret. Idem nisi redeant ad pietatis studia minatur templo. Hinc motus ac turbae.

Prehenderunt eum etc. et cunctus populus. Plebs ad seditiones propensa, his calcaribus a sacerdotibus excitatur. Vindicatio enim pietatis satis ampla causa tumultuandi illis videtur. Sic ante Pilatum tonant, Commovit populum etc. Et iterum, Sacerdotes autem persuaserunt plebi, ut Barrabam postularent. Hi ergo calcar vel hodie quibusdam infligunt, quibus cum non aliter aliquando peribunt, atque gens Iudaica cum suo sacerdotum collegio.

Reus est mortis homo iste. Ad verbum, Iudicium mortis est homini illi. Sed eadem nostris dicimus.

Dominus misit me ad prophetandum contra aedem istam. Haec satisfactio recipi ab omnibus debebat, si deum agnovissent, quemadmodum videri volebant. A domino enim missum esse, satis superque habet authoritatis et iuris, etiamsi totus mundus reclamet. Adde quod quae dominus nuntiare iubet, annuntianda sunt, etiamsi cunctis displiceant.

Facite mihi, quod vobis aequum et bonum videbitur. Magnus animus intrepide respondet: Ego minas mortis nihili facio: scio enim eam mihi irrogari vestra violentia posse, sed potior est deus cuius minister sum. Vos igitur pro vestra insania et furore (sic enim in malo accipit hic, aequum et bonum, טוב וישר) agite quicquid lubet! me minae loco non movebunt.

Reos facietis innoxii sanguinis. Hoc emphasim habet: quid enim atrocius, quam innoxium sanguinem fudisse? Verum quotus quisque principum hac tempestate, innoxium fudisse sanguinem tanti facit, quanti capum a vulpe captum?

Tunc dixerunt principes et omnis populus. En vulgi, iuxta poetam, ignobilis incertitudinem. Paulo ante ad supplicium deposcunt, quem nunc sua sententia liberant. Prius insaniebant, nunc recte sentiunt. At omnino sua culpa? minime, sacerdotum enim instantia caput prophetae petebant. An vero nunc sapiunt sua sponte? minime, sed principum beneficio. Cum igitur tam facile in diversa studia trahatur, quo supplicio credemus dignos esse, qui credulam turbam seducunt? Praesertim cum divina bonitas horum simplicitati tam fideliter prospiciat, ut bonis pastoribus ac prophetis ducatur et regatur; cum perfidis pastoribus sectionem sive discerptionem, quomodo rhedis Metius distractus est, comminetur? Istud in hoc diximus, quod et monarcharum quorundam saevitia Evangelio perduellionem doceri queritur, cum ipsi dudum, nisi perduelles contra ecclesiam dei facti essent, nunquam ad hanc immanitatem venisset tyrannis, neque eorum ipsorum, neque pontificum; et Catabaptistarum hypocrisis perditissimis quibusque liberationem debitorum, servitutum, ac legum omnium antiquationem polliceatur. Quorum utrique tam abest ut pastorum nomine digni sint, ut nullae Tigrides aut Lupi, miserae plebi possent contingere pernicio-

siores. Isti enim cum eos nihil miseret, non vident, se funem eousque tendere donec rumpatur, ut iam ipsorum saevitia omnium in se odium provocet, quod deinde seditio ac tumultus sequuntur. An enim novum est plebem nervis, aere alieno, ac virgis oppressum insurgere in magnates? Aut reguli isti vulgares superiores sunt republica Romana? Hi vero cum fortunas nescio quas promittunt oppressis ac laborantibus, non ex ore domini, quomodo Moses in Aegypto, sed e sua malitia loquentes, ut imprudentem turbam caedibus, incendiis, populationibusque obiectent. Fideliter ducendus est grex domini. Pastores ac prophetae patres sint ac duces, non praedones et seductores, et plebs quocunque ducetur ibit, modo ad sana ducatur. Omnis hic languor a capitibus descendit.

Zion sicut ager arabitur. Haec Micheae 3. habentur. Hic exemplum posuit. Hodie ne leges quidem audiuntur. Habent decreta pontificia, ut si quid divinarum literarum in controversiam venerit, aliis aliam sententiam earum defendentibus, recurri debeat ad sacra Biblia. Hoc si telo te hodie tueri pergas, tam audieris, quam si sine auro Romam venisses.

Fuit et alius constanter prophetans. Hoc exemplum adversus Ieremiam nimirum adducebatur. Adversariis urgentibus quod Ieremias non minus deberet occidi quam Urias quem Ioakim necavisset, ex Aegypto reductum. Varia enim in seditione iactantur: aliis necem intentantibus, aliis autem liberare obrutum satagentibus.

Et adduxerunt eum ad regem Ioiakim. Cum de capite boni viri agitur, iam non tuentur ius suum tyranni, nihil certatur de finibus, aut violata maiestate. At si cervum alter alteri e suis pomeriis confossum abstulerit, ad arma conclamatur. Deo vindici commendamus innoxium prophetarum, ac piorum hominum sanguinem, quem aliquot, nimirum Christiani, principes annis iam admodum multis effuderunt.

Et cadaver eius abiecit in vulgi sepulchrum. Vulgares sepulturas apud Hebraeos fuisse, in quas non humarentur prophetae, et hic et in Evangelio deprehenditur.

Auxilium tulit Ahikam. Hic boni viri officio functus est inter tot insanientes, ut prophetae opem oratione et studio suo ferret. Cuius ego virtutem maiorem iudico fuisse, quam hic celebretur. Audere enim inter tot violentos ac minaces vultus ac manus prodire ac defendere, id tandem constantis ac intrepidi animi fuit.

Haec in principio regni Ioiakim facta sunt. Ista temporis ratio in epilogo posita ad superiora pertinet. Utcunque divisores partiti sint capita. Quae enim sequuntur hoc planum faciunt. Et Rabini iterum in distinguendo falsi sunt.

EX CAPITE XXVII.

ARGUMENTUM EST, DOMINUM CONSTITUISSE universa regna Orientis Babylonicae monarchiae subdere. Et quo Prophetae, qui biennio reditum ac rerum restitutionem pollicebantur, mendaces sint.

Vincula et catenas et adcommoda collo tuo. Quid opus fuisset isto paradigmate sive ostento, num enim non satis erat monuisse verbo?

nisi quod eiuscemodi facta, sensuum plures, et idcirco etiam vehementius, movent ad recipiendum monita, quam dum unus tantum sensus movetur. Si Ieremias tantummodo praedicaret, solus auditus feriretur; cum vero ei, quod praedicat, simile ostentum visui exhibet, iam duo nobilissimi sensus percelluntur, et frangitur contumacia, oscitantiaque pellitur. Sic in coena domini, vehementius ducitur mens ad eius contemplationem quod agitur, dum externa symbola visui et gustui idem suadent, quod auribus praedicatio. Cum tamen haec omnia sint externa. Sola vero fides, quae domi sedet et regnat, horum virtutem recipit. Haec enim si desit, audire verbum, videre actionem, degustare symbolum, nihil quam risum movent: stultitia enim incredulis gentibus est Evangelium. At quomodo ista ad fidem perveniunt? an ipsam faciunt, an ad ipsam penetrant modo, ac fulciunt? Fidem, quae vere fides est, evidens scilicet ac constans certitudo sive plerophoria gratiae et amicitiae divinae, nemo nisi trahens pater dat: non possunt ergo externa ulla eam dare aut facere. An vero ad ipsam penetrent, dicimus sua virtute non penetrare, nisi quantum sensibilia quaeque ad animam mentemque penetrant. Idem de fulciendo sentimus, quod non aliter fulciant quam ea, quae amoventur ne impedimento sint. Corpus ac sensus animum degravant, et fidem procacius molestant. Eis igitur si quid huius quo mens spectat obiicias, iam otium sua agendi animo concedunt, non aliter quam canes anhelo ceruo respirandi copiam faciunt, dum in leporem incidentes ab incessendo temperant. Quantum autem ad divinum ingenium attinet, puta quod verbum quod praedicatur verbum dei est, symbolum quod porrigitur illius iussu dividitur, iam dicimus ea penetrare usque ad animum. Sed quo vehiculo aut duce? Fide. Quemadmodum enim diximus: fidem tolle, quae et verbum et symbola pro dei donis agnoscat, iam ut diximus iocus ac risus sunt, quae et praedicas et porrigis. Quomodo et praesenti loco videtur. Qui a propheta monentur atque ostento manuducuntur, cum a timore dei ac fide alieni essent, nihil potuit neque verbum neque factum verbo simile. Constat igitur quod quaecunque symbolis tribuuntur, fidei sint principaliter, sed iusta et aequa ratione tribuantur, cum quod pars sacramenti sunt, quamvis inferior utpote externa (constat enim ex spirituali re et corporali sacramentum); tum quod idem significant sensibus quod spiritus menti, quo infestum spiritui corpus compescant, et obsequiosum reddant ad id, quod mens agit. Unde nemo tam rudis est, quem huiusmodi ὑπερογαὶ offendant, Christi verum corpus in coena; vere etiam editur, cum panis ac vinum praebentur. Verum enim corpus non falsum adsumpsit: vere edit mens fidelis, cum non simulate recipit Christum, cum vere fidit Christo. Sed vide an non haec omnia cum symbolis dicantur, non tamen virtute symbolorum, sed spiritus ac fidei operatione fiant? Ut alloeoseos virtute symbolis tribuatur alteri sacramenti parti, quod fidei solius (dummodo rem ad vivum resecare volumus) esse cognoscitur. Verum ergo corpus cum edi dicitur, illud verum corpus quod coelo illatum est intelligimus: sed illud ipsum non naturaliter, hoc est, quemadmodum ipsum naturale est etiam naturaliter a nobis editur; sed spiritualiter hic edimus quod isthic naturaliter est. Ut sic a simplicitate

et ingenuitate decidamus, cum ad hunc modum dicimus: Verum Christi corpus vere in coena editur. Nam simplicibus his verbis imponimus, nisi μετάθεσιν, hoc est, variationem vocum simul exponamus. Non enim eodem modo accipimus, Verum et vere. Fallimus ergo καὶ παραλογιζομεθα. Quia cum dicimus: Christi verum corpus editur in coena, iam sic intelligit pia mens: Christi corpus quod verum corpus et naturale est, spiritualiter editur, hoc est, pia mens inconcusse fidit benignitate dei: quoniam filius eius veram ac naturalem hominis facturam adsumpsit, eamque in perpetuum servat etc. Id quod mentem certam reddit divinae bonitatis. Ut sic, Verum, ad corpus spectet principaliter non ad verbum edendi, hoc modo: Christi corpus quod ille verum adsumsit et servat, editur in coena, sed spiritualiter, hoc est, creditur: hic enim edere est credere. Non quasi negemus verum edi, sed non editur quod ipsum apud se naturale est, naturaliter a nobis. Cum autem edendi verbo addidimus, vere, et dicimus Vere editur, iam iure deberemus per hanc vocem Vere intelligere naturaliter, virtute paragmeni. Cum enim, Verum, in hac oratione, Christi verum corpus editur in coena, naturale significet corpus, hoc modo, corpus Christi quod plane humanum ac naturale est. Iam et, vere, adverbium debet nominis qualitatem, unde deductum est significare, ut, Vere editur, perinde polleat ac, naturaliter, humaniter et corporaliter editur. Haec quidem esset sermonis proprietas. Cum autem, Vere, huc intendimus, ut fidei integritatem de corpore coelo sedente significet, iam nihil aliud dicimus quam, Verum Christi corpus vera fide editur: ea enim fidit per hoc incunctanter deo, quod ille hominem adsumpsit etc. ut patuit. Sic cum dicitur, Christus vere dedit carnem suam ad edendum Si vere accipias sicut Edere, iam erit sensus: Christus in hoc tradidit se ipsum, ut se fidamus, Edere enim est credere. Si autem Vere ad carnem referas, et caro tibi naturalem carnem, et naturaliter comestam significet, iam παραλογίζῃ. Non sumus igitur, ut diximus, tam rudes, ut ab huiusmodi sermonibus abhorreamus. Sed ab his abhorremus, qui putant veritatem aut prodi aut defendi nostra loquacitate. Quid enim veritas ipsa patitur, si ego hunc sermonem, Corpus Christi verum vere editur, admitto, dummodo sic intelligo, Verum Christi corpus, quod in uno loco esse oportet (ut Augustini verbis utar): Verum enim est corpus, vere, hoc est, vera fide, quod scilicet ille verum pro me adsumpserit ac coelo intulerit, editur spiritu, mente, animo? hoc est, illo fiditur. Quantumvis me circumscribere lubricus adversarius tentet, quasi admiserim, naturale corpus Christi in hac voce Vere, naturaliter ac corporaliter edi. Nam etsi admisero, non protinus editur corpus Christi naturaliter. Nobis igitur quaestio incidit de huiusmodi sermonibus, an figurati ac tropici sint, an vero naturales. Cum ergo tropicos esse nemo neget, iam qui tropum aperire ac ad planum sermonem redigere vult, non debet hoc alio tropo facere, nisi ille sit notior ignoto, sed planis ac naturalibus verbis exponere, quod prius in tropo abstrusum erat. Haec isto loco de sacramentis et signis sive ostentis, quo magis gratam redderemus veritatem eius candidatis, attulimus. Ut si qua fieri queat minus furant aliqui, dum scilicet

agnoscere coguntur, rei veritatem non constare nostra argumentatione, sed argumentationem a re ipsa et vera proficisci. Catena certe ad tempus e ligno confecta nihil aliud volebat quam sermo simul habitus: sed illa velut mutus orator, rem non tantum auribus, sed etiam oculis velut praesentem reddebat. Sic et sacramenta, sensus quoque intentos ad hoc, quod animus agit, faciunt, ut totus homo gratias agat ac divinam liberalitatem celebret.

Id autem per legatos qui venerunt Ierusalem ad Zedekiam regem Iuda. Hic fit manifestum quod quae ad initium huius capitis posita sunt, ad superiorem historiam pertineant. Nam tumultus ille, ut est ab initio vigesimi sexti capitis videre, ab exordio regni Ioakim factus est. Quae autem hic scribuntur, quarto fere anno, ut ex sequentibus coniectamus, Zedekiae.

Et tradidi eam ei, qui mihi placuit. Est haec sententia maiestatis plena, sed quae difficillimas quaestiones tanquam bipennis dissolvat. Quoties enim quaeritur, cur optimi possessionibus aut regnis pellantur, hinc prompta petitur responsio. Tellus et universa quae in ea sunt domini sunt. Locare igitur potest, citra cuiusquam reprehensionem, cui volet. Tum placebat Chaldaeus, ut rerum summa frueretur.

Bestias agri quoque illi dabo etc. αὔξησις est dilatatio: non tantum homines, sed omnia, bestias quoque illi dabo.

Cur moraremini. Moreremini ex תמותו est legendum: operarum haec est negligentia.

Atque iterum dico. Totum hoc ex Vaf est: eo quod antea idem de pseudoprophetis monuerit.

Veri vates videri volunt. Veros vates ex prophetis fecimus, quod prophetae hoc loco κατ' ἔμφασιν pro veris tantum sint accepti.

Cum omni magistratu Iuda. Ex סרים, quos plerique nobiles vertunt, magistratum fecimus, ne quis crederet, hoc nobilium genus etiam apud Hebraeos fuisse, quod ex rapto vivit.

EX CAPITE XXVIII.

Usuvenerat enim anno quarto etc. Initium huius capitis apud Hebraeos in haec ferme verba habet: Factum est anno isto in exordio regni Zedekiae regis Iuda in anno quarto etc. Quae quidem verba cum LXX. non habeant (sive quod in exemplar castigatius inciderint, sive quod amputaverint, quae a sciolo quopiam olfecerint adsuta esse) sed ad hunc modum verterint: Et factum est in quarto anno regni Zedekiae regis Iuda etc. jam eos secuti sumus. Nisi quis malit dicere, et hunc esse epilogum, qui tempus superiorum proxime gestorum colligat. Sed hoc ne sequeremur, cum verba ipsa, tum multa, quae sequuntur, dehortata sunt: quamvis fortasse non adeo fortia sint, ut iam dictam sententiam de epilogo possint refellere. Visum est autem nobis istud velut exemplum adduci, quo pateat fuisse primi nominis, qui prophetiam vanis vaticiniis ac promissionibus adulterarent. Quomodo isto saeculo Catabaptistae in horam aliquid vel minantur vel spondent.

Ego contrivi iugum regis Babyloniae. Hic forsan congruebat praeteritum tempus relinquere. Ut nasum habeat impostoris audacia,

qui tanquam verus propheta esset, dicebat: Iam a domino constitutum esse, ut Babylonii potentia frangeretur. Perinde hodie facit Catabaptistarum lues: si quisquam veterum prophetarum constantius quid aut horribilius comminatus est, idem verbum temerario ore polluunt, et in eos torquent, qui non patiuntur impune stultitiam et malitiam ipsorum abire. Fuerunt ante annos quinque qui apud nos per forum exclamarent Ionae facti: Adhuc quadraginta dies et Tigurum subvertetur, id autem vultu truculento, veste sordida, voce tamen adeo aspera, ut iram et amaritudinem deprehenderes, non miserationem. Alii eadem impudentia clamabant, Vae tibi Tigurum. Alii, Si in viridi hoc faciunt, in arido quid fiet? Sed quis omnia illorum commenta, impudentiam, audaciamque commemoret?

Iugum enim regis Babyloniae confringam. Iam in futurum tempus hac causa verti, ut videatur velut expositio esse prophetalis moris; qui in praeterito suo loco loquitur.

Et praestet eam etc. Hebraei habent, Et erigat vel excitet. Sic enim utuntur standi vel surgendi verbo.

Et abibat Ieremias ad sua. Cessit hic propheta furori et impudentiae. Sed mox revocat eum dominus: non enim patitur perpetuo regnare mendacium.

Sed reficies pro eis ferreas. Vide quae gratia sermonis. Ut rumpendi verbo per antithesim reficiendi opponeret, reficere dixit (non enim habent composita verba Hebraei) pro experiri. Tu ligneam catenam de collo meo discerpsisti, sed in tuo ferream feres ac experieris.

Ecce ego mittam te, sed e terra. Lepida metathesis. Prius dixerat, dominus non misit te. Nunc eodem verbo utitur, sed in malo: Non es missus ad prophetandum, sed mitteris ad pereundum.

Quia perfidiose locutus es. סרה, perduellio vel defectio est proprie.

Mortuus est Hananias. Vulgaris res est mori: nam vivere nulli datur sine moriendi exceptione. At nihilominus cogit divina providentia quosdam sic fato fungi, ut exemplum fiant, ea quoque re, quam omnes obire coguntur. Sic et aliis in rebus, quae fortuitae nobis videntur, sic agit providentia, ut ex eis exemplum capiatur.

EX CAPITE XXIX.

Hoc est exemplum. Hebraei habent דברי verba. Sed ea, sententiam, mentem etc. quae iam saepe diximus, significant. Argumentum huius historiae est: Falsi vates inter captivos orti erant, qui reditum promitterent intra biennium. Hos confutat.

Epistola in quam. Lege inquam etc. At hoc totum e nostro est: refricare enim subiectum, de quo fit sermo necesse visum est, post tantum *ὑπέρβατον*.

In qua tenemini captivi. Ad verbum est, Ad quam vos captivos duxi. Sed sensus ac sermo noster planiores sunt.

Quoniam cum pace eius. Cum salute eius urbis vestra salus coniuncta est. Hinc hausit Apostolus quod Timotheo priore Epistola scribit cap. 2.

Pro mea bonitate. Verbum meum bonum, est ad verbum: sed pro, meum consilium benignum ac mite.

Ego enim scio consilia mea. Hoc est, non sum immemor, aut non excidit mihi, quidnam boni de vobis constituerim.

Ut dem vobis alia et denuo bene speretis. Sexcenties monuimus nos puncta vocalia Rabinorum dissimulare, quod et hic fecimus, et sensum dilucidiorem quam ipsi habent reddidimus.

Si modo quaeratis me in toto corde vestro. Sic praedixerat per Mosen dominus, quod si non parerent legi, in captivitatem abducerentur, ut in terra hostili et miseria resipiscerent, qui rebus salvis nescirent pie vivere; sed cum in captivitate poeniteret eos admissorum, ut ad dominum pro ope et liberatione clamarent ex toto corde, miserturum eorum. Huc ergo spectat propheta.

In Babylone prophetas vobis excitavisse. Sic errantes ac seducti gratulabantur sibi de prophetis, quos a domino ad se missos credebant, ut eius rei fama retro in patriam penetraret. Nec mirum quod pseudoprophetis temere credebant: nam facile credimus, quae votis omnibus optamus.

Super rege ipso qui sedet in solio David. Loquitur de Zedekia qui nondum captus erat.

Sed non paruerunt. Paruistis est ad verbum. At nos personae mutatae salebram sustulimus.

Super Ahab filio Coliae, et super Zedekia. Nominatim comminatur istis duobus, et Semeiae, de quo postea, tanquam his qui falsa prophetarent ac vana promitterent.

Quod stulte peccavissent in Israël. Stultitiam supremum esse malorum omnium, in Paradoxis Tullius disputat. Sic et Hebraeis stultitia in loco summum scelus significat. Ut hic: Cum proximorum uxores vitiarent, hoc scelere contenti non sunt, nisi mendaciter seduxissent plebem, ut crederet se brevi redituram, ac subinde contumacius ac segnius omnia ageret, ad seditionem spectaret ac rebellionem, quo regis in se animum exasperabant, ut bis miseri fierent, captivitatis incommodo, et regis indignatione.

Pro Iehoiada sacerdote. Zephanias ille an successor fuerit Ioiadae, an vero in loco integri illius Ioiadae, qui Ioan regem a teneris educaverat, sedere dicatur, quo magis ad strenue gerendum rem exemplo tanti viri sollicitaretur, non satis video. Hoc planum est Semeiam summa ope annisum esse, ut Zephaniam, ut adparet, non pessimum virum, in Ieremiam irritaret.

Ut magisterio fungaris. Hebraei habent פְּקֻדִים plurali numero. Quae vox omne genus magistratus ac sublimitatis significat. Inquisitores adparet fuisse in falsos prophetas: quomodo hodie sunt inquisitores haereticae pravitatis, et omnino eodem modo.

Fatidico furore correptum. Arreptitium eleganter, quod ad vocem attinet, vertit Hieronymus. LXX. *μαινόμενον* videntur transtulisse, ex horum sententia hanc paraphrasim traduximus.

Quin et super ista. Hic videmus quid Hebraeis haec locutio כִּי עַל כֵּן significet.

Diuturnam fore captivitatem. ארכה היא, id est, longa futura sit הגלה scilicet, hoc est captivitas.

Et ut aedificemus domos ad habitandum. Monet divinus propheta, ut rei domesticae operam dent, id autem non ad avaritiam, sed vitae honestatem. At Catabaptistae, non satis habent, dum instar Ahab et Zedekiae, hospitum uxores et filias stuprarunt, nisi ad hanc insaniam adegerint, ut missis laribus ac liberis per nemora, pecorum ritu, oberrent.

Nuntia et scribe. Satis fecisset, Nuntia, ex שלח, id est, mitte. Sed cum utrunque in exemplari posuerim, et scribe, non obliteraverim, mea negligentia utrunque locum obtinuit. Tu vero lege, Nuntia toti captivitati etc.

EX CAPITE XXX.

Conscribe omnes sermones etc. Summa huius sermonis haec est: In captivitatem primum omnes post miserandam cladem abituros; sed redituros cum multo foenore, ac feliciores fore, quam unquam fuerint. Davidem enim dei res ipsorum moderaturum. Quae tamen omnia, meo iudicio, irrefragabile vaticinium sunt de adventu Christi, et gentium vocatione.

Et formidinem rerum turbatarum. Aut spectrum hoc est, aut rhetorica, cataplexis, qua ante oculos ponat speciem turbatarum rerum, quo magis percutiat ac terreat auditorum animos, unde et κατάπληξις dicta est, a deiiciendo, consternando, et concutiendo. Quod autem ad verborum expeditionem pertinet, sic habent Hebraica: Pavor et non est pax, hoc est, pavore sic omnia consternata video, ut nihil sit salvum sive intrepidum. Mihi videtur cataplexis esse, qua per hypotyposim proponat turbatarum rerum faciem.

Quid enim aliud protendit quod video? Hic mutatus ordo lucis aliquantum secum adfert, sensui nihil defit. Quod autem dicit video, nihil vetat quo minus sit κατάπληξις. Sic enim et rhetores videre se perhibent, quod vere futurum adseverant. Videre mihi iam nunc videor, aut aliquo huiuscemodi modo.

Lumbis impingere. Hoc signum est doloris ingravescentis, cum lumbis manus impingunt parturientes. Cum autem summam comminetur moestitiam civibus suis, dicit se iam videre, ut parturientium ritu doleant. Hoc enim velut symbolo dolorem circumscribit.

In auruginem deformati sunt. ἰκτερον verterunt LXX. ex ירקון, hoc est, ex virore auruginem: qui color est morbi regii, et herbarum, graminum, ac foliorum, cum carbunculo perierunt. Praedicit autem famis et pavoris vim, quae omnium sit vultus pervasura ac deformatura.

De qua tamen liberabitur. Constat et hic aperte, Rabinos perperam distinxisse, cum haec verba ad superiorem periodum diviserunt. Incipit enim iam promittere liberationem.

Iugum eius de collo tuo. Hic Eius emphasim habet, significat enim Babylonis tyrannum.

Et David regi suo, quem eis excitabo. Quando quaeso rece-

perunt hunc Davidem Iudaei? nisi cum orbis Christum dominum recepit, de sanguine David secundum carnem cretum.

Condoleo contritioni tuae, et languori vulneris tui. אנוש, ex quo Condoleo vertimus, ex נוש est, quae vox languorem ac dolorem significat. Nam Septuaginta alicubi in *πόσον* verterunt, et א, primae personae futuri nota est. נחלה vero non est primitiva vox sed derivata: ה enim est haeemanthi, hoc est, derivati nominis nota, חול enim aegritudinem *καὶ μαλαχίαν* significat: quam Septuaginta hoc loco in *ἀλγηρὸν* verterunt. Ut hic sit sensus: Castigabo te, non supra modum, sed cum iudicio quomodo pater filium. Ego enim condoleo isti contritioni et aegritudini tuae; sed haec requirit iustitia.

Nemo est qui iudicet causam tuam. Nemo qui culpam tollat, nemo qui mulctam, sensus est. Aut: nemo est, qui te in viam poenitentiae reducat, et subinde adflictionem avertat.

Omnes amatores tui obliti sunt tui. Iterum refricat comparationem adulterae, quam amatores repudiant, specie lapsam. Dii enim et ea studia, quae sectati erant, avertere iram domini nequibant.

Omnes qui te devorant, devorabuntur. Isto probat se illos amare, quod eos, quibus Iudam corripit, adflicturus sit; at scelera omnino requirere correctionem.

Et eam, quam nemo curat. Curet lege, non curat: sic enim vertimus.

Ecce ego restituam tabernacula Iacob. Tabernacula Iacob, magnifica nimirum periphrasis est gentis Hebraicae. Sic enim Balaamus dicebat, Quam pulchra tabernacula tua Iacob? Ab hoc praeconio adparet perpetuam esse factam periphrasim Israëlis.

Civitas aedificabitur in locum pristinum. Pristinum traduximus ex תלח, e qua voce *κατὰ συναίρεσιν* puto ח sublatam, et positum esse תלה pro תחלה. Nam ut superius quoque attigimus, adparet ח aeque nonnunquam excidere atque ה, ut et in Isaia diximus. Porro quis hic non videt prophetae verba tam augusta esse, ut anagogen prae se ferant? Quae enim est Ierusalem tam ampla dives ac multa, nisi ea quae coelo descendit, hoc est, gentium ac populorum omnium ecclesia, quae uno spiritu in unam civitatem coit. Ea enim sola recte fundata est super petram. Ea laetatur et laudem sublata pectoris voce canit.

Et ecclesia eorum coram me crescet. Iudaeorum ecclesia in paucissimos redacta est. Quae ergo crevit? Christi. En ut certis notis deprehendimus anagogam esse quod dicitur. Utuntur autem parandi et aedificandi verbis pro augescendi et crescendi. Quod si quis mordicus teneat Permanendi verbum, quo Hieronymus est usus, nihil decedit nostrae sententiae.

Et princeps eius de medio eius egrediatur. Hic forte, de medio, locutio est: at cum visa sit paulo significantius intenta esse in Christi humanitatem, reliquimus. Quod autem ad rem ipsam pertinet, nequeunt Iudaei hunc locum diluere quo minus de Christo domino, vero filio David secundum carnem, intelligatur.

Hunc mihi sociabo. Dicere audeo, quod ipsa hypostaseos unio hic praesagiatur: sic enim humana natura adsumpta est, ut ad divinam, in unam sit hypostasim recepta.

Et ipse accedet mihi. Quid, an non hic sublimatio humanae naturae praecinitur? De quo enim prophetarum aut patrum quisquam sic locutus est?

Quis enim despondet cor suum, ut mihi accedat? Haec interrogatio primum negat neminem ex integro despondere cor suum deo: quod ad omnes ex Adam prognatos pertinere non ambigo. Secundo insinuat hunc solum, cordis desponsione tota, totum deo accessurum, hoc est, divinum sive deificatum hominem futurum, hoc est deo unitum, ut iam diximus.

Furor domini sicut turbo egredietur. Haec priusquam Christus venturus sit, minatur. Spectat autem ad turbinem captivitatis Babylonicae.

Quam posteris tandem temporibus intelligetis. Fateri cogimur Christi adventum non vulgo sic fuisse cognitum, atque nunc est cum venit. Quae enim futura praedicuntur, tametsi absoluta fides non minus firma teneat atque ea quae iam facta sunt, attamen praeterita, sensus quoque fateri cogunt vera esse, quod futura non possunt, sensus scilicet cogere. Unde, ut hoc obiter refricem, In Eucharistia reliquisque sacramentis, propter sensus sensibilia adhibentur. Hinc est, ut Christi inhumanationem, quam languidius et intelligebant et credebant vulgo (is enim fere sensu constat aut deficit), futuris temporibus luculentissime intellecturos promittat.

Ero deus omnium cognationum Israëlis. Et haec quis non videt Anagogen esse? Israëlis enim carnalis hodie non deus posset dici, cum exul tot saeculis neque prophetam neque regem neque ducem habens ἐπιπολάζει—in mundo et miser oberrat. Sunt igitur omnes omnium gentium nationes ac populi cognatio Israëlis.

EX CAPITE XXXI.

Sic et nunc de longinquo sese manifestabit mihi dominus. Diximus in Isaia de more comparandi et adsimilandi Hebraeorum. Est igitur ex eis speciebus, hanc isto loco deprehendere, ubi comparatio fit, ut neque ad comparans neque ad comparatum ulla nota adhibeatur. Cum enim sic dicitur: Populus olim ingentes clades per desertum expertus, ad requiem pervenit. De longinquo adparebit mihi dominus: quid aliud debeamus intelligere, quam: sicut olim populus per tot discrimina pervenit ad possessionem et quietem promissae terrae: sic et nunc fiet, ut post septuaginta annorum incommoda patriae restituamur. Est enim confirmatio promissionis de reditu factae. Et hoc totum caput ad eundem sermonem pertinet, qui antecessit.

Et dicet. De nostro est, quo planior fieret personae mutatio. Inducitur enim dominus loquens, cum in sua persona prius sit propheta locutus.

Iterum sumes tympana tua. תָּעַדִי, Hieron. vertit Ornaberis. Septuaginta vero λήψει, id est, accipies, utrique probe: nam sumere

tympanum hilare et ornamentum erat puellis. Significat igitur Hebraicus sermo, hoc fere, laeta tympano ornaberis, hoc est, cum gaudio accipies tympanum.

Clamabunt custodes. Custodes vinearum intelligo. Postquam enim ingressus est propheta amplificare reditum, et restituti populi felicitatem agrorum vinearumque cultu magnificare, iam qui vinearum sunt custodes et excubitores, facit praecones et viatores, qui ad solennitates domini invitent et convocent. Frequentiores autem pace quam bello erant in panegyribus. Describit ergo felix otium, frequentatione solennitatum.

Vociferate ad caput gentium. Caput gentium credo accipi pro eius itineris exordio et carcere, a quo itur ad gentes. Ut vociferari ad caput gentium dictum sit, pro, praedicare ad gentes. Ut iam vocationis gentium promissionem ordiatur: quae in hoc capite, veluti per expositionem superius et obscurius dictorum, palam praedicatur.

Cum caecis et claudis, praegnante et foeta. Haec gentes promiscuas significant, etiamsi Iudaeos quoque: sed illas anagogice, ut magis ac magis patebit; hos autem ἱστορικῶς.

Eritque ecclesia magna huc redeuntium. Hic magnus coetus nunquam rediit ex captivitate: constat enim in Ezra quam contractus numerus redeuntium fuerit, si eis conferas qui captivi erant abducti. Sed gentium comitatu, quae Christum secutae sunt, Israëlis coetus immensus est factus.

Iuxta aquarum flumina deducam eos. Iuxta quod flumen ducti sunt Hebraei? Transmittenda erant eis flumina, non secundo aut adverso itinere, aut naviganda aut obambulanda. Est igitur vel proverbialis sermo, Iuxta flumina deducere, pro certo itinere ac infallibili ducere; vel allegoria, quae quid aliud significare potest, quam gentes ad aquas salutares coelestis sapientiae ducendas esse?

Audite gentes. In quem usum audient gentes? Annon credunt verbo domini? Sed audire debent quos audisse refert. Auscultare ergo gentes cum iubentur, nimirum ea dicentur, quae eis profutura sunt. Prodest autem eis Israëlem redire dum comites se sociant.

Rahelis filios suos deplorantis. Rahel hic pro decem tribubus accipitur: eo quod avia Ephraim fuit.

Ad coelum usque pervenit. Hyperbolam, Ad coelum ex ברמה, id est, ad excelsum vel altum, traduximus κατ' ὑπερβολήν.

Prohibe vocem tuam a fletu. Rursus consolatur Israëlem.

Erit enim merces labori tuo. Adparet proverbialem fuisse sermonem pro: laeta reddentur pro tristibus: qui enim operantur, spe mercedis leniunt onus.

Ipsum Ephraim plane audivi. Adfingit propheta Israëlitis planctum et luctum, quo pertinaciam suam querantur, et ad obtemperandum offerant.

Converte me et convertar. Certum est ad deum neminem redire, quam quem ille ad se traxerit. Orant igitur, ut dignetur eos trahere.

Percutiam femur meum. Poenitentium ac moerentium est, manus femori infligere.

Equidem pudenda et ignominiosa admisi. Haec verba בשתי et נכלמתי vehementiorem actionem continent quam, erubui et puduit me. Unde et eam actionem expressimus.

Sed fero opprobria iuventutis meae. Iuvenis stulta non pauca commisi, eorum nunc opprobriosam mulctam fero. Et alius quoque sensus hic latet. Iuventus tulit haec mihi opprobria, hoc est, per ignorantiam et stultitiam peccavi.

Ad hanc querimoniam sic mecum reputavi. Hactenus Ephraim locutus est, nunc autem loquitur dominus. Exprimenda igitur persona fuit.

Nonne natus meus delicatulus? Natus delectationum est Hebraeis: sed eo schematismo quo dicunt, Vir misericordiarum, pro, vir misericors, et caetera huiuscemodi sexcenta. Cum ergo blandiatur ἠθολογικῶς, id est, eo more quo pueris blandiri solent homines, dei sermo, cumque ad eam teneritudinem Ephraim spectet, qua erat cum Iacob ipsum fratri Manasse anteponebat, sic visum est diminutivis blandiendum esse apud Latinos.

Adhibe tibi praeceptores. Amaricatores esset ad verbum: sed cum videantur pro correctoribus aut coactoribus poni, praeceptores vertimus. Hortatur autem totam gentem Israël, ut in viam redeat.

Novam enim rem faciet dominus in terra. Novum non est si foemina virum amplectatur. At cum novum facturum dicat dominus, credendum est eius promisso.

Foemina circundabit virum. Proverbium hoc esse nemo negat: at quid significet, nec ipse promitto, conabor tamen. Trahunt Theologi hoc testimonium ad inhumanationem Christi. Foemina circundabit, hoc est, concipiet virum. Quod foeminam virginem faciunt, generis est non constitutionis. Et hac in re me nunquam habebunt adversarium quidem; sed an hoc isto loco dicatur, id vero non puto prima fronte quantum in recessu videri posse. Sed nostram sententiam prodamus tandem. Foemina circundabit virum, Proverbialis nobis videtur esse sermo, pro eo quod est summa fiet atque arctissima coniunctio Israëlis veri scilicet, qui erit foemina, et viri, hoc est, הבעל mariti, dei. Quasi dicat: Quid multa de reconciliatione dicam? sicut uxor maritum suum tenet, sic tenebit Israël dominum deum suum. Nunc autem quaeritur protinus, quando Israël sic tenuerit dominum? Quod si dicat, Equidem illum teneo, sed ille me aversatur: tantum enim fere potest Iudaeorum argumentatio, cum dicunt, religionem suam unius esse ac summi dei; Christum non posse recipi, quoniam deus esse nequeat: nam si deus esset, ab aeterno fuisset Christus. Sed ad eorum responsionem redeo: Nos unum ac solum deum creatorem ac moderatorem rerum omnium observamus, et eius uxor sumus, inquiunt. Cur ergo ille non est maritus, inquam, vester? Si esse dicitis, cur fidem vobis coniugalem non servat? Vos ei adhaeretis, ille vos spernit. Perfidus ergo invenitur, cum fidem fide non rependit. Si vos eius fideles, si domestici, si coniugali vinculo adstricti illum suspicitis, et ille vos ex alto despicit: iam fieret, ut perfidiae notam non posset abolere deus, qui per tot aerumnas sese observantes, non iuvaret, amplecteretur, ac beatos redderet. Id autem omne cum absurdissimum sit (Quis enim

numen tam crudele ac severum credat esse, ut eorum qui ipsum religiosissime observant, rationem nullam habere dignetur? Aut literae sacrae, divinaeque promissiones non diversum pollicentur? Est ergo Israël uxor, quae dominum amplectitur; sed cum carnalis Israël non sit ea uxor, non enim a marito domino agnoscitur, constat hanc carnalem propter veneficium esse repudiatam, et veram Rachel sive Israël, hoc est, fideles per orbem universum dispersos, dominum amplexos et uxorem factos esse. Et illum vicissim uxorem sic alloqui: Veni soror ac sponsa mea etc. In hoc enim universae repulsiones ac repudia velut digito intendunt: Lea caecutit, Rahel hilari ac sagaci vultu est. Posthabetur Ismaël, Esau, Ruben. Praefertur Isaac, Iacob, Iudas etc. Quando ista omnia commemorem? Sed ut verba finiam (res enim gnavis sufficienter est insinuata sanctis): novum hoc quod promisit dominus facturum super terram, tunc factum est, cum ecclesia vera uxor Christi, verusque Israël, per totum orbem amplexa est Christum. Ut sic foemina non tam deiparam virginem atque foecundam ex gentibus ecclesiam significet, quamvis per illam sponsus in lucem sit effusus, cum et ipsa eum circumdederit, hoc est, conceperit ac pepererit, sed hoc aliis in locis aliisque, secundum hunc nostrum, vatibus praedictum est, ut ob hanc rem non sit vis inferenda huic loco. Diximus igitur in fronte non videri hanc sententiam: foemina, id est, virgo, circumdabit, id est, concipiet ac mater fiet viri, hoc est, Christi etc. Nam ad hanc speciem et modum generationis Christi de virgine, non spectavit propheta principaliter hoc loco, sed in recessu inquam deprehendi hanc sententiam. Id iam patere arbitror. Cum enim constet Israëlem, non carnalem, sed fidelem, hanc esse uxorem, quae deum velut maritum sit amplexa, et carnalem hanc esse nequire propter indignationem, iram, atque repudium, in quo etiamnunc sordet: et ille fidelis Israël non sit alius quam hi qui Christo fidunt, Et Christus ille, quo fidunt, secundum carnem ex Maria virgine prognatus sit: iam inquam, in ultimo recessu et hoc investigatur, quod ea amplexio qua foemina, ecclesia scilicet, sponsum Christum amplectitur, etiam deiparam virginem in theatrum inducat. Cum enim Christus de virgine natus maritus est, iuxta Apostoli verbum, eius foeminae, iam et ipsa sponsi mater in pompa comes est; at non ipsa sponsa, sed sponsi mater.

Benedicat te mons sancte dominus, decorus iustitiae sponsus. Hoc dici puto; futurum esse, ut cum Dominus non tantum carnalem Israëlem, sed etiam fidelem ex Mesopotamia, hoc est, gentibus adductum, ecclesiae suae sociaverit, tunc bene precaturos esse Zioni: Benefaciat ac faveat tibi o vere Zion Dominus, ille decorus iustitiae, hoc est, decorus et iustus, schematismo Hebraico, sive, decorus sponsus iustitiae, ut in decoro sit emphasis, pro, decorus sponsus. Sicut prisca Helvetiorum lingua in nuptiis, Der hüpſch vel der ſchön, hoc est, pulcher vel decorus, sponsum significabat.

Aeque pastores et agricolae. Quis hic negabit allegoriam esse de ecclesiae ex gentibus accessione? Quorsum enim attinebat praedicere, quod pastores et agricolae essent in Ierusalem habitaturi? Quis enim ignorat in urbium pomeriis ac suburbanis et hoc genus habitare?

Sed agricolae sunt ac pastores, qui foris ac longinqui aliquando fuerant, nunc autem propinqui, cives, et cor coelestis Ierusalem facti sunt.

Et omnem imbecillem implebo. An non et ista universalis sententia videtur?

Et consideravi. Est ex וְאֵרֶא, id est, et vidi, sive, contemplatus sum.

Tanquam ab amoeno somno evigilassem. Comparationis nota linguae proprietate omissa est. Idcirco eam Latinis addidimus. Dicit autem propheta se dei promissis erectum ac restitutum, quibus promisit liberationem ac reditum, qui captivitatem antea comminabatur: amplificam enim gentium accessionem, sarturam esse captivitatis damnum atque miseriam.

Ut seminem domum Israël et Iuda hominibus et iumentis. Iumenta credimus ἀλληγορικῶς gentes significare: his enim seminatae sunt ambae domus, quae tamen una sunt. Noluimus autem dicere, Semine hominum et semine iumentorum, ne quid sequeretur incommodi.

Ita mihi curae sit ad aedificandum et plantandum eos. Ubi quaeso creverunt, quos sic plantavit? Non hercle in Palaestina, non in carnali Israël, sed in ecclesia per orbem diffusa: hunc verum Iuda verumque Israël plantat.

Patres comederunt uvam acerbam, et dentes filiorum obstupescunt. Proverbio isto soliti sunt uti quoties per indignationem quererentur filios puniri, cum patres idem designantes impuniti evaserint. Puta, Cum in captivitatem praesentes abducerentur, non tamen soli praesentes sic dominum irritaverant, sed patres eorum vitia velut per manus illis tradiderant: dicebant, eis tam absurda contingere, ac si quis diceret filii dentes stupere et acescere, cum non ipse sed pater eius uvam immaturam commanducasset. Negat igitur posthac aliquid huiusmodi usuventurum. Non quasi deus non sit usque ad ultima ignoturus, omnibus etiam gentibus. Sed Israëliticae genti hoc negat ultra usuventurum. Et sic factum est. Nam propter Christum sua, non maiorum suorum perfidia et audacia crucifixum, patria pulsi et captivi facti sunt. Nec qui hodie superstites manent maiorum suorum peccatum sibi queri possunt imputari. Eadem enim perfidia et crudelitate laborant, qua hi, qui suo furore Christum cruci adfixerunt. Sua ergo non maiorum culpa pereunt. Est igitur minax verbum. Questi estis quomodo dentes vestri obstupescant: dispeream si unquam istud iure dicturi sitis. Efficiam enim, ut vestra obstinatione ac perfidia usque ad mundi consummationem pereatis.

Et ego severius animadverti in eos. Ex בעלתי est, quod praefui, rexi, superior fui, dominatus sum, significat; sed quomodo maritus uxori imperat, corrigit, ac punit, prout res postulat. Non admoneo, neque isto neque aliis locis, ubi sermo tam planus est, lectorem, ut ad verba prophetae animum intendat. Quis enim tam supinus est, ut non admiretur, et veritatem secum reputet, cum dicit: Feriam vobiscum foedus novum, non tale quale olim cum patribus vestris pepigi? Quis inquam non videt eum promittere, quod tetricam legis frontem ablaturus et hilarem Christi sui vultum ostensurus sit? cum et Apostolus hinc Hebraeis scribens testimonium decerpserit, ad repudiatae

vetustatis adseverationem, et gratiae in Christo donatae confirmationem.

Et in cor eorum scribam eam etc. Viscera pro vitalibus visceribus atque intellectualibus accipi Hebraeis, non est cur moneam. In cor autem scribere oppositio est, quasi dicat: ego non in tabulas lapideas, sed in cor scribam. Cor enim fidei sedes est ac organum.

Ita ut non doceat quis proximum suum. Hic non tollitur doctrinae beneficium, quomodo Catabaptistae ganniunt, sed hyperocha est: Cognitionem dei vulgarem fore: deum enim docturum et illustraturum mentes, ut sciant dei filium in hoc descendisse, ut nobis sociaretur, et nobis comitatus aeternam haereditatem adiret.

Et peccata eorum non recordabor amplius. Oblivio et gratia peccatorum dei liberalitate promittitur, non sacrificiis aut operibus. His enim si vera spiritus expiatio potuisset contingere, iam frustra Christus esset mortuus. Et rursus si non esset necessaria expiatio, iustitia dei obliteraretur et in contemptum veniret. Expiatione ergo opus habemus, sed non nostra: ea enim si tolli potuissent scelera, frustra Christus esset mortuus, ut iam diximus. Alia igitur hostia fuit opus, quae divinam posset placare iustitiam, eam oportuit esse mundissimam et sanctissimam; haec nullibi quam coelo inveniri potuit, nec inter creaturas, sed apud solum deum. Dei ergo filius solus est, cuius gratia peccata condonantur.

Sic semen Israël nunquam cessabit, ut non sit gens coram me. An hodie quoque stat Israël coram domino? Cecidit. Qui ergo est Israël? Fidelis. Quod si quis reditum in gratiam ex hoc loco Iudaeis promittere pergat, iam fatebitur, aut nunc non esse gentem, sed aliquando fore: alium ergo esse Israëlem, qui interim gens coram deo sint dum illi sunt repudiati; aut si nunc contendat esse gentem, eadem opera contendet Christum non esse salvatorem. Nam si gens sunt, qui Christum negant, ergo in amicitia dei sunt dum Christum, quem praedicari audiverunt, non recipiunt, quod summa est impietas: nam in dei indignatione constitutos ipsi se ipsos concedunt. Proprie igitur pertinet hic locus ad ecclesiam: ea enim non est intermoritura usque ad mundi consummationem. Aut sermo iste in futurum porrigitur, puta fore, ut ea gens sit gens coram domino.

Ut amplietur civitas domini. Quo hic porriguntur pomoeria, loca puto fuisse paulo longius ab urbe distantia, ad quae tamen urbs nunquam est deducta. Nihil igitur quam allegoria est, qua ecclesiae muri ac latera usque ad fines orbis omnes porrecta sunt.

Et totam vallem cadaverum et cineris. Ego istud vallis Benhinnom puto periphrasim esse.

Versus Orientem, ubi et sanctuarium domini constituetur. Historice nunquam legimus haec esse facta, nisi tum, cum Christus verus Oriens mundo sanctuarium et propitiatorium propositus est.

Non eœcindetur aut evertetur in sempiternum. Quo se hic vertent Iudaei? cum non modo urbs et templum funditus excisa sint, sed et ipsi miserrime patria pulsi, exules et reiecti, incertis vagentur perpetuo sedibus? Sed est urbs et templum, ecclesia scilicet fidelium, quae nunquam abolebitur.

EX CAPITE XXXII.

ARGUMENTUM HUIUS REI GESTAE,

quae hic incipit, et sub caput 34. finit, hoc est. Praedixerat Ieremias Zedekiam superatum, et captivum abductum iri Babylonem, frustraneumque fore omnem adversus Chaldaeos conatum: qui tum pro moeniis oppugnabant urbem et regem. Quae prophetae constantia sic offendebat regem, ut eum in nervum coniiceret. Cum ergo ad satis faciendum copia Ieremiae fieret, respondit, se omnia divino iussu fecisse. Nam capite tricesimoquarto, conceptis verbis mandatum domini profert. Nec enim solum excidium comminatum esse, verum etiam ex captivitate reditum libenter promisisse, cum accessione opum totius orbis, quae ad ecclesiam sponte essent transiturae. Atque huius rei argumentum ac testimonium, quod ad confirmationem attinet, recenset, quomodo in ipso iam carcere a cognato praedium sibi vendicaverit in patria, iure propinquitatis. Quod tamen praedium nunquam vendicasset, ni dominus monuisset ut faceret, promisissetque fore ut rursus possiderentur et colerentur agri. Cum igitur constet se nihil quam quod dominus praecepit nuntiavisse (id quod vel inde posset colligi, quod non minus felicia quam inauspicata praedixerit): iniuria se captivum teneri. Et in summa, diligens est satisfactio.

Ad quam adcusationem sic respondit Ieremias. Cum Rabini ante satisfactionem hic lectionum suarum distinctionem posuerint, iterum ostendunt imperitiam suam, quod non vident usque ad tricesimumquartum caput unam ac perpetuam esse satisfactionem. Non enim solidum est, si quis dicat, illorum distinctiones magis ad numerum quam ad sensum esse exigendas: cur enim non posuerunt distinctionem ante principium huius capitis?

Quia propinquitatis iure tibi debetur redemptionis indicium. Cum terra per tribus, familias, ac domos distributa esset, velut perpetua colonia fiebat, ut quoties quis de qua familia sine liberis decederet, aut substantia lapsus vendere sortem suam cogeretur, ut proximus quisque in ea familia, sibi vendicaret cognati praedium, ne scilicet sortes et familiae confunderentur. Cum igitur hic Hanameel agellum offert nepoti suo ex fratre, inde nimirum venit, ut vel ipse liberos non haberet, vel aliquis de ea familia illi obtulerit agrum, quem tamen vendicare nollet; vel denique inopiae occurrens suam ipse sortem vendere, sed ei cui ex lege debuit, pergeret. Redemptionis indicium sive nuntiatio. Adparet hic manifeste, lege cautum esse, ut si quis praedium venundaturus esset, primo familiaribus et propinquis offerret, nuntiaret et indicaret. Ius autem istud sive legem vocarunt Hebraei Ius vendicationis, sive vindicationis, hoc est, ius propinquitatis. Vendicatio enim ac redemptio ad proximum cognatum deferebatur.

Ad atrium custodiae. Adparet prophetam prius quoque in nervum fuisse coniectum, id quod non semel passus est. Nisi malis Hanameelem hoc egisse, hac quidem captivitate, sed antequam ad satisfactionem admitteretur. Fuit autem forma custodiae non quomodo in Germania, sed quales in Galliis et Italia, quantum audio, visuntur.

Siclos septem, argenteos decem. Siclus interim in drachmam, interim in didrachmum in sacris literis est translatus. Quod antiquissimis temporibus credam factum esse, id quod et apud nos ante aliquot saecula, quibus infimum ac minimum numisma fuit, quod nunc sextantem vocamus. Ut assis duodecim partes duplo plus valuerint quam vel nunc, vel tunc post multa saecula. Hinc postea usuvenisse, ut siclo manserit nomen sive drachmae sive didrachmi, quemadmodum hodie, Solidum sive grossum vocamus, Germanice Schilling, sive sit Schilling pfenning, Schilling haller. Indeque factum, ut interim ad priscum pondus respexerint ac numerum interpretes, interim vero ad pondus magis quam numerum. Video post Budaeum et alios de pondere numismatum probe inquisivisse: at literarum sacrarum hanc varietatem an adnotaverint, nunc vel non video vel excidit. Nisi crediderint Sicli pondus non fuisse LXX. perspectum esse, id quod facile admisero: Hebraicarum enim rerum quam Graecanicarum peritiores fuisse res ipsa probat.

Adpendi pecuniam ad bilancem. Utinam adpendendi pecuniam lex aut mos nunquam esset obliteratus! tanta est hodie rerum atque contractuum confusio, ut reges ac principes hac etiam in re vel maxime sint obiurgandi, quod sua negligentia passi sunt sic labi res, quae praecipue ad illos pertinebant, ut nunc desperabundi clavum abiiciant et dicant, Nemo potest hanc confusionem tollere. Sed non est huius instituti nunc ista nisi leviter attingere.

Cum descripto. Adparet instrumentum istud, atque nimirum alia quoque eiuscemodi, factum esse ad modum testamentorum veterum. Ubi instrumentum praecipuum signabatur, ut post mortem domini tandem resignaretur. At iuxta instrumentum habebatur descriptum, quod hodie Copiam vocant, simile vero instrumento.

Et nihil est tibi difficile. Vide quae metalepsis. פָּלָא verbum, quod admiranda et inusitata facere significat, pro, difficulter faciendi verbo posuit.

Qui fecisti signa et portenta in terra Aegypti. Vide quae egressio, ad amplificandum numen. Et hoc in recitatione orationis, quam solus apud dominum egit. Sed haec ad movendum faciebant.

Et in eis hominibus. Eis, non est apud Hebr. sed cum sit antithesis, In Israële et in hominibus, iam homines pro Aegyptiis visus est nobis *κατ' ἐξοθενισμόν* posuisse, quos referre iussimus, Eis.

Ecce enim tibi omnia sunt praesentia. Vide quam religiosa sententia, quam paucis verbis in Hebraico sermone efferatur וְאַתָּה רָאִיתָ, id est, Et ecce tu vides: hoc est, En tu scis, omnia scilicet: aut, tu vides omnia praesens praesentia.

Et tu nihilominus praecipis mihi etc. Nunc redit ad propositum *κατ' ἀνακροφήν*. Vult enim exemplo probare, quod credat populum esse liberandum: cum enim aliquando detrectaret fundum vendicare, iussum esse a domino et doctum, fore ut postliminio ad sua redeant filii Israël.

Omne malum fecerint in conspectu meo. אַךְ, Hebraica vox isto loco, duntaxat, significat, quemadmodum in Isaia puto annotavi-

mus. Dixi ergo, omne malum, pro, duntaxat malum, ut magis sententiosa esset oratio.

Quae vobis etiam testibus tradetur etc. Habet haec consceleratio, ut perituri, fatis sic terrentibus ac daemone quoque, dicant sibi pereundum esse. Nam et inter pessimos ac corruptissimos non est pacis aut quietis solatium. Unde et interitum sibi non minus optant atque decernunt, quam hi qui cupiunt hinc solvere, ut ad deum adpellent.

Ecce ego colligam eos etc. Post tantam causae amplificationem, qua iure excindi perhibet urbem tam scelestam, nunc de restitutione exponit factam promissionem.

Et pangam cum eis foedus sempiternum. Ubi nunc servatur Iudaeis foedus istud, si modo, eis, ipsos refert? Deus verax est. Si pepigit, servat: si non servat, non pepigit cum eis. Constat igitur, Eis, hic veros Israëlitas referre, qui sunt filii ecclesiae Christi.

Quod nunquam desinam eis benefacere. Haec ad verbum habent Hebraei, Et non recedam post eos ad benefaciendum eis. Ubi adnotandum quod, post aliquem recedere, apud eos perinde valet ac deserere aliquem, aut ab eo deficere. Nostra igitur versio sensum reddit non verba. Quae hic multis dicuntur, omnia non possunt ad Iudaicam gentem torqueri, sed ad veram Israëlis prosapiam, quae ex spiritu nata est, pertinent. Unde non duximus necessarium esse, Lectorem de singulis admonere.

Et quod plantabo eos in terra ista. Quo demonstrat ista? Si Palaestinam, iam orbis Palaestina erit praeter solam Palaestinam: per orbem enim diffusi ac sparsi sunt Iudaei, et in Palaestinam non intromittuntur. Est igitur alia terra, quae hic significatur, fundamentum ac solum ecclesiae quae ex comparatione et successione terra vocatur. Sicut enim Israël ex Mesopotamia et Aegypto in Palaestinam translatus est: sic est gentium populus in ecclesiam transplantatus.

Per urbes montanas, per urbes campestres. Si quis et haec allegorice intelligat nihil moror: per omnigenas enim urbes, pronum est intelligere omnes populos ac gentes. At nobis simpliciter capienda videntur, nam ad urbes suas redierunt quidem; sed anagoga in aliis promissionibus alio trahit sententiam, ut maiora in eis promittantur, quam huius tantummodo gentis reditum. Quomodo Matt. 24. historice multa de gente sua dicit Christus, anagogice vero multa de ecclesia sua, quae tamen ita promiscue inter se ponuntur, ut non temere diiudices, quae cuique sensui sint accensenda: sic et isto loco et historica et anagogica miscentur.

EX CAPITE XXXIII.

Cum adhuc stringeretur in atrio custodiae. Alia confirmatio est superioris satisfactionis. Adparet autem istud responsum, sive hac captivitate, sive ea, qua Pashur eum colaphis caesum in nervum coniecerat, esse datum. Hic autem pro testimonio adducitur.

Qui efficit quod loquitur. Hebraei עשׂה habent, ubi ה finalis relativa est, ut hoc verbum significet, qui efficit ipsam. Sed foemininis fere utuntur eo loco, quo Latini neutris. Ut cum hic diceret Latinus,

Qui efficit ipsum, hoc ipsum scilicet quod loquitur, Hebraeus dicit, Faciens vel efficiens ipsam.

Quae vobis ignota erant. Quae, hoc est, אשר, ἐκλείπει, sed more linguae. Nam quanto tersius loquuntur, tanto crebrius omittunt relativa.

Clamavisti ad me. Clama imperativo pro praeterito imperfecto, virtute futuri utuntur. Vicaria sunt enim apud eos futura et imperativa. Clamabas, igitur vertendum erat, sed clamavisti magis quadrabat. Est autem mens verborum domini: Anxius fuisti, cum interitum populi exposui, et me oravisti, sed promissione reditus et accessionis gentium, rebus plane arduis, te consolor.

Offerentium dona. תודה, Vota vertit Hieronymus. LXX. δῶρα. Nam parvi refert, laudem et confessionem an vota et dona transferas, cum sciamus, vota et munera fidelium esse, cordis aut animi devotionem et confessionem.

Tuguria pastorum gregem curantium. Curantium est ex מרבצים, hoc est, quiescere facientium, quomodo LXX. verterunt κοιταζόντων. At curare ut grex bene stabulet, una modo pars est curae pastoralis. Colligitur ergo, pro toto pastoris officio positum esse stabulandi aut quietem dandi verbum, quod officium curandi vox satis explicat.

Producam David germen iustitiae. David genitivum esse posse propter articulum ל, etiam superius credo adnotatum est. Germen autem iustitiae, idiotismus eorum est pro germen iustum: sic enim adiectivis in res mutatis in genitivo cum subiecto positis utuntur. Exhibeant autem Iudaei hoc iustum germen, et credemus terrena hic promitti. Id cum non possint nisi versute ac lubrice quaedam vana causando, dent Deo gloriam, et agnoscant iustum germen, Christum, qui ut iustus est solus, solus quoque impartitur nobis iustitiam suam, qua ferre iudicis vultum possimus.

Et hoc modo adpellabitur ea. Ea refert Hierosolyma.

Dominus iustus noster. Iustum nostrum ex צדקנו transtulimus, cum et verti possit, iustitia nostra: sed ut iam dictum est, in idem conveniunt. Quae autem Hierosolyma vocata est, dominus iustus noster? Si Syriaca, quomodo dominus est eius, cum ipsa non sit domini? Nam si domini esset, vigeret cultus eius isthic. Est igitur anagoga de Hierosolyma, quae coelitus descendit.

Non deerit ipsi David vir qui sedeat etc. Et hoc adversus Iudaeorum contumaciam irrefragabile testimonium est. Nam insuperabile est, quod de sacerdotio promittitur: nullus enim est sacerdos, nisi Christus, qui a deo secundum ordinem Melchizedec initiatus est, et manet in aeternum, pontifex factus etc.

Sicut enim stellae etc. Sicut verti ex אשר quod pro כאשר positum est, non isto tantum, sed multis aliis scripturae locis.

Ut numerari non possint. Haec oratio tota est ex nostro adsuta. Antecessit enim in comparante, sicut stellae coeli numerari non possunt, unde et in comparatio licuit ea repetere.

Huc enim redactus est populus meus. Haec in parenthesin

comprehendimus, nihil offensi articulo את, quem et LXX. et Hieronymo testibus constat nominativo quoque praeponi. Ad hanc autem interpretationem adducti sumus ista potissimum ratione, quod superiora plane indicant aliquem populi partem constanti prophetae praedicatione adductam, ut crederet, aut saltem permitteret usuventura esse, quae comminabatur: unde et admirabunda dicit: eas gentes, quas elegit, etiam abdicabit? Ait ergo propheta, quod hactenus nemo concessit, nunc datur. Sensus de integro est redditus, verba quisque conferendo expediet: nam ex לפניה vertimus, diffidat se etc.

Quo minus accipiam de posteritate etc. Quo excidit semen Abraham? in gentes? qui enim fide referunt Abraham, hi sunt filii Abraham. Filius ergo David Christus ecclesiae suae praeest, quae non dedignatur vocari familia et domus Abrahami. Facit enim credentes Paulus filios eius in Galatis.

EX CAPITE XXXIV.

ISTO NUNC CAPITE EXPONIT, UT DIXIMUS,

etiam vaticinium quod contra regem praedixerit a domino esse.

Et heu domine, in planctu tibi reddent. Hoc loco fit manifestum quod supra tradidimus. Vulgaria scilicet fuisse in luctu: Eheu frater, Eheu here, Eheu inclyte, et quae huiusmodi sunt plangentium verba et nugae.

Porro sequentis sermonis argumentum in ipso titulo liquet. At istud nobis hoc loco considerandum est, quo labantur res humanae. Quis unquam credidisset, remissionem, quae septimo quoque anno praecepta erat, huc delabi potuisse apud gentem libertatis tam amantem, ut aboleretur? Sed qui scelerata studia cum malorum principum tum malorum populorum consyderant, admirationem ponunt: sensim enim obrepunt tyranni libertati. In populo cum refrixit charitas et innocentia, iam quisque sibi consulere, tyrannum observare, proximum posthabere, donec dissentientes et negligentes patiantur, quod murem et ranam fert apologus tulisse. Debent principes non magis inhiare populi libertati, quam liberorum suorum. Qui enim unquam diu tenuerunt regna, qui dicerent: oderint dum metuant? Amando amantur saepe parum venusti amores. Sic si princeps suos amet, fieri nequit ut non redametur. Amor autem an non omnia et facit et fert? Odiosi principes tam diuturni sunt in regno, quam malus odor in domicilio. Quis enim domesticorum non subito allaborat, ut foetor eliminetur?

Nemo Iudaeus. Nemo est ex לבלתי איש, id est, quo minus quisquam. איש enim, quemque, significat.

Poenitentia ducti. Redierunt esset ad verbum, sed cum emphasi, redierunt ad priorem sententiam scilicet, secundum servitutem vindicandi libertos factos.

Repetierunt servos et ancillas. וישיבו, id est, redire fecerunt, hoc est, retraxerunt, aut commodius repetiverunt.

Ne ultra servirent. Hebraica sonant quidem ad verbum, De domo servitutis, aut potius servorum: sed cum locutio non una in eis

verbis contineatur, sic vertere hoc loco res exegit. Primo igitur sciendum מבית de domo significare, sed non id solum, verum etiam, de interiore loco, quod alias interpretes vertunt, de intus. בית enim intus significat perinde ac domi Latinis, qui dicunt, domi et foris, pro intus et extra, etiam cum de homine interno et externo loquuntur. Secundo (ut iam saxcenties patuit) per locutionem dicunt familia servorum, pro, familia serva, domus servarum, pro, domo serva. Esset igitur ad verbum, de intus servorum, hoc est, quo minus servi essent. Licuit ergo vertere, Ne ultra servirent.

Emptitium. Hic Latinis est emptitius, qui Hebraeis per periphrasim, qui tibi venditus est. Istud nunc non est dissimulandum: qui factum sit ut divina bonitas etiam ex lege licere permiserit, ut vel sex annis Hebraeus Hebraeum servum teneret, quod perinde est, ac si civis in civem, privatus in privatum dominium exerceat. Ad quam quaestionem, quod habeo, respondeo, non quasi factorum dei aequitas a nostra pendeat ratione (scimus enim quod, quicquid et quomodocunque ille facit, recte facit) sed quod liceat cum timore et verecundia ex factis eius aequitatem discere. Deuteronomii decimumquintum, caput diligentius expensum, hunc nodum solvet. Ubi principaliter praecipit dominus: Et omnino egenus et mendicus non erit inter vos. Et paulo post cum vetat ne a credendo et mutuum dando cessent propter imminentem annum remissionis, postremo sic inquit: Si aliquis fratrum tuorum ad paupertatem redactus fuerit etc. non contrahes manum, nec obdurabis cor tuum, sed des ei mutuum quo illum egere videas etc. An non hic praecipit summum et optimum deus? An non istuc facere vere religiosum est? Quod autem postea eodem titulo subiungit: Cum tibi venditus fuerit frater tuus Hebraeus etc. An non istud coercio nostrae malitiae est? Quasi ad hunc modum prospiciat deus: Quod si sanctum istud charitatis praeceptum non servetis, sed in caput hominis mutuum detis, hoc iam interdico, ne in septimum annum quisquam serviat. Huc condescendam, non probans avaritiam vestram, sed cancellos ponens ei, velut immani beluae. Hinc discimus quomodo expediendum sit istud de mutuo, quod in Evangelio expressum est (taceo enim nunc ὑπεροχήν esse), et quod de sorte viginti partium quotannis una sit pro pensione et reditu creditori reddenda. Qua in re Catabaptistae mirum ut tumultuentur, perditi homines scilicet. Sanum ac sanctum est, ut mutuum det fratri frater, civis civi, citra foenus. At cum vel humana cupiditas vel egentium ingratitudo aliud moneant (sunt enim nonnulli tales, ut nefas sit illis quicquam suppeditasse, cum propter scelerum fomentum, tum propter contumacem ingratitudinem): ut enim charitas exigit, ut qui rem habeat egenti mutuum det, sic eadem charitas exigit ut quandoquidem opitulatus sit frater, ego vicissim beneficium rependam. Quis enim non uno die Croesi opes mutuo exponeret? huic ergo si nemo ex charitate quicquam rependit, non diu erit creditor. Iam subvenit misera ista mortalium iustitia, et modum ponit grassanti cupiditati atque impudenti ingratitudini, iubetque ne plus quam vigesima sortis pars accipiatur. Hic nemo est qui non malit, tantam esse tam in creditore quam mutuum accipiente dexteritatem, ut et ille gratis

mutuum daret, et iste beneficium sua sponte gratus redderet. At cum utrobique obstet cupiditas, iam coerceri debet aequitate ac iustitia. Debet enim sermo noster talis esse, ut si *vaì* dixeris *vaì* sit. Et Apostolus debita iubet cuique sua reddere. Nec enim supra modum iniquus usufructus sive usura est vigesima sortis pars, modo supra istam non ascenderent lucrionum artes. Magistratus est igitur officium, cavere ne supra constitutum modum, qui iam velut ius gentium est factus, quisquam ascendat. Hinc est ut illustrissimum senatum populumque Tigurinum iniuria deferant quidam non postremi nominis, quasi nobilitati, ecclesiis, ac monasteris reditus suos ac pensiones (Sic enim prisci iuris periti vocarunt quos nunc reditus, sive hoc peius, census vocant) annuas amputaverint aut imminuerint. Nihil enim huius factum est. Sed ad normam istam, quae velut iure gentium de viginti unum repetit, omnes pensiones revocaverunt. Quod si peccatum est, et non potius peccant qui huiusmodi fraudes et onera non corrigunt et levant, iam fatebor me nescire quid sit aequitas. Nam quantum urbi nostrae hac instauratione, sive rem privatam sive publicam spectes, decesserit, creditu difficile est, quo minus suo bono fecisse senatum ac diacosios quis calumnietur, quasi vero urbium optimates non magis ex agro recipiant pensiones annuas, quam pendant. Verum de hac re pauca nunc velut instrumenta, quibus altius fodiant, piis ac prudentibus ostendisse satis sit. Scripsit nunc de ea Germanice Heinrychus Bullingerus frater ac conterraneus noster, iuvenis acris ac solertis ingenii, qui contra Catabaptistas disputationem, velut *δᾷδα* ex nostris sumpsit manibus. Deo gratia.

Ac sui iuris. לנפשם, id est, animabus suis, ad verbum. Dicunt autem, libera anima, pro, liber homo. Sui iuris autem esse, dicunt Latini pro, liberum esse, a Graecis mutuata liberi hominis periphrasi, qui liberos populos *αὐτονόμους* vocant.

Ego igitur vocabo vos ad libertatem. Venusta *μετάφασις* est in voce דרור, quae libertatem ac remissionem significat. Nos quoniam libertatem vertere coeperamus, constitimus. Est autem sensus, Vos non remisistis quisque fratrem suum, ego igitur remittam vos ad gladium, pestem, famem. Idem sensus manet si libertatem legas. Nos enim ad ingenuitatem libertatis spectavimus. Et forte manumittendi verbum huc melius quadrabit. Vos non pronuntiavistis manumissionem, ego igitur manumittam vos ad gladium etc. Et ubique manet metastaseos gratia.

Neque servarunt etc. Servandi verbum pro surgendi vel erigendi posuimus: pro his enim in loco accipitur verbum קום. Sed virtute metalepseos.

Caesa in duas partes bucula. Hic ritus illis fuit pangendorum foederum, indubie ab Abrahamo acceptus, ut est in Genesi videre. Quae de foederum incisione et ritu alias diximus, hic fiunt manifestiora. Huc facit, quod apud Livium est de caeso saxo, silice, porco, cum foedus cum Albanis credo feriretur.

Aulicos. Ex סריסים, id est, eunuchis fecimus, quod non rarum est apud Hebraeos, ut eunuchi pro ministris principum accipiantur,

nominis transitu facto, quod eunuchis stiparentur primo principum uxores, deinde et ipsi principes, sed uxorii, hoc est, muliebres facti.

Sed me imperante iterum redibit ad urbem istam. Aegypti rex cum Hierosolyma obsideretur tentavit amicorum et sociorum obsidionem solvere, hostem alio trahendo. Quod cum fieret, negat propheta hostem abiturum, sed rediturum esse adseverat.

EX CAPITE XXXV.

Regnante Ioakim. Insuperabile testimonium est, res atque sermones prophetae non esse iuxta temporum ordinem ac rationem scriptos, praesens res gesta: qua per dissimile indignitatem contumaciae magnificat. Rechabitae servarunt morem ac institutum patris, et populus meus non servat meum institutum ac leges. Quo parente autem orti sint Rechabitae 4. Reg. 10. cap. habes.

In exedram aliquam. לשכה in Ezra puto LXX. perpetuo vertunt in exedram. Est autem exedra domicilium aut consessus locus, qui excurrit extra aedis regulam. Quales ad templum Solomonis non paucae fuerunt, in quibus varia negotia agebantur. In quibusdam exuebant ac induebant sacerdotes, in aliis recensebantur pecuniae templi, in aliis conveniebat ex tempore senatus regius, et alia in aliis agebantur. Ipsa domicilia talia fuerunt, qualia sunt quas barbare sacristias, aut capitulares domos vocamus.

Praefecti gazophylacii. שמר הסת, custos est Corbonae sive thesauri, סת, enim ut postem ac limen significat, ita et arcam in quam thesaurus congeritur, ut habetur 4 Reg. cap. 12. Huc ergo pertinebat gazophylacii praefectus.

Cantharos vino plenos. Cantharos fecimus ex גבעים, quod poculi genus est, ut patet in Genesi, de poculo Iosephi. Huc quadrabat cantharus: simul enim adponuntur calices.

Domum ne aedificetis, sementem ne seratis etc. Istae ni sint hyperbolae, magis stulta videantur quam pia necesse est. Habuimus enim antea, quomodo propheta eos etiam, qui in exilio erant, monet ut domos aedificent, agros et vineas colant. Aut igitur hyperbolae sunt quaedam ex illis, ne scilicet consarcinandorum fundorum cupidiores aequo sint, aut ut nomades mutatis sedibus circumerrent. Nam hominem rusticum agrum non colere, quid aliud est, quam ex rapto vivere? Domus ergo pro aedibus capi necesse est: nam et tabernacula an domus non sunt? hoc est, domicilia quibus habites. Sed quod abstemii essent, alia species est. Quanquam et hoc superstitio sit, si quis se huic necessitati sic alliget, ut si valetudo aut usus diversum postulet, non cedat. Rechab certe si bonus vir fuit, hoc instituto nihil aliud voluit suos docere, quam contemtum huius mundi. Eum si quis in aula iam habeat, Rechabita est. Quacunque via pervenitur ad eam rem ad quam eundum est, satis est pervenisse. Qui ergo domibus habitant, sint tanquam non habitent, et in universum hoc mundo sic utantur tanquam non, id est, tanquam perfunctorie utentes. Haec res est ad quam itur.

In qua peregrini estis. Haec γνώμη probat quod iam diximus, perfunctorie mundo utendum esse, ostendere voluisse Rechab.

Pro virili. Magis quadrat pro ככל, quam, per omnia.

Idcirco Ierosolymis nunc habitamus. Videmus hic externa facilius servari, quam id internum cuius causa externum servatur. Contemptus mundi, vitae, ac sui ipsius, res erat ad quam spectabat Rechab sua ista disciplina. Sed ecce, ut posteri eius proclivius a vino abstineant, quam vitam contemnant. Confugiunt in urbem mox perituram, domorum, agrorum, vinique contemptores; confugiunt ad tyrannum, ad populum sceleratum potius quam ut vitae contemptu fortunae potentiam excipiant. Hypocrisis ὦ quam propitia es mortalibus!

Non deerit vir ipsi Ionadab. Posteritas huiusmodi formulis promittitur, quomodo superius etiam est habitum: Non deerit Davidi vir qui sedeat etc.

EX CAPITE XXXVI.

Scribe in eum omnes sermones. Quid hic ganniet Catabaptistarum lues, dum scripturam quoque abolent ac reiiciunt? cum hic prophetam habeant, qui non modo praedicavit, sed quod praedicavit etiam conscripsit. Est historia plana, et isto tempore nullis non obvia: quod enim hic divina oracula passa sunt, iam toto decennio actum est, in theatro Christiani orbis: quae enim provincia hisce fumis non est obfuscata?

Mihi non est integrum. LXX. verterunt Hebraicam vocem quae hic habetur, עצור, εἰς συνεχόμενον. Cum autem propheta tunc non esset in custodia, sed alias per insidias non esset ei tutum ubique versari, dicit se clausum, hoc est, constrictum. Nostra interpretatio sensum puto satis expositum facit.

In die ieiunii. Indictum fuit hoc ieiunium, non legitimum, ut postea patebit.

An forte submittant preces suas. Hebraei, Si forte cadat supplicatio eorum: ut cadendi verbum sit impersonale: nostra autem versio personam exprimit, quae maxime in impersonali intelligitur.

Librum autem servaverunt in exedra. Vide quam eleganter usus sit verbo visitandi, desiderandi, et instituendi, pro custodiendi verbo. פקדים enim principes sunt nonnunquam, hoc nomine adpellati a fideli custodia suorum.

Mensis nonus. Is et Latinis November est adpellatus.

Concidit librum scalpello scriptorio. Concidit, ambiguum est ad regem an ad scribam referatur; quantumvis posteriora ad regem declinare videantur. Satis enim audaciae habet scribarum genus huiusmodi designare. At nos propendemus ad regem, iuvenem scilicet, impium, ac stolidum.

Filio Hamelech. Hebraea possent videri Ierahmielem significare filium regis esse, sed teste Hieronymo proprium est.

Cuius causa scripsisti. Hoc est accusationis caput. Et intenditur in Ieremiam: idcirco Hebraicam verborum formam reliqui.

Obiicietur aestui diuturno et frigori nocturno. Haec quoque argumento sunt Ioakim non esse cum maioribus suis sepultum, quemadmodum in Regum habetur historia.

Quamvis non audierint. ולא שמעו, potest etiam verti, Et non credunt, hoc sensu: Inducam in eos universa mala, quae praedixi, quod tamen non credunt.

Additi sunt insuper ad eos etc. Quid stilus et orationis pondus ac eruditio, in quibus sequentibus sermonibus indicent, forte nunc non erit exponendum: sed Hebraicae linguae candidatos huius moneo, ut cum iudicio cuncta legant. Quae Ieremiae *γνήσια* sunt, erudita, gravia, lepida quoque esse invenies, Quae autem alius, excepta de ore illius, suo ingenio et labore comportavit, eiuscemodi esse nequeunt.

EX CAPITE XXXVII.

QUAE AB EXORDIO HUIUS CAPITIS SCRIBUNTUR

usque ad Ieremiae egressionem ex urbe, palam faciunt, regem Aegypti auxilio venisse Zedekiae, cum obsideretur in urbe. Quod tamen Regum et Paralipomenon historiae dissimulant. Sed ex Isaia istoque propheta deprehenditur, foedus fuisse inter Aegyptium et Iudaeorum regem. Neque id solum, sed, quemadmodum in Isaia ostendimus, et apud hunc quoque videtur, universi reges, principes ac reguli Chaldaeorum contermini, conspirabant, ut venienti regno occurrerent. Suspectum erat eis Babylonici regis incrementum, et ob eam causam rebus suis consulturi concursabant, foedera inibant, opemque sibi mutuo ferebant. Sed propheta Ieremias consiliorum dei sciens, omnibus *ἦτταν* denuntiat. Et postremo etiam Babylonio, quantumvis monarcha facto. Quam calamitatem nobis quoque metuendam vereor, cum pontificii conspirando, corrumpendo et insidiando nihil non tentent, quo Evangelii regenerationem impediant, donec Turcicum tyrannum videant omnia aut tenere aut vastavisse. Quae omnia rerum quoque scriptores usuvenisse testes sunt. Resipit autem stilus adhuc Ieremiam, quamvis historia de ipso sit.

Mittebat rex Zedekias etc. Ad Ieremiam. Hoc exemplum praetermittendum non est, quod acerrimi hostes prophetarum, a deo, in tales angustias contruduntur, ut eorum ipsorum, quos prae cunctis mortalibus perditos cupiunt, auxilium consiliumque implorent. Debet igitur prophetia non nisi summa cum fide administrari, nihil temere eiaculandum, nihil metu dissimulandum est. Deus enim, qui orbem regit perinde ac solem et lunam reducit, sic adducit quae constituit, bona morigeris, mala vero contumacibus.

Gerendarum isthic cum gente rerum causa. Hebraica habent ad verbum, Ad partiendum isthic cum populo, vel in populo. Sed verbum partiendi חלק proprie significat haereditatem partiri, et hinc ad quamque divisionem adcommodatur. Vertimus ergo in res gerendas. Gentem vero ex populo fecimus, ne quis crederet magistratum fuisse Ieremiam, qui isthic cum populo acturus esset, sed gentem hoc est

necessarios et cognatos adiit, inter quos multa quotidianus usus partienda et deliberanda offert. Helvetica etiam lingua dicitur, Unſers volck, id est, noster populus, pro gens et familia nostra.

Qui custodiae praeerat. Vide locutionem hoc loco, בעל פקדת, id est, vir custodiae sive excubiarum, pro, tribunus vigilum. Fuit autem Ierias iste improbus calumniator, verique est simile de illius Hananiae sanguine cretum esse, cui mortem intra annum superius denuntiavit Ieremias, ut iste Ierias avitum odium resipiat. Atque mirum est eiusdem nominis hominem istum miserum fuisse, cui Petrus impostori praesentem mortem ipse comminatur, et adfert dominus.

Voluisset profugere. Primo formulam Hebraici sermonis mutavimus. Deinde profugere vertimus pro cadere. Non enim utuntur Latini cadendi verbo pro profugiendi. Sicut Germani, Hinauß fallen, pro ad hostem profugere aut deficere.

Percussum eum. Incertum est virgis prosciderint, an alapis, an vero quadragena, prophetam. Idcirco percutiendi verbum reliquimus.

In carcerem domi Ionathae. Hic fit manifestum quod supra monuimus בית, in, intra, intusque significare. בית האסור, in carcerem significat, et בית יהונתן, domi Ionathae. Et est elegans abusus unius vocis in eadem oratione.

Hic enim praefectus erat custodiae. Haec in Hebraico sermone nove et eleganter dicuntur, propter verbum עשו fecerunt, et articulum ל in לבית, quae collecta praeficiendi verbum pariunt.

Sic descendit Ieremias. Sic, est ex כי, quod sexcenties monuimus pollere eam vocem. Descendit, ex בא est, quo verbo solem quoque descendere vel occidere dicunt Hebraei.

In lacum. Hic non fuisset opus Hieronymo, ut diceret in domum laci: satis enim erat, In lacum, ut iam satis patuit.

Et in ergastulum. Hebraica vox a castris derivata est חניות. Qua pro diversorio authorem historiae Ruth credo usum esse. Nam loca excidunt, et otium ac tempus non suppetunt exacte omnia revolvere. Cogimur ergo quantum languida et male tenax memoria reposuit plerumque sine testimoniis locorum adducere. Sed nihil dicimus quod non ex scriptura didicerimus. Ergastulum transtulit Hieron. Esto enim ἐργαστήριον id nervi genus significet, ubi ad opus faciendum adiguntur sontes: attamen ante iam duo millia annorum pistrinum Romanorum et ἐργαστήριον Graecorum coepit quemvis nervum significare. Hieronymum ergo secuti sumus.

Putas ne quod nunc geritur esse a domino? Quod nunc geritur ex דבך est. Potest autem verborum Hebraicorum et hic sensus esse: Anne est, tibi scilicet, sermo, hoc est, responsum a domino. Porro cum fere principes, male docti de providentia dei, sic soleant interrogare, Putas ne hoc, quod nunc est in manibus, esse a deo? quasi vero alius etiam humana curet, aut numinis potentia non sit monarchia, sed σύγχυσις, ubi quisque quod libet facit: idcirco hanc sententiam dedimus.

Quid peccavi vel in te vel etc. Haec non tam opprobrantis quam amanter corrigentis sunt.

Grata sit obsecro deprecatio mea. Ad verbum, Cadat quaeso

supplicatio mea coram te. Vide quam a Latinis auribus aliena formula sensum non alienum, ut res ipsa monet, adferat.

Ne isthic moriar. Gravis est studiosis et bene natis ingeniis nervorum foetor, prae aliis hominibus, cuius physicae quoque rationes sunt. Deprecatur ergo carceris importunitatem, quae cogitationum exercitium, quo se solabatur, intercipiebat.

Tortam panis. Torta non tam generis nomen hic esse videtur, atque mensurae et modi, ut Torta panis certa portio magnitudinis sit. Manet Italis ea vox in lingua vulgari.

EX CAPITE XXXVIII.

ARGUMENTUM HUIUS CAPITIS TALE EST.

Coniicitur iterum in carcerem Ieremias propter delatores, quorum bona pars hic nominatim proditur. Interventu Eunuchi extrahitur. Extracti consilium postulat rex: hinc in vestibulo carceris manet usque ad expugnationem urbis.

Qui vero egredietur ad Chaldaeos, vivet. Vivet dicunt pro salvus erit: saepe enim vivendi verbo pro salvum, sanum, et incolumem existendi utuntur. Sic et vivificandi verbo utuntur. Secundum hoc, debet prophetarum necessitas isto loco expendi. Quid enim est urbem prodere, si suadere, ut ad hostem exeat qui salvus esse velit, non est? Aut quibus artibus est opus ad deprehendendum proditorem, si ille non est manifeste deprehensus, qui huiusmodi suadet et loquitur? Contra vero, cum Dominus aliud iubet quam omnium sit opinio, cum id praecipit loqui, in quod leges iure animadvertunt, iam solus ille vere inter sacrum et saxum stat. Sed religiosus animus ac dei observans haec omnia posthabet, quae mundus comminatur, certus consilium dei non aliter promovere ac usuventurum esse, quam cum auriga longum iter emensus instrumenta quidem multa aut deterit aut amittit, ad metam tamen, quae recepit, evehit. Nos instrumenta dei sumus; horum credo nullum est quod non atteratur, frangatur, aut fatigetur. Attamen coelestis auriga consilium, quod praecepit, hisce mediis ad finem perducit, utcunque nos frangimur et perimus mundo. Ne ergo nos laborum pigeat, efficiuntur istis, quae deus constituit. Quorum si non liceat spectatores fieri, consideremus non aliud nobis contingere, quam iis qui acie decernunt: hi enim ferme pulcherrimam pariunt labore victoriam, qui aut occumbunt, aut fabulam ipsam agunt, non spectant: Negant enim cuiquam id spectaculum esse datum, ut confligentes exercitus extra aleam viderit, quam uni Scipioni. Ne ergo pigeat, si laboribus et periculis obiicimur, quibus Christiana res est restituenda, si restitutam nunquam visuri sumus his oculis. Est qui nos videt et pugnantes censet. Sunt qui rebus restitutis gaudeant in terra, cum nos coelo fruemur.

Non poterit vobis quicquam negare. Ad verbum habent Hebraei, Quoniam non poterit rex contra vos rem, ullam scilicet. Ut את articulus, contra significet, etiamsi coniungatur cum demonstrativo pronomine. אתכם contra vos.

In lacum Malachiae. Adparet aut Ionathan binominem fuisse, aut carcerem, aut, quomodo nos sentimus, aliam fuisse custodiam quam eam, e qua paulo antea fuerat eductus. Nec obstat quod ad finem capitis huius sequetur, ubi orat ne reducatur ad Ionathae nervum: fieri enim potuit ut eum nervum prae cunctis deprecaretur.

Et mergebatur Ieremias, ac haerebat in luto. Ex verbo mergendi טבע aliud quoque expressimus, videlicet haerebat. Vult enim totam difficultatem et incommodum isto verbo significare.

Morietur enim indidem. תחתיו ad verbum significat, suo loco, sicut habetur in Exodo, in materia tenebrarum Aegyptum circumfusarum. Hic autem commodius vertitur in isthic aut indidem.

Cum nullus supersit panis in urbe. Adparet Abdemelech sero rescivisse prophetae aerumnam. Et resipit stilus isto capite alium authorem, si meam narem sane rusticam consulas. Non ut rei veritati quicquam detractum velim, sed ut quod vere gestum est, credam alio stilo scriptum esse, quam Ieremiae. Quamvis nihil prorsus definiam.

Suppone quaeso pannos istos et fragmenta cubito manus tuae inter funem. Adparet sic habere constitutionem pannorum. Ut quandoquidem altus esset lacus, et lutosus in quo aegre iaceret ac foediter prophetae corpus iam calamitate imbecillius factum, quo se commodius e luti glutinosa vi exereret commodiusque evehi posset corpus, quod iam per languorem cuique rei cedebat et offendebatur, suppositos esse pannos. Ex quo adparet Abdemelechi pietas et humanitas. At ut dixi, si res Ieremiae Ieremiae verbis essent scriptae, nihil huius generis esset incommodorum.

Ad tertium subsellium. מבוא adventatio esset, aut accessio. Sed credidimus hac voce subselliorum numerum ac ordinem distinctos fuisse, ut esset primum, secundum, tertium, quartum etc. subsellium. Utinam suis Ieremias verbis locutus esset. LXX. ἄσαλισαήλ eum verterint nescio quid voluerint, nisi quod credam aliud exemplar habuisse nostro dissimile, cum hanc velut Hebraicam vocem reliquerunt. Hieronymus ostium cum transtulit, fortasse propius accessit. Sed nobis obstitit latebra: ut enim negotium narratur, latebra opus habebant, non porta, qua vulgo praeteritur. Nisi forte novus author exedram hac voce voluit adpellare. Et iterum non obstat subsellii vox.

Dedit ergo iusiurandum rex etc. Propense iurant tyranni, sed propensius praevaricantur.

Vivit Dominus ille qui condidit nobis animas istas. Cum hic Rabini obelo notent articulum את, constat linguae suae male gnaros fuisse: hic enim, ut iam saepe monuimus, non solum accusativo servit, sed et nominativo; nec leve est illius servitium, sed grave, quod nos per demonstrativum pronomen expressimus. Animas istas ῥητορικῇ ἐπιδείξει egregie dixit, quamvis singulari ille numero sit usus.

Si incunctanter egredieris. Incunctanter ex anadiplosi est. Egrediendi autem verbum emphasim habet, qua dedendi significantiam insinuet, ut alias quoque ostendimus.

Ludibrio me adficiant. Ludibrium puto pro spectaculo et exemplo poni, ut vereatur ne exemplum in se edant.

Et incolumis eris. Locutionem habent hic Hebraei, Et salva erit anima tua. Solent enim dicere Anima mea pro ego ipse, et anima tua pro tu ipse. Sed nostra versio satis est Latinis.

Omnes foeminae etc. egredientur. Intelligit totam gyneconitidem regiam. Hic non tam audacia foeminea, quam non puduit cum colloqui et componere super deditione, quam fatum, hoc est, dei constitutio expendenda est. Dictum est enim fatum a fando, hoc est, a dicendo, quod cum emphasi constituere significat. Quae enim numen fatur, firma sunt et immutabilia. Hoc ideo adiicimus, ut si quando vocibus istis utamur nemo offendatur. Trahebat inquam fatum, unde nulla potuit propheticae fidei oratio, nullum consilium, quin pertinax impietas cederet: sed pereundum erat.

Viri quibus inconcusse fidis. Hic videmus hanc locutionem, Vir pacis tuae, significare amicum eum, quo maxime fidis, quemque integrum credis amicitiae cultorem esse.

Et in lutum demerserint pedes tuos. Latini quoque proverbium habent, quo idem significant, Eodem luto haerere.

Nihil enim sentiebant. Ad verbum est, Nam non audiebatur quicquam. Ubi audiendi verbum pro sentiendi aut resciscendi verbo est positum. Varie enim utuntur, ac non minus eleganter, verbo שמע.

EX CAPITE XXXIX.

Et factum est cum capta esset Ierusalem. Hanc superioris capitis caudam, si distinctores sequaris, caput sequentis fecimus. Familiare enim est Hebraeis, summam rei in principio proponere, ac postmodum omnia digerere. Sicut ipsum Geneseos exordium testatur: Principio creavit deus coelum et terram. Nunc sequitur: Ea vero moles, quam in hoc primum velut materiem produxerat, rudis erat et inculta sive imparata etc. sic et hoc loco. Incipit narrare quid Ieremiae acciderit capta urbe, sed antequam ad istud descendat, narrat brevibus ut capta sit velut per egressionem.

Et considerunt in medio portae. Eius portae in medio consedisse autumo, in qua iudicia exercebantur, ut subselliis occupatis occupatam Iudaeorum potestatem ostenderent.

Nergal Saraezaer etc. Adparet hic quaedam nomina non tam propria esse quam officiorum. Sed in re tam vetusta et lingua tam peregrina nihil audendum est, cum propter antiquorum interpretum verecundiam, tum propter rei ipsius tenuitatem: quae enim utilitas ad nos redeat si officia ipsa nominatim recenseamus, cum eadem inveniremus quae perpetuo in aulis regum sunt.

Per hortum regis, et portam, quae est inter duos muros. Huiusmodi recessus habent fere principes, ad evadendum si iubeat necessitas. Quo videmus non tam beatos esse atque se vulgo ostentant: imminere enim equina seta gladium Croesi. Porta quae inter duos muros erat, sic videtur esse constituta, ut duobus muris intra moenia utrinque septa esset, quo scilicet in urbe nemo eam viam posset ire, nisi qui per hortum regis, qui et ipse septus et clausus fuit, ad eam pervenisset, ut soli regi tuta isthic pateret fuga.

Perrexeruntque versus desertum. Forte melius quadrasset, Versus campestria. Sed ideo, versus desertum, vertere placuit, quod verisimile est regem ad Aegyptium confugere destinavisse, et latendi ac elabendi causa primo iter versus Iericho fecisse, quod hostem crederet secum reputare, quod ad Aegyptum esset profugiturus, et ob id eam, quae proxime ad desertum duceret, observare. Si vero versus Iericho properaret, quae via Babylonem spectabat, neminem hostium crediturum quod versus Babylonem fugam intenderet, et subinde nec iter observaturum, a quo deinde cum aliquousque esset elapsus deflectere et ad Aegyptum properare posset. At si adhuc magis placeat legere campestria pro deserto, liceat.

In terra Hamath. Hanc Hieronymus alicubi Antiochiam facit. In agro Damasceno esse adparet.

Qui iudicio cum eo contendit. Adparet Babylonium capitalem accusationem instituisse in Zedekiam. Quod hodie tyranni pro sua libidine negant, et prophetarum civiumque caedibus Syllae crudelitatem superant.

Caesisque filiis in conspectu parentis. Piget nos aliquando divinae indulgentiae: sed cum peccatorum vim ac diuturnitatem, poenae magnitudine rependit, iam discimus recte ac bene illum omnia facere. O dolorem Zedekiae, cui acies ad hoc solum permittebatur spectaculum, ut filios trucidari videret, deinde mox erueretur, ut postremum quod in mundo vidisset, cuiusque species memoriae haereret, esset miseranda liberorum caedes.

Ac reliquas publicas aedes. Populi aedes vocant Hebraei, quas Latini publicas.

Et perditos quosque. Istos Hebraei sic circumscribunt, eos qui nihil habent, hoc est, qui nullo censu essent.

Praeceperat autem Nebucadnezar etc. Impius rex eum servare pergit, quem cives occidere quaerebant. Sic Marcellus expugnatis Syracusis iubet Archimedi geometrae parcere, et cum nihil profecisset vetando, iam mortuo honorem habuit.

Fove illum. Hebraice est קְחֵנוּ, hoc est, accipe illum. Quo verbo in aliena lingua usus est Paulus Rom. 14. *προσλαμβάνεσθε*, Infirmum in fide adsumite, inquiens, pro fovete atque erigite.

Et curam eius habe. Id efferunt symbolice Hebraei, Et oculos tuos pone in illum.

Neque ingeras ei quicquam mali. Meum exemplum דַּע habet non רַע. Quod non annoto tanquam non quisque possit hoc mendum deprehendere: sed in hoc, ut videatur quam faciles inter istas literas lapsus sint, tum olim tum hodie.

Te liberabo ait dominus. Memor est dominus suorum. Hunc Abdemelech per omnia discrimina servat. Ne ergo cessemus in opere dei! Isto volente occidere nullae munitiones et arma servabunt; isto volente servare nullae poterunt cuspides occidere.

EX CAPITE XL.

Actio quam gessit dominus cum Ieremia. Haec nobis difficultas hic oritur. Cum superiori capite sic scriptum sit, Et commen-

daverunt Ieremiam Godoliae, ut eum domum deduceret, habitavitque in populo; hic vero narretur Rhamam compedibus vinctum deductum esse: quomodo non inconstantia narrentur? Sed obviam est huic diversitati occurrere. Ut aut prius finis ac summa rei sit posita, hic vero media, quibus ad hunc finem perventum est, velut retractentur, quasi prius non fuerit locus, rem ut gesta esset narrandi, unde nunc ad modum redeat. Aut quod praefecti Babylonii, quo Ieremiae famam illibatam apud omnes servarent, illum cum reliquis captivis Rhamam usque perducere iusserint. Adparet enim apud Babylonios tum non vulgare fuisse aequitatis studium. Quae una via est ad promovenda pomoeria. Argumentum autem huius et sequentium aliquot capitum est tragicus exitus captae urbis victique populi. Infelices enim reliquiae, tam varie iactantur, tam misere dissident, ac se mutuo perdunt, ut verum videamus fecisse dominum, quod comminatur per Mosen. Quod scilicet iam superatos et captivos abductos usque in hostilem terram sit gladio persecuturus.

Dominus deus tuus constanter testatus est. Haec ex vulgi rumoribus ad Ieremiam loquitur. Quibus intellexerat Ieremiam constanter monuisse, fata urgere, imminere iram dei, Babylonium victorem fore. Et cedit sententiae veri prophetae incredulus imperator, quem sui repudiant.

Isthic habites. Hic verbum eundi pro verbo versandi et habitandi positum est.

Quod si seorsim habitare displiceat. Hebraica sic habent, ועודנו לא ישוב. Quae Septuaginta verterunt εἰ δὲ μή, id est, sin minus. Sed hic verbum ישוב omissum est, Hieronymus autem non habuit in suo exemplari, aut volens transiliit. Cum ergo quantum commemini similem locutionem nesciam, ad verborum emphasim aciem intendi (quamvis nesciam an viderim vere sensum an hallucinatus sim: nisi quod antecedentia mihi ad hanc expositionem satisfaciunt, quae alteram partem antitheseos esse oportet, hoc modo: Ubicunque tibi placeat habitare habites, Quod si adhuc non habitetur, hoc est, Quod si istud, id est, isto modo non habitetur, tibi scilicet, hoc est, si non placeat tibi habitare hoc modo, nimirum seorsim etc. Ut istud, Quod si adhuc etc. sit secundum membrum antitheseos): antecedentia inquam mihi satisfaciunt ad exerendum sententiam; sed ut aliis nostrum iudicium probetur, ignoro.

Deditque ei praefectus Praetorio commeatum et munera etc. Honorarium munus erat, non corruptela aut praevaricatio. Fatemur licere per conscientiam ab amico vel etiam a principe munus accipere, quod vel ob aliquam virtutem vel honoris gratia detur, dummodo nihil obstet. At ubi reipublicae interdictum vetat, iam nulla ratione accipiendum esse credimus, neque licere ut quisque sacramenti sive iurisiurandi sui iudex et interpres fiat. Sed angustior est hic locus, quam ut tam fusam et amplam rem possimus explicare.

Dissipatos cum sociis. Ad verbum est, Cum viris suis: sed hac locutione socios, sodales, consortes, commilitones, et συμμάχους significant.

Iuravit autem Gedolias etc. tam illis quam sociis etc. Gedolias iste vir prudens et benignus in gentem suam fuit, ut ex omnibus licet colligere, quantumvis malam gratiam retulerint. Quod et iusiurandum hic probat, cum eos trepidos ac nusquam tutos fovet, et fidem securitatis praestat.

Ut praesim atque satis faciam. Ambo ista ex uno verbo לעמד vertere coegit et propria ipsius verbi vis et quae sequuntur. עמד enim stare, firmum esse, ministrare, praeesseque significat. Deinde cum sequatur, Si qui venerint ad nos, videtur κατ' ἔμφασιν significare, ut praestet etiam pro his, quos ad se colligi patiatur.

Et recondite in penuaria. In vasa est: sed vasa pro universis loculis ac repositoriis posuit.

Per regionem dispersi erant. Regionem pro agro reddidi, eo quod ager minor sit quam regio: deinde quod fere dicatur oppositione relativa, In agro, ubi e diverso intelligatur urbs, cuius ager sit, In urbe et agro.

Quod Baalis rex Ammon misit Ismaëlem ad interficiendum te. Istae sunt artes aulicorum ac tyrannorum. Baalis Ammonitarum rex indubie quaerit Iudaeae praefecturam caede Gedoliae, quam cum subornavisset, nimirum strenue dissimulabat apud Babylonium, quo Palaestinae administratio sibi daretur.

Attamen non credidit eis Gedolias. Hinc hominis innocentia deprehenditur: ut enim quisque alienissimus est a fraude, ita non temere credit fraude aliquid fieri.

EX CAPITE XLI.

Et decem conspiratis. Hic אנשי socii in malam partem accipiuntur pro complicibus sceleris.

Praesidii gratia. Hebraei habent אנשי המלחמה milites, aut bellipotentes. At isti nihil aliud erant, quam praesidiarii, cum nullus imperator esset in provincia.

Ut offerrent ea domi domini. Adparet Gedoliam mox instituisse, ne religio laberetur, ubi offerendum esset; ut iam in Masspha, urbe Hierosolyma cum templo eversa, divina fierent.

Obviam eis velociter euntibus, et lacrimantibus. Scio Hebraicum sermonem hanc praebere speciem quasi Ismaël properaverit et lacrimatus sit: sed res ipsa istuc non admittit, ut audax homo in medio scelere, nam mox et istos trucidavit, ad lacrimas potuerit trahi. Deinde non erat, ut fuga sibi consuleret, necesse: rediit enim in urbem, ac caedem perfecit. Octoginta vero, scissa veste, squalentes, et attonsa barba viros verisimile est flevisse: is enim lugentium habitus erat. Quae autem fuerit causa fletus non narratur.

Propter Gedoliam. Rarior est haec locutio, ut ביד ponatur loco propter. At hic ne potest quidem aliter accipi.

Lacus is est quem fecerat rex Asa metu Baasae. Tertio Reg. cap. 15 et 2 Paralip. 14 et 15 habetur quidem quod Asa lacum sive fossam fecerit, in quam idolorum sordes coniiceret. Sed de fossa vel lacu contra Baasam non habetur. At paucula admodum sunt, quae

illorum librorum historia complectitur, etiam de primis rebus: quanto magis vulgaria ista indigna notatu iudicata sunt? Et hic לִפְנֵי positum est pro, metu, vel propter metum Baasae.

Eos omnes coepit Ismael. O diram crudelitatem. Pacem dederat hostilis gladius, et domesticus in ipsos grassatur. Sed sic pereundum erat miseris.

Reduxerunt ergo omnem populum etc. Hi specimen propugnatorum exemplo isto praebent quidem, sed quae postmodum ausi sunt indicant quid isti militum ac thrasonum generi aut in animo sit, aut quaeratur.

Ut venirent in Aegyptum metu Chaldaeorum. Hic praetextus magis est quam causa. Quo sibi callidus dux miseros subiuget ac devinctos reddat.

EX CAPITE XLII.

Quemadmodum nos vides. Satis iam crebro credo admonitum esse, quod familiares habent pleonasmos istos, oculis videre, auribus audivisse, fecisse manibus, et quae huiusmodi sunt. Cum autem eorum nimia repetitio Latinis auribus fastidium generet, omittimus plerumque. Quomodo et hic fecimus cum diximus, quemadmodum vides, pro, quemadmodum vident oculi tui nos.

Quae tibi respondebit dominus deus tuus. Hebraica habent יִשְׁלַח, id est, mittet tibi, hoc est, remittet, reddet aut respondebit: nam et Latini reddendi verbo in loco utuntur pro respondendi. Haec libet nonnunquam subindicare, quo magis splendescant opes huius linguae: quam ex fontibus librorum authenticorum, beneficio artis rhetoricae, proclivius est discere, quam indoctis commentariorum commentis. Nobis enim etiam aliquando commentarii, hi saltem, qui in magnis bibliis primi prodierunt, degustati sunt. Sed cum tam frivola, tam inania, tamque inconstantia, viderem ab illis non aliquando, sed plerunque adferri, et ut primum oratio ab historico filo ad sententiosum ac religiosum ingrandesceret, totos sic frigere, ut plerunque argumentum aut statum quo prophetae sive ψαλμῳδοι spectarent non haberent perspectum, pedem retuli, ac vidi locutionum, formularum, figurarum ac troporum observantia, rhetorices instrumentis, plus in hac lingua effici posse, quam omnibus commentariis. Quae vero Kimhi observavit, nostri potius generis sunt, hoc est huius observantiae de qua iam locuti sumus, quam Rabinorum. Neque ille alia ratione caeteros antecellit, quam quod diligenti observatione linguae ipsius, non commentariorum, propius ad sensuum lucem penetravit.

Aedificabo vos, et non demoliar. Satis quidem prodidimus aedificandi verbo Hebraeos uti pro, sustinendi, augendi, et ampliandi: sed cum hic allegoria tam clara et iucunda utatur propheta, nam et sequens membrum ad aedificia pertinet, non demoliar, praestitit ut hanc gratiam non tolleremus. Habent autem et huiusmodi antitheses familiares, quae nihil aliud quam ἰσότιμα sunt. Aedificabo vos et non demoliar. Ut in Psalmis, Destrues eos, et non aedificabit eos. Festina et ne

cuncteris. Audi domine et ne avertas vultum tuum a nobis. Et quae huiusmodi sunt. Ut hic iterum, Plantabo et non evellam.

Quia placatus sum super malo, quod feci vobis. Hic verborum ratio nulla est reddenda, sed sensus. Nos illum secuti sumus, Ego placatus sum super malo, quod in vos constitui. Potest tamen et iste esse, Ego placatus sum propter adflictionem et aerumnam, quam irrogavi vobis. Ut אל vel super vel propter significet. Satur erat dominus calamitatibus ipsorum, sed ipsi saturari malis non poterant. Quo ruimus miseri mortales? quo nos deiiciunt metus et audacia? Quando discimus mentem nisi numine fultam consistere non posse?

Venia donabo vos. Quae importunitas nos huc adigat, ut quandoquidem, Venia donabo vos, ad verbum ferme reddit Latinis Hebraica, dicere tamen malimus, Dabo vobis misericordias?

Non habitemus hic. Non, solum hic est positum, et: Habitemus hic, ex emphasi negationis est expressum.

Qui contumaciter pergent ire in Aegyptum. Ad verbum sic sonant Hebraica, qui posuerunt vultum suum ad proficiscendum in Aegyptum: sed vultum ponere aut obfirmare, nihil aliud significat apud eos quam incunctanter sive firmiter statuisse. Et in bono ac malo ponitur. Lucae 9. in bonam partem accipitur: Ipse faciem suam firmaverat ut iret Hierosolyma. Hic vero loci in malam. Est autem et ista non simplex, sed symbolica locutio. Perhibent enim Physiognomi, firmitatem aut inconstantiam animi in vultu deprehendi. Et Latini cum perfricta fronte dicunt, symbolice *παροιμιάζεσι.*

Edicit vobis dominus. Edicit, minax verbum fuisse hoc loco vertendum, cum res ipsa tum Rabinorum intendens punctum admonuerunt.

Et ne vobis excidat. Hic apud Hebraeos *ἐκλείπει*, Vaf, Et. Deinde in antiphrasim vertimus, quod apud eos confirmatus sermo est: Sciendo scietis.

Deciperetis enim vos ipsos. Hic manifeste videtur, Vos ipsos, esse ex, Animas vestras.

EX CAPITE XLIII.

Falsa refers nobis. Huc exit audax *ὑπόκρισις.* Simulaverant se pro dei responsis omnia facturos, qui tamen vere impii erant, ut exitus probat. Et innoxium prophetam, adde et anxium pro illorum salute, trahunt secum summa violentia, qui summa vigilantia res illorum apud deum procuraverat. Haec est, o commilitones, ea merces, quam dominus nobis in hoc mundo promittit. Proinde nemo cesset, si mundus haec nobis stipendia reddere paret: assolet enim hoc modo beneficium reddere. Novum nihil fit: haec praemia tulerunt ante nos prophetae et Apostoli, imo Christus ipse. Non ergo in haec intendendi erunt oculi, sed in ea auctoramenta, quae coelo sunt reposita.

Baruch committit te in nos. LXX. verterunt *συμβάλλει* ex מסית, hoc est, committit, verbum valde adcommodum et elegans ad hoc propositum, quos secuti sumus: cum alias dissolvere et liquefacere significet, quod tamen in idem redit.

Abduxit ergo. Hebraice est, Accepit, sed verbum mitius pro intentiore vi Mioseos vulgare est apud eos.

Accipe manu tua lapides grandes. Aliud ostentum, quo magis certum ac firmum fiat, quod comminatur dominus.

Videntibus viris Iuda. Scio אנוש Hebraeis non minus in loco significare universos quam etiam איש, at hoc loco maluissem vertere: Quibusdam de Iuda: nisi vererer fore, qui dicerent me mihi nimium permittere. Nam omnino, ad huiusmodi ostentum non omnes sed certi quidam iique pauci erant adcommodi.

Et expandet tentorium suum super eos. Septuaginta verterunt שפריר Chaldaicam vocem, qua venuste usus est per *καχόζηλον* propheta, sive Baruch, in *ὅπλα.* Hieronymus enim hoc membrum vel non habuit in suo exemplari, vel praetervidit. Cum vero Chaldaicae periti dicant ornatum hac voce significari, iam tentorium vertimus: quod imperatores aut reges etiam cum urbes ceperunt non temere se credunt aedibus, sed sub divo in campo, in arce aut foro veluti castra figunt.

Caedibus, captivitate, et gladio. De hoc schemate non est cur hic dicam: supra enim de eo dictum est, eo loco: Cumque interrogabunt, quo nam exeundum est? dices, Pars ad gladium, pars ad famem, pars ad captivitatem etc.

Comburet ea, captivosque tenebit eos. Ea, ad templa deorum retuli, Eos, ad idola, cum tamen similis sit utrobique articulus: quia sensui huiusmodi partitione nihil decedere videbam.

Terraque Aegypti sese post haec induet. Hac allegorica comparatione significare nobis videtur, Babylonium sibi vendicaturum esse Aegyptum, ac in provinciam redacturum.

EX CAPITE XLIV.

Super omnibus Iudaeis. Hic irrefragabile est quod אל super, cum mentionem rei significat, pollet. Obiurgat autem propheta iussu domini eos, qui in Aegypto exulabant, quod Lunae aliisque diis sacrificarent. Et adposite adumbratur contumacium ac impiorum hominum impudentia, quae monitorem quamvis aliquandiu se ferre simulet, postremo tamen omnia lora perfringit, et insaniendo ac furendo non secus, quam mente captus aut phreneticus, perit.

Vos vidistis omnem calamitatem, quam induxi super Ierusalem. Quid poterunt exempla, cum res gesta cuius pars fuerant nihil posset? Sic perstatur ubi fata in perniciem trahunt. Sic tyranni etiamnunc fundunt innoxium sanguinem, cum videant, ob hoc scelus Scytham omnia trucidare ac populari. Trahunt enim fata.

Etiamsi miserim ad eos. Ad vos est Hebraeis. Sed his alloeosibus saepe mutatis planiorem reddi oportet salebrosum sermonem prophetarum.

Et agrum cum plateis Ierusalem. רחבות, plateas et agrum significat, ferme ut Latinis foris et forum, idcirco utrumque posui.

Et uxorum eorundem. נשיו, uxoris eius est, quasi dicat, et cuiusque illorum uxoris.

Inque plateis et agro Ierusalem? estis humiliati. Lege,

Non estis humiliati. Nam Non in exemplari nostro est, sed operarum negligentia excidit. Humiliati autem diximus pro contriti, דכאו. Latinis enim plus est obvium quam contriti.

En ego posui vultum meum in vos ad malum. De locutione ista paulo ante dictum est. Eam dupliciter verteramus, semel ut iam praemittitur, iterum: en ego firmavi sententiam meam ad adfligendum vos. Hic vero ego in culpa sum non operae, quod neglexi certis notis distinguere, utram deberent sequi. Quamvis iam utraque satis clara sit.

Eruntque execrationi, horrori etc. Non est necessarium, ut nasutum lectorem hic moneam, hanc Asiaticam ubertatem ac repetitionem retro dictarum rerum nobis notam videri, quod ultima ista sint alius, quam prophetae, stilo perscripta.

Sed faciemus quicquid egredietur de ore nostro. Egredi de ore, locutio est, qua statuere aut προαιρεῖν significant.

Tum enim et alimento abundamus. Huc recurrit inertia et perfidia. Qua tumultuari quosdam etiamnunc audimus. Decessit rei aliquid, Evangelium accusatur. Succurrendum est in annonae angustia egentibus; disputamus cum deo, cur suos patiatur fame mori. Dum interim isti otio tabescere statuerint, hi vero castra, ni pudor obstaret, deserere: quasi belle sit rebus suis prospectum, si nihil quam seditionem spectent. Huc invitant episcopi et abbates. Sed cudetur aliquando faba in eius, qui dignus est, capite.

Quum nos foeminae sacrificavimus. Nos foeminae, praeter rationem non addidimus. Sequentia enim satis indicant matronarum esse sermonem, cum dicunt: Num sine maritis fecimus? Neque obstat masculinum genus in שקמרים, quo ipsi tam libere quam Attici utuntur cum foeminino.

Ad provocandum eam? עצר, contristare irritareque significat, hic tamen pro sollicitare et provocare in bono ponitur. Septuaginta et Hieronymus transilierunt hanc vocem.

Vos et uxores vestrae locuti estis. Hebraica habent, Et locuti estis, sed παραπληρωματικῶς, quod et supra ostendimus, ubi praeter usum aliquem duplicabatur. Hic vides Lector quam nobis non liceat quod plerisque, domi lucubrare, adsignare, congerere, quae cum usus postulet, enumerare et exhibere possis. Nisi quod Leo Iuda collega noster, vir nulla in re non diligentissimus, nonnunquam suis annotationibus iuvat, quas inter enarrandum per transcursum velut rapit.

Placita nostra quae decrevimus. Hic decernendi verbum pro vovendi, fateor, nescio an melius quadret an minus. LXX. enim ὡμολογίας verterunt, quae vox tamen pro placitis et προαιρέσεσι non admodum abhorret. Sensus omnino est, quae voverint sive decreverint impleturas ac secuturas esse.

Audacter erexistis placita vestra. Hic magis congruunt placita quam vota: unde et superiore loco, non errabitur multum si placita legantur, et decrevimus.

Non adpellabitur nomen meum ore cuiusquam de Iuda. Annon et nos idololatria nostra effecimus, ut nomen domini de ore ferme omnium sublatum sit, et alius alium deum invocet?

Ego enim advigilabo super eos in malum. Et haec verbi vigilandi expositio valde intendit minacem orationem.

EX CAPITE XLV.

HUIUS CAPITULI HAEC FERE MENS EST.

Barucho a manibus usus est Ieremias. Is cum inter exarandum et describendum sermones, quos propheta dictabat, excidium urbis et gentis captivitatem intelligeret, a spe sua concidebat, quam fere scribarum genus immoderate fovet in pectore. At nihilo minus vita comite promittit ei dominus evasurum esse. Quo deinde rectius posset ac liberius, sicut Zeno, philosophari.

Cogitasti inter scribendum. Inter scribendum adsuimus, propterea quod quae sequuntur, quodque verisimile suadet, tantum non exhibent, dolorem istum inter scribendum obortum esse homini. Cogitavisti autem pro dixisti huc quadrabat.

Addet dominus dolorem defatigationi meae. Labori scribendi merces proposita est mihi exilium et patriae miserabilis casus.

Et tu ad ardua adspiras? Adspiras diximus pro quaeris. Hic notatur Baruchi ambitio, quam tamen haud puto sordidam fuisse: non enim parari opes apud prophetas possunt.

EX CAPITE XLVI.

Sequuntur sermones domini etc. Haec est altera sermonum Ieremiae pars, quae ea vaticinia continet, quae de variis gentium regnis ac populis tum praedixit tum egit. Neque mirum est eum istos quoque obiurgavisse, qui absentes erant, nec religionem eandem colebant. Referebat enim, cum suos, ista quae cunctis populis eventura essent, tum illos ipsos qui deum non agnoscebant, scire. Cum quod sui viderent sibi quoque non parsurum esse dominum cunctis gentibus adflictis, tum quod, dum aliqua fama semper vulgat prophetarum monita, gentes, postquam expertae essent quod propheta peregrinus quidem praedixisset, gloriae dei cedere, aut illius aliquem saltem radium videre cogerentur. Praecinit igitur primum sua Aegyptiis fata, ut mihi videtur carmine, quod ex sola eruditione, ut in Isaia monuimus, deprehenditur. Proderit autem ad penetrandum prophetae poema Isaiae onera legisse.

Cum esset in Charchamis. Quarto Regum libro, cap. 24. dicitur Aegypti regem non ultra egressum esse ex Aegypto, post eam pugnam ex qua Iosias letale vulnus retulit. Hic vero dicitur anno quarto Ioakim iterum ascendisse. Sed ne diu quaeramus. Non ascendit ultra, ut contra Israelem pugnaret Aegyptius, sed ut opem ferret non ea tantum vice, sed etiam Zedekiae tempore, cum ipsa urbs obsideretur a Chaldaeis, ut visum est antea.

Trepidatio, ait dominus, omnia teneat. Hebraica non valde dissimiliter habent. Pavor circunquaque ait dominus, tu supple, sit. Vertimus autem ad hunc modum, quia visus est nobis propheta respondere sibi ipsi, ut cum adparatum Aegyptiorum, quem vel ex viso vel rhetorice fictum sub oculos positum contemnit, et quaerit cur pavidi

adpareant, sibi ipsi ad hunc modum respondeat: Ideo trepidatis, quia dominus praecepit ut trepidatio undique ingruat. Apud Homerum, nescio quis deorum, pavorem in quae castra mittit.

Qui tanquam flumen intumescit. Ascendit est pro intumescit יעלה. Sed ascendendi verbo utuntur pro crescendi, augescendi, adolescendi.

Aquarum gurgitibus instar fluvii stridens. Hebraei habent hic allegoriam. Strident aquae illius, hoc est, copiis et adparatu fragorem quendam edit perinde ac flumen, quod immanibus aquarum gurgitibus personat. Allegoriam ergo comparationis notis aperuimus.

Aegyptii sunt. Hic etiam sibi respondet propheta. Et habent lepidum omnia nasum et contemptum.

Et operiamus terram. Fidunt multitudine copiarum, quasi regionem, ad quam proficiscebantur, non iam occupare virtute exercitus, sed vel sola multitudine implere possent. Sic sunt, qui sibi propter opes omnia promittunt. Xerxis adulatores querebantur spicula sibi mutuo impedimento fore cum exercitus iacularetur. Nulla moles citius loco movetur quam exercitus, quamvis ingens, ubi pavores panici ingruerint, quos non temere, de improviso obrepere exercitibus finxerunt poetae: senserunt enim numen esse quod animat aut exanimat pro sua voluntate, victoriam tribuit et eripit.

Quia sacrificium erit domino etc. iuxta fluvium Euphratem. Hebraica ironia hinc est lepidissima, quod eadem vox quae sacrificium significat etiam mactationem significat ac caedem. Dicitur igitur magnum sacrificium fore ad Euphratem, hoc est magnam caedem.

Sed in cassum multiplicabis medicamenta. Sed, non habent Hebraei. At cum sit correctio, necesse fuit addere Latinis, qua carere Hebraei quidem possunt per ἔλλειψιν, non etiam Latini. Belle autem virtute prosopopoeiae totum montem cum omni resina sua vocat, ut cataplasmata πλάττῃ, id est, compingat Aegyptiis vulneribus conscissis.

Nequit enim vulnus coalescere. Hic iterum occurrit verbum עלה, et pro crescere, hoc est, coalescere, quomodo vulnera solent recte curata, ponitur.

Fortissimus enim quisque cum fortissimo cadet. Ad verbum habent Hebraei, quia fortis in fortem cadent, simul cadent ambo. Quae et hunc sensum reddere possunt, Incidat enim fortis in fortem, nonne simul ambo cadent? et istum quem nos secuti sumus, Fortissimus enim quisque cum fortissimo cadet. Ut prior sensus vetus sit sententia, cum fortis in fortem incidit ambobus cadendum est. Secundus autem, ad Aegyptios spectet, quod quisque fortissimus iuxta fortissimum casurus sit. Nos utrunque sensum in exemplo posueramus, sed nostra culpa posterior excusus est, cum prior magis placeat: nam notam, utram praeferam, non addidi.

Ad excindendum terram Aegypti. Adparet hoc vaticinium eius cladis esse, quam abstrusis lapidibus sub quadam testudine comminatus est Aegypto: nec obstat praeteritum tempus, quod in oraculis et vaticiniis maxime servant prophetae.

Et adcommoda te. Et para, est ad verbum, sed pro commodare. Quomodo sontibus lictores praecipiunt ut iugulum praebeant.

Cur ceciderunt fortes tui? Quae tam constanter in praeterito futura praedicit, non efficiunt ut de clade ad Charchamim accepta loqui credam: obstant enim superiora et inferiora. Superiora, quia nominatim dicit se loqui de profectione illa, qua Nebucadnezar pergebat ad expugnandum Aegyptum. Inferiora, quia comminatur Memphim desertam fore, quae tamen expugnata non est, multis adhuc annis postquam ad Charchamim superati sunt Aegyptii. Sunt et alia, quae Lector suo Marte deprehendet.

Quia dominus impulit eos. Ei, est Hebraeis. Sed perpetuae sunt apud eos numerorum *ἑτερώσεις*. Loquitur autem propheta, quasi excidii Aegyptiaci visum viderit, aut si mavis *ὑποτύπωσιν* excidii rhetorum more ob oculos ponit.

Dum interim quisque consulendo dicit. Hanc paraphrasim ex dicendi verbo dilatavimus. Praedicit enim propheta Aegyptios, primum extra natale solum cum hoste conserturos manum, et in media pugna cum inclinare res aciemque confundi visuri sint, quemque consulturum, ut pugna domum abeant. Hoc enim habent qui superari incipiunt incommodi, ut quisque prodat consilium suum, quod metus non animus exprimit.

Clamate isthic, o Pharao. Regem praecone iubet enuntiare, tempus tumultum, exitialem scilicet istum, de quo iam dictum est, allaturum esse. Est autem *πρόληψις*: Clamate, o rex Pharao, et omnes principes, qui tamen omittuntur, et ponitur unum tantummodo membrum. Posset et hic esse sensus: Clamate, hoc est, nuntiate regi Pharaoni, quamvis nullus adsit articulus, qui dativum possit indicare: sed id non est rarum, omittere articulos, et praesertim in carmine.

Quod quemadmodum Thabor inter montes est. Coegit nos ipsa res hoc modo vertere, cum quod hic est כ comparationis nota, tum quod Aegypto alias nullum est commercium cum Thabor. Sunt autem montes firmitatis symbolum: unde et dominus saepenumero mons fit et petra. Cum ergo certissimum esse, quod Aegypto ista sint usuventura, vult adseverare, iam perinde dicit eventura esse atque Thabor mons perpetuo extet, hoc est enim inter montes esse, *περιφραστικῶς*, montem esse: *οἱ περὶ πλάτωνα.*

Et Carmelus in mare excurrit. In mare excurrit, epitheton est Carmeli, ubi tamen verbum excurrit *κατ' ἔλλειψιν* deest, quo tamen nihil aliud vult quam prius cum Thabor. Quemadmodum Thabor et Carmelus firmi stant, sic firma manet dei de Aegypto constitutio.

Sic veniet. Ex יבוא, id est, veniet est, ubi tamen altera nota, comparati scilicet *ἐλλείπει*. Iure ergo nostro addidimus.

Stimulator veniet ei ab Aquilone. Vitulam, hoc est, buculam opimam et lascivam vocaverat Aegyptum propter opes suas: ut ergo buculae et iuvenci oestro et crabronibus extimulantur et irritantur, ut fugam et recessum quaerant, sic adfore illi, hoc est Aegypto, qui eam stimulet, hoc est, in fugam convertat. LXX. verterunt *ἀπόσπασμα*, hoc est, fragmentum, frustum, particulam, *ἀπότμημα*, sed ideo quod nimirum aut legerunt קצר pro קרץ, aut crediderunt metathesim esse in קרץ, quales non paucae sunt in hac lingua. Hieronymus aliquando

ausus est a verbis ad sensum transferre oculos, cum stimulatorem vertit, quem nos secuti sumus.

Vox enim hostilis, velut aerea ingruet. Hostilem vocem vertimus ex קולה, id est, vox eius: ubi tamen, eius, feminam refert, ea est פקדה, hoc sensu: Vox visitationis istius ingruet veluti sit aerea. Intelligit autem visitationem hostium populationem. Hostilem ergo vocem fecimus ex virtute relativi. Velut autem, notam comparationis, addidimus ad prodendum allegoriam.

Sicut lignorum caesores. Allegoria elegans est. Adfore hostem, veluti lignorum caesores in silvam ad caedendum eunt, ut Aegyptum excindat.

Citra omnem delectum aut discrimen. Hebraica habent, Non deliget, vel scrutabitur. Hoc autem est, citra discrimen aut delectum. Negat autem Babylonium cuiquam parsurum esse.

Visitabo fastum Alexandriae. Recte visus est Hieronymus אמון in tumultum, pompam aut fastum, א pro ה lecto, vertisse: eum secuti sumus. Septuaginta cum hoc non viderunt, incultum et obscurum reliquerunt hunc locum. De fastu autem et dicacitate Alexandriae apud rerum scriptores satis invenias.

Quia ecce de longinquo salvabo te, et semen tuum etc. Argumentum est a minore ad maius. Cum Aegyptios terrae suae sim restituturus, quanto magis te Iacob serve mi? Et quod paulo post repetit ne timeas *κατ' ἐπανάληψιν*, maiorem certe spem maiorum rerum, quam fuerit reditus ex Babylonica captivitate, promittit, de quo iam satis est dictum.

EX CAPITE XLVII.

Antequam percuteret Pharao Gazam. Adparet in transcursu, cum postea ad Carchamin vulneratus est Iosias, Gazam ab Aegyptio esse captam. Et tunc prophetam non modo suis, Palaestinis, et Aegyptiis praedixisse potentiam Babylonii, sed cunctis Orientalibus.

Et exundabunt in flumen. Hac allegoria prius etiam usus est, valde venusta. Ut enim amnes cum inundant, omnia occupant: sic victores exercitus cuncta sibi vendicant.

Tam lassae erunt manus eorum. Sequutus sum Rabinorum puncta in, Manus eorum. Formidine dicit solvendas esse manus eorum.

Et omnes reliquos auxiliatores vastabit. Vastabit ex superiore membro huc est transportatum, ubi proleptice anteceptum est, ut huic quoque membro serviat. In quo Tyro et Sidoni non minus comminatur exitium, quam Palaestinae urbibus.

Et reliquas insulas a terra divisas. כפתור LXX. omiserunt interpretari. Hieronymus vertit Cappadociam, quod ut congruat, iudicio Lectoris relinquo. Nos vertimus in, A terra divisas, ea causa quod istud epitheton, a terra divisum esse, frequens est apud eos cum insularum faciunt mentionem. Totum denique quod putamus in פתר, hanc literam ת pro ס esse positam פתר pro פסר, sunt enim *ἀντίστοιχα*, significat autem פסר dissolvere, excludere, dividere. כ autem literam,

similitudinis notam distributivam esse putamus, ut אי כפתור insulae sint quomodocunque divisae aut separatae, a terra scilicet.

Veniet calvitium in Gazam. Calvitium pro luctu, nam in luctu capillum radebant, barbam vero tondebant.

Quousque caedes o mucro Domini? Pulchra cum interrogatione prosopopoeia, quam LXX. clarius reddiderunt quam Hieronymus, quos et secuti sumus.

Veruntamen quomodo cessaret. Quae, te oro Lector, vis haec est prophetalis orationis? Gladium orat, et per *μετάνοιαν* mox illum excusat, quia domini iussu saeviat.

Incitaverit eum. Incitaverit eum, diximus ex יעדה, id est, contestatus est eum, mucronem scilicet, ut saeviat.

EX CAPITE XLVIII.

Vae Neboni. Urbis nomen est, ut in sequentibus patebit. Liquescet hoc vaticinium Moab ex Isaia, plerisque locis.

Kiriathaim illa valida. Validam verti ex המשגב. Rabinorum punctum praeterivimus, quo Kiriathaim ad superiora distinguunt, nec vetat המשגב marem videri, non foeminam. Cum enim duo modo genera habeant masculinum et foemininum Hebraei, iam utroque (quamvis foemininо crebrius) pro neutro utuntur. Esset igitur Kiriathaim munimentum per adpositionem; sed cum Kiriathaim validam facimus, sublata est salebra.

Non erit ultra splendor Moab. תהלה vertit Hieronymus in exultationem, sed ea vox lucem, claritatem, ac splendorem, quae scilicet laudantur ac celebrantur, perinde significat, ut est in Iob et Isaia; hinc in splendorem vertimus. Septuaginta *ἰατρίαν*, id est, salutem, verterunt, non longe et ipsi a sententia prophetae.

Sic eam persequetur gladius. Similitudinis nota *ἐκλείπει* apud Hebraeos pro illorum more: addenda igitur fuit, et personae secundae allocosis tollenda.

Contritione magna contritus est Moab. Et hic Rabinorum distinctio manca reperitur. Est autem prophetae sensus, in Horonaim quoque exclamaturos super universi Moab excidio.

Clivum enim Luhith. Clivum fecimus ex מעלה, qua voce et Isaias est usus, eisdem quoque ferme verbis nisi quod fletum hic noster duplicat; pro qua virtute diximus, pervadet fletus.

Et ad Horonaim. Ad, vertimus ex במורד, hoc est, ad inferiorem Horonaim, hoc sensu: In Horonaim per dolorem exclamaturos esse, Moab funditus perire, clamorem enim ex superiore loco Luhith, ad inferiorem Horonaim perventurum. Sed satis visum est nobis dixisse, Ad.

Salvate animas vestras. Salvandi verbo Latini hodie utuntur, cum evasisse pugna vel periculo quem significare volunt, meo iudicio non ineleganter, cum veteres dixissent: consulite vitae. Animam autem Hebraei pro vita, homine ipso, quoque accipiunt, quo schemate, cum

veteres Theologi frequenter sint usi, nos quoque non abhorruimus. Myricarum comparationem ex superioribus facile expediemus.

Chamos in captivitatem etc. Simul. De Chamo perhibet divus Hieronymus, quod alio nomine adpellatus sit Beelpeor, et in Nebo fanum eius constitutum. Nos eundem credimus esse quem Graeci *κῶμον* vocant, *ἀσελγείας καὶ ἀσωτίας θεὸν*, hoc est, luxuriae ac petulantiae deum, adde et ebrietatis ac crapulae. Simul autem ex יחד est, ubi cum Vaf finalis *κατ' ἀποκοπήν* ablata sit, videmus carminis aliquo genere vaticinia ista esse conscripta, id quod troporum quoque densitas suadet.

Quemadmodum dixit Dominus. Et hic אשר pro כאשר positum est, ubi similitudinis nota est omissa.

Date fignum Moab. Ex ציץ fecerunt LXX. *σημεῖα*, quos imitati sumus.

Ut ocyssime avolet. Anadiplosin vertimus in celeritatis adverbium. Hoc tamen praetereundum non est, verbum יצא hic per נ principalem scribi, sive quod Hebraei passivis nonnunquam veluti deponentibus utuntur, sive quod poëtis ipsorum liceat una decidua litera uti pro alia.

Maledictus qui faciet opus Domini negligenter. Hoc loco non est sententia sive *γνώμη*, sed imperium. Sicut enim imperatores in pugnis et promittunt et execrantur, sic isto loco execratur deus vastatores Moab, si segnius expugnationem obeant. Negligenter autem cum LXX. vertimus, qui ex רמיה *ἀμελῶς* dixerunt. Est autem רמיה hoc loco ablatius sive instrumentalis casus, quibus crebro utuntur. Execrabilis esto, qui opus domini dolo faciet, hoc est, qui aliter, quam dominus imperat, Moabitas vastabit, segniter scilicet. Hinc nobis quod ad exemplum pertinet, discendum est, ne scelerate vivendo sic dominum irritemus, ut qui benignus est cogatur furorem suum, ad eum modum, quo in Moabitas, effundere ac dicere: Execrabilis esto qui hanc aut illam gentem non pecorum ac luporum ritu caedit, aut qui sanguinem eius haurire cunctatur.

Desedit apud reposita sua. Quievit, hoc est, otium habuit, ad custodita sua, hoc est ad ea vel inter ea, quae reposuit et collegit. Et belle depingit locupletum populorum atque in pace agentium mores. Opulenti enim, hoc est, securi ac supini agunt, fidentes opibus, et dei negligentes. Ut reposita vel custodita pro partis accipiantur.

Non est translatus de vase in vas. Verbum Hebraicum הורק similem fere significationem adfert Hebraeis qualem Germanis, Grünen, hoc est, recentem vel succosum facere: sic enim loquuntur cum *μεταοχεναζεσθαι*, hoc est, transferre ac transvasare vina volunt. Latini hanc adornationem picationem vocant. Cum igitur Moabitas vult locupletes ac securos esse ostendere, proverbiali sermone dicit nunquam translatos esse, hoc est, nunquam bellis ac populationibus succubuisse, aut ductos esse captivos in peregrinam terram.

Hoc est, in captivitatem non abiit. Hic Hebraicam Vaf epheexegeticam esse quisque videt.

Et odor non sit immutatus. Ludit in proverbiali metaphora.

Servant odorem suum vina, quae non transfunduntur. Sic in felicitate sua Moab insolescebat: quoniam nihil passus esset ab hostibus.

Ut mittam ei concinnatores. Concinnandi verbo usus est Cato pro picandi ac imbuendi. Helvetica lingua dicimus, Pichen. At propheta minatur dominum missurum esse, qui convasent et consarcinent Moab, hoc est, rem omnem diripiant et ipsos captivos trahant.

Quemadmodum pudefactus est Israël a Bethel. Bethel pro vitulis Hieroboam posuit propheta.

Civitates eius comburentur. Ascendent est pro comburentur: sed ascendendi verbum cum emphasi positum est: ascendent in fumum scilicet ac favillam redactae. Helvetica lingua, Vfgon, pro inflammari aut fervere utimur.

Lamentabuntur eum. Sic antea quoque usus est propheta verbo נוד pro lamentari.

Baculus fortis, virga praeclara. Haec pro sceptro, regno ac potentia. Sic enim virgam et baculum pro virtute ponunt, ut dicant, omnis baculus panis contritus est, pro nullus panis superest. Iterum vulgare est eis baculo sive virga pro sceptro uti.

Et sedebis in penuria. In siti, esset ad verbum: sed sitis hoc loco pro omni egestatis genere ponitur, quomodo in Isaia ostendimus, hunc esse morem Hebraeis, ut unum aliquod ex genere aliquo pro toto genere accipiant. Sic divitem pro sceleratis ponunt etc. speciem pro genere.

Habitatrix Aroer. Haec nimirum Ar est apud Isaiam.

Par quoque calamitas. Pro his habent Hebraei, et aequum, pro aeque: hoc enim potest משפם.

Cornu Moab confringetur. Cornu symbolice poni pro amplitudine, magnificentia, et potentia vulgare est in divinis literis. Sic canit Anna, sic canit Zacharias: Erexit nobis salutis cornu. Exaltatum est cornu meum etc. Brachium autem pro potentia, virtute et opibus. Ut sit iugum: Cornu confringetur, et brachium conteretur, quo tamen idem significatur.

Inebriabitis eum etc. et manibus complodet Moab in vomitu suo. Allegoria est, quam sic potes in comparationem redigere. Moab qui nunc sibi videtur esse magnificus, eousque contemptus erit, ut ludibrio habeatur perinde ac ebrius, qui se indecore gerit.

Qui inter fures inventus est. Spectare prophetam puto ad aliquam perfidiam, quam Moab fecerit Israëli.

In ipsum. Israëlem scilicet, hoc sensu, Tu Moab eiicieris propter calumniam vel perfidiam, qua Israëlem prodidisti.

Audivimus Superbiam Moab. Hanc sententiam velut testimonium adducit ex Isaia fere ad verbum. In Isaia sic vertimus: Nota est superbia Moab etc. Discet Lector ex isto Ieremiae loco, non temere esse quod in Isaia vertimus. Isthic enim propheta etiam huc spectat, fore ut Moab, qui Israëlem variis modis infestaret, tam calamitosus fieret, ut pro auxilio et consilio ad Israëlem confugeret.

Idcirco super Moab eiulabitur. Primam personam idcirco verti in passivum impersonale, quia et si propheta dixerit, Eiulabo, in persona tamen aliorum dixerit.

Ad viros muri coctilis. Ad cives, verti potuit: cives enim viros vocant, sicut et Graeci ὦ ἄνδρες ἀθηναῖοι. Est autem, murus coctilis periphasis Arnonis regiae urbis Moab, quantum ipse video, ut in Isaia diximus.

Lamentabuntur. Meditabitur. Sed numerum mutavimus. Totam istam sententiam nunc ad verbum reddam, Idcirco eiulabo super Moab, et Moab, pro omni virili clamabo, ad cives muri coctilis lamentatio fiet.

Propagines tuae transibunt mare. Similia in Isaia in hunc sensum exposuimus, ut aut sit hyperbole, qua laudet vineta Iazer et Sibemae, aut a vino laudet, quod trans mare avehatur. Hic autem cum videamus, per propagines qui trans mare abeunt, posse cives Iazer et Sibemae intelligi, quod ipsi captivi trans mare abducantur, ne quis hunc sensum desideraret, hoc modo transtulimus. Quantumvis Babylonius hostis a Septentrione venturus esset in Moab.

De Charmelo et de terra Moab. Adparet comparationem esse, Perinde tolletur ex Moab laetitia atque ex Charmelo. Non enim par esse potest Moab et Charmelus, cum Moab sit Chananaicae ad Austrum, Charmelus ad Septentrionem. Sed ne quid praesumptuose, ubi necesse non esset, fecisse videremur, passi sumus par manere Charmelum et Moab.

Non calcabit inhortator. Haec ex antea dictis liquent. Negat messem et vindemiam fore, in quibus sese mutuo inhortantur operae, ut tota regio ipsarum conclamationibus perstrepat ac resonet: hinc ab Hesebon ire celeusma ad Eleale, et inde ad alias singulatim urbes negat.

Ad Horonaim vitulam triennem. Vitula triennis epitheton est Horonaim. Quod pulchra et laeta urbs esset instar vitulae conternantis, hoc est, tertium annum implentis. Sic et in aquae Nimrim, aquae sunt epitheton, quod in Nimrim indubie fontes amoeni essent.

Quoniam in paucos redigentur. Quoniam ex עלכן in paucos redigentur ex יתרתעשה vertimus: hoc est, quoniam ex idcirco, cuius rationem in Isaia dedimus. Et ex reliquias faciet, in paucos redigentur, ut reliquiae caplantur pro paucis per Miosim.

Tanquam vas vile. Quod non placet, habet Hebraicus sermo: sed est vilitatis periphrasis.

Ut deiecit cervicem, et pudet Moab. Mulierem pudefactam facit Moab, quae impotentius lamentatur, queritur, et faciem occulit.

Ludibrio et exemplo. Exemplum ex plaga fecimus, quam significat מחה, adde et abolitionem, sublationem, aut e medio ablationem: sontes enim in exemplum aliis tolluntur.

Advolabit hostis. Hostem ideo ex nostro adposuimus, quod huiusmodi subiecta, quae nemo non intelligit, omittant Hebraei.

Pavor tibi, fovea, et laqueus etc. Haec in Hebraico sermone pulchro paronomaeo efferuntur, פחד, פחת, פח. Et mox sequitur χλίμαξ.

In umbra Hesebon stabunt. Incertum est, an attoniti constituri sint ad incendium, an standi verbum pro adveniendi verbo ponatur, ut qui fugituri sint, eos dicat in incendium casuros. Ponitur autem omnino umbra pro incendio καθ' ὑπαλλαγήν, ut sit sensus: Qui non

erunt vulnerati, sed tantum adhuc virium habent, ut fugere queant, incident in Hesebonis incendium. Vel consternabuntur cum Hesebonem ardere videbunt.

Hactenus de iudicio et ultione Moab. Idem nos dicimus, quod Ieremias. Nulla in materia quam in vaticiniis prophetarum maior est difficultas. Unde non est mirum interim penetrari ad sensum prophetarum, interim vero ad illum non perveniri, donec tam familiaris nobis fiat Hebraicus sermo, et sic undique notus, ut tam vetustam dictionem et enodare et capere possimus. Id quod ex Rabinis nunquam credo usuventurum esse cuiquam.

EX CAPITE XLIX.

AMMONITIS, QUI GALAAD ET EAM PARTEM

occupaverant quae Rubenitis et Gaditis trans Iordanem cesserat, exitium comminatur. Quo tempore autem revelatio prophetae facta sit, non exprimitur.

Cur ergo occupat Malcham etc. Occupat vertimus ex ירשׁ quod haereditatem adire significat, ut hic in haeredem superiore membro versum est, sed cum protinus per metastasim repetat eandem dictionem et in malam partem accipiat, in occupandi verbum transtulimus. Malcham autem reliquimus eo quod Septuaginta μελχολ habent, quem alias in Moloch videmus esse translatum, qui Ammonitarum deus est; et quod Hieronymus etiam Melchom vertit. Incertum tamen est an Hebraeis adpellativum an proprium nomen sit, ut aut Molochum deum, aut regem ipsorum, aut Melchom regis proprium nomen significet. Mihi adparet sic debuisse verti: Cur ergo Moloch ipsorum occupat Gad? sed in re tam parva malui alios sequi. Subdit enim protinus, et populus illius, Molochi scilicet cultor.

Ut Rabbath filiorum Ammon inferam classicum praelii. Rabba regia est Ammonitarum. Diximus autem classicum praelii Hebraice magis quam Latine: classicum enim canere, sine additione praelii, significat signum pugnae dare.

Et possidebunt filii Israël eos, qui se possederant. Quaerimus ubi hoc factum sit, quod Ammonitae receperint leges Israëlis aut paruerint illis? Sed cum totus Oriens Apostolis praedicantibus ad Christi ecclesiam accessit, iam possedit illos dominus.

Et circum sepes oberrent. Hoc enim est extorrium et patria exutorum. Unde et in Evangelio, qui ad sepes quaeruntur, gentes a civitate dei extorres et alienos significant. Quae ad convivium Christi, et salutarem coenam corporis et sanguinis illius, hoc est, ad dei misericordiam, quam ille nobis certam facit cum noster factus est, concurrunt.

Cur fidis gurgitibus, qui temere diffluunt? Rabba ad flumen Iaboc imo in medio flumine sita fuit, quantum ex aliis scripturae locis commemini. Hieronymus tradit alicubi Philadelphiam esse, nec aliena videntur quae Plin. lib. 5. cap. 18. de Philadelphia et Chrysorhoa fluvio, qui nimirum Iaboc est, tradidit.

Quasi nemo sit ad te venturus. Hebraica sic habent ad verbum, Quae fidit thesauris suis: quis veniet ad me? Haec divus Hieronymus hoc modo transtulit, Quae confidebas in thesauris tuis, et dicebas, quis veniat ad me? Vide quid sibi isto loco permiserit vir sanctus, quod tamen aliis locis non permisit. Primum praesens in praeteritum imperfectum; secundo, tertiam personam in secundam transtulit, et optimo iure fecit. Postremo de suo addidit, Et dicebas, quo scilicet loquentem faciat filiam Rabba. Cur alias non item fecit, ubi par instat necessitas? Sed sic est religio: ad quaedam stupet, quaedam cum reverentia excipit, quaedam vero negligenter transmittit.

Et dispergemini, quisque seorsim. לפניו, est Hebraica locutio, de qua prius habuimus. Ad verbum, ante se, ad se, vel pro se. Id autem est seorsim.

Post haec autem, restituam. Et istis restitutionem promittit.

VATICINIUM IDUMAEAE.

Idumaeae sic locutus est dominus exercituum. Idumaeam perhibent eam esse, quae ab Edom, hoc est, Esau nomen habeat. Haec complectitur montem Seir, cuius cultores Amalechitae sunt. Est autem pars Idumaeae montana, pars campestris. Id omne deprehendet Lector, cum animum intendet per scripturas navigans. Duma vocata est Isaiae cap. 21. *κατ' ἀφαίρεσιν* primae literae.

Nunquid nulla superest sapientia in Thema? Increpatio, imo opprobratio est. Adeon vobis sapientes videbamini, qui nunc frigetis, cum maxime opus est consilio? Theman et Dedan adparet in Idumaea primarias urbes, hoc est, *μητροπόλεις* fuisse.

Ab hominibus eis? מבנים de filiis, hoc loco per ellipsim dictum est absque, Idumaeorum cum alias dicere soleant filii Edom etc.

Si vindemiatores venissent tibi etc. Adparet in hoc dissimili, hanc vocem, Nocte, *συλληπτικῶς* poni, ut serviat utrique membro. Si vindemiatores aut praedones venissent tibi nocte, iam pro sua sufficientia דים, sive ut nos vertimus libidine, et desecuissent et diripuissent te, ego vero non diripiam, sed populabor ac radicitus perdam. Placuisset et hic sensus, ut לא interrogatio esset, an non? hoc modo: Si vindemiatores venissent tibi, an non reliquissent tibi racemum? Ego vero omnia reposita et recondita tua eruam; sed non quadrabat huic viae, si fures nocte venissent, an non diripuissent te pro sua libidine? Utcunque habeat, hic est sensus, ex penetralibus, hoc est, ex imo ac fundo eruiturum esse dominum Idumaeam, ut nullus fur aut praedo sic possit omnia auferre, atque ipse sit ablaturus.

Et ego servabo eos. Hoc non dicitur in solatium sed obiurgationem. Qui et me et meos persecuti estis, huc calamitatis redigemini, ut ab uxoribus ac liberis vestris abeatis, et mihi, quem maxime contemnitis, eos relinquatis: est enim deus orphanorum et viduarum vindex.

Quos videbatur parum aequum, bibere calicem. Israëlem intelligit. Et est argumentum a maiore ad minus: si meos adflixi, quo magis te adfligam? De bibendo calicem, supra dictum est, quale sit proverbium.

Abibit Bossra. Et haec nimirum in Idumaea celebris urbs fuit, ut est apud Isaiam videre.

Legatum ad gentes esse missum. Qui scilicet exercitum conscribat contra Edom.

Sed etiamsi elevatus sit, velut aquilae nidus tuus. Hic offendes Lector, כי, tantum pollere, in loco, quantum supra promisimus. Comparatio satis est liquida, elegans autem supra modum. Ubi enim Aquilae nidulantur, isthis fere habitant tyranni.

A viretis Iordanis ad laeta prata Ethan. Hic primo videmus ם et ן inter se mutitare, cum ad finem dictionis ponuntur. In libris enim Mosis, nisi non recte memini, Etham scriptum est per ם in fine, hic vero per ן. Est autem Ethan locus ferax et pascuus, ubi ferme insidiantur lupi, leones et ursi. Deinde Iordanem per Idumaeam vehi. Postremo comparationem hanc esse, Non sic properare leonem ad pascua Ethan, ut pecori insidietur, atque irruiturus sit hostis in Idumaeam.

Incitabo eum adversus eam. Eum, refert hostem. Adversus eam vertimus ex מעליה, id est, de ad illam. Sed quomodo, De, in huiusmodi locis utantur, pro iuxta, ut cum dicimus, de latere te stipabo, pro, iuxta latus tuum te protegam, in Isaia dictum est.

Sed quis est iuvenis etc. Quis, pro quantus nonnunquam accipitur, ut, Quis putas est fidelis dispensator etc. pro quantum putas esse fidelem dispensatorem. Sed hic videtur naturaliter accipi, ut sic quaerat: Quem autem ad hoc eligam ut sic Leonis instar festinet? Ac respondet, Ego ipse hoc faciam; Ipse adfligendo ad eam veniam.

Aut quis pastorum iuxta me consistat? Spectat ad gentem, quae pastui erat dedita, et idcirco militiae ac roboris nomine plurimum sibi tribuebat. Qui enim de eligendo milite docent, pastores cunctis praeferunt. Quaerit ergo, iuventutem quantumvis robustam habeant, quem tamen ex pastoribus suis possint vel ausint illi obiicere?

Deserta reddent. Vertimus ex ישים, mutato tamen numero.

Expandet alas suas. Haec allegoria isto loco in malam partem accipitur, quum alias alas extendere significet protegere.

VATICINIUM DAMASCI.

Damasco sic. Sic, addidimus ut esset nota alterius sermonis. Sic, praecipit scilicet dominus loqui, vel, Sic praedixit propheta.

Erubescent Hamath et Arphad. Hamath esse Antiochiam, supra ex Hieronymo dictum est. Sic et Arphad primariam in Damasceno regno urbem etiam in Isaia deprehenditur cap. 10.

Sicut mare. Hic legimus כים, et non בים: facilis enim est lapsus inter istas literas. LXX. sensum citra comparationem sic verterunt ἀναπύσασθαι ὃ μὴ δύνανται.

Tremor obruet eam. Hebraei habent, tenebit vel constringet eam, חזקה: visum est autem vehementius verbum esse ponendum.

Civitas gratissima. Gratissimam pro laeta vertimus: quod per metalepsim laetum pro grato visum sit accipi. Laeta enim grata sunt, et gratiae comes et ancilla est laetitia.

Idcirco audite. Audite, hac causa adsumus, ne videretur, idcirco,

causalis ad hoc referri debere, quod urbs esset celebris et iucunda: sed potius agnosceretur excitandi nota esse.

Qui devorabit aedes Benhadad. Adparet aut fundatoris urbis aut regiae stirpis nomen esse Benhadad.

VATICINIUM CEDARENORUM.

Ad Cedar et regna Hazor. Hazor villam seu cortem significat, quibus Ismaëlitae, qui et Cedareni vocantur, ut antea dictum est, utuntur: sunt enim Nomadae. Incertum ergo relinquimus, an Hazor regiam illorum significet, cum urbes non habeant, anne vero Hazor singulari numero cortem pro cortibus eorum acceperit propheta, quo et illis velut regiam tribueret. Nobis posterior sensus magis probatur, quia dicit regna, quomodo et Hieronymus vertit, non regnum: quamvis huiusmodi *διαλλαγαί* frequentes sint apud eos. Nec secuti sumus LXX. qui *βασιλίσσην*, id est, reginam verterunt.

Quae cecidit Nebuchadraezar etc. Adparet prophetam vaticinium istud fecisse anteaquam in monimenta redegerit, et cum redigeret tandem, iam Nebuchadraezarem perfecisse, quae ille olim praedixerat. Nam quae sequuntur vaticinii speciem habent; at vaticinium non esset, si iam ut haec verba significant superati fuissent Cedareni. Necesse est ergo duo tempora considerare, tempus vaticinii, et tempus scriptionis.

Et vastate filios orientis. Meridionales sunt Israëlitis Ismaëlitae. At Babylonii Ismaëlitis Orientales aut Septentrionales. Et omnino Babyloniis occidui sunt Cedareni. Adparet igitur aut את articulum esse nominativi casus, ut filii Orientis Babylonios significent: aut ad Aegypti situm prophetam locutum esse, cui Madianitae sive Agareni, sive Ismaëlitae, Orientales sunt. Et rursus orietur coniectura, posterius scripsisse quam praedicaverit, et forsan in Aegypto scripsisse hanc orationum suarum partem. Si recte memini, perhibet Iustinus martyr Platonem in Aegyptum ad Ieremiam profectum, qui ad illum dixerit: Quid Graeci, an semper pueri eritis? Adcommodat coniecturae, quod propheta cum profugis in Aegyptum abstractus fuit.

Et metu undique accersito stipabunt eos. Haec ad verbum sic habent Hebraei, Et vocabunt super eos pavorem undique. At quid hic vocandi emphasis aliud vult quam, metum quacunque possunt, incutient? Ponitur autem metus multis in locis pro re illa, quae metuitur. Timor quem timuimus, evenit nobis, in isto propheta habuimus, pro, id mali quod timuimus, contigit nobis. Sic forsan hoc loco non erit incommodum, metus undique stipabit, significare, mala undique stipabunt. Sed quoquo versum intendas metus vocem, nostra consentiet interpretatio.

O habitatores Hazor. Alias dixissem, O cives, pro habitatoribus, nisi visus esset naso quodam ex corte proprium regiae facere.

Surgite et ascendite. Sic alloqui exercitum facit Nebucadnezarem.

Quae ostia non habet aut vectes. Periphrasis haec est urbium portas et vectes habere, et melius quadrassent portae quam ostia, nisi quod prorsus agrestem populum videmus a propheta describi, ut ne in suis etiam domibus ostia vectibus aut seris munita haberent.

Kezuze Phea. Adparet sic appellasse eos prophetam per ἐξεθενισμόν: nam et alias perpetuum hoc tribuit eis epitheton. Sicut est apud Homerum θρῆϊκες ἀκρόκομοι. Laboribus enim intentis coma recisa commodat, quales erant Nomadae Cedareni. Iulius Secundus, audio, Gallos per contumeliam adpellare solitus fuit Pissevin, et Hispanos Renegodi, quod illi temere perpotarent, hi vero temerius peierarent. Hoc modo visi sunt Kezuze Phea adpellari a propheta.

Quin et ab omnibus familiaribus eorum etc. Forsan melius congruisset, in omnes familiares eorum adducam interitum, ut מ De, pro iuxta, et iuxta pro Ad posita esset, ut supra habitum est. Sed sic visum est obstare ם relativum in אֵירם, sed si illud ם Cedarenos referat, non familiares eorum, iterum potest sequens tolerari, Quin in omnes familiares eorum adducam ipsorum interitum. Sequere Lector, quod vero simillimum esse cognoveris.

Neque incolet filius Adam. Hominis est periphrasis, sive filius Adam dicas, sive filius hominis. Sed quantum huiusmodi periphrases polleant in Isaia ostendimus. Filius Adam augustior est.

VATICINIUM ELAMITARUM.

Elamitae quaversum siti sint, apud Plin. lib. 6. cap. 28. invenies. Arcu valent, ut hic et in Isaia deprehenditur.

In principio regni Zedekiae. Hic tempus adponitur. Adparet autem Elamitas, velut Cares, militiam mercenariam fecisse.

Confringam arcum Elam, quo praecipue valent. Quo praecipue valent, ex his vertimus רֵאשִׁית גְּבוּרָתָם, id est, caput virtutis sive potentiae ipsorum.

Ponam solium meum in Elam. Locutio in malam partem est. Ponam solium meum, hoc est, potentiam meam exercebo in Elamitas.

Restituam captivitatem Elam. Ut Elamitas dissipandos fore in omnes ventos comminatus est, ob eam nimirum causam, quod omnibus pro mercede militassent gentibus, adhuc tamen promittit eis libertatem, ac restitutionem.

EX CAPITE L.

Signum quoque date. Signis, voce, literis, ac symbolis nuntiatur. Poetice igitur omnia invitat ad nuntiandum et vulgandum Babylonis casum.

Pudefiet Bel. Familiaris deus Babylonis Belus, cuius et rerum scriptores meminerunt, pudefiet, cum scilicet videbitur nihil opis apud illum esse, qui captivum teneri se patitur.

Capietur Merodach. Cautio est dum pro Babylonis rege ponit Merodach: hunc enim perhibent teste Hieronymo patrem Nebuchadnezar fuisse, qui longo tempore antequam Cyrus Babylonia potiretur ex humanis abiit. At cum illius nomen perinde magnum esset apud Babylonios atque Philippi, Alexandri patris, iam κατ' ἀντονομασίαν Merodach pro rege posuit.

Et idola capientur. Capientur ex חתו transtulimus, unde ἥττα Graecorum est, hoc est, Res amissae, res perditae, superatae, et inferiores factae.

Populus ab Aquilone. Persarum et Medorum regnum adeptus Cyrus, Babyloniam quoque superavit. Cuius nomen quoque Isaias praedixerat. Tam certa sunt et infallibilia divina oracula.

Qui rediget in solitudinem regionem eius. Cyrus non ita perdidit Chaldaicam ut solitudo fieret, sed habent Hebraei, perinde ac iurisconsulti, formulas, quibus in eadem materia similiter utuntur. Ut cum de captivitate populi aut regni mentionem faciunt, iam ea quae captivis usu veniunt recensent, ex generali formula et hypotyposi. At quae sic generali formula continentur, ea non sunt per partes et peculiariter exigenda.

Flentes et properantes. Prae laetitia lachrymaturos perhibet. Nimiam laetitiam aeque impotentem adfectum esse atque moerorem nimium, vel hinc adparet, quod utriusque signum, lachrymae scilicet, ex uno fonte scaturit.

Viam ad Zion pervestigabunt. Pereunctabuntur, inquit, qua Hierosolyma eatur. Spectat autem ad captivitatem Babylonis, cuius captivitas liberatio Israelis erat, ut res ipsa probat. Cyro enim Babylonis victore, missus est Israel liber abire.

Foedere quod nunquam solvetur. Et hic nisi anagogam nostram recipias, prophetae verba nequeas expedire. Solum enim est foedus cum Israele carnali, sed cum spirituali durat in perpetuum.

De montibus ad colles perrexerunt, obliti cubilis sui. Quam lepida allegoria haec est? Cum ad varios deorum variorum cultus abductum esse populum queritur pastorum perfidia, iam gregis per nemora, per montes ac valles errantis, ac stabuli sui obliti, comparatione istud facit.

Omnes qui invenerunt eos, devoraverunt etc. Perstat in eadem allegoria. Sub, omnes autem, qui allegorice lupi, ursi aut leones sunt, tyrannos, reges, ac principes intelligit, hac comparatione: Ut errans grex discerpitur a quavis fera: sic populus Israel omnium principum ac regum potentiae obnoxius factus est.

Qui patres eorum custodivit. Per enallagen diximus custodivit, pro, spes eorum fuit.

Exercitum gentium magnarum. Hic קהל pro exercitu, et non tantum pro ecclesia fidelium accipitur.

Et deinde quoque capient. Deinde ex משם est. Capient, ex capietur, verso in personale impersonali.

Et sicut admissarii hinnivistis. De mutatis vocum passionibus nihil dicam. Sed quod admissarios fecimus ex אבירים, hoc postulavit verbum hinniendi: qua isti comparatione impense gaudent.

Confundetur mater vestra. Docta allegoria est, quam sic in comparationem licebit redigere. Quemadmodum mater pudefit propter filiae scelera: sic Chaldaeorum maiores propter posteros suos, qui propter conscelerationem ac degenerationem superabuntur et capientur.

Tradet manus suas. Manus inermes exhibuisse signum deditionis est. Obvolvunt aliqui fronde oleagina.

Metu gladii, grassantis quisque etc. Lege, metu gladii grassantis, quisque ad populum suum se vertet etc. Dicit autem fore, ut

Babylon deseratur, hoste oppugnante: quenque enim, vitae ut consulat, ad sua rediturum. Sunt enim aulae monarcharum congestae ex variis populorum principibus, magnatibus et solertibus viris, qui muscarum ritu isthic advolant, unde spes est opulentos redituros: quod ubi factum est, iam ingruente necessitate retro spectant, et miserum auxilio destituunt. Quo adparet, quam miseri sint, quos felices credimus. Si monarcha ministros ditat, iam in dominos convertit, et cum res maxime postulat, descritur; si sordidus in illos est, aeque deseritur.

Ascende o vindex. O vindex, nostrum est. Hunc enim alloquitur et invitat ad Babylonis expugnationem, Cyrum videlicet.

Ad terram perduellionum. Ex מרתים perduelliones verti, nihil veritus Rabinorum puncta. LXX. in πικρῶς verterunt, et Hieronymus Dominantes. Sensum utrique non improbe tenent; sed vim alius alio venustius profert.

Contritus est malleus universae terrae. Mundum perhibet universum admiraturum, quod malleus iste, quo regna et urbes comminuta et percussa sunt, contritus sit. פטיש bipennem quoque significat.

Venient ista ei aliquando. מקץ, de fine, hoc est ad finem, cum scilicet tempus erit, aliquando.

Eheu illis etc. Hostium gentis suae prophetam miseret, cum sub oculos revocat malorum speciem. Quod pii prophetae pectus indicat, ut pro his doleat, qui pro se dolere nesciunt, neque tamen emendantur.

Audire etiamnunc mihi videor. Totum hoc nostrum, cur adsuerimus iam saepe est data ratio. Sive enim rhetorice vastationem ante oculos ponat, sive visionem narret, postulat res, hanc verborum complanationem.

Accersite contra Babylonem etc. Hebraei habent, nuntiate, sed pro vocate: propius ergo est, accersite.

O superbe. Babylonium intelligit. Vide quo maxime peccent maxima imperia, superbia, luxu, ferocia.

Sed fortis vindex eorum. Hic irrefragabile fit גאל vindicem natura et proprie significare. Ut cum pro cognato accipitur, ideo accipiatur quod cognati ius vindicandi cognatos habent.

Ita ut terram misceat, et cives Babylonis committat. Dissidium intentari credo, praesentem pereuntium pestem.

Gladius ad Chaldaeos. Haec vox Gladius toties repetita, miram vim habet. Minatur enim haec omnia Chaldaeis peritura esse.

Gladius ad aquas eorum et exarescent. Apud rerum scriptores hoc me legere de Babylone memini: Quod is qui eam oppugnaret, Euphratem, qui urbem dividit, in fossam immaniter capacem exceperit ac de urbe exterserit, ut mox sicco pede miles per alveum in urbem irruperit. Ad quod forsan propheta spectat, ut comminetur denuo futurum, ut capiatur quemadmodum olim: non ut hoc strategema futurum comminetur, sed quod strategema periphrasis factum sit capiendae urbis, quod ipso olim capta fuit.

Filiae Sirenum. Filias Sirenum ex Septuaginta attulimus, ne יענה solum Struthionem significaret. Variant mire animalium nomina apud interpretes, ut dictum est.

Ecce quemadmodum ascendit leo etc. Vides Lector, ut hic allegoria sive comparatio superius habita nihil obscure suffragetur nostrae versioni.

Quod discerpturi sint eos etc. Hebraice habent ista iurisiurandi formulam, si non discerpant eos. Sed haec conditionis formula Latinis in suam vertenda fuit.

Simul cum ipsis deserta reddentur. Rabini exciderunt sibi cum hic ישים legunt cum sinistro puncto in litera ש, quae supra 49 cap. cum dextro lecta fuit, in eadem aut simili sententia.

A fragore dum capietur Babylon contremiscet terra. Vide quae *ὑπερβολή* et *μεταφορά*? Fragorem pro fama et nuntio metaphorice ponit: deinde totum orbem ad hunc fragorem trepidaturum esse minatur hyperbolice.

EX CAPITE LI.

Sic locutus est dominus. Proleptice hoc est positum, ut post aliquot verba possit repeti nempe in isto loco: sic locutus est dominus: Nolite parcere iuvenibus eius. Nihil hic adfert capitum distinctio, unum idemque vaticinium est.

A sancto Israelis, etiamsi delictis impleverunt terram suam. Hic primum verba secundum ordinem ponemus. Etiamsi terram suam impleverunt delictis, a sancto Israelis. Deinde istud significamus, quod hoc membrum, a sancto Israelis, quod postremo quidem loco positum est, ad superiorem orationem pertinere nobis videatur, cum propter sententiae ipsius naturam, tum praepositionis מ eandem utrobique notam. Ut enim prius dictum est מאלהיו et מיהוה, sic postremo loco dictum est מקדוש, quantumvis aliud membrum intervenerit: non enim undique tersa est Hebraica lingua ea munditie, qua Graeca et Latina. Quemadmodum ergo, a sancto Israelis, partem superioris orationis autumavimus: ita ad eam subduximus. Sententiae autem natura haec est, ut et superius est habitum, dominum sic gratiam delictorum facturum, ut si quis inquirere voluerit, Israelis peccatum invenire non possit. Eam itaque nunc sententiam paulo vehementius repetit. Etiamsi delictis impleverunt terram suam: adhuc tamen a deo suo non relinquentur orbi.

Nemo dissimulet iniquitatem eius. Eius refert Babylonem, hoc sensu: Nemo se ipsum seducat, ut in Babylone cogitet manere, quasi non tam scelesta sit.

Fuit Babylon calix aureus in manu domini. Vide quam varie utantur symbolicis sermonibus. Prius propinavit calicem propheta cunctis gentibus, symbolum adflictionis et visitationis domini. Hic Babylon fuit calix ipse in manu domini, quod nihil est aliud quam, eam fuisse flagrum, quo cunctae gentes vapularunt, vindice et ultore deo.

Sed curavimus diligenter inquiunt. Qui sic inquiunt? Hi qui eam deserturi erant, de quibus antea dictum est, quod eam sint deserturi, et latebras suas quique petituri, deque quibus nunc dicetur. Sed perfidiose loquuntur: qui enim amicitiam produnt, semper aliquam honestam causam praetexunt, ut iure videantur deseruisse, non prodi-

disse, amicitiam. Nisi tu mavelis, angelos hic induci loquentes. Sed obstat quod sequitur, rediisse ad coelos iudicium eius. Ubi forensis ille mos in allegoriam venit, quo ab inferiore iudicio ad augustius provocatur, hoc sensu: Cum in humanis non esset qui Babylonii fastum ac violentiam compesceret, iam ad dominum rediisse eius rei ultionem.

Deseremus igitur eam atque abibimus. Habent Hebraei hoc privilegium, ut si vel infinitivo vel tertiae personae prima pluralis iungatur, iam tertia persona vel quod sine persona est in primam, cum eo quod primae personae est, transeat. Qua formula hic propheta impense utitur, et in Psalmis frequens est. Ut hic licet videre, עזבוה ונלך derelinquunt eam et abibimus, esset ad verbum; sed hoc sensu: Derelinquemus eam et abibimus.

Protulit dominus iustitiam nostram. Proferendi verbum hic forense est: Protulit iustitiam nostram, hoc est, manifestam fecit innocentiam nostram, quae tamen oratio et ipsa locutio est, pro, dominus absolvit nos: qui enim innoxii inveniuntur, absolvuntur: quod Hebraei vocant iustificare.

Acuite sagittas etc. Novae minae non sunt quae sequuntur, sed nova inventio et alia verba.

At nihilo secius. Est ex כי גם.

Recensio lucri tui. Haec est periphrasis finis, sed a ratiociniis tracta allegoria. Recensio enim lucri finis est rationis. Ponitur ergo pro fine.

Iuravit Dominus exercituum per se ipsum. Hic fit manifestum quod נפש, id est, anima pro, ipso, vel se ipso accipitur. Iurat enim dominus perpetuo per se ipsum, qui hic per animam suam iurare dicitur.

Dominus inquam exercituum, qui fecit terram robore suo. Ista causa repetivimus, dominum exercituum, quod rursus egreditur ad amplificationem eius propheta.

Stultus est omnis homo etc. Quae sequuntur sententiose admodum, nihil aliud sunt quam praeparatio ad causam Chaldaeorum, quomodo scilicet iuste a deo puniantur: nullum enim genus stultitiae omisisse, cum tamen sibi placuerint, quasi sapientes essent.

Dissipas tu mihi arma bellica. Hic Israel inducitur loqui, non ineleganter, quantumvis planius esset si dominus ipse loqueretur, hoc modo: Ego te o Israel dissipo, ego quoque per te alios dissipavi. Nunc igitur et Babylonium perdam. Nam cum Israel sic dominum praedicat, fit ut dominus, gratis et agnoscentibus, respondeat: Rependam ergo Babyloni omnem calamitatem, quam vobis dederunt.

En me tibi mons pernitiose. Montem *κατὰ μίμησιν* vocat dominus Babylonem: non quasi humana quicquam firmi habeant, sed quod ipsa se Babylon tutam ac firmam instar montis propter opes existimaret. Isaias eadem ratione ipsam, montem editum adpellavit, a fastu scilicet et opulentia.

Reddamque montem exustum. Alludit ad eos montes qui perpetuis incendiis, quomodo Aetna et Lycia antra quaedam ardent, qui tamen aliquando dissiliunt, et vicina loca deturpant ac perdunt, neque materies eorum ad aedificia est apta.

Velut area triturae. Hactenus similis fuit areae ad triturum instructae, potens scilicet ac rerum abundans.

Veniet messis eius. Sed similis erit agro demesso, quae prius fuit areae tritici manipulis plenae similis.

Teneritudine mea. Periphrasis est Israelis, non blandiens, sed commiserescens.

Praedam meam. Ex חמסי, ut hic praeda in bonam partem pro substantia sit accepta, nisi velis putare quod חמסי pro חמסני positum sit, Depopulatus est me.

Ego hauriam mare eius. Obviae sunt allegoriae istae, quibus abundantiam et opes Babylonis comminatur se labefacturum.

Ebrii erunt prae laetitia. Deinde dormient somnum sempiternum. Eiusdem sunt sententiae, nisi quod hic non praetereundum est, veluti silvam quandam accuratis comparationibus et allegoriis, de Babylonis casu, adferri.

Babylon inter gentes? Quam nunc Sesach vocaverat, prisco tum nimirum nomine, iterum Babylonem vocat, ne non sciatur de qua fiat sermo.

Et eripiam ex ore eius quod deglutiverat. Mira metamorphosis. Belum, quo satis contemnat, voracem beluam facit, qui tamen a quibusdam idem esse creditur, qui Latinis Saturnus est.

Ne mollescat cor vestrum etc. Animat ad intrepide redeundum, cum tempus adsit, et ut non metuant a potentia Babyloniorum: Dominum enim in ruinam tracturum eorum opes: id enim fere solere, mutare imperia, mutare rumores, hoc est, animos populorum. Quod quam verum sit, malo amice Lector oculis potius contempleris, quam aures nobis expedias: cur enim diceremus quae nemo non videt? Sunt ergo animorum mutationes signum mutationis imperiorum.

Ut Babylon stravit etc. Hic solum istud adnotamus, גם comparationis notam esse, hic palam fieri.

Qui fugitis a gladio properate. Similis est haec sententia isti, qua Christus monet, ut cum dies domini adpetat, nemo ex agro domum petat. Monet enim hic propheta Israelem, ut cum detur occasio Hierosolyma properet, ac meminerit in quod opprobrium sanctam aedem domini sceleribus suis coniecerit.

Cadentes rugiant. Rugiant diximus pro mugiant. Rugitus enim, in rebus tristibus, a leonibus potius, quam a bubus mugitus, ad homines trahitur.

Sarias autem praefectus erat muneri aedilitio. Ubi nos munus aedilitium habemus, Septuaginta habent ἄρχοντα δώρων, hoc est, praefectum donorum sive munerum. Hieronymus principem prophetiae: putavit enim ni fallor eum Sariam esse qui paulo post כהן, id est, sacerdos vocatur. Septuaginta crediderunt Hebraicam vocem esse a מנחה; istos secuti sumus. Est enim aedilium publicis impensis donare ludos populo: deinde quod et a נוחה, quiete, derivari potest videri. Domesticum enim ac pacis munus est aedilitium. Est autem sensus huius pericopes: Cum Ieremias hoc in Babylonem vaticinium perscripsisset, et rex cum isto Saria Babylonem proficisceretur, ipsum

illi descriptum Babylonem ut perferret dedit, ut isthic lectum in perpetuum contestationis indicium in Euphratem demergeret.

Hactenus sermones Ieremiae. Et haec nota est finis eorum sermonum, quos ad gentes habuit. Unde quae sequuntur aut ab alio sunt adsuta, aut post absolutos sermones in coronidem a vate adiecta.

EX CAPITE LII.

Quia iratus erat Dominus Ierosolymis etc. Frustra igitur egissent poenitentiam, si hoc erat in fatis? Dicimus non frustra egissent: nam si egissent, iam id factum esset dei munere, qui veniam dare constituisset. Cum autem non agunt, iam ipsa contumacia testatur eorum repudiationem constitutam esse a deo. Qui ergo huiusmodi quaestionibus volet occurrere, sive apud se orientibus, sive ab aliis obiectis, consideret ante omnia, esse numinis electionem et repudiationem: illam enim sequitur ad bonam mentem reditus, hanc vero contumacia et desperatio. De qua re in libro de providentia uberius disputavimus.

Et durabat urbis obsidio. Eleganter usus est auctor veniendi verbo isto loco, cum dicit, et venit urbs in obsidionem. Inest enim et ὑπαλλαγὴ, obsessa est urbs, qui naturalis est sensus: nunc autem dicitur, urbs venisse in obsidionem, quum obsidio ad illam venerit.

Eruperunt ergo omnes viri. Ad verbum est, et rupta est urbs, pro eruperunt, ut sit iterum ὑπαλλαγὴ: quamvis aliis locis scripturae, verbum rumpendi videatur ad hostes spectare, quod ipsi irruperint. At hoc non obstat nostrae versioni, nam ut vel hostes irruperint rupta urbe vel ruptis portis rex cum suis eruperit, rupta est urbs, hoc est, rex erupit, effractis portis: sequitur enim, quod Chaldaei urbem adhuc obsiderent.

Ministerque regis Babyloniae. Hic עמד ministrum significare, aut ministrare manifestum fit.

Quicquid artificum erat reliquum. Artifices fecimus ex אמון, quam vocem Hieronymus in multitudinem vertit, cum autem et prius populi facta sit mentio, credidi hic βαναύσους significari, hoc est artifices: hi enim in plebem a veteribus reiecti sunt humiliorem.

Quorum alia erant aurea, alia vero argentea. Hanc sententiam vide ut efferant Hebraei, quae aurea aurea, et quae argentea, argentea: nolo enim dicere, quae aurum aurum, et quae argentum argentum: aeque enim utuntur auro pro aureo, atque Latini aureis pro deauratis.

Omnia velut in aëre pendentia de reti per circuitum. Hebraica ad verbum sic habent: Aëre cuncta centum mala punica ad rete per circuitum. Hic aëre dixit, quomodo Latini coelo, cum dicunt: Coelo sedet, pro in coelo. Centum autem pro nonaginta sex, numero perfecto pro imperfecto. Sicut et 3. Reg. cap. 7. habentur in universum ducenta malogranata. Cum autem et Hieronymus dependentia fecerit ex רוח vento sive aëre, iam licuit speciem hanc deprehendere, quod supra caput columnae, hoc est, supra epistylium, expansum esset rete quomodo humanum caput vitta circundatur, et mala punica de isto reti dependerent tanquam in aëre immineren epistylio.

Haec est summa populi. Ut ingenue dicam quid de isto catalogo sentiam, adparet eum alicuius potius esse, qui gentis Iudaicae ignominiam voluerit aliqua ratione levare, quam ipsius Ieremiae. Nam si ad census pristinos respicias, longe maior fuit numerus Hebraeorum, quam ut tam pauci fuerint capti, et hoc tribus bellis. Nisi quis fame, peste, ac praeliis causetur deletos quo minus maior modus sit captivorum. Sed ista non tam libenter recipiet animus iudicandi peritus, atque prompte fingitur. Verum utcunque res habeat, nolui praeterire illum, ne quid querulis deesset. Id maximum est, quod LXX. ne fragmentum quidem ullum huius catalogi habent.

THRENI IEREMIAE BARUCH.

Lugubre carmen istud anonymon habent Hebraei, Graeci Ieremiae inscribunt et Baruch. Cuius nomenclaturae hanc esse rationem opinor: Ieremiae a manu fuit Baruch, unde adparet nomen suum adiecisse non aliter quam notarii, quasi diceret: Hae sunt naeniae Ieremiae, Baruch notario excipiente. Nisi mavelis Baruch adpellativum ducere, ut sit, Ieremiae nunquam satis laudati sive sancti. Adparet certe in Hebraeorum Bibliis tunc fuisse titulum istum, cum LXX. verterent. Quod autem ad rationem carminis et eruditionem pertinet: fatemur nondum videre nos quo carminis genere scriptae sint. Plurimum enim obstant et Rabinorum puncta, quae aliter aut dilatant aut stringunt voces quam olim, et quod verisimile est Hebraeos non eis generibus cecinisse quibus Graecos et Latinos. Eruditio autem Ieremiam resipit, non Baruch, cuius oratio plus satis Asiatice exuberat ac diffluit, levior quam ut firmum aliquid ac solidum possit exhibere. Unde adparet non esse librum eius in canonem receptum. Simia enim non admodum felix est Ieremiae. At Ieremiae, nitida est, densa satis, et limpida non nimium, et praesertim carmen eius, eruditum est ac luculentum. Porro Threni adpellati sunt, hoc est planctus, quod velut epicedium sive monodia canuntur de lamentabili casu Iudaeorum et urbis Hierosolymae. Sunt autem ad numerum literarum Hebraicarum atque ordinem conscripti. In qua re nihil moror allegorias et numerorum mysteria.

Insomnes perflendo noctes ducit. Haec ex anadiplosi sunt educta. Perflere autem diximus quomodo perferre dicunt Latini. Ferre facile est, perferre grave.

Ex omnibus amatoribus eius. Amatores, pro amicis reddidi, cum Septuaginta verterunt ἀγαπῶντας, honestiore tamen vocabulo, tum quod nusquam non facit, deos alienos alienaque praesidia, amatores Israelis, et ut iuvando non sint in periculo monet.

Propter humiliationem et propter multitudinem cultuum. Humiliatio in malum accipitur pro idolorum receptione, quibus se deiecit et contemptibilem reddidit. Idcirco et cultuum, vertimus ex עבדה. Quae vox Hebraeis tantum significat in bono et malo, quantum Graecis *λατρεία* vel *δουλία*.

Viae Zion maerent. Elegans prosopopoeia cum itinera lugere, tanquam vidua sint, fingit.

Inimici vero illuserunt ei. Illuserunt diximus pro contumeliati sunt, quo simul omnem hostilem improbitatem sumus complexi.

Similes sunt principes eius arietibus qui non inveniunt pascua. Nullus Baruch tam docte comparat. Praeeunt arietes ac gregem in pascua ducunt. Sic et principum est officium.

Et derident sabbatha eius. Sabbatha accipit pro universa religione: cum quod sic soleant virtute synecdoches unam aliquam speciem pro toto genere accipere, tum quod sabbathorum observantia symbolum erat cultus unius dei, qui cuncta creasset: septimo enim die destitit a creando, quemadmodum supra ostendimus.

Quia viderunt pudenda eius. Hac allegoria, a meretricum effoetarum contemptu tracta, supra non semel est usus.

Abhorret a se ipsa. Diximus κατ' ἰσοτιμίαν pro sedet ultima et sola habitat.

Pollutae sunt fimbriae eius. Si mavelis lege, Pollutae sunt surae eius sive crura. Satis enim vides quo spectet propheta ad sordes contemptae meretricis, eo quod exoleta sit.

Neque ipsa dicat. Nostrum est ex אין, quod superiore membro positum etiam huc servit.

De quibus interdixeram. Dominus hic loquens inducitur.

Cum gemitu cibum quaerebat. Respicit ad obsidionis angustiam, in qua vehementer laboratum est fame.

Quem dolor vindemiat sicut me. עולל LXX. verterunt in φθεγξάμενον, hoc sensu: Qui dolor dictus, cogitatus, vel constitutus est in me, a domino scilicet. Nobis vindemiandi verbum pro incidendi populandique acceptum placuit: nam utrique sententiae sufficit Hebraicus sermo.

Et supinum dedit retrorsum. Haec allegoria est ab aucupibus et venatoribus mutuo capta. Tu interim Lector te ipsum admone eruditionis et elegantiae, quarum omnia referta sunt.

Maturatum est iugum. Maturatum diximus pro vigilatum: sic enim Latini non loquuntur, custodivit iugum, pro, tempestive iniecit iugum, sed maturavit iugum.

Indixit in me solennitatem etc. Sicut stati dies erant, quibus colebatur deus, quibus laetabatur populus: sic excidii solennitatem in se indictam queritur Iuda.

Qui me mihi restituat. Haec habent ad verbum, Restituens animam meam, sed in hunc sensum quem nos reddidimus. Animam enim restituere illis est, reficere ac sibi restituere exanimatum et lapsum.

Adduxit dominus hostes Iacob. Ad verbum est, imperavit vel mandavit hostibus, ut venirent scilicet. Quod nihil est aliud quam, Adduxit hostes.

At ipsi fallunt me. Fallere aut mentiri ponunt pro non esse, non inveniri: sic et hoc loco accipere non est alienum a sensu prophetae: quamvis et ad alterum sensum, simplicem scilicet, spectare, non abhorreat a vero. Fallunt me, non ferendo opem.

Cum cibum ipsi quaererent etc. Periphrasis sunt famis et penuriae.

Venter meus remurmurat. Mirum est murmurandi verbum ex Palaestina Romam esse translatum הֲמְרְמְרוּ. Ubi tamen videmus ה praeponi vocis exordio ad intendendum significantiam, ne literatores negare possint eam literam etiam esse deciduam. Alias autem diximus, ut in metu venter tumultuetur.

Propter omnes transgressiones eorum. Transgressiones meas, est apud Hebraeos, sed hoc sensu: Vindemies eos propter transgressionem suam, quemadmodum me propter meam transgressionem amputasti. Cum autem de Hebraeorum transgressionibus constet, quod propter eas ultima experti sunt, iam virtute comparationis transtulimus relativum ad adversarios.

EX THRENO SECUNDO.

Ut non meminerit scabelli pedum eius cum irasceretur. In hoc Threno mirae sunt ὑπερoχαί. Iudam facit scabellum pedum dei, ipsumque sic iratum fingit, ut etiam illud dissipaverit et abiecerit. Quod si apud Poetam Graecum inveniamus, Iovem sic iratum fuisse aut Iunonem, ioco pronuntiamus veniam esse dandam: non possunt enim immortales mortalium adfectibus tangi. Porro cum et apud nostros idem occurrit, quae malum ratio, abhorrere a doctis sapientibusque sententiis, quum tam suaviter efferuntur, quantumvis figuratae sint, modo omnia moderate fiant.

Avertit dexteram eius ab hoste. Hic יְמִינוֹ dextera eius, incertum est ad dominum an ad Israelem debeat referri. Si ad dominum referas, dicendum erit dexteram suam potius quam eius: Dominus enim praecipuum subiectum est, de quo cuncta dicuntur, ut sit sensus, dexteram domini non tulisse opem contra hostes. Si vero ad Israelem, ut illius dextera sit ab hoste aversa, hoc est, territa et languida facta, iam congruit dextera eius. Adhuc tamen, Eius, sic est ambigue positum, ut utrique sensui possit esse satis.

Omnia circumquaque devorante. Sensus est, Iacobum incendit ac deussit, perinde ac dum ignis flamma universa comprehendit ac perdit.

Multiplicavit filiae Iuda tristitudinem et iustitiam. Tristitudo perpetua est, tristitia temporaria. Praesentibus ergo moerorem, posteris aeternam calamitatem imposuit.

Muros turrium eius. אַרְמְנוֹת interim aedes, interim moenia, et munitiones significant: at hoc loco Hieronymus commode turres de illis excitat.

Vocem dederunt hostes eorum in domo domini sicut in die solenni. Hostes induximus, quantumvis non habeantur ad verbum, sed quod dicitur, de illis praedicatur: addendi ergo fuerunt. Sicut in die solenni, intellige quod sic tumultuando, hostes vocem ac fragorem reddiderint, quomodo filii Israel dum festis diebus exultarent.

Tetendit regulam. Sic et Isaias, Regulam tendi ad destructionem dixit, cum alias expandatur ad aedificandum.

Lugent ergo simul propugnacula, et murus dissipatus. In lugent prosopopoeia est. Propugnacula transtulerunt Septuaginta ex חל, quos Hieronymus cum suo antemurali secutus est, *προτείχισμα* potius quam חל spectans.

Effundebatur terrae iecur meum. Symbolicus sermo est. Iecur fons est sanguinis, sanguine vita et animus constant: effundi ergo iecur dixit pro exanimari.

Cum dicerent matribus suis, ubi est cibus aut potus? Cum, nos adposuimus propter continuationem. Cibum autem et potum iure ex tritico et vino fecimus: primum, quod Hebraei triticum pro pane perinde accipiunt, panemque pro reliquo cibo atque Graeci *τὰ ἄλφιτα.* Deinde et vinum et aquam pro potu. Plangit autem propheta eam miseriam, quam vidit in commeatus angustia, cum filii orarent a parentibus cibum aut potum, et nemo haberet quod petentibus daret, sed fame pereuntes cogerentur videre.

Et haec dicentes, corruebant. Haec dicentes de nostro est, sed continuandi causa insutum. Corruebant autem ex verbo עמת, quod concidere inter alia significat, quomodo paralytici et epileptici cadunt. Unde et Septuaginta verterunt *ἐκλύεσθαι*, quos secutus est Hieronymus.

Neque prodiderunt iniquitatem tuam. Protrahenda sunt vitia et caelanda. Utrumque tamen quando faciendum sit pietas docebit, et magister spiritus. Duo praecipue agit propheta, arguit et solatur. At omnia, ut in gloriam numinis et proximi salutem tendant. Qui fideliter solentur citius invenias, quam qui recte arguant. Nam ad consolationem possunt etiam impii connivere, ad obiurgationem vero pii nonnunquam offenduntur. Deinde qui obiurgant, citius invenias qui id cum impetu faciant, quam cum amore. Unde non est mirum quosdam ex nobis parum proficere prophetando: imprudentius enim agimus. Christus non temere praecepit, ut prudentiae non minus quam simplicitati et innocentiae studeatur. Prophetarum incuria scelera proveniunt.

Sed viderunt tibi onera, et dispersiones falsas. Hic lege si placet, Sed viderunt tibi onera falsa et dispersiones. Queritur autem propheta quod et prius coarguerat, prophetas magnifice quidem intonare onera, sed mendaciter, non ex consilio aut revelatione domini; et illorum prophetiam nihil parituram quam dispersionem, hoc est, exilium et captivitatem. Si vero nostra versio placet, iam falsas, est *ὑποζευγματικῶς* capiendum, hoc sensu: Falsa onera, et falsas dispersiones, quas scilicet non didicerunt a domino. Isthic trepidant pavidi et minantur ubi metus nullus imminet. Arguunt quae transmitti possent, et quae in proscenium sunt extrahenda, transmittunt.

Clamet cor tuum ad dominum o civitas filiae Zion. Numerum relativaque mutavimus. Est enim, clamet cor eorum. Deinde civitatem ex muris fecimus: sic enim omnia plana fiebant, et sensui nihil decessit.

Precare nocte ad principium excubiarum. Noctem in quatuor excubias non tantum Hebraei, sed et Romani distinxerunt. Cum ergo ad primam vigiliam iubeat precari, nihil vult aliud, quam ut tempestive ad orationem accingatur, imo pervigilet orando.

In compitis omnium platearum. Compita Hebraei interim capita, interim exitus viarum vocant. Latinis a competendo, hoc est, conveniendo dicta esse videntur.

Cur sic vindemiasti? Legere per nos licet, Quemnam sic vindemiasti? hoc est, excidisti?

Infantes palmi magnitudine. Septuaginta fecerunt ex infantibus ἐπιφυλλίδα, id est, vindemiam sive racematium, quod non viderunt עלל infantem et racematium significare. Deinde ex מפרים fecerunt μάγειρον, id est, cocum, quod crediderunt פ pro ב, ut alias sunt ἀντίζοιχα, positum esse. Quod in hoc tantum adnoto isto loco (nam sexcenties occurrit) ut ne quiritentur aliqui, dum et nos vident nonnunquam ostendere, quo modo vicariae sociaeque literae pro se mutuo ponantur, et subinde alium quoque sensum adferre quam alii fecerint. Quantumvis id raro fiat.

EX THRENO TERTIO.

Ego vir ille sum. Satis ambiguum est propheta de se ipso an sui ipsius populo loquatur. Nobis videtur populus loqui.

Aedificavit ad me. Quomodo in obsidionibus valla, vineae, et fossae portis ac moenibus obstruuntur, sic queritur se Israël amaritudine et labore septum.

Quadro lapide. Vide quam eleganter Hieronymus ex גזית verterit. LXX. praeterierunt.

Semitas meas incurvavit. Dixit pro, iter meum irritavit.

Et Leo in occulto. Insidians scilicet, vel leo latens aut occultus.

Filios pharetrae suae. Quam elegans sagittarum periphrasis haec est?

Et finis mihi periit et exordium. Periphrasim totius esse credidi נצח et תחלה, hoc est finem et principium, pro, totus perii a domino.

Sic iterum ad spem redeo. Sic est ex עלכן: est autem sensus, quantum me cunque opprimit malorum memoria, adhuc tamen ad spem redeo, quum dei benignitatem in mentem revoco.

Bonum est viro si tulerit iugum ab adolescentia sua. Hac sententia plane divina (si iugum pro disciplina capias quomodo certe propheta accepit) insinuat se patientiae bono adductum, ut ad spem redierit.

Quia se ipso contentus est. Ad verbum, Ad se proficiscitur, hoc est, ad se recurrit, se contentus est. Quae philosophi de hoc docent, quod sapiens, quod virtus, quod fortis se ipso contentus sit, sic sunt capienda, quod ille tandem fortis sit, sapiens, ac virtutis cultor, qui non pendeat ab alio, non a rebus externis, sed a sola mente sua, quae tamen sit numine adflata.

Ponit os suum ad terram. Proverbium esse adparet, pro, humilia loqui, non esse fastuosum, non magnifica tonare.

Saturatur opprobrio. Dotes patientis annumerat.

Neque repudiat filios hominum ex corde. Fictus ergo est deus?

Apud se fictus non est; sed nos, cum eius latent consilia aliquousque deinde patefiunt, humano hoc est nostro more ἀνθρωποπαθῶς de illo loquimur. Sensus est: in hoc se iratum ostendit, ut territis veniam det: in hoc adfligit, ut corrigat.

Dominus non novit. Horum trium carminum quae ל initialem habent, sensus hic est: Dominus non novit conterere penitus vinctos, dominus non solet flectere, hoc est, invertere iudicium hominis coram se (hoc enim est coram altissimo), Dominus non consuevit causam hominis calumniari.

Strenuus scilicet peccatis gestis. Nulla re magnus est quam perpetrandis sceleribus. Interrogavit enim: Quonam fortis est homo? sive, quo fidit homo? Et respondet: Gestis sceleratis magnus potest esse, atque illis fidere κατ' εἰρωνειαν. Fidendi autem verbum cui אדון est, cui ת, quo significatio fiat et intentior et interior, est addita.

Nos quidem praevaricati sumus. Hic nihil adnotamus, quam ἀφαιρεσιν hic esse passam, dum א initialis omissa est, quo magis liqueat voces Hebraeorum easdem passiones experiri, quas Graecorum et Latinorum.

Retexisti in ira tua, et persecutus es nos. Retegendi sive nudandi verbum est ex סכך, id est, tegere, simplicibus autem utuntur pro compositis. Dicunt autem, ut alias visum est, renudato brachio dominum percutere, pro, exerto expeditoque. Hoc modo putamus hic retegendi verbum esse captum. At si hoc minus placet, et contendas, tegendi verbum retinere, iam texisti, teipsum scilicet, armis, cum iratus fuisti. Nam et Latini tegendi verbo pro armandi utuntur.

Operuisti te ipse ipsum nube etc. Elegans est haec metastasis cum eodem verbo in eadem periodo utitur diversa significatione. סכך enim prius armare, renudare, aut expedire significabat, nunc vero operire. Sed hoc durum est, quod divina bonitas aures ita negat supplicibus, ut etiam nubem obtendat, quo minus desideria miserorum audiat. Hoc tamen nunquam facit, nisi eum sic conscelerati sumus, ut spes nulla sit reliqua, cum desperavimus, cum numen abnegavimus.

Elevatio et contritio. Nos sic intelligimus, Cum quid volumus prorsus adfligere et comminuere in sublime attollimus ac protinus deiicimus; sic elevatos se querantur Iudaei et contritos. Quod si elevandi verbo vis in bonum uti, nihil vetamus, hoc sensu, Evehebas nos olim, nunc deiicis.

Vastat oculus meus mentem meam. Quae oro prosopopoeiae gratia? Oculus mentem vastat et vindemiat, cum aerumnam suam contemplatur: tunc enim moeror excarnificat animum.

Dicebam, perii. Magis est perditus sum aut abscissus (Septuaginta enim verterunt ἀπωμαι, id est, repulsus aut repudiatus sum, quam perii. Sed cum sensui nihil decederet, Hieronymo nimus adstipulati.

Suscipe causam meam. Locutio Hebraica habet, Iudica iudicium meum, pro, vindica causam meam. Suscipiendi tamen verbum magis arrisit, ut metaphora sit ab advocatis et patronis tracta.

Omne illorum nocendi studium. Ulciscendi studium esset ad verbum, נקם. Sed hic in malam partem accipitur pro, nocere.

Redde eis citharam cordis. Adparet proverbium esse, quo conscientiae sive animi cruciatum significent. Est autem bella antithesis, Ego sum de quo canunt. Tu ergo contrista mentes illorum et occine eis quod animum eorum excarnificet. Intus canere, in sinu gaudere, paroemiis Latini utuntur, sed pro contrario adfectu.

EX THRENO QUARTO.

Dispersi sunt lapides sanctuarii. Tota haec periodus allegoria est de templo et opibus illius sumpta, qua gentem suam, quae sacrosancta fuerit domino, profanatam ac dissipatam queritur, pari iniuria ut cum res sacrae profanantur.

Sirenes nudata mamma. Sirenes idcirco vertimus, quod et in isto et in Isaia comminatur deus fore, ut in ruinis Ierusalem Sirenes habitent. Hieronymus quoque Lamiam vertit, Septuaginta *δράκοντες*. Sensui nihil defit. Est autem haec querimonia, Sirenes isthic habitant ubi populus meus habitavit, Populus autem meus domicilia istarum incolit.

Catulos suos lactant. Septuaginta *σχύμνος* verterunt, non male quidem: sed venustius facturi si *χόρος* transtulissent, ut opes linguae Hebraice renituissent, cum Graecos *κῶρον* ex גור transformasse adpareat, addita *ος* inflexionis causa.

Et qui in purpura educati fuerant stercus induerunt. Hic genuinam hyperocham habes Lector in, Stercus induerunt. Stercus enim quis induet? sed eius nomine universas sordes complectitur. Hoc enim distant hyperbola et hyperocha, quod in illa comparatio abstrusa est, in hac vero minus: id quod etymon utriusque indicat, *ὑπερβάλλεσθαι* et *ὑπερέχεσθαι*.

Nec in deditionem acceptae. Supra habuimus manus dari pro dedi. Verbum autem חלה, hoc est, unde תחלה derivatur, hoc est, principium. Huc ergo spectavit Hieronymus, quod coepit, incepit et accepit, in loco Latinis significat, cum sic transtulit, et non coeperunt in ea manus. Eum ergo in verbo capiendi secuti sumus. Septuaginta sic verterunt *καὶ ἐκ ἐπόνεσαν ἐν αὐτῇ χεῖρας*, id est, et non laborarunt in ea manus, hoc sensu, quod non venerint ad manus, hoc est, ad confligendum et manus, conserendum, quod *ἀναιματί* interfecti sint repentina flamma. Quam sententiam si sic voles reddere, Quam nulla manus vulneravit, per nos licebit.

Rubebant instar Sardii. Hic primum attendemus qualenam fuerit Nazareorum genus: Adolescentes videlicet, qui sub magistris educabantur disciplinae praeceptis. Ne quis verum credat quod quidam ex eis istud Monachorum genus faciunt, quod hodie nihil pium, doctum, et pulchrum amplectitur, quam quod ad libidinem facit. Porro Sardium eum credimus, quem Plinius Sardonycham vocat lib. 37. cap. 6. Quem adparet ex etymo eo colore esse, quo vividus unguis humani digiti: talis enim ferme est rubor adolescentium succi plenorum.

Inter margaritas. מפנינים magis est de margaritis; sed de, vel ex margaritis, quid aliud quam inter margaritas est? Margaritas autem vertimus non gemmas, eo quod פנינים utrunque significet, et quod margaritae ad comparationem quadrant. Sicut Sardonycha venuste

inter nitentes margaritas purpurissat: sic Nazaraei lacte et nive candidiores, vivaciter rubebant.

Saphyri similis erat elegantia et polities eorum. Tantam paraphrasim efferunt Hebraei duabus istis vocibus, סַפִּיר גִּזְרָתָם, id est, Saphyri polities eorum.

Manus mulierum natura mitium. Mitium, tantum esset, nisi quod nomina in יָת deprehendimus ingenium et habitum sive ἕξιν quandam consignificare.

Qui fuderunt in ea sanguinem innocentium. Huc trahebant pseudoprophetae et avari sacerdotes magistratum, ut innocentem esse noxa esset capitalis: huius nunc monet propheta. Contemplare nunc mihi Papistarum mores, an quid huic dissimile faciant: an non crudelitate omnes Manasses superent?

Ut in plateis vacillent caeci etc. Huius periodi sensum a superiore credimus pendere. Ut tantum innoxii sanguinis fusum dicat a sacerdotibus et pseudoprophetis, ut caeci in illum impingentes luctentur et prae lubrico vacillent ac nutent. Cum tamen interim tam sancti et puri amarent videri, ut cruentatam vestem ne contingerent quidem, ne dum cruentarent, etiam innoxio sanguine. Transtuleramus adhuc in alium sensum, sed huic nonnihil affinem. At ille genuinus videtur. Semper enim questi sunt prophetae, usque ad Christum, quod simulata sanctimonia circumscriberent sacerdotes et pseudoprophetae populum, cum interim eis nihil esset crudelius atque sceleratius.

Clamabant ad omnes. Ad eos, est ad verbum: sed sic inducunt Hebraei indistincta sive impersonalia.

Veruntamen hoc dixerunt. Acris est haec ἀνάκλασις, id est inversio. Dixerant illi quidem, Recedite, abite, nolite tangere, per hypocrisim. Et propheta dicit, Cum sic locuti sunt, eadem opera dixerunt, Incendamini, incertis vagemini sedibus, nolite ultra incolere. Hoc sensu, Cum sanctimoniam suam commendarunt sacerdotes rebus frivolis, et prophetae mentiti sunt, tunc, tunc parata sunt nobis haec mala, excidium, exilium, exitium.

Vultus domini relegavit eos. Primum, vultus pro voluntate et sententia domini capitur symbolice: in vultu enim deprehenditur animi constitutio. Deinde relegandi verbum ex dividendi transtulimus: sonat enim, partem dedit eis, sed in malo. Unde sensui nostra versione nihil defit.

Ne incederemus in plateis. Periphrasim vitae et conversationis esse credo, pro, negant nobis hostes nostri domi versari, aut otiari.

Spiritus vultus nostri Messias dominus capietur in vastatione eorum. Spiritus vultus nostri, hoc est, vita nostra. Messias dominus. Quem facient Hebraei eum, qui hic Messias adpellatur? cum sanctissimum dei nomen illi adpositum sit? יְהוָה. Capietur autem pro captus est vertimus: quia hactenus neminem vidimus quem illi Messiam demonstrare audeant, qui יְהוָה sit adpellatus. In vastatione autem eorum, idcirco vertimus verbum verbo reddendo, ne in re controversa viderer vim fecisse scripturae propter meam sententiam, quantumvis Septuaginta verterunt ἐν ταῖς διαφθοραῖς ἡμῶν, id est, in corruptio-

nibus nostris, hoc est propter corruptiones nostras, quo mysterium mortis Christi praecinerent. Nam cum ad hunc modum transtulimus, gentium vocatio clarius promittitur, quam si Septuaginta sequeremur. Eorum, enim quos referre potest quam de quibus antea sermo habitus est? Sed de his est habitus, qui in deserto insidiabantur Israëli, Babylonii scilicet, sub quibus gentes comprehenduntur: non enim venit Christus solis Babyloniis. In vastationibus ergo gentium, hoc est, sceleribus, In tenebris eorum, hoc est, propter corruptionem eorum captus est. Quam sententiam confirmant quae sequuntur.

De quo nos dicimus, In umbra eius salvi erimus inter gentes. De quo nos dicimus, hoc est, de quo sentimus et confitemur. In umbra, hoc est, defensione et propugnatione, salvi, hoc est, liberati erimus, inter gentes. Quis autem est Adonai ille יהוה, qui Iudaeos ex gentium tyrannide liberaverit? Porro cum nullum possint ostendere, fateantur huius sermonis hunc esse sensum: Respiratio et vita nostra Messias capietur propter cunctorum hominum corruptiones sive scelera, ille Christus sive Messias, de quo publica tenet fides ac persuasio scripturae nixa, quod eo liberatore et opitulatore (nam umbram pro protectione accipi illis translatitium est) salvi simus futuri, non carnales Israëlitae neque Palaestinae cives, sed inter gentes simus futuri salvi, hoc est, quum gentes in nos transformabuntur, iam inter gentes salvi sumus, hoc est, servati, ex quibus ecclesia constat: nam nos quod ad carnem adtinet periimus.

Filia Edom. Haec ad nostram faciunt sententiam. Israëlis frater erat Esau, qui et Edom. Huic ergo minatur parem aerumnam, quia inter gentes instaurabitur, hoc est, ex gentibus superstes erit ac integer Israël.

Perfectum est peccatum tuum filia Zion. Haec nihil aliud quam ordinem promittunt, videlicet, Cum Israël mulctam ac poenas pependerit, proximum esse ut Edom adfligatur. Quod autem dicit, Non transportabit vel relegabit te amplius: ad hoc tempus debet referri, quo adhuc erat Israël populus et ecclesia dei: quod non est amplius, cum parricidio Christi repudium commeruerunt.

EX ORATIONE.

Aegyptiis olim dediti fuimus. Manum dare, dedere se est, ut supra diximus, dediti ergo pro, manum dantibus vertendi sunt nobis visi.

Nunc autem et Assur, ut saltem pane vesci daretur. Quae hic de nostro attulerimus non est cur fateamur, sed solum cur addiderimus dicendum est. Duas expertus erat Israël hoc tempore captivitates, Aegyptiacam et Babylonicam. Cum ergo priscam prius commemoret, licuit cum ad alteram venit addere, nunc. Deinde, ad saturari pane, precativa vel optativa oratio visa est. Vertimus ergo, ut saltem pane vesci daretur. Nisi, quod ferme similem sensum adfert, dicere malis: Nunc autem et Assur dediti sumus, ut pane saturemur, hoc est, servi simus abiecti et incurati, qui vix pane saturentur, nullumque additur obsonium.

Prae siccitate deserti. Hunc sensum idcirco reddidimus, quod

videatur propheta hoc dicere: Inoultam et feram proscindere terram compellimur, ubi tantus labor imminet propter soli duritiem ac aridi-tatem, ut de vita periclitemur.

Humiliatae sunt. Honesto vocabulo utuntur Hebraei cum stuprum oblatum puellae aut Venerem, significant, humiliandi scilicet.

Adolescentium viscera hauserunt. Vertimus ne quid verecundius cogeremur. Sed, si placet lege, Adolescentes ad molam rapuerunt, vel, Molae rapti sunt.

Haec sunt candide Lector, quorum causa complanationem istam ante biennium absolutam texuimus. Et ut omnia planius atque simplicius capias, id quoque celare te nolo, anno vigesimo octavo perfectam hanc telam reddidisse. Cumque post principium huius tricesimi primi anni Chalcographus exemplar ambiret, fratresque ferme omnes, praecipue tamen *συμμύσαι*, Leo, Carolstadius, ac Pellicanus quotidiana iniustitia instarent ne negarem, invitus parui, quod meo iam malo multis annis didici, quantum occupationum adpetens mihi ver progerminet. At parui, factumque est, ut textum non usque ad finem recognitum hianti prelo dare coactus sim, ne cursum sistere cogeretur. Adnotationum autem cum ne apicem quidem ullum unquam reponam, subito fuerunt, ex his quae Leo inter enarrandum e transcursu excipit, fingendae, et antequam coctae essent, extrudendae. Ogganniebat hinc preli os implacabile, vorans quicquid e manu exiisset; hinc tantum non ad supplicium postulabant occupationes. Curro igitur per diem sursum deorsum, quo istas demerear. Nocte paro, quod insatiabili illius rictui obiectem. Interim autographam complanationis proponens mihi ad annotandum, interim vero exemplum excusum, interim a fine annotans, interim a medio, interim vero a fronte. Cum enim complanationem ordirentur operae: iam cauda mihi exemplaris occupanda erat, cum ad medium pervenissent, et autographum in multa discerptum esset, iam exordium excusum proponendum erat. Postremo cum absoluta esset complanatio, vix tandem redibat ad me autographum ex quo annotarem. Quibus factum est, primum ut in complanatione, quantumvis pauca, mutata voluissem, quae mutare non licuit: excusa enim erant antequam recognoscere daretur. Deinde ut annotationes rusticiores et incultiores prodeant, quam si ante tempus potuissem perscribere ac retractare. Nunc cum de manu, quod in proverbio est, ad os preli scilicet rapta sunt, et fere noctu scriptae *ἀμαύρως* esse non est mirum. Quicquid id est, candide Lector, aequi bonique consules, et valebis. Tua industria luculentiora daturus.

ANNOTATIONES HULDRICI ZUINGLII

IN EVANGELIUM MATTHAEI.

CAPUT PRIMUM.

Evangelium bonum nuncium sonat. Post gustum Adae facti sumus omnes filii irae, ex peccatore scilicet peccatores nati. Omnes eramus praevaricatores et hostes dei. Causa autem inimicitiae inter deum et nos peccatum erat. Iam nemo erat qui nos cum deo reconciliare potuit, eo quod omnes eramus peccatores, eidem culpae omnes obnoxii. Misertus nostri deus filium suum unigenitum in mundum misit, ut fragili carne circumdatus morte sua nos liberaret, et gratiae dei restitueret. Qui conceptus de spiritu sancto ex virgine nascitur, et tandem sese pro nobis patri volens per mortem offert, nostra peccata expians. Huius tam immensi beneficii a deo per Christum exhibiti annunciatio ac praedicatio Evangelium dicitur.

Deinde duplex est iustitia, Dei, id est, quam deus adprobat, et quae coram deo consistere potest; hominum altera, quam innocenter et honeste vivendo coram hominibus nobis vindicamus. Quantacunque vero haec fuerit, coram deo, qui summum, aeternum et purissimum bonum est, consistere nunquam poterit. Ignis enim est aeternus et purissimus, apud quem manere nihil poterit quod contaminatum est. Nemo autem hominum quamlibet iustus sine macula est, etiamsi iustitiae ad summum studuerit. De nostra ergo iustitia, etiamsi maxima fuerit, nobis desperandum erit coram deo, ut de nostra iustitia diffisi ad misericordiam et gratiam dei per Christum exhibitam confugiamus supplices. Filium enim suum nobis dedit, ut noster esset totus. Is nostra iustitia et innocentia erit coram deo. Huic uni fidamus, huic firma fide haereamus. Hanc gratiam tam immensam si fideli pectore receperimus, tum deum vere agnoscemus, nempe quod sit pater noster pientissimus. In hunc cor nostrum rapietur ut in eo ardeat: huic uni placere, et coram eo innocenter ambulare studebimus, ne hunc tam benignum patrem unquam offendamus summopere cavebimus, patienter et aequo animo ferentes quicquid nobis a tam amante patre sive laetum sive adversum obvenerit. Haec est iustitia fidei, quam deus adprobat, et quae coram oculis dei consistere poterit.

Titulus est, *Liber generationis Iesu Christi filii David etc.*)

Hoc est, in hoc libro continetur, qua ratione Christus homo sit factus, et a matre virgine in lucem editus, quae generatio per patriarchas regesque nobilissimos deducitur.

Quod Matthaeus ex telonio in Apostolum et Evangelistam vocatur, divinae misericordiae ac clementiae insigne exemplum est. Quum inter omnia vitia nullum sit quod magis impediat hominem, ne ad cognitionem veri dei veniat, quam pecuniae studium. Hoc enim a deo avocat, et rebus huius saeculi implicitum reddit.

Quum desponsata.) Haec desponsatio facta est antequam angelus Gabriel ad eam veniret. Iuxta morem ergo desponsata fuit virgo. Sed interim deus aliud disponit, nempe ut sine semine virili fiat mater, spiritus sancti fecundatione, eo quod is qui in ea concipiebatur et ex ea nascebatur filius erat dei. Observandum hic, deum omnia consilia nostra, omnesque actus disponere et moderari iuxta beneplacitum suum, etiamsi nos aliquando diversum statuerimus. Ex quo etiam discimus hypocriticam illam virginum Vestalium castitatem (quae apud nos celebris et frequens est) apud Iudaeos haudquaquam fuisse. Apud Ethnicos virgines fuisse Vestales in confesso est, at longe alia ratione quam monachae nostrae perhibent. Educabantur enim sub honesta disciplina in certo aliquo loco, donec ad aetatem venirent nubilem et desponsarentur. Quod vero Maria perpetua mansit virgo, ne tu trahas temere in exemplum, quod imitari velis, nisi singulari quadam revelatione ad id vocata et electa. Inter omnes mortales hanc unam ad hoc elegit, ut casto intactoque corpore Christum filium dei gestaret, et mater esset sine virginitatis et castitatis iactura. Hoc privilegium nulli creaturae concessum est. Ad institutionem ergo dei nobis respiciendum erit et vivendum, ut debito tempore matrimonio nos iungamus, nisi certi simus aliud deum de nobis statuisse. Ne ergo dicas: Christus non duxit uxorem, ergo nec ego ducam, neque enim est similis ratio. Nam licet homo fuerit verus, deus tamen aeternus et verus fuit, cui nuptiae non competebant. Interim tamen ad commendationem matrimonii de desponsata matre nasci voluit. Est quidem Christus exemplar vitae nostrae, in quo tamen quaedam sunt quae nobis minime competunt. Virtutes, obedientiam, humilitatem, modestiam, patientiam, mansuetudinem, eximiam caritatem ac beneficentiam imitari licet; ad perfectionem divinitatis mortalibus protingere non erit fas.

Priusquam congressi.) Antequam scilicet virgo in aedes mariti reciperetur, antequam in unam domum convenirent, observatum est a marito coniugem ferre uterum. Quod mysterium dum primo ignorat, postea ex angelo discit. Sentit eam gravidam, nec ex se, quam nunquam cognoverat; quo fit ut de ea relinquenda cogitet. Ab angelo autem edoctus, sententiam mutat. Atque hic cardo fidei Christianae versatur, ut credamus Christum filium dei in utero virginis vere conceptum esse, absque tamen virili semine, virtute spiritus sancti.

In somnis.) Insomnia, quibus deus nobis aliquid praeter morem revelare et manifestare dignatur, tametsi naturalia sint, praeter tamen cursum consuetum insomniorum in his aliquid concurrit, id ita disponente pro electis suis deo. Visiones enim dei in luce dei fiunt clarissimae

et indubitatae. In quibus sic nobis voluntatem suam ostendit, ut de ea dubitare nihil possimus. Non sunt talia somnia Catabaptistarum, qui sibi revelationes et visiones quasdam somniant, ubi nullae sunt. Quae de somniis dicimus, eadem intelligi volumus de vigiliis: nam in his quoque deus suis adparet, et voluntatem suam manifestat.

Porro hoc totum.) Dum propheta loquitur, deus loquitur, est enim instrumentum dei. Non quod deus instrumentis egeat Nam in hoc similitudo fallit. Deus non eget instrumentis, sed utitur: homo absque organis nihil potest. Utitur autem creaturis suis deus, non propter se, sed propter nos. Quandoquidem ergo instrumenta sumus dei, fit ut deus aliquando nobis adscribat quod tamen ipsius solius est, nullius creaturae. Exempla huius ex rebus quotidianis desumamus. Dicit aliquis, Equus meus advexit mihi hac hyeme haec ligna. Quid vero potuit equus absque magistro duce et directore? Sic ad apostolos Christus, Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: quum tamen remittere peccata, praeter unum deum nemo possit. Quod si homo hac dei indulgentia et benignitate elatus sibi placuerit, seque authorem huius rei, quam deus largitur, fecerit, quum instrumentum duntaxat sit, non faciet hoc sine scelere, neque impune. Deo enim gloriam suam rapit, nec secus facit, quam si lutum figulo diceret, Non me fecisti: aut, Ego me ipsum finxi. Propheta ergo ex deo loqui debet, et ex deo corripere peccantes, non suo nomine: nec sua doceat, non gloriam aut lucrum suum quaerat.

Ecce virgo.) Ex virgine, eaque intacta et purissima nasci Christum oportuit, qui futurus erat purgator omnium hominum.

Emmanuel.) Interpretatum sonat Nobiscum deus. Nobiscum vero esse deum, est eum esse nobis familiarem et peculiarem, imo nostrum. Factus est quasi unus ex nobis. Fiduciam hoc in nobis erga eum excitat. Nec adversum est nomen Emmanuelis nomini Iesu. Iesus enim servator est et fortis deus, qui in hoc venit ut servet nos. Significatio ergo utriusque vocis eadem est. Fortis deus venit ad nos ut nos servaret, ut sit salus nostra: per periphrasin ergo propheta Christum circumloquitur. Nobiscum aut nostrum esse est servatorem nostrum esse, patrem nostrum, patrem quam familias.

Donec peperit.) In tractatione rerum divinarum dum coetus sacer coit, oportet ut habeamus verba et spiritum. In controversiis enim scripturarum (si quae oriuntur) spiritui duci ac magistro literae obedire debemus, quidque is iudicet diligenter animadvertere, non literae pertinaciter contra dictamen spiritus inhaerere, minus contra scripturas spiritum iactare. Spiritui scriptura consonet. Loquor autem de nostro fidei spiritu, qui nisi frenis ac funibus scripturae sit revinctus, iam petulans ac ferox extra chorum (quod dicitur) et organum effertur. Sic spiritus ille noster coelesti et divino spiritu doctus et imbutus, scripturae konformis fiet. Spiritus ergo nostri lydius lapis est scriptua. Ad hanc nobis explorandi spiritus sunt. Erravit Helvidius in verbo Donec: non enim animadvertit scripturae morem. Nam Donec non simpliciter exclusivum est, neque certum tempus definit, sed ultra etiam extenditur. Quod apud Esa. 42. videre est, ubi dicit propheta, In

veritate educet iudicium, donec ponat in terra iudicium etc. Non tempus praescribit, sed ostendit Christum per iustitiam et iudicium regnaturum perpetuo. Sic Psal. 109. Donec ponam inimicos. Quid dicis Helvidi? An post iudicium Christus ad dexteram patris non sedebit? Quod consequetur, si tua sententia firma erit. Sed absit haec tam impia cogitatio a fidelium mentibus. Sic 2. Pet. 1. Donec dies illucescat. Evangelista ergo hoc vult probare, quod post partum virgo permanserit. Nam si virgo fuisset duntaxat ante partum: quid signi ergo hoc erat quod propheta futurum praedicit, quum haec usu quotidiano eveniant, ut virgines pariant, at virgines in partu non manent? Peculiare ergo quiddam et stupendum tam propheta quam Evangelista indicare voluerunt.

CAPUT II.

Quum natus esset.) Hoc capite dominus prophetias aperit, quas de repudiatione Iudaeorum, deque gentium vocatione olim praedixerat. Magi enim, quibus ortum filii sui manifestat deus, gentium primitiae sunt. Venisse eos duodecima die post nativitatis diem aut tres fuisse ac reges, scripturis sacris non constat, nec verisimile est. Videtur autem haec opinio a gentilitio ritu fluxisse. Nam forte dies sextus Ianuarii sacer erat Romanis in Saturnalibus. Haec ergo tam vana a Roma habemus. Hoc in Kalendis et permutatione festorum deprehendere licet: in summa, gentilitatem quandam resipiunt. Hinc patet pontifices Romanos parum aut nihil fidei hausisse. Ubi enim vera cognitio est dei et Christianae religionis, nihil movetur externis illis animus, quae pro se libera sunt. Veteres saniori ratione ducti celebre festum hic instituerunt, Epiphaniam domi, hoc est supernae apparitionis, celebrantes. Apparuit enim pater voce, filius carne, spiritus sanctus columbae specie. Baptismi nempe Christi et adventus Magorum memoriam habuerunt. Magi Persis sapientes sunt, wyſe gelerte lüt. Ut astrorum erant peritissimi orientales, ita astris cum eis agit deus, astro mirabili eos ad cognitionem filii sui ducens. Foris astro ducuntur, intus nimirum illustrantur. Aliquem ergo magnum et potentem in Iudaea ortum esse partim stella metiuntur, partim deo docente pervident.

Turbatus Herodes.) Qui magni et potentes sunt in mundo, gravatim ferunt Christum praedicari, gloriamque dei illustrari. Christus enim innocentia est, virtus est, humilis est, veritas est. Contra illi iustitiae sunt hostes, mali, vitiis ac flagitiis dediti, elati, mendaces.

Et omnis Hierosolyma cum illo.) Placere impio regi volunt hypocritae: quum angue peius Herodem oderint, simulant tamen se condolere crudelissimo tyranno, cuius violentiae et tyrannidi, si pii et boni homines fuissent, resistere conveniebat. Pessimi ergo sunt qui pessimo favent nec obstant, et digni qui eius tyrannide premantur.

Exibit ex te dux.) Ex te nascetur prodibitque imperator populi mei electi. Christus enim via est et ostium per quod itur in deum. Christus caput est suorum.

Accurate.) Impii tempus et occasionem diligentissime observant, ut magis nocere possint. Atque hac in re filii huius seculi filiis lucis

longe praestant. Deinde insidias nocendique artes mire simulant, ac pietatem praetexunt. Simulat enim se adoraturum puerum Iesum, quem iam animo statuerat occidere, et contra quem crudelissime saeviebat.

Illusus a magis.) Magi, ut supra notatum est, sapientes sunt, astrorum et omnium rerum peritissimi. Huiusmodi homines fere administrationi rerum publicarum adhibuerunt gentes. Neque enim ullae respublicae felicius gubernantur, quam quae a sapientibus reguntur.

Quam viderant in oriente.) Terra eorum Hierosolymis ad orientem erat. Stella ducit reges, nobis lux divinae veritatis dux viae est. Sed nos praesentibus rebus capti hanc praelucentem facem non videmus. Similes sumus pueris, qui varii coloris lapillos dum colligunt, varia illis indunt nomina, aurum vocantes et argentum et gemmas etc. Sic faciunt avari et mundi amatores: alius marmor e longinquo advehit, aurum alius admiratur. Hoc vero stultiores pueris quod pluris eos constat tam frivolum iudicium. Oportet ergo animum a rebus praesentibus abstrahere, et oculos ad coelestia ac stellam istam attollere, hanc sequi. Et ferendum quidem, si stulti duntaxat essemus, non etiam scelerati nequam, omnibus flagitiis et criminibus obnoxii.

Gavisi sunt.) Qui in cognitionem dei veniunt, animi gaudium et consolationem percipiunt. Tunc aperiuntur thesauri fidei, paratique fiunt et facere et pati laeto animo, quaecunque vel gravissima ob Christum et veritatem obveniunt.

Ecce angelus domini.) Fugit in Aegyptum Christus, et pugnam pro nobis orditur primam, eamque laboriosissimam. Hoc diligenter in pectore nostro trutinemus, Christum filium dei pro nobis omnibus malis expositum esse. Non satis fuit illi, ut frater noster esset assumpta nostra fragilitate, sed cogitur etiam deserta patria peregre fugere, et exul esse.

Ex Aegypto vocavi. Vocatio Israelis ex captivitate Aegyptiaca, figura fuit eius, quod Christus ex Aegypto revocatur.

Tunc videns Herodes sibi illusum.) Sic impii, dum vident se nihil contra veritatem posse, et sibi praereptam occasionem cui intenderant, furunt et omnem crudelitatem exercent contra pios, tantam inquam quam nullius lingua vel eloquentissimi eloqui possit. Quaerit aliquis, Quid opus fuit Christo in Aegyptum fugere, qui deus erat? cur non occidit tyrannum? Responsio, Causas divinae voluntatis pervestigare impium est, et fideli homini valde indignum. Quandoquidem vero et fidelium caro in divinis rebus semper curiosa est, et pervestigare non desinit, dicamus aliquid ut tranquilletur. Paulus ostendit Christum voluisse nobis per omnia similem fieri, Hebr. 4. Quae igitur homini gravissima et molestissima sunt, Christus in se primum suscepit. Gravis est nobis paupertas, at Christus in paupertate natus. Grave exilium pati et extorrem esse, sedibus propriis pelli, at hoc grave iugum Christus in pueritia sua fert. Si dicis, Parentes eius fuerunt pauperes et obscuri, ideo minus doluit. Imo hoc magis dolet quo sunt pauperiores. Habent enim divites quibus se solentur, quibus quae desunt sarciant. Grave est periclitari famam, Christus maxima contumelia fuit affectus. Quid enim magis infame quam latronibus assimilari?

imo inter latrones ut principem latronum suspendi? Nomen eius gravissimis convitiis fuit blasphematum. Haec omnia propter nos in corpore suo passus est, ut caritatem eius intelligeremus. Nos etiamsi aliquando aliquid facimus, nostra tamen semper quaerimus. Christus omnia propter nos facit, nihil lucri, nihil gloriae quaerens, quum nullius egeat.

Tunc impletum.) Vlulatus et querimonia magna audita est propter captivitatem Babylonicam late longeque. Indicat magnum dolorem captivorum. Rachel plorat filios, per synecdocham Israëlem intelligit totum. Rachel mater est Ioseph, et Ioseph frequenter pro Israële ponitur. Qui reliqui manserunt in terra Israel, ex dolore quiritati sunt propter eos qui captivi fuerunt abducti, omniaque clamoribus impleverunt. Evangelista detorquet haec verba ad Christum: omnia enim quae in veteri testamento etiam vere sunt gesta, in figura tamen contigerunt, et figurae fuerunt, in Christo omnia consummantur et vere implentur. Quod prius in Israële praecessit et iuxta vaticinium Hieremiae impletum est, in Christo iam denuo et verius completur. Facta veteris testamenti non facta solum fuerunt, sed et figurae. Exemplum, dum Iacob cum angelo pugnat, factum est verum, item dum duas ducit uxores etc. At figura est in Christum venturum, qui dum sibi et Iudaeos et gentes in vana ecclesia desponsat, impletur figura in Christo, et fit denuo quod semel in Iacob vere factum fuit. Aliud ergo est vera prophetia, aliud verum factum in figura; utraque diversimode implentur.

Quum audisset Archel.) Ostendit Evangelista qua sit factum occasione, ut Christus Nazaraeus dictus sit, quum Bethleem sit natale solum. Quaeris an non etiam metuendum in Galilaea? Respondeo, Post captivitatem Babylonicam plures fuerunt gentes in Galilaea quam Iudaei aut Israëlitae. Melius ergo latere potuit et tutius in Galilaea quam in Iudaea, cui praeerat Archelaus. Sed cur illo redire metuit, qui ubique consolantem praesentemque habet angelum dei? qui oraculo dei ubique dirigitur? Scit nimirum omnia divina providentia fieri Iosephus, siquidem fidelis est. Num potuit ipse metu et facto suo providentiam divinam immutare? Haec enim in speciem ita videntur, ac si Ioseph prudentia sua servet puerum. Describit Evangelista quid sit hominis officium, quidque hominem pium facere conveniat. Sedulus debet esse fidelis; et quo magis deo fidit, hoc diligentius studet et sollicitus est, ut quae deo placere novit promoveat, quae deo displicent caveat et extirpet: haud ignarus interim, se non plus posse quam velit et ordinarit deus, quem scit omnia in omnibus agere. Sic hominem condidit deus, ut perpetuo agat et conetur quae recta et divina sunt, perpetuoque sit sollicitus et sedulus, nec tamen plus efficiet, quam velit deus. Exemplum in promptu est. Agricola diligenter observat tempus et omnia momenta, lunae cursum attendit, proscindit terram, seminat, occat etc. Nihilo tamen minus si deus non volverit, nihil provenit: si deo placet fame nos punire, irritus erit omnis labor eius. Adhuc tamen non cessat ille. Terra non dat nisi quantum deus vult. Quid (inquis) sibi vult deus, quod laborare iubet hominem, ipse vero non

plus dat quam sibi fuerit libitum? Sic placuit sapientissimo, iustissimo et optimo patri, ut inter caeteras creaturas ordinem haberet eorum, qui ipsum animo nossent, corpore exercerentur. Homo enim ad laborem conditus est, ut avis ad volatum. Placuit altissimo fingere talem creaturam, quae partim angelis par esset, spiritu scilicet coelestiaque cogitaret ac cognosceret, partim iumentis, corpore videlicet. Iam si homo non laboraret, quid esset nisi pecus? Hoc plane in voluptuariis et otiosis hominibus videmus, qui nihil faciunt quam scortari, libidinari etc. Est pater aliquis qui filium habet quem posset educare absque labore, sed exercet eum. Debet ergo homo facere quod suae vocationis est et sui ordinis, fide interim expectans eventum quem deus vult.

Nazaraeus vocab.) Nazaraei discipuli fuerunt qui sub disciplina ad eruditionem educabantur, ut est in libris Mosis. Hieronymus a flore *neser* deducit: ex Nazareth enim flos Christus est. Aliis aliud placet, ut sit a separatione Nazaraeus ad eruditionem et doctrinam separatus et educatus. Hoc certum est, id cognominis non fortuito datum esse Christo, nec temere, sed divina dispensatione. In prophetis dicit, nullum tamen certum definiens, sed indefinite loquens, quod non est rarum.

CAPUT III.

In diebus illis accedit Ioannes.) Hic incipit Evangelii praedicatio. Voluit enim Christus suam doctrinam orbi commendare et omnino amabilem reddere, ut vel hostibus esset commendatior, nec impii quidquam in ea desiderarent. Primum ergo deus insignibus ortum natalibus, probe educatum, et omnium testimonio probatum hominem Ioannem Baptistam praemittit, ut ille primum orbi hanc doctrinam praedicet, ac si qui essent quibus austera vita placeret haberent quod alliceret. Rursus Christum filium suum misit deus post Ioannem, qui familiariter inter homines conversatus, mansuetudine et benignitate cunctos alliciens, misericordiae divinae specimen exhibuit; decuit ergo eum vita comis et facilis. Sic utrinque cavet deus ne quid culpare possint homines. Ioannis igitur strenua praedicatio austeraque vita, sanctitas denique eximia, magnam ei authoritatem et existimationem apud Iudaeos conciliat; at hanc non agnoscit, neque sibi arrogat: in Christum omnia dirigit, et cunctum populum in authorem omnium bonorum quasi manuducit. Authoritate praedicationis, et vitae sanctimonia Heliae erat similis. In diebus illis, loquutio est Hebraica, suo quodam tempore: quod Latinus diceret, Appetente tempore, vel dum tempus adesset.

In deserto.) Midbar desertum est, locus scilicet non habitatus ab hominibus, at non omnino sterilis, sed foecundus et aptus pascuis; locus pascuus et pecoribus idoneus, ut alpes sunt Helveticae. Helvetia enim olim desertum est vocata. Sic Iudaei montana et saltus desertum vocant. Solitudinis vocabulum aliud est Hebraeis. Desertum ergo vocat Evangelista tribum Iuda quae in montanis habitabat.

Resipiscite.) Summa tantum hic attingitur Hebraico more: non enim tam brevibus verbis praedicationem suam absolvit Ioannes, sed pluribus illustravit. Quod Latini dixissent, Ioannes praedicavit poenitentiam: hoc Hebraei induentes rem persona sic exprimunt, Resipiscite etc. Summa autem Christianae religionis his paucis verbis comprehensa est, Resipiscite. Quasi diceret: Qui volunt esse Christi, posita vita veteri, novam inchoent, necesse est, Christiana enim vita regeneratio quaedam et nova vita est. Notandum quod poenitentia, quae evangelii altera pars est, nonnunquam per synecdochen pro toto evangelio ponitur, ut Act. II. discipuli deum glorificaverunt, quod et gentibus poenitentiam concesserat ad vitam, hoc est salutem gentibus per Christum donaverat. Ubi obiter nota quod fideles gaudent, si quis ad fidem convertitur. Deinde quibusdam in locis poenitentia et remissio peccatorum simul iuncta leguntur, ut Act. 20. et Lucae ultimo. Qui poenitent, evangelium recipiant et amplexantur.

Regnum dei in propinquo est.) Coelestes divitiae quas deus mundo promisit et praestare vult, iam in foribus adsunt. Adest Messias per prophetas promissus, et a patribus tantopere expectatus, semen Abrahae promissum in quo benedicentur omnes gentes. Hunc obviis ulnis accipite etc.

Vox clamantis.) Hoc est, Vox clamans. Non secus ac si quis in loco procul ab hominibus posito vocem extollat ac clamet. Quid hic promovet? quum nemo sit qui audiat, nemo qui recipiat. At nihilominus deus vult mundo verbum suum innotescere.

Parate viam.) Metaphora tracta est ab adventu magnorum regum et principum. Allegorica enim sunt omnia. Regi venienti placere haudquaquam potestis, nisi obliquas et pravas peccatorum vias complanetis, et emendetis, colles elationis et fastus humilietis. Poenitentia quam Ioannes et Christus praedicant, non est otiosa quaedam res, aut quae ad tempus tantum duret, sed perpetua quaedam vitae renovatio est et sui ipsius displicentia. Homo plenus est malis, imo malorum et scelerum omnium lacuna. Hoc si quis diligenter pensitaverit, quomodo non dolebit? aut quomodo non potius desperabit? In hac desperatione Christus servator noster opem fert et manum praebet. Quandoquidem ergo sic sumus infecti atque conscelerati, debemus omni tempore onus peccatorum abiicere, nobis displicere, et ex animo poenitere ac resipiscere. Oportet ergo ut incessanter peccata nostra protrahantur et nobis ob oculos ponantur, ut his conspectis confusi et territi ad fontem gratiae adcurramus. Malitiam vero nostram (si quis tergiversari velit) hoc indice deprehendemus. Est ius naturae bene institutae, est ius scriptum, est ius gentium et civile. Haec omnia bona sunt quatenus iuri naturae et dei consonant et nituntur. Cur iam furem capite plectimus, quum nec dei neque naturae lex hunc occidere iubeat? Contra, cur mendacium non gravissimo supplicio persequimur? Cur adulterium non lapidibus obruimus, quum lex divina hoc velit? An non hoc malitia nostra fit, quae ex philautia et rerum amore nascitur. Pluris facimus opes quam veritatem; iacturam igitur veritatis nihil curamus: si aureum quis surripit, morte dignum putamus. Percurre sic caetera, et invenies

nihil sani, nihil integri in nobis esse. Quicquid agimus, ex affectu fit carnis, aut saltem carnis affectu contaminatur, ut etiam fidei opera per sordes carnis in nobis vitientur. Ad deum ergo, qui purissimus et sanctissimus est, nobis accedere haudquaquam licebit, nisi sit qui nos lavet et deo gratos reddat. Hic est Christus quem adesse Ioannes non voce solum clamat, sed digito quoque monstrat. Ad hunc ergo sarcina peccatorum onerati curramus! is nos gravissimo hoc onere levat. Peccata enim nostra in se recipit, et iustitiam suam nobis impartit, desperabundis et afflictis conscientiis requiem, consolationem, et tranquillitatem praestat; modo pristinae vitae nos poeniteat, et novam orditi meditemur.

Vestimentum de pilis.) Hypotyposis severae et austerae vitae proponitur, quae illum decebat, qui limes erat legis.

Et baptizabantur.) Non ordo baptismi describitur, quomodo, quibus verbis, aut qua forma vel fieri debeat, vel datus sit; sed de officio praedicationis potissimum sermo fit, quod scilicet soli deo fidendum, et ex hac fide pie ac sancte coram eo vivendum sit. Coepit ergo negotium Ioannis praedicatione, baptismo inaugurabat eos qui fidem erant professi. Ut hic locus Catabaptistis nihil possit suffragari, qui baptismum parvulorum reiiciunt. Nam adulti ad Ioannem veniebant, qui si fidem profitebantur, baptizabat. Et puto hic baptizare capi pro docere et aqua lavare.

Quum vidisset autem multos ex pharisaeis.) Et pharisaei ad doctrinam et baptisma Ioannis veniebant; pauci tamen ex iis erant qui resipiscerent, quod ex capite septimo Lucae liquet. De sectis quae inter Iudaeos fuerunt lege Iosephum. Ubi sectae sunt, ibi non est spiritus dei. Nam divinus spiritus non segregat, non dividit, non dissecat; sed colligit, et in unum contrahit, ut si in vas aliquod oleum aut lac infundas. Spiritus sui semper similis est et ubique. Qui ergo spiritu dei praeditus est, non contemnit peccatores, non deserit eos, non separat se ab eis, non abiicit eos, modo spes arrideat resipiscentiae; sed corrigit, emendat, et a vitiis ac sceleribus avocat, ac sibi iungit. Qui sibi ab aliquibus flagitiis cavet, non debet eos, qui eisdem etiamnunc laborant contemnere aut deserere, nec sese prae illis iactare, sed magno studio conari, ut peccantes et variis affectibus iactatos liberet et ad se trahat. Qui naufragium evaserunt et in portu tuti stant, non rident eos qui adhuc in undis periclitantur, sed, si possunt, tabulas ac sudes illis iniiciunt ac manum praebent, si quo modo eos liberare possint, dolentes nimirum si non possint. Nemo est qui vivat et non peccet. Si quis ergo aliquo morbo non laborat, fortasse similem aut graviorem habet. Mox ergo ut separat se quis, carnis consilium sequitur. Caro enim est non spiritus, si quis meliorem se caeteris peccatoribus existimet, aut sese illis subducat. Ad hoc hortatur Paulus, ut infirmos blande et humaniter suscipiamus et doceamus. De illis nimirum loquens qui ex ignorantia, ex infirmitate, aut perplexitate, affectibus obruti, peccant, de quibus bona spes est, quod emendari et ad meliorem frugem revocari possint. De his enim qui plane et impudenter sunt impii, et qui in spiritum sanctum contumaciter peccant,

alia est ratio. Divinus ergo spiritus hoc unum in primis studet, ut prosit inter homines et multum promoveat: conatur eos emendare, et si quid gratiae aut donorum a deo prae caeteris accepit, hoc non abscondit, non dissimulat, non invidet aliis, sed vult prodesse aliis, vult omnibus divina dona communicare. Nihil iactat, non sibi placet, non quaerit sua, non segregat se, nec prae caeteris vult spectari, sed bona sua sine invidia benigne omnibus communicat. Ioannes ergo non abiicit nec repellit Pharisaeos ac Sadducaeos qui ad se veniebant, sed suscipit eos et erudit, licet plerosque frustra.

Viperarum progenies.) Dura admodum et gravis est haec increpatio, sed opportuna et in loco. Periculosum et letale vulnus, lenibus malagmatis non curatur; caustica et incisiones adhibeas necesse est. Observet ergo verbi minister quales doceat et ducat, ut opportune et importune remedia adhibeat. Sic Christus turbas blande ac mansuete alloquitur, scribas et pharisaeos severiter increpat, Matth. 23. Jes. 1. Principes tui socii furum. Nos, quia caro sumus, et spiritum dei praelucentem non sequimur, diversum facimus, parva severiter plectentes, ingentia scelera strenue dissimulantes, fures suspendio, adulteros, mendaces, sanguinarios milites honore afficimus. Cur hoc? quia non sumus veritatis et iustitiae amatores, sed gloriae et rerum mancipia. Tanta est nostra malitia, ut caeci pessima quaeque dissimulemus. Utinam non mala bona et bona mala etiam dicerenus!

Quis nobis ostendit.) Ac si diceret: Acceditis me perinde ac si tales essetis qui divinam iram effugere vellent; at non estis quales videri vultis. Quod si omnino poenitentes et ex eorum numero esse vultis qui iram dei declinare petunt, ostendite hoc fructibus dignis. Nam si hoc non feceritis, excindemini. Fides enim non verbis tantum aut externa specie, sed operibus bonis vera esse dignoscitur. Cur ergo inter poenitentes adparetis, quum sitis nihil minus? Nihil moror folia, fructus ostendite.

Et ne dicatis, Abrahae.) Omnes carne gloriamur, et virtute maiorum commendari volumus. Propriis virtutibus clari simus, non alienis gloriemur! Nobiles et divites stemmata et natales iactant: pauperrimi quoque habent quo sibi palpent et placeant. Per lapides quos digito nimirum monstrabat, gentes duras intelligit, quas deus reiectis Iudaeis elegit Matth. 21.

Securis ad radicem posita.) Hoc adagio admodum eleganti extremum malorum significatur, ubi malitia eo usque increvit, ut deus amplius ferre non possit: funiculus nimium tensus facile rumpitur. In eo iam statu Iudaica gens erat, ut aut redire, aut frangi fuerit necesse. Monet ergo Ioannes, ut aut resipiscant, idque vere et in tempore, aut extremum expectent excidium. Sic nostra tempestate, ubi corruptissima sunt omnia et prorsus conclamata, clamandum est, ut si adhuc eripere ex incendio aliquos possemus.

Omnis arbor.) Haec est dies domini, haec vindicta: quum venit et invenit arbores infrugiferas ac steriles, eradicat, extirpat funditus, et igne inextinguibili exurit.

Ego baptizo aqua.) Quasi diceret, Baptisma meum neminem

meliorem facit, intus neminem immutat, sed foris praedico, foris clamo, ad poenitentiam hortor, simulque eos qui ipsos poenitere desiderioque vitae novae teneri dicunt, aqua tingo. Qui intus baptizat fortior est me, de quo iam saepe dixi etc. In poenitentiam, id est, in novam vitam. Nova vita non venit, donec Christus agnoscitur et recipitur. Christum induisse est novam vitam vivere. Pugnat hic locus contra Catabaptistas, qui verborum ordinem urgent. Nam hic interior baptismus externae lotioni successit: baptizat enim in venientem Christum. Isti vero clamant neminem baptizandum esse, nisi prius sit fidelis. Et quos Ioannes baptizabat, tantum abest ut in Christum crediderint, ut ne norint quidem. Ioan. 3. Increpat enim Ioannes eos qui a se erant baptizati, quod Christum non recte agnoscerent. Baptizo in aqua, id est, cum aqua, aut per aquam, vel (Latine) aqua, ut sit instrumentalis casus. Beth enim Hebraicum pro cum ponunt, aut ablativo instrumenti. Ioannis discipuli aegre tulerunt Christum praedicari et magistro suo praeferri. Non hoc ex spiritu coelesti erat, sed ex carnis affectu. Sic Catabaptistae neminem sibi praeferri patiuntur, nihil probant, quam quod ipsi faciunt et loquuntur, quod ex philautia nasci certissimum est.

Cuius ventilabrum.) Quandocunque vita nostra talis est, ut mutare sit necesse, debemus extemplo mutare et emendare. Hoc si non facimus, sed permittimus scelera inundare et increscere, aderit statim vindicta domini, et omnia perdet. Qui perdi nolunt, resipiscant. Iustus est dominus et severus iudex, scelera non dissimulat, sed separat triticum et paleas. Hoc idem est cum eo quod Christus dicit Ioannis nono cap. Ego in iudicium veni in mundum, id est, ut secernam et segregem. Sic Simeon Lucae secundo cap. dicit Christum positum in ruinam et resurrectionem multorum. Et Paulus 1. Corinth. 3. in igne dicit omnia probari.

Mihi opus ut a te baptizer.) Hoc idem aliis verbis supra dixerat, Fortior est me, qui post me veniet, qui baptizabit vos spiritu sancto et igne. Quid hoc sibi vult, quod tu ad me venis, quum sis fons et author omnis boni, qui mihi quod deest sarcis et supples? Nescius mysterii quod Christus hic indicat hoc dicit, nempe nostrum baptisma ex baptismate Christi sanctificari. Baptismus ergo Christi quem per apostolos dedit, et baptismus Ioannis idem sunt.

Omnem iustitiam explere.) Loquutio est Hebraica, qua frequenter utuntur. Quum enim rem, ut oportet et convenit, factam esse significare volunt, Kamischpat vel Bemischpar dicunt, Secundum iudicium, Germanice, Wie man ſoll, wie es recht iſt, wie ſich gebürt: quasi diceret, Quod a deo est ordinatum, nos exequi decet: etiamsi maior te sim, tamen ita deo visum est, ut a te baptisma recipiam, ut qui me recipiunt et in me baptizantur, agnoscant me fratrem et consortem, quum idem symbolum cum illis gestem.

Omittit illum.) Ubi mysterium intelligit Ioannes, omittit contentionem, et baptizat Christum. Quemadmodum Petrus Ioannis 13.

Aperti sunt coeli.) Huiusmodi apparitionum multae factae sunt, ut in monte Thabor, item in monte Olivarum, ubi angelus adparet Christo. Et Stephanus vidit coelos apertos.

Vox de coelis.) Trinitas declaratur, pater, filius, et spiritus sanctus. Filius baptizatur, pater loquitur, spiritus sanctus in columbae specie videtur. Hoc verbo patris declaratur nobis maiestas filii, qui hanc prae caeteris praerogativam habet, quod iram patris placat: in hoc placatur pater, et in solo hoc. Quum enim dicit, In hoc placor aut reconcilior, idem est ac si diceret, in nullo alio. Ut si quis quaerat, Quis sedet in hoc tribunali? Alius respondet, Consul. Hic iam negat simul ista responsione. Nec enim intelligit alium in hoc throno sedere, nec alium esse consulem, et hoc ex authoritate tribunalis. Sic verba patris excludunt omnes alios praeter filium. Hic est, inquit, filius meus unice dilectus, et nullus alius in quo placor, in quo cum humano genere in gratiam redeo. Hoc Christus per thesaurum indicat, cuius gratia omnia sint posthabenda, Matthaei 13.

CAPUT IV.

Subductus in desertum.) Post Baptismum ieiunat Christus, ut modestiae nobis et temperantiae exemplum praeferret. Christi enim nomen gerimus profitentes eum: tales igitur simus, ut vita nostra adpareat, nos vere Christum induisse! Quandoquidem nos coelestis pater filii sui nomine dignatus est, si impie et impure vivimus, pudefacimus et polluimus nomen bonitatis et misericordiae dei. Christus enim est bonus odor etc. Sic Paulus Rom. 6. et 13. Induimini dominum Iesum.

Ut tentaretur a satana.) Nemo indignum putet Christum à diabolo tentari, ferri aut duci, qui in omnibus (excepto peccato) nobis similis fieri voluit. Non enim nobis duntaxat pugna est adversus carnem et sanguinem, sed adversus potestates in coelestibus, id est, contra eos qui aliquando in coelestibus fuerunt. Dat ergo exemplum Christus, deum adesse his, quos tentari et adfligi permittit, quemadmodum et filio suo adfuit: nam et nos filii dei sumus per Christum.

Dic ut lapides.) Dic, id est iube. Dicere enim Hebraico more pro iubere saepe ponitur. Primum gula ac voluptate tentat. Secundo, vana gloria et avaritia simul. Nos vero non solum a satana foris nos impetente tentamur, sed in sinu (quod aiunt) affectus et tentationum fomenta gerimus. Comprehenduntur autem hisce tribus tentationibus omnium aliarum species. Christus radicem tentationum in se non habuit, in quibus nos concipimur et nascimur, venenumque ex traduce haurimus. Accedit vero de foris satan et scintillam sepultam excitat, ac si quis folle ignem pene extinctum reaccendat, aut sulphure adhibito reviviscere faciat. Quandoquidem vero ignis tentationum in carne nostra latet, et per satanam foris inflantem excitatur, possibile non est, ut nostro marte vincamus, sed opus est coelesti spiritu superne illapso, qui nobis victoriam det per Iesum Christum. Vincemus autem eo modo quo Christus. Concupiscentiam ergo gulae, aut victus sollicitudinem hac cogitatione pellemus, Non in solo pane vivit homo: item, Non es creatus ad delicias et voluptates, non ad scortationem data est concupiscentia, sed ut corpus pascas, sobrieque vivas, ut liberis procreatis stirpem posteritate serves etc. Si aderit fides nobis, is magister omnia docebit, ut nusquam modum excedamus, nusquam metam praetercur-

samus. Fides est magister et custos qui ad omnem affectuum insultum adest, et clamat: Non sic! nequaquam id faciam, non decet, serva modum, sis sobrius; desiste etc. Non ergo in solo pane vivit homo, sed in verbo dei: verbum enim dei dirigit eum, ducitque eum in omnibus, ut recte et honeste incedat, ut non solum in externo cibo vivat, sed in deo potius. Ostendit autem deus hisce verbis, Deut. 3. seu potius refricat bonitatem et beneficentiam suam Iudaeis: Duxi vos per desertum, et in loco sterili vos alui, ut videretis et intelligeretis hominem magis ex verbo dei quam ex pane aut cibo vivere. Panis enim aut cibus non sustentat aut alit, sed deus. Quum ergo deus hominem sine omni alimento cibare et in vita servare potest, quid tam solliciti de cibo sumus? quid tam anxie cibum expetimus? Hac responsione compescit Christus tentatorem: quasi diceret, Qui me fecit ieiunare, potest et me cibare, per cuius virtutem servantur omnia. Si deus est in nobis, id est, si fideles sumus, in edendo modum servabimus, famis aut necessitatis tempore de ope domini nihil diffidemus. Sed ita cogitabimus hacque cogitatione nos consolabimur: Deus est qui te creavit, is certissime te enutriet. Hoc si fecerimus, nusquam aberrabimus, nusquam offendemus, nihil nobis deerit. Qui hosce fidei lapides in sinu portat, a vento tentationum non facile huc et illuc impelletur. Non igitur tantum simus intenti in panem aut quamlibet rem externam, quantum in virtutem et verbum dei. Qui sic firmatus est vera et indubitata in dei bonitatem fide, in prosperis non insolescet, in adversis non concidet, nec frangetur. Ubi vero deus abest, ubi abest fides in eius bonitatem, quicquid demum incipit homo, a scopo aberrat, idque subinde magis atque magis. Qui enim principio aberrat, quo magis progreditur, hoc longius a vera via abscedit. Percurre hac ratiocinatione omnia artificia, omnes status, omnia officia, divites, pauperes, iudices, magistratus. Iudex si fide caret, si deum non metuit, iustum et aequum nunquam iudicabit. Artifex mentietur, fallet etc.

Anima ergo nostra in verbo dei vivit. Verbum dei dictat et praescribit quid faciendum, quid omittendum, quid nimium, quid parum, et docet in omnibus recte vivere et agere. Quod et gentium sapientes intellexerunt, dum affirmant divinum quiddam esse in homine, quo affectus vincantur. In verbo igitur dei vivere, est iuxta praescriptum divini spiritus in omnibus agere, et illo niti. Tentamus dominum, quum dicimus, Si deus operatur omnia in omnibus, ego nihil agam, nihil laborabo, adflictum non consolabor, oppressum non asseram, pauperi non opem feram. Curet haec omnia deus. Sic providentiam divinam torpori nostro praeteximus. Ubi spiritus dei est, illic est perpetua quaedam omnis boni operatio. Qui spiritu dei sunt praediti, consulunt, adcurrunt, opem ferunt, semper aliquid pro salute proximorum faciunt, semper volunt prodesse et benefacere, nusquam cessant, impigri sunt in omni bono opere, quin semper anxie metuentes ne minus faciant quam debeant. Spiritus dei perpetuo operatur in piis, similis molae in monte positae, quae venti impulsu movetur. Meminerimus nos esse instrumenta divinae operationis, quibus deus ad haec utitur quae vult effecta. Gnaviter ergo et alacriter laborem capessamus,

ne simus pigri et socordes, operi divino nusquam desimus, nusquam cessemus, adcurramus et iuvemus in omnibus.

Dominum deum tuum adorabis.) Hoc est verbum verae fidei, ut semper coram pientissimo patre nostro vere et pie ambulemus. Si hunc agnoscimus ubique praesentem esse, et inspectorem omnium operum nostrorum, omnia rite, decenter, et honeste agemus, ab hoc scopo oculos nunquam deflectemus, ad hunc in omnibus respiciemus, agnoscemusque eum esse patrem et iudicem. Haec est vera religio, vera pietas, hoc docet recte vivere, hoc omnibus sceleribus viam praecludit. Nec est alia a vitiis ad virtutem via expeditior certiorque, quam certa cum fide deum semper prae oculis habere praesentem: illius metus omnia scelera abarcet. Observandum hic verbum dei et a Christo et a satana citari et usurpari, vario tamen fine: hic ad perniciem adducit scripturas, ille ad gloriam dei et salutem hominum. Discimus ergo non literam aut verborum sonum attendendum esse, sed sensum et usum scripturarum. Sic enim scripturis sacris uti convenit, ut rite intellectae gloriae dei et nostrae saluti serviant. Proponit ergo hic Christus lucem ac facem, qua scripturas illustremus ac intelligamus, ac clavem praebet qua ad adyta scripturarum penetremus. Verum quidem est o satan, quod deus custodiat filios suos ab omni lapsu, at non eos qui sese praecipites dant, qui eum temere tentant: verbum quod adducis verum et indubitatum est, sed non patior ut hoc utaris ad seducendos homines contra dei voluntatem. Authoritatem ergo sacrarum literarum veneramur (ut ille inquiebat), at sententiam interpretamur. Videmus ergo hic, et in ipsis scripturis sanctis periculum esse et fraudem, si quis eas non recte intelligit, aut sine fide legit ac intelligit. Doceantur ergo pueri a teneris, ut in scripturis sacris exercitatos habeant sensus. Deinde petamus a domino fidem, et spiritum scripturarum, ut nusquam hallucinemur.

Ex eo tempore coepit Iesus praedicare.) Post Ioannis captivitatem prodit Christus, et operi praedicationis sese accingit. Obiter hic videmus quanto cum periculo coniunctum sit praedicationis ac prophetae officium. Nam dum fidus vult esse propheta Ioannes, cogitur prosilire, et audax impii tyranni facinus arguere. Quod quam sit difficile, arduum et periculosum, quis non videt? Sed plus valet apud Ioannem metus dei veritatisque ratio, quam regis favor et gratia. Fugit autem Christus capto Ioanne ad locum tutiorem, non ut mortem fugiat, sed ut dispensationi serviat: nondum enim aderat hora a patre destinata. Potest ergo ministrorum verbi aliquis aliquando fugere hostium insidias, dum alius nec cedere possit nec debeat. Secessit autem Christus ex una parte Galilaeae quae propior erat, ad aliam quae a Hierosolymis remotior erat adeoque securior.

Ut impleretur.) Galilaea gentium ideo vocatur, quod plures illic ex gentibus post captivitatem Babylonicam habitarent quam ex Iudaeis. Initium ergo praedicationis apud gentes fecit Christus, at parce et modice, uberius apud Iudaeos postea. Et hoc est quod hic dicitur lucem exortam esse populo habitanti in tenebris. Est enim Christus lux quae data est ad gentium illustrationem. Luc. 2. Galilaea in sortem

cessit Zabulon et Naphtali. Historia est 4. Regum. 15. Ostendit ergo hic Evangelista rationem et causam, cur Christus servator primum ad gentes venerit, olim id praedictum esse a propheta.

Resipiscite.) Sic coepit Christus, ut praedicatio eius conformis sit praedicationi Ioannis. Quaerit quis, Cur non a summa fidei coepit? dicendo, Confidite in me etc. Responsio, Ut augustior esset praedicatio, et minus contemneretur. Quomodo enim ei fidere poterant, quem nondum agnoscerent? Fides vera huc tendit, ut sancte, iuste, et pie vivamus in hoc seculo. Tit. 2. Ubi fides vera est, ibi innocentia vitae urgetur, et nova vita in meditatione est. Auspicatur ergo Christus praedicationem suam a resipiscentia, praedicationi suae a vulgari omnium hominum opinione favorem concilians. Hoc enim citra controversiam omnes homines fatentur, hanc praedicationem veram et deo conformem esse, quae docet resipiscentiam et novam vitam, quae avocat a vitae pravitate et sceleribus ad integritatem. Ubi ergo homo se huic vitae emendationi et mutationi devovet, tum salus et vita in Christo ostenditur.

Regnum coelorum.) Negotium salutis vocat, et certitudinem ac obsignationem gratiae dei in Christo nobis propositae. Regnum coelorum, id est, quod vobis per me promisit et praestat pater, iam instat et adest. Iam enim misericordiam suam deus per Christum aperire coepit et innotescere mundo voluit, gratia, miraculis, praedicatione, morte Christi et sanguinis fusione. Initium ergo Evangelii est resipiscentia, ut homo terreatur gravitate et foeditate scelerum suorum incutiaturque ei metus divini iudicii: initium enim sapientiae est metus domini. Nemo autem deum metuit, nisi is qui se peccatorem agnoscit. Primum ergo oportet ut homo peccatorum suorum magnitudine et divinae vindictae metu percellatur, consternetur, deque se desperet: huic iam gratia et salus per Christum annunciata grata et iucunda erit.

Sequamini me.) Vocat ad se discipulos, qui secum habitent, vitam suam et mores videant, doctrinam audiant, et deinde perceptam ab eo orbi depraedicent. Simplices autem et idiotas vocat, non doctos et mundi sapientes, ut stultitia praedicationis sapientiam mundi pudefaciat, 1. Cor. 1. Simon Petrus cognominatur ob confessionem aeditam Matthaei 16.

Piscatores hominum.) Nam Evangelium simile est verriculo quod iactum in mare pisces contrahit, Matth. 13. Intelligunt autem apostoli verbum hoc insolens, claritatem secum adferente spiritu, quod alioqui non intellexissent. Quis enim unquam homines piscatus est? Verba ergo dei quae auribus hauriuntur, intelligi non possunt, nisi spiritu intus docente et illustrante, ac aurem cordis vellicante. Hanc ob causam Paulus 1. Cor. 1. dicit, Non erudito sermone etc. Doctissimus erat sua lingua et lege Paulus, at Graecis rudis et impolitus: nam illi eloquentissimi erant et facundissimi. Quasi diceret Paulus: Ego ad vos Graecos et gentes venio, non eloquentia aut suadela paratus, ne suadelae tribuatur quod solius est spiritus dei, ne evacuetur crux Christi. Crucem igitur et crucifixum praedico, hoc est, Christum omnibus periculis et malis expositum, proque nobis cruci adfixum, do-

eoque id ferendum esse omnibus qui ipsum sequi volunt. Hanc vero praedicationem nemo recipit nisi intus spiritu trahatur; eloquentia neminem promovet. Caro ad voluptates trahit et irritat et velut equus indomitus et praefractus adversa refugit. Hanc frangere et domare, animumque ad recta et honesta permovere, non facit eloquentia, sed spiritus et fides. Tum enim recte praedicatur Evangelium, quum summa fide praedicatur, quum cordi infigitur, ut vitae mutatio sequatur. Quoniam vero nos eum qui eloquens est sapientem vocamus, per Mimesim, Paulus idem facit: nam alioqui sermo crucis eruditissimus et sapientissimus est, imo solus sapiens. Philosophi gentium huc venerunt, ut unum deum esse cognoscerent, eumque verbis faterentur. Sed per sapientiam suam deum noluerunt cognoscere; quotus enim quisque illum vere agnovit et coluit? Rom. 1. Quin sapientia humana ferre non potest, ut solus deus glorificetur et laudetur; visum igitur est deo per stultitiam praedicationis salvos facere credentes.

Relictus retibus.) Diceret quispiam, Quid relinquunt qui nihil habent? Huic respondemus, Plus reliquisse apostolos pauperes, quam si fuissent divites. Nam pauperi, tametsi parum sit, gravius est suam paupertatem reliquisse, quam si dives aliquis maiora relinquat.

Docens in synagogis.) Hoc observandum Catabaptistis; qui conventus publicos et ecclesiasticos coetus horrent, in angulis et silvis praedicantes. Separant se ab ecclesiis, doctos in sacris literis fugiunt, naenias suas idiotis et mulierculis inculcant. Christus publice docet in templo, in synagogis, in frequentia populi, cunctis gratiam dei offerens.

CAPUT V.

Accurate hic Evangelista sermonem Christi describit, neque summam tantum, ut alias, sed de integro. Docet autem non externum hominem, sed et internum rite formare. Externus homo est, qui sub aspectum oculorum et sensuum exteriorum cadit, et deprehendi potest. Interior vero, qui intus latet, qui absconditus est, qui ab alio deprehendi non potest. Nemo enim novit ea quae sunt hominis, nisi spiritus qui est in eo. 1. Cor. 2. Dicis: Quomodo se ipsum cognoscit homo, quum nostri cognitio nobis omnibus desit? Non dicimus quod quisquam se norit, sed quod etiam pessimi hominis conatus nobis sint incogniti. Quum ergo dicimus, Interior homo sese cognoscit, de interiore homine loquimur qualis scilicet esse debeat. Ut quum dicimus, Omnes patres amant filios suos, quum interim multi sint qui negligant ac oderint filios suos; sed loquimur de recte institutis ingeniis. Exterior ergo homo, qui cum proximo agit verbis et factis; interior qui se abstrudit. Ut quum dicimus, Ille egregie de pietate loquitur, sed non ex animo ut videtur. Vides hic duplicem hominem? eumque in uno homine. Interior homo, ut est omnibus incognitus, ita difficile in sui cognitionem duci potest. Tum vero sibi cognitus est, quum coram deo, qui lux est omnia permeans, loquitur et sese aperit. Ad hanc lucernam si se perspexerit ac contemplatus fuerit, tantam in se levam malorum deprehendit, ut sese horreat. Hic reperiet superbiam, cupiditatem, invidiam, philautiam. Quantumvis vero interior homo sese abstrudere et in

occulto latere conetur, piis tamen et prudentibus sese certis notis prodit: neque enim perpetuo latere potest hypocrisis. Sed quum externus tam saepe nostrum iudicium fallat, quid mirum internum a nobis deprehendi non posse? At tempore quemadmodum morbus erumpit, et sese cognoscendum praebet, licet non omni ex parte: totum enim deprehendere impossibile est. Verum dum homo sese coram divina luce aperit et perspicit, lernam se esse malorum inveniet. Neque potest homo in conspectu dei latere, neque tam purissimo et sanctissimo bono adproximare. Quis enim habitabit cum igne devorante? Ut ignis aquam iniectam magno fragore eiaculatur et expuit: ita divina puritas ab se pellit quicquid est impurum. Docet ergo Christus hic hominem internum formare, alias saepe externum. Hic vero penitius in pectus hominis pertingens docet, ut puri et sancti simus in oculis dei, saltem hoc studeamus pro virili, quantum quidem in hac mortali carne nobis est possibile. Sic primum dicit, Beati pauperes spiritu, hoc ad interiorem hominem pertinet. Deinde dicit, Luceat lux vestra, vos estis sal terrae etc. quae externo homini formando proposita sunt. Quae interiorem hominem formant praecepta, ad omnes homines ex aequo pertinent, qui filii dei sunt. Quod ad externum dicitur, non aeque ad omnes trahi debet: diversa enim sunt officia et ministeria in corpore ecclesiae. Ut ergo pauperes simus spiritu, omnibus dicitur: sal esse et acrem, non item. Nam hoc apostolos et prophetarum officium format.

Aperiens os suum.) Κατασκευή est, aut hypotyposis. Quod vero montem ascendit, indicat excellentiora docturum.

Pauperes spiritu.) Hoc est, animo seu mente. Potest fieri, ut aliquis sit magnanimus, interim tamen habeat animum modestum, et sese coram deo humiliantem. David quum angelus populum plaga percuteret, petiit ut ipse pro populo puniretur, populo parceretur. An non haec magna in tanto rege modestia? Paulus spiritu humillimus fuit, et tamen valde magnanimus. Cupio, inquit, anathema esse pro fratribus. Cogitent haec nostri temporis nobiles, qui rusticorum vitam nihili ducunt, sed his vocibus superbiam et ferociam mentis ostendunt: Trucidandi sunt rustici, suspendendi; quibus gallinam et rusticum iugulare aequa est ratio. Tum vero spiritus humilis est, quum in omnibus quae agit gloriam dei et proximorum salutem quaerit. Hoc si non facit, insolens est, ferox et superbus. Examinemus ergo nos ipsos ad intuitum dei, et inveniemus multa a nobis magis ex vana gloria et ambitione aut alio quopiam affectu, quam cum bona fide et sincera conscientia geri.

Beati qui lugent.) Erumpunt homines mundani, voluptatibus carnis deliniti, in cachinnos et inepta gaudia. Ubi vero fides in Christum viget, modus servatur in omnibus, nec indecorum quid committitur. Fides cor deprimit, nec cristas erigi nimium sinit, voluptati habenas non laxat, sed freno iniecto carnis impetum, ne excurrat immodestius, compescit et cohibet. Qui enim sese ad dei lucernam examinat, semper invenit quod displiceat, semper quod fleat, de quo lugeat ac doleat, ut non sit locus ineptis lusibus, cachinnis, et indecoris clamoribus. Quotidie moritur istis rebus fidelis, quotidie aliquid ex his decerpit.

Interim tamen is luctus, de quo Christus hic dicit, verum est animi gaudium. Quid sit gaudium Christiani pectoris Paulus in epist. ad Philip. ostendit. Ludit enim tota epistola in voce gaudii. Nam Christus hisce verbis potius eos consolatur, qui adflicti sunt et lugent, quam quod praecipiat lugere, ut alibi dicit, Plorabitis et flebitis, sed moeror vester in gaudium vertetur etc.

Beati mites.) Mititas ferociae et audaciae opponitur, at duritiei opponitur misericordia. Differunt ergo mititas et misericordia. Audacia impudens est in omnibus, belligerat, rixatur, contendit, clamat, vociferatur, trucidat, omniaque tumultu quodam et temere agit. Mititas ab iis omnibus abhorret, utque neminem laedit, ita non patitur ut quis laedatur, aut cuiquam vis fiat. Nec ferociam defendit, patrocinatur veritati non iniuriae. Cui audacia et ferocia probatur, mitis non est, sed animum tyrannicum gerit. Qui vere mites sunt, ferre non possunt, ut vis et iniuria cuiquam inferatur. Qui ferocibus et audacibus non obsistunt, nec vitia et scelera castigant, non mites, sed molles et dicendi sunt. Et quoniam haec praecepta (ut diximus) interiorem hominem formant, ad externum officium iudicum, magistratuum ac prophetarum nihil pertinent: nam severos et strenuos saepe esse oportet, qui sceleribus castigandis praefecti sunt. Interim tamen animus etiam illorum mitis est, utcunque vultu et gestibus corporis, aut asperis verbis et atrocibus minitentur.

Possidebunt terram.) Terra more Hebraico pro terra promissa capi potest. At magis placet, ut pro terra capiatur viventium, aeterna scilicet vita.

Beati qui esuriunt et sitiunt iustitiam.) Diceret quispiam, Si mites erimus, crescent et invalescent vitia. Huic obiectioni occultae occurrit Iesus, quum dicit, Non hoc volo, ut parcendis et fovendis sceleribus sitis mites; quin beatos dico, qui famem et sitim habent iustitiae. Qui sitim patiuntur, statim ingressa urbe quaerunt ubi optimum vinum venale sit: at nos desides sumus ad quaerendam et servandam iustitiam. Etiamsi aliquando bonas rogemus ac feramus leges, nemo tamen curat ut serventur. Qua de causa? Non sitim habemus iustitiae. Qui vere sitit iustitiam vult ut omnes sint iusti, iustitiam asserit et vindicat, scelera si quae increscunt magno animo magnaque severitate et diligentia extirpat.

Saturabuntur.) Qui asserunt iustitiam, multam sibi invidiam conflant. Qui sceleribus obstant, pessimorum odia in se concitant. Consolatur ergo eos dominus, et dicit, Ego saturabo eos. Hic saturantur iustitia, alibi summa et vera iustitia. An non haec maxima voluptas omnibus expetenda, summum et purissimum bonum videre et aeternum frui? An non saepe viri boni desiderio accendimur, ut eum videamus, consuetudine eius fruamur? Quanto aequius ergo est, ut summi illius et iustissimi dei amore inardescamus?

Beati misericordes.) Haec ad benignitatem et beneficentiam in pauperes pertinent. Misericordia enim et beneficentia qua proximus iuvatur, gratissimus deo cultus est.

Beati mundo corde.) Nemo innocens est, nemo mundus corde. At hi munda habent corda, qui corda habent per fidem renovata, et

sordibus peccatorum ac vitiorum repurgata, quibus peccata displicent, et quotidie student novi homines fieri, student veritati, integritati, innocentiae, iustitiae etc. in his sese exercent, in his quotidie meditantur. Ora sua custodiunt a turpi sermone, ab obtrectatione, a convitiis, ab omni impuritate. Facta illorum integra sunt et honesta; negotia, contractus, et artes absque dolo et fraude. Huiusmodi homines publicis functionibus sunt adhibendi.

Pacifici.) Hi proprie dicuntur, qui parati et apti sunt ad pacem conciliandam. Charitas enim (inquit Paulus) malum non cogitat, et omnia sustinet. Virtus haec invidiae et odio opponitur, et pellit quidquid discordiam parere possit. At hoc verbum Christi sic accipiendum est, ut iuxta aliud verbum Christi consistere possit, ubi dicit, Non veni pacem mittere, sed gladium. Spiritus enim, qui in Christo loquitur, ubique sui est similis. Consonent ergo haec duo verba necesse est. Quandocunque enim filii dei pacem veram conciliare student, impii pacem servare non volunt, sed invidia et odio contra veritatem pugnant. Dum ergo veritas praedicatur, commovetur mundus. Pax ergo, quae per pios confit, intra limites a deo praescriptos manere debet, quos si transgreditur, pax haudquaquam dicenda est. Volunt quidam pacifici et pacati videri, dum ad omnia scelera quantumvis magna connivent et dissimulant, dum crimina impunita permittunt. Pax ergo nostra cum pace dei consentiat! tum demum vera pax dicenda erit. Qui pacem mundi aut cavent, aut dissipant, pacifici sunt Christi.

Beati qui persequutionem patiuntur propter iustitiam.) Bis iustitiae promissionem facit, nam supra dixit, Qui esuriunt et sitiunt iustitiam. Nam societati humanae nihil magis est necessarium, nihil magis utile, quam iustitia. Quidquid malorum et calamitatum est in orbe, hinc venit quod iniusti sumus, quodque iustitiae causa pati nihil sustinemus. Qui enim iustitiam hic asserunt nihil quam odium et mortem sibi conciliant. Promittit ergo dominus assertoribus iustitiae regnum coelorum, et vocat eos beatos, quos mundus ut nebulones et sceleratos execratur. Hoc vero nobis magnopere cavendum, ne scelerum quae in nos iaciuntur sontes simus. Magnificam autem et splendidam mercedem assertoribus iustitiae pollicetur, nempe in coelis regnum perpetuum, tametsi et hic in terris interdum rependat. Prophetas vero iustitiae assertores producit, ut videamus vindicationem iustitiae maxime pertinere ad officium prophetale, apostolicum et omnium perfectorum. Persecutio vero, omnium bonorum et iustorum praemium est. Sic consolatur suos Christus, praedicit eis persecutionem futuram, si diligenter officio suo invigilaverint. Ardua profecto et difficilis provincia, periculis gravissimis plena, quam qui ultro appetunt, aut stulti sunt aut mali.

Vos estis sal terrae.) Hoc proprie ad apostolicam functionem pertinere putamus. Sumpta autem metaphora eleganti et vulgari, officii sui admonet apostolos. De sale et salibus multa in proverbiis ubique habentur. Sal in oblationibus olim adhibebatur, typo quodam ad propheticum officium, quorum doctrina et increpatio acrimoniam quandam habere debet, ut vel scelera caveat vel exedat. Sal condimentum est omnium rerum, servat a vermibus et putredine res quibus

adhibetur. Sal in ecclesia verbum dei est, admodum utile et necessarium, quo episcopus utatur. Hunc salem non habent qui vel negligentes et socordes sunt, vel quaestus ac ventris gratia praedicant, caeci exploratores, canes muti. Parum salis immensum cibum condit, unus propheta saepe magnae ecclesiae satis est, modo sale non careat.

Vos estis lux mundi.) Eandem rem variis verbis proponit ac illustrat sapientia dei. Idem enim dicit quod superius, nisi quod posterius praecedentis est expositivum, videlicet magis clarum. Pertinent haec duo praecepta ad officium apostolicum praecipue, externum hominem formant, et personalia quodammodo sunt, ita tamen ut interim suo quodam modo ad universos filios dei pertineant. Hoc sic explicamus: Apostolorum munus erat ire per orbem et testari de Christo, attrahere homines e mundo ad Christum, extrahere captos e tenebris ad lucem fidei, e sceleribus ad vitae integritatem et puritatem. Ad hanc rem severa quadam et acri praedicatione opus erat, et veritate quae mordet ut sal. Deinde ut lucem hanc et verbo et vita ipsi praeferrent orbi. Hoc dum fit, impii et mali lucem hanc veritatis horrent, aversantur, oderunt, persequuntur, explodunt. Parum est acrem esse verbis, nisi et vita praedicatoris lucida sit et pura. Dixi ergo, haec in primis ad apostolos et ecclesiarum ministros pertinere, ita tamen, ut et singulis in ecclesia membris adcommodari non inepte possit ac debeat. Deme quod conditionis est et (ut ita dicam) ceremoniale in his verbis, servato interim interno et praecipuo, et erit virtus omnibus Christianis communis. Publice praedicare et apostolum agere non est omnium fidelium, Ephes. 4. 1. Cor. 12. Veritatem profiteri, sceleribus obstare, luce bonorum operum fulgere, ex aequo ad omnes fideles pertinet. Abraham collecto exercitu reges persequitur, et Lotum suum eripit. Quod fratrem liberat et asserit omnium est, quod publico bello adgreditur reges non omnium est, sed magistratus publici. Benefacere ergo fratri, asserere dum possis, ad omnes Christianos pertinet, servato interim officio et ordine decentissimo, ne quis vel modum vel metam suam praetergrediatur. Scipio vir magnanimus et fortis eversa Carthagine Hannibalem Italia eiicit. Hoc non omnes possumus; arcere videlicet a moenibus hostem, fortiter et intrepide in re quacunque agere omnes possumus et debemus. Transcurre ita per singula, et separa interim ab externo, quod externum et personale est reiice, quod internum est capesse. Publicum ergo praedicandi officium ad quosdam tantum, lux veritatis ad omnes pertinet. Fortem et constantem esse in veritatis ac iustitiae vindicatione omnium est, publice docere et gladium gestare non item. Neque enim apostolorum duntaxat est veritatem profiteri, sed illorum vel maxime. At vero proh pudor sic sumus mendaciis et sceleribus obruti et excaecati, sic in tenebris palpitamus, ut vitia pro virtutibus amplectamur. Nemo est qui se aeneum murum flagitiosis opponat, veritatis assertor nemo est; nemo qui veritatis et lucis facem accendat aut intrepide praeferat. Expectanda ergo in tanta conscleratione ira et vindicta domini. Exemplum capiamus in Sodomitis.

Non potest oppidum abscondi supra montem situm.) Alia

figura nec minus eleganti fere eundem sensum exprimit. Neque enim potest urbs in edito sita, quoniam undique circumspicitur, clam esse aut latere. Vos estis (inquit Christus) instar oppidi quod in monte aedificatum omnium obtutibus patet. Vita enim vestra conspicua est omnibus, tum etiam doctrina vestra iudicanda ab omnibus. Neque hanc veritatem quam vobis concredidi tacere aut abscondere salva fide potestis.

Neque accendit lucernam etc.) Totus mundus tenebris densissimis et altissimis est immersus; opus est ergo ut vos hanc lucernam accendatis, inque medio ponatis, ne celetis veritatem, ne ad scelera conniveatis. Quod si faceretis, similes essetis homini stulto, qui accensam lucernam sub modium abscondit. Sic est natura comparatum, ut quisque sibi in vitiis blandiatur et placeat. Hic putat foenus sibi licere, alius pro aere militiam sequi et innoxium fundere sanguinem sibi valde decorum putat. Has tenebras discutere debet propheta et doctor ecclesiasticus. Sed quo instrumento? verbo veritatis, luce fidei. Hic si hanc lucem abscondit, vel metu vel gratia absterritus, quid isthoc doctore scelestius? quid magis noxium?

Sic luceat lux vestra, ut videant opera.) At alibi vetat opera facere ut conspiciantur. Sed non pugnat secum divina sapientia. Vivendum ita est nobis ut fulgore bonorum operum, et virtutum fama caeteri accendantur et attrahantur: odor enim bonus sumus in vitam. Verum ex operibus bonis quae per nos operatur dominus nihil gloriae nobis ambiendum est, nihil nobis tribuendum, quod pharisaeorum est. Sic Paulus ad Timotheum suum dicit, Nemo iuventutem tuam contemnat, quod tamen cavere Timotheus haudquaquam poterat: verum sic vivendum monet, ne ansam contemnendi cuiquam praeberet. Virtutem veram gloria sequitur. Non quaerenda est gloria ex factis: quae si sponte comitatur, in fontem boni deum referenda est. Visa innocentia vestra et fide, deum patrem laudabunt, qui vos ad illos misit.

Non veni ut destruam legem, sed ut adimpleam.) Legem implevit Christus. Primo, quandoquidem adhuc durabat legis observatio, omnia quae legis subiit, ut circumcisionem et alia. Secundo in eo quaecunque lex de ipso figurarat et pradixerat completa sunt; ideo in cruce dixit, Consummatum est. Tertio, sic legem implevit, ut exacte praestaret quaecunque in lege erant praescripta, idque exactissime ad mentem legislatoris. Nusquam enim vel in minimo a voluntate dei aberravit, qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore eius. Quarto, legem pro nobis implevit, hoc est, iustitiae divinae satisfecit, poenamque sustulit, quam legis praevaricatione commeriti eramus.

Quisquis fecerit et docuerit.) Admonet Christus, ut apostoli factis exprimant, quod verbo docent: ipse enim hoc fecit. Et licet nemo eam possit perfectionem praestare quam Christus, potest tamen quisque pro gratia sibi data, et suo quodam modo, archetypum exprimere, et conniti ut Christum pro virili quam proxime imitetur. Hunc enim omnes induti sumus, si modo Christiani sumus. Qui putant ministrum verbi pro publicis concionibus non debere veritatem dicere,

aut vitia increpare, hi choraulem in suggestum statuant, qui cuique pro affectu suo canat ac blandiatur. Nam hic erit iucundus et gratus omnibus. Iam non satis est, prophetam summa cum fide et vere docere, nisi nos veritatem magno animo capessere et exprimere parati simus. Hoc si non fit, non secus est ac si tibicen aliquis ad chorum ducendum rite quidem incitet sed senes et decrepitos, qui propter imbecillitatem corporis movere pedes, et agitare membra non possint. Qui viribus valent, sonante tibia mox exiliunt, et arte quadam modum tibiae imitantur, idque non segniter nec ignave, sed alacriter et summo cum gaudio. Nos quotidie veritatem audimus, ad vitae puritatem subinde excitamur; quotusquisque autem est, qui veritati et innocentiae studeat? Quin conatus nobis deest: nunquam vere et ex animo vitam emendare proposuimus. Vae nostrae socordiae et malitiae. Regnum coelorum pro ecclesia hic accipi puto.

Coelum et terra transibunt.) Comparatio est, ac si diceret, Citius coelum transiturum est, firmissimum alioqui elementum, quam verbum meum.

Nisi abundaverit iustitia vestra.) Haec sic ad apostolos dicta sunt, ut etiam in fideles omnes quadrent, imo omnibus necessaria sint. Quum enim dixisset hunc futurum magnum in regno coelorum, qui sic docuisset et fecisset, periculum fuit ne quisque maximus videri vellet, quod tamen paucis contingit. Pauci enim sunt veri Christiani, quum interim summarum virtutum nomina omnes nobis arrogemus. Plures ergo sunt qui videri quam vere esse tales malint. Huic hypocrisi occurrit Christus, et dicit: Nisi abundaverit iustitia vestra plusquam scribarum et pharisaeorum, non potestis ingredi in regnum coelorum. Qui sint pharisaei, ex Iosepho manifestum fit. Scribas doctos et legisperitos vocat. Et Germanis alicubi docti scribae vocantur Schryber. Quae vero illorum fuerit iustitia, ex cap. 5. Matth. item ex 15. 23. etc. ex Luc. cap. 7. et 11. facile colligi potest. Nam si Christo testi credimus, omnia ad vanam gloriam attemperabant, mundantes quod foris est, ut prae caeteris coram hominibus niterent, interiora vero eorum impurissima et sordibus plena erant. Christus vero vult, ut apostoli sui et omnes qui volunt eius esse discipuli et membra, verae pietati et innocentiae, quae non in externis tantum, sed in corde sita est, studeant, ut ex corde boni sint non bonitatem simulent. Cor exigit deus, illudque purum, et affectibus repurgatum: nihil moratur externum cultum, si cor pravum et vitiatum fuerit. Exemplis id probat Christus, et primum de irae affectu, quae ita communis est omnibus, ut nemo illa careat. Si quis iram in hoc premit, ut mitem et mansuetum se simulet, hypocrita est; quod si quis in hoc iram frenat ne erumpat ad proximi iniuriam et offensionem, is pius est. Quod de ira dictum est, de aliis quoque affectibus dictum intelligas.

Audistis quod dictum sit antiquis, Non occides.) Hic durius attrectat internum hominem, penitiusque in eor hominis penetrat. Non enim de iudice hic loquitur, qui lege et iure occidit, sed de privato quoquam, ne quis ex ira quem occidat. Quasi dicat, Audistis dictum esse veteribus, Non occides! Recte hoc et bene dictum, si recte intel-

ligatur. Non est autem satis, si quis neminem occidat: qui irascitur, hanc legem violavit. Nam lex plus requirit, quam ut manum cohibeas, affectum et iram vetat. Qui irascuntur, aut qui iram signo quodam produnt, aut in contumeliam aliquam erumpunt irae commotione, non minus coram deo rei sunt, quam hi, qui coram iudice convicti et damnati fuerint. Qui occidunt, a iudice et ipsi occiduntur, et vitam amittunt; coram supremo iudice qui ira commoventur digni sunt aeterna morte: deus enim cor respicit. Qui ergo odium in corde gerit, coram deo tam est nocens, imo plus quam si coram magistratu aliquem occideret. Neque Christus paria facit peccata, quod quidam falso hinc colligunt, ut idem sit odium concepisse et hominem trucidasse. Sed pectus vult repurgare et fontes ac venas scelerum obstruere. Qui enim principiis obstat, facile peccata vitabit. Qui vero minima negligit, facile in graviora cadit; et qui aditum praebet primis insultibus, impellitur subinde maioribus. Unde enim veniunt latrocinia et parricidia? Ex ira nimirum et odio. Qui ergo odium et iram cavet, sanguinem humanum non facile fundet. Sunt quidem gradus in peccatis, et alterum altero gravius est. Christus ergo ubique perfectissima exemplaria vitae proponit, quae nobis summopere imitanda sunt, et exprimenda. Tales enim diligit qualis ipse est. Sancti (inquit) estote, quoniam ego sanctus sum. Item, Estote perfecti sicut pater vester coelestis. Interim tamen nostrae infirmitatis conscius Christus, nonnihil concedit nostrae infirmitati, admonens ut si non omnino ad summum praestare quae perfectissima sunt possimus, nec omnibus affectibus esse liberi, modum tamen quendam servemus, nec immodestius erumpamus: interim tamen agnoscant fideles etiamsi quaedam praestent, non tamen sine culpa esse, aut legem absolute praestitisse. Quasi diceret, Scio infirmitatem vestram, scio vos non posse omnino esse sine affectu, scio quam sit impetuosus irae impetus: at operam date ne se notis quibusdam prodat foris. Quod si fit, iam curate ne in factum, hoc est in laesionem, erumpat. In summa, tria docet Christus. Primum, quod est perfectissimum, ut sine affectu simus irae. Hoc vero quum impossibile esse novit, sese nostrae imbecillitati attemperans, praecepta alia ponit, quae cohibeant affectuum impetum effrenem ne impudentius erumpat. Si ab ira vobis omnino temperare non potestis, quod tamen maxime urgeo, hoc tamen curate, ne signa irae et rancoris, ne contumeliosa verba effundatis. Quod si affectus irae vos et huc impulit, manum tamen cohibete ne ferociat et saeviat. Mallem ego vos omnino puros esse et sine omni affectu, et hoc lege mea requiro, tales discipulos volo et amo. Verum tamen non abiiciam vos etiam si primis assultibus cesseritis, modo ne quid petulantius et impudentius, modo ne frena affectibus nimium laxetis. Modus servandus in omni re. Novi quid motus affectuum possint, novi quantum valeant, novi quam sitis imbecilles ad eorum assultus. Nihil moveri lapidis est, non carnis: at moderari affectus et frena iniicere, fortiterque reluctari, nec dare manus turpi domino, hoc demum opus est meis discipulis dignum. Qui mihi sunt iurati, fide regulant omnia, nec limites transgrediuntur, sed fidei armis cum affectibus congressi, si

non omnino puri esse possunt; cavent tamen ne gravius collabantur. Qui sine fronte et impudentius affectibus habenas laxant, fide carent, nec inter discipulos meos connumerari digni sunt. Tertium vero quod docet Christus, est: Quod si per gratiam meam datum vobis fuerit, ut manum ab ictu servetis immunem, aut etiam os a maledicentia et contumeliis cohibeatis, nihil hinc vobis placere debetis. Cogitate semper cor non vacare affectu, adeoque vos in conspectu dei (quandoquidem in peccatis concepti et nati estis) impuros et aeternae damnationi obnoxios esse. Qui sibi ab homicidio temperat ne contemnat eum qui trucidavit, quasi ipse sine culpa sit: nam et ipse venenum habet ex quo homicidium enatum est, nempe iram. Ne ergo palpet sibi, quod in factum non erupit. Nam si ego eum non per gratiam meam servassem, fortassis gravius peccasset. Non solum qui ferit, sed qui odit proximum, homicida est. Haec ergo doctrina Christi affectibus docet obstare pro virili: quod si obruunt, impudentius non erumpere, nec fines transilire moderante pios fide et spiritu dei. Deinde ut nihil nobis placeamus, nihil nobis arrogemus, nihilque superbiamus, etiamsi a gravioribus sceleribus simus immunes: neminem enim esse, qui in iudicio dei consistere possit, quum nemo sine crimine vivat, et perfectionem quam ipse in lege sua requirit, praestare mortalium possit nemo. Christus ergo non vult quod apostoli aut alii Christiani peculiari quodam cultu aut hypocrisi prae aliis splendeant, aut insolens quiddam in vita praeferant, sed potius ut affectus domare, et sincero pectore esse studeant; quod dum minus pro voto succedit, fidere gratia et misericordia dei per Christum. Haec est vera, nempe fidei iustitia, quam quia non habeant hypocritae, monet Christus suos, ut iustitia hypocritas antecellant.

Si obtuleris munus tuum etc.) Exempli vice hoc subiicit: nam lex oblationum et sacrificiorum tum vigebat. Optio tibi proposita est, ut aut offeras, aut fratri, qui iniurias intulit, ignoscas: iam plus placet deo ut iniuriam proximo remittas, odiumque erga eum ponas, quam ut iuxta Mosis praescriptum sacrifices. Ego praefero charitatem in proximum (inquit Christus) omnibus oblationibus quae mihi debentur. Quae de oblationibus dicta sunt, de omnibus externis dicta intelligas.

Habeto benevolentiam cum adversario.) Adversarium vocat quo cum tibi lis est aut iuris actio. Et hoc praeceptum internum hominem format, simul tamen externum. Ut sunt res humanae incertae et inconstantes, saepe fallunt iudicia, ut qui se bonam causam habere putat, contra illum pronuncietur. Avocat ergo et absterret suos Christus a litibus, a periculo scilicet argumentum sumens: Saepe qui ius optimum habet causa cadit, saepe vincit qui poena est dignus. Avocat autem a contentione et lite, non a defensione iustitiae, aut malorum punitione. Indidit deus concupiscentias et affectus homini, quibus si contingit obiectum, nihil minus movetur et ardet, quam si sulphuri ignem adhibeas, ni fides et metus dei obstet et moderetur. Fides ergo oculatissimus custos, et fidus vitae dux semper sic dictat: Hoc non licet, vel non tantum licet; quemadmodum medicus aegroto adstans dicit, Hoc non ede, vel de hoc non tantum ede. Primi affectuum

insultus tanti sunt, ut vix vinci possint. Adfectus vero pravi hinc sunt, quod in peccatis omnes concepti et nati sumus: morbus hic haereditarius est, et tenaciter carni haeret. Dat autem verbum et spiritum suum deus, ut iuxta horum regulam affectus, si quando impellunt et insurgunt, aut domemus, aut moderemur. Docet autem hoc praecepto Christus, ut faciles simus ad ignoscendum. Quod si res tanti sit ut ecclesiae ex hac venia nascatur offensio, et periculum, ne malum latius serpat, docet simul oculum eruere etc. de quo mox dicam.

Non committes adulterium.) Exemplum de ira vehementissimo affectu supra posuit. Nunc de carnis libidine et concupiscentia, affectu non minus impetuoso, exemplum adfert. Nec enim sufficit si uxorem proximi non conprimas: adulter es si oculo impudico aspicias, si corde eam concupiveris: ex corde enim manat adulterium. *Πορνεία* pro omni immunditia et impuritate carnis in genere accipitur. In summa, Christi doctrina ubique huc tendit, adfectus esse peccata mortalia coram deo, legemque dei cor purum et vacuum affectibus requirere. Doctrina vero pharisaeorum externa honeste componere docebat, ad affectuum repurgationem non penetrabat, satis esse legi factum affirmans, si quis uxorem proximi non violasset, etiamsi interim corde adulterium concepisset. Hoc falsum esse, Christus variis exemplis convincit, dicens: Nemo se seducat, qui concupiscit, aut impudentius uxorem proximi intuetur! peccatum iam perpetravit, et dignus est aeterna morte coram iudice deo, primum enim gradum peccati adgressus est. Nemo ergo se purum esse existimet, si conceptum scelus opere non complevit: scintilla enim peccati intus fovetur etiamsi lateat et coram hominibus non erumpat; coram deo vero ut perpetratum est, ita non potest latere. Dicet aliquis: Si sic res habet, ut aeque sit peccatum, si affectus premitur et si erumpit, erumpam ergo, et adulterium opere explebo. Absit. Nam minus est, quum ignis accensus intus opprimitur et extinguitur, quam si erumpens omnia vastet et devoret; at nihilominus ignem intus esse aut fuisse (etiamsi non erumpat) inficiari nemo sanus potest. Nemo ergo ex Christi servatoris doctrina, peccandi licentius, aut erumpendi in graviora peccata occasionem venetur: non enim hoc vult, ut tantum peccet qui affectui indulget, quantum qui in factum ex affectu erumpit; sed quod non solum is peccator sit, qui facto peccet, sed etiam is qui affectu, si peccata ad amussim divinae iustitiae et sanctissimae legis expendantur. In hoc ergo falli hypocritas et pharisaeos, qui doceant legem dei non affectus, sed facta duntaxat prohibere. Cor requirit deus, hoc si impurum est, nihil moratur externum cultum utcunque splendidum. Ostendit itaque Christus nos omnes esse peccatores, ut humiliemur, ne contemnamus proximum etiamsi plus et gravius quam nos peccaverit: omnes enim peccato obnoxios esse, et egere gratia dei. Exempla quae adfert Christus pauca sunt, ex quibus pravitatem aliorum affectuum quivis facile colliget. Tu caseo, aut lepore, aut minimo munusculo corruptus, torques sententiam: alius mille coronatos accipit, et idem facit: uter iam gravius peccavit? profecto qui tantam pecuniae summam accepit improbior est; interim tamen nec tu sulphure adfectus pravi cares, apud quem tam parvum

donum tantum impetrare potuit. Uterque ergo peccat, dum corrumpi largitione se sinit, nec quod iustum est, iuste exequitur.

Quod si oculus tuus dexter etc. Per epanodum ad superiora redit, et quasi corrigit superius dictum. Quasi dicat, Dixi, ut remittatis noxam, facilesque sitis ad ignoscendum: sed sic me capite: Si culpa talis est, ut ad offensionem totius corporis vergat, omnino parcendum non est, quin oculus eruendus, manus et pes abscindenda, ut corpus incolume servetur. Oculus propheta est aut episcopus, Manus princeps, rex, magistratus, Pes quisque in ecclesia. Aut aliter potest exponi, ut in libro Articulorum ostendimus articulo XL. Hoc dum Catabaptistae non animadvertunt, omnia confundunt. Iam dicunt Christianum non posse gerere magistratum, iam neminem malorum tollendum esse e medio. Quasi vero non satius esset aliquem sceleratum iure e medio tollere, quam Christianum populum talem esse in quo omnes scelerati locum haberent, et quisque pro sua libidine ageret. An ergo ecclesia Christi spelunca est latronum? Omnibus ergo parcere, utcunque peccent impudenter, quid hoc aliud est quam conscelerationem omnem alere et fovere? Rursum nemini parcere, aeque est iniustum et noxium. Utrumque extremum adeoque vitiosum. Fides medium arripit, parcit ubi parcendum, plectit quod plectendum est. Qui fide et charitate magistra utuntur, in his non temere errabunt. Quaerit aliquis, Quis ergo oculum eruere debet? Ecclesia aut magistratus, qui gladium non frustra gerit. Duplex enim virga est, priori ferit ecclesia, nempe excommunicatione aut abstentione. Eiicit enim ecclesia impudentes, donec resipiscant, Matth. 18. 1. Cor. 5. Hac virga si quid proficitur, res bene habet: contenta enim est ecclesia emendatione et resipiscentia. Qui vero hanc virgam contemnunt, et scelerati cum iactura totius corporis esse pergunt, iis gladius (gravior scilicet virga) adhibendus est. Sic enim animati sunt, ut ni gladii metus cohibeat, parati sint quidquid est scelerum designare. Hi ergo e medio tollendi sunt per magistratus, quibus id officii datum est a deo, ut noxios tollant, innoxios servent et tueantur. Hoc si sine gladio fieri potest, fiat, in his nempe de quibus spes melior arridet: sin minus, non fert gladium frustra. Satius est morbidum et infectum membrum, quod nulla cura reflci potest, tollere et resecare, quam ferre ut totum corpus pereat. Ecclesia ergo impudentes vitat, donec ad meliorem frugem redeant, et aliam induant mentem. Apud quos si nihil hac clementia proficitur, Christiani magistratus est eos aut compescere aut tollere, ut tuta sit ab improbis innocentia, et publica pax ac pietas constet.

Quicunque repudiaverit uxorem suam.) Iudaei ob levem causam uxores a se repudiabant, affectibus suis in hoc nimium indulgentes. Metam ergo ponit Christus, ne quid nimis. Cohibet affectus, et modum quendam ponit, quem transgredi nefas sit. Stuprum autem aut adulterium diserte ponit, non ut caeteras causas divortii excludat aut hanc solam praescribat, sed ut unam ex multis definiat. Hic enim mos est scripturae sanctae, ut uno exemplo contenta universa eiusdem generis exempla comprehendat. Non ergo adulterium duntaxat causa est divortii, sed praecipua fere. Quae enim vel aequant vel superant

adulteria, ut sunt proditiones, veneficia, parricidia etc. cur excluderet dominus? Quod vero unico exemplo scriptura caetera intelligat, ut reliqua taceam, ex cap. 19. Deuter. manifestum faciam, ubi una involuntarii homicidii causa duntaxat ponitur, propter quam tutus sit in asylis homicida, nempe si ferrum de manubrio lapsum comitem temere interfecerit. Quid si lapide aut latere e tecto delapso praetericns praeter voluntatem eius qui tectum reficit laedatur et intereat? quid si ligno aut alia re? Num illi duntaxat asylum a domino constituitur, qui ferro praeter mentem trucidat? Minime, sed una ponitur causa, eaque exempli vice, ex quibus caeterae facile colliguntur. Quocunque ergo telo quis alium interfecerit quacunque denique occasione, si id praeter voluntatem et odium fecisse manifestum fit, hunc tutum et innocentem esse definit dominus, quum interim tamen ferrum duntaxat nominet. Infinita enim sunt quibus alius alium interimere potest, et aeque mortuus est qui ligno perit, ac is qui ferro trucidatur.

Ne iuretis omnino.) Ex his verbis Catabaptistae contendunt, iusiurandum non licitum esse, nec posse ab homine Christiano praestari. Sed hunc errorem ex vocum ignorantia nasci certum faciemus. Vox enim Germanica (Schweeren) cui Catabaptistae Graecam *ἐπιορκεῖν*, Latinam Iurare similem putant, aliam significationem habet. Quum enim Germanice dicimus, Der ſchweert, Hic iurat, incertum est, an iusiurandum rogetur, an deieret. Ita late patet huius verbi significatio, ut ad utrunque sit aeque proprium. Latinus iurandi verbo in bonam partem fere utitur, hoc est, pro sacramento rogandi. Sed deierandi verbo utuntur pro ea iuratione, quae vel vero vel falso fit extra sacramenti rogationem, quod Germanice nova voce possemus (Zuſchweeren) vocare. Ad quam significationem etymon Graeci verbi probe quadrat *ἐπιορκεῖν*. Habent itaque Latini tres voces, iurare, deierare, et peierare. Prima significat sacramento rogare. Secunda temere ad quamvis rem, sive vero sive falso, adiurare. Tertia falso iurare. Christus ergo hic non vetat quo minus iuremus, sed ne unquam deieremus. Hoc quum Catabaptistae non vident, volentes ac videntes labuntur. Dicit enim, Ne *ἐπιορκήσεις*, id est, deieres (sic enim veteribus dictum est) ubi nostra translatio habet, Non periurabis, non omnino pessime. Nam peierandi verbum ut nunquam in bonam partem accipitur, sic non semper accipitur pro iusiurandum violare, transgredi, aut simulate praestare, sed nonnunquam pro deierare; quum scilicet deierare in malam partem sumitur: nonnunquam enim in bonam partem deierare accipi observavimus. Quum ergo Christi verba sic habent, Non periurabis dictum esse priscis, nusquam invenies apud Hebraeos hoc periurii interdictum, sed neque apud Graecos. At sic invenies Exod. 20. Non sumes nomen domini dei tui temere, ubi noster interpres dixit, In vanum. Secundo habes Levit. 19. Non iurabitis in nomine meo ad mendacium, ubi Graecus sic est interpretatus, *οὐκ ὀμεῖσθε τῷ ὀνόματί μου ἐπ' ἀδίκῳ*, id est, non iurabitis nomine meo ad iniquum aut falsum, quod Latinus sic habet, Non periurabis in nomine meo. Vides ut D. Hieronymus eleganter est periurandi verbo usus pro falso deierandi, non pro iusiurandum violandi. Fuit ergo priscis interdictum, ne temere

nomen dei adsumerent, hoc est, quemadmodum Levitici dicto loco exponitur, ne ad mendacium deierarent. Ex hoc iam intellectu apud Iudaeos haec opinio nata esse videtur, quod si nomen dei adsumerent ad verum, nihil officeret, etiam in quotidiano ac familiari sermone; sed ad rem levem, vanam, falsam et ementitam non licere nomen dei adsumere. Iam aliud quoque falsum ex verbis dei caro colliget, nempe, vetitum hoc praecepto duntaxat, ne deierando nomen *dei* usurpemus; caeterum licere, si quis per coelum, per terram, perque caeteras creaturas deieret, neque peccatum esse si quis huiusmodi res sermoni adhibeat, modo falsum non dicat. Has vanas et falsas opiniones, ex verbo legis divinae non rite intellecto subnatas, Christus legis interpres ex animo suorum evellere nititur, docens: neque ad falsum, neque ad verum, neque per dei nomen, neque per ea quae dei sunt, in familiari sermone deierari debere, sed sic omnia vere tum loqui, tum agere oportere ut si quis dicat *ναὶ*, hoc est etiam, iam proximus sic sit de eo persuasus, ut sciat verum esse quod dixit: si dicat Non, contra sciat non esse. De iure vero iurando nulla hic fit mentio. Sic enim habet, Audistis, dictum esse priscis, Non periurabis aut non deierabis. Quaero iam ubi id sit dictum? Ibi nempe ubi de periurio non agitur, sed de deiurio, ibi permittebatur, ut ad rem veram nomen dei tui adsumeres, quae tamen doctrina non legis erat sed deuterotarum. Dictum ergo est priscis, non a deo sed a deuterotis, qui legem spiritualem carnaliter intelligebant, et aliis quoque carnali eam sensu interpretabantur. Sequitur in Matthaeo, Sed reddes domino iuramenta tua. Quorsum vero hoc attinet? si de iureiurando iam loquitur, ubi prior locus (Non periurabis) habetur in hunc sensum, Non falles iusiurandum. Constat ergo ut de eis deierationibus loquatur, quibus in sese quisque temere recipit aliquid facturum, quasi dicat per parenthesin (Sunt enim domino reddenda quae iuraveris) recte scilicet aut iure, ut hoc pacto a deierando vel adiurando absterreat, quasi periculum sit, dominum imputaturum etiamsi temere recipias. Sequitur, Ego autem dico vobis, ne iuretis omnino. Ecce de qua iuratione loquitur, de ea nimirum, quam prisci sibi per legem putabant permissam, licere scilicet ad rem veram atque dignam deierare, per nomen dei aut alterius rei. Christus autem docet, quod neque ad rem veram, et quantumvis magnam, debeamus nostra, hoc est, privata authoritate adiurare, deierare, aut polliceri. Quam sententiam quae sequuntur firmiorem faciunt, quum ait, Neque per coelum etc. Per haec exempla manifestum fit, quod nullum iurisiurandi mentionem hic facit Christus. Quis enim Hebraeorum unquam per coelum, terram et per caetera iuravit? Contra vero quis non per ista quotidie deierat? Hoc ergo vetat Christus. Ad idem facit ipse totius sermonis colophon, Sit autem sermo vester etc. Hoc est, si dicatis etiam, sit etiam: si dicatis non, sit non. De sermone ergo quotidiano dicit, non de iureiurando. De quo quia nihil ad propositum, nihil hic dicamus: satis enim de illo in Elencho nostro diximus, et quod Christiano liceat, et quod cultus dei sit. Christus ergo in lege patris nihil novat, sed vetera instaurat, abolita traditionibus humanis innovat. Deierare ergo suis omnino vetat, iuxta placita

scilicet veterum et pharisaeorum; sed iuxta scripturam sanctam iurare pro gloria dei et proximi charitate, non vetat.

Quod ultra est, a malo est.) Hoc est, a daemone. Quo enim quis veritatem magis colit et amat, hoc deo propior est et similior. Deus est immutabilis, purus, infallibilis, impermixtus, ideo Christus se veritatem vocat. Ostendit ergo Christus legis interpretatione malum in nobis esse, nosque omnes esse peccatores: in deo enim mali nihil esse potest. Ut quum dicit, Qui viderit mulierem (ut superius exemplum repetamus) ad concupiscendum eam, ostendit malum in corde latere. Ubicunque ergo ardorem sentimus, ignem haud procul abesse sciamus, conflagrationemque metuamus. Erupit aliquis in factum, tu minime. Nihil tibi placeas, sed sta in timore dei, vigila, ora ne inducaris et tu in tentationem. Est aliquid discriminis (fateor) inter te et illum: is enim facto peccavit, tu affectu, at interim scintilla in corde tuo latet, ex qua ignis alterius erupit. Doctrina ergo Christi huc tendit, ut morbos nostros probe agnoscamus, defleamus, et emendemus, nunquamque securi simus. Mendacium initium est peccatorum omnium. Nam mendaciis seduxit serpens primos parentes. Ergo si veritas plantetur, praedicetur, inque orbem reducatur, pullulascet iustitia, innocentia, et omnis virtus. Propheta ergo qui hanc lucem veritatis in ore corde et manu habet, in medio ecclesiae eam proponat. Hic impii et scelerati propriis ipsorum conscientiis convicti, pudefiunt, dum audiunt veritatem tam constanter a propheta asseri, sceleraque exagitari. Quando scilicet minister verbi sibi bene conscius est, se neque gloriam ambire, neque lucrum sectari, sed gloriae dei et proximorum saluti studere. Quod de propheta dico, hoc idem de iudice intellige. Augusta est veritas et plena maiestate ac reverentia, etiam coram malis. Ubi fides viget in corde, charitatisque ardor flagrat, eximium est studium instaurandi veritatem, innocentiam, iustitiam. Veritas iudicium formal (est enim lux), ut in aliis quoque mendacia statim ac facile deprehendat, praesertim, si tota vita nihil aliud quam veritatem et iustitiam spectavit. Studium veritatis semper videt quid liquido sit in causa. Ubi enim deus lucet, quomodo ibi tenebrae esse possunt? Restituta veritate, restituetur et iustitia, pax denique et omnis virtus pulcherrime et felicissime reflorebit.

Praebe ei et alteram.) Hyperocha est, perfectissima enim ubique exemplaria Christus proponit. Ad internum hominem rursum respicit. Patienter ferat animus ictum, paratusque sit et alium vel maiorem constanter ferre. Paret se discipulus Christi, ut dum hic vivit quicquid malorum inciderit magno et infracto animo perferat. Neque enim aliud novit mundus, quam iniuriam inferre piis. Monet ergo Christus, ut divinum ingenium imitemur, utcunque tam absolutum exemplar nunquam assequamur. Servit hoc ad sui ipsius cognitionem, et animi insolentis depressionem.

Diliges proximum, odio autem habebis inimicum.) Hoc ultimum, quod ad literam attinet, habetur in libris Mosis de exterminandis Chananaeis et aliis gentibus. Quasi diceret Christus, Sic quidem permissum est veteribus. At si divinam et absolutam perfectionem

spectemus, longe perfectius et naturae divinae propius est, non ulcisci iniuriam, etiam si laesus sis et ulcisci possis. Docet enim Christus ubique adfectus premere, et impuritatem adfectuum nobis ob oculos ponit. Ut ut sonet litera legis: si affectus impurus est et sua quaerit, legem circumvenit. Qui literam legis duntaxat spectant, iusti non sunt. Dicis, quid si spiritum spectem legis, num sic purus et iustus ero? Minime. Lege ergo sua Christus nos omnes peccati reos agit, et damnatos merito ostendit. Et licet impossibile nobis sit legem ad plenum praestare, non tamen ob id cessat Christus perfectissimam legem praescribere, quam tamen nunquam assequimur. Deus perfectissimus est, et purissimus est; ideo perfectissima et purissima suis praescribit, perfectionem summam a suis requirit, utcunque eam praestare non possint. Optima semper exemplaria proponit, ut discamus agnoscere nostram imperfectionem et impuritatem. Ubicunque spiritus dei in homine est, gaudet, et condelectatur lege. Hoc idem artifices faciunt, pictores, aurifabri, semper optima discipulis suis imitanda proponunt, quae raro aut nunquam exprimunt; at interim student, et exercentur, dolent ubi non pro voto succedit, iterum atque iterum conantur ac tentant. Hoc ergo agit Christus, ut nos in nostri cognitionem ducat, ut notum fiat, quam simus impuri et imbecilles, ut discamus quam longe adhuc a perfectione divinae voluntatis absimus, ut nunquam nobis placeamus, nihil nobis indulgeamus, nusquam satisfactum putemus, sed versemur semper in timore dei, vigilemus, oremus, et ploremus ante dominum. Ad hanc rem conficiendam perfectissimam legem a nobis exigit, etiamsi eam nunquam attingamus. Hinc vero in piis dolor, gemitus, lacrimae, preces, hinc desperatio de nostris operibus et meritis, de nostra iustitia. Hinc discimus soli divinae misericordiae niti, qui dedit filium suum pro nobis in mortem. Illius iustitia est nostra iustitia, is legem pro nobis perfecte implet, is pro nobis patri satisfacit, et in gratiam cum patre reducit. Multis itaque verbis Christus utitur, quum ignoscere et diligere docet; paucissimis, ubi de poena mentionem facit, eo quod natura ad vindictam nostri proni sumus, et ad ultionem quam ad misericordiam ac charitatem proniores. Obiter et hoc discimus, ut non semper ad literam legis et corticem oculos intendamus, sed ad perfectionem potius legis. Saepe fit ut iuxta legem quis absolvatur, qui tamen coram deo securus esse non potest, quoniam saepe pro externa conversatione et tranquillitate servanda leges etiam a deo constituuntur, quibus non semper utuntur pii, etiam si possint, sed concedunt de suo iure, plus spectantes quid proximo utile sit, quam quod ipsis. Ignoscunt ergo etiam si lege ultionem pro se impetrare possent etc. Considerant aliud esse divinum iudicium, aliud humanum.

Diligite inimicos vestros, nam si eos dilexeritis.) Non vetat Christus quo minus iis rependas qui tibi benefaciunt, sed docet hoc non esse perfectionis, quum et mali hoc faciunt ex carnis affectu. Si nihil benefaciendo plus praestas quam vel impiissimi et infideles, adhuc longe abes a vera iustitia et patris tui coelestis natura, qui et iniustis benefacit. Per epilogum ergo priora contrahamus et caput hoc con-

cludamus. In legis perfectione quam deus nobis praescribit, tanquam in speculo nostram imbecillitatem, imperfectionem, et impuritatem pervidemus. Discimus enim nos aut hypocritas et nequam esse, dum scilicet ex vana gloria, lucri causa, aliisque affectibus impulsi, legem non praestamus sed simulamus, vel omnino negligimus ac contemnimus. Aut infirmos et peccatores, dum spiritu dei excitati ex fide quid agimus: deest enim semper aliquid operibus nostris. Nam etiamsi ex fide nonnunquam conemur, ad plenum tamen legem tam perfectam praestare non possumus. Manca ergo, imperfecta, et impura est nostra iustitia, nisi iustitiam Christi per fidem arripiamus et nostram faciamus.

CAPUT VI.

Quae sit legis divinae perfectio ex superiori capite a Christo satis indicatum est. Hanc simulare omnibus in proclivi est, vere praestare paucissimis contingit. Corticem legis multi adprehendunt et nitorem aliquem exprimunt, at interiorem nucleum paucissimi assequuntur. In messe vacuae et inanes spicae (quod ad speciem externam attinet) a plenis nihil differunt, ut incautis saepe imponant (nec enim facile deprehendi et dignosci possunt), donec eos qui grana excutiunt spe sua fraudant, et inania esse reperiuntur. Sic contigit nobis in Christi ecclesia, ut multi sint qui Christum simulent, at non adeo multi fructum expectatum ferunt. Verbum enim dei (quod semen est) varie excipitur, aliud a volucribus coeli sublatum perit, aliud conculcatur a praetereuntibus, aliud spinis suffocatur etc. Luc. 8. Hypocrisis altum malum est et abditissime abstrusum, adeoque a paucissimis cognitum. Utque non possunt inanes spicae a nobis impleri, ita hypocritae a nobis perfici non possunt. Nihilo tamen minus nusquam debemus nostro officio deesse. Et quoniam corda hominum nobis perscrutari non est datum, externa specie quam simulant plerique contentos nos esse oportet. Novit dominus qui sint sui, et fides paucorum est. Quod ex corde et fide nascitur, granum est quod deo placet: quod in speciem nitet, folliculis inanibus est simile. Hac ratione Christus viduam pauperculam prae omnibus divitibus commendat, quum duo duntaxat aera in Gazophylacium misisset: respexit enim ad illius fidem. Hypocrisis simia est verae pietatis. Sed ut simii homines non sunt, utcunque mentiantur, ita hypocritae nunquam vere pii sunt, ut maxime speciem prae se ferant. Christus ergo damnata hypocrisi, suos ad veritatem et perfectionem adhortatur, ut omisso splendore operum veritatem capessant. Qui fidem habent, et intus solidae virtuti student, parum curant qua specie hominibus adprobentur, severi an blandi, asperi an facundi adpareant. Iudex qui partibus placere studet, nihil recte pronunciabit. Ad hanc veram fidei et spiritus plerophoriam Christus animos suorum format. Fidelis huc respicit et hoc in primis urget, ut opus ex fide fiat, hypocrita tempus et operam in apparatu verborum et externi splendoris consumit, plus ostentationi et gloriae, quam fidei et veritati studens. Similes sunt hypocritae palaestritis, qui se ostentando ante tempus defessos reddunt, nec postea, dum maxime opus est, exhaustas vires exerere possunt. In summa, Veritas dei

opera vera docet, et ab omni hypocrisi suos vult esse alienos. Ubicunque enim hominibus placere studemus, actum est de pietate. Solus deus spectandus in omnibus.

Eleemosyna.) ἐλεημοσύνη non solum opus est misericordiae, sed et mititatis et benignitatis. Sic me capite, Quum damus pauperi ob id solum quod pauper est et eget, opus est misericordiae duntaxat. Eleemosyna vero proprie illud opus est, quod ex benigno corde proficiscitur, etiamsi non usqueadeo egeat cui das. Bonus es et ex bonitate ingenita adcurris et iuvas proximum, etiam nullo habito personae respectu. Hypocrisis et vana gloria comites sunt bonorum operum. Ut missilia nunquam sine pennis appensis evolant, ita neque opera sine gloriae affectu fiunt. In manifestis et magnis flagitiis facile cavemus, sed vana gloria bonis operibus insidiatur, et virtutibus eximiis tendiculas ponit. Quam misera sors mortalium? Quum de mercede loquitur Christus, per mimesim hoc facit, quod ex pura gratia dat mercedem appellitans. Quandoquidem hypocritae in omnibus mercedem spectant.

Quo spectemini ab hominibus.) Multa sunt opera quae ne fieri quidem possunt ut non videantur. Sed Christi doctrina huc tendit, ne hac ratione faciamus bona opera, ut videri velimus, quin conscientia et fides solum deum spectent.

Nesciat sinistra.) Loquutio est non sine prosopopoeia, loquitur enim ac si manus intelligerent. Sinistra manus hypocrisis est, quae semper in benefaciendo adcurrit, et sibi partem aliquam operis vendicat.

In propatulo.) Ut Matth. 25. Venite benedicti, esurivi etc. Caeterum hypocritae velut inanes aristae proiicientur et conculcabuntur.

Quum oraveris.) Quum oramus publice in ecclesia, eadem ceremonia est omnium, idem mos; at interim non est aequa devotio et ardor idem omnibus. Quum vero recte oramus, non externum adparatum aut splendorem, sed deum spectamus. Hypocritae omnia ad vanam gloriam attemperant, ut splendeant coram hominibus. Cadit ergo hic quidquid est precum et cantionum, quas pro mercede murmurarunt ecclesiastici.

In conclave.) Deus enim est hoc summum bonum, quod omnia penetrat, quod ubique praesens est. Quo fit, ut qui recte orat et ex fide, nihil curet, etiamsi non videatur, si sit solus, quum non dubitet se a deo et visum et exauditum.

Verum orantes ne sitis multiloqui.) Hoc non dicit Christus, ut ab oratione deterreat, sed veram orationem docet, quae non tam in multis verbis sita est, quam in fidei fervore. Hanc enim solam respicit Christus quae ex fide ascendit. Paucis verbis opus est in oratione, sed magna devotione, altis suspiriis. Oratio (ut quidam inquit) elevatio est et ascensus mentis in deum. Sit ergo sobria, vigilans, pura et simplex, sine verbositate. Multa iacula simul emissa tardius volant, pennis impedita; unum solum velocius scopum attingit. Tum recte collimamus in oratione, quum dei misericordiam et promissiones certa fide adprehendimus. Sine fide nihil impetratur. Committamus domino salutem nostram! scit pater coelestis quibus opus habeamus. Antevertit nos bonitate sua, antequam precari ordiamur. Quum remissionem

petimus peccatorum, fides se exerit: querimur enim et dolemus. Hinc suspiria, hinc fletus, hinc sui ipsius displicentia imo desperatio, tum purae clementiae dei per Christum nitimur. Tales preces placent deo. Et haec est causa; cur deus saepe cadere etiam sanctos permittat, ut de se desperantes humiliati, ad gratiam suam avidius adcurrant.

Pater noster.) Numinis reverentia ac religio etiam apud Ethnicos fuit. Quod si qui sunt qui metu numinis non tenentur, pecudes verius quam homines dicendi sunt. At quae est apud impios religio non est perpetua et constans: qui si numinis virtute aliquando tanguntur, non amor hinc aut cultus dei in ipsis nascitur, sed desperatio. Pii vero petunt hoc summo bono frui, et ei familiares esse. Hoc tum fit, quum sumus deo quam simillimi. Similes ei esse non possumus nisi innocentia, sanctimonia, et vitae puritate. Haec vero a nobis esse haudquaquam potest, sed a deo donatur. Opus itaque nobis maiori quadam et sublimiori virtute, coelesti videlicet et divina, quae carnem nostram ab affectu suo avocet. Hic paedagogus et custos ubi abest, et mens ipsa degenerat et a carne oppressa nihil nisi carnalia cogitat. Familiaritas quoque, quam homo cum deo habere cupit, non a carne est, quum carnales ne intelligant quidem quae sunt spiritus: tam abest ut appetant. Caro si de fruitione dei in patria audit, obstupescit et ridiculum putat; quae de corporali gaudio dicuntur, ad illa avide aspirat: ut quum pueris de Narragonia mentio fit, in qua sepes farciminibus confiunt, et tecta libis ac placentis. Cognitio numinis quae ex fide est, intelligit numen non esse unius, sed omnium. Item patrem esse. Hunc invocat, utpote ex quo omne bonum est. Sic Iacob. 1. Omne donum etc. Ad hunc ergo fontem adcurrimus, ex quo quidquid est iustitiae et veritatis profluit. Hoc vero non fit, nisi cor prius sit fide et cognitione dei persuasum.

Noster.) Altissime per fidem ascendimus, dum agnoscimus deum patrem esse. Hoc vero quod addit Noster, deprimit nos, quum intelligo eum non meum duntaxat esse, sed omnium. Sic de universis dei donis sentiendum est piis, ut cogitent non sibi solis haec accepisse a domino, sed ecclesiae ut dispensentur.

Qui es in coelis.) Periphrasis est: quasi diceret, Pater coelestis: ne quem terrenum patrem aut creaturam intelligeremus.

Sanctificetur nomen tuum.) Nomen, id est virtus, potentia, maiestas. Tum dei nomen sanctificatur, quum eius clementia, gratia, iustitia, bonitas, et virtus ubique cognoscuntur et glorificantur, quumque nos sancte et inculpate vixerimus. Deus enim in se sanctior fieri non potest, natura est simplex et immutabilis. Quod augmentum recipit, deus non est. Exemplo hoc manifestum fiet: Dum quis consul eligitur, substantia corporis nihil augetur, sed nomine et virtute (siquidem officio suo satisfecerit.) Augustior fit, dum iuste et recte imperat. Quum ergo totus orbis dei patris benignitatem et bonitatem agnoscit et laudat, et coram oculis maiestatis eius innocenter et sancte vivit, nomen dei sanctificatur. Sanctum autem est sacrosanctum, et quod tangere et violare nefas sit.

Adveniat regnum tuum.) Haec petitio fere superiori similis

est: idem enim utraque petitur. Graece est, Veniat regnum tuum. Regnum dei nec augeri nec minui in se potest, sed perfectissimum est: apud nos vero augmentum recipit et decrescit. Petimus ergo ut ad nos veniat regnum dei, id est, iustitia, pax, gaudium in spiritu sancto etc. ut augescat, hoc est ut sancte et inculpate vivamus, ut nostrum quam plurimi in regnum dei veniamus, ut illum regem agnoscamus, colamusque.

Fiat voluntas tua.) Et haec cum priori consonat. In coelo omnia parent tuae voluntati, praesta o pater, ut et nos hic idem praestemus. Tres illae petitiones in idem recidunt, ut agnoscamus religionem Christianam aliud nihil esse, quam ut iustitia et vitae innocentia deum colamus, ut divinae nos voluntati conformemus: hoc ut fiat, petimus a deo.

Panem quotidianum.) *ἐπιούσιον* Graeci dicunt, Supersubstantialem. Deus enim substantiam nostram vere pascit et sustinet, idque vero et substantiali cibo. Non enim in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit ex ore dei, hoc est in virtute dei. Hodie vero pro omni tempore seu quotidie capitur, Hebraico more. Nihilo tamen minus vitae nostrae necessitatem hac petitione apud dominum quaerimus. Panis enim Hebraeis omnem cibum significat. Qui animam pascit, quomodo idem non etiam corpus pasceret? Agnoscimus deum esse qui et corpus et animum pascit: nam pater est, qui nostri curam gerit; ab illo ergo petimus quidquid nobis deest. Dum vero corpora nostra alimento quotidiano cibat, non satis esse putemus, sed animum intendamus altius, et epiusion, hoc est supersubstantialem petamus, plus de animae cibo quam corporis solliciti.

Remitte nobis debita nostra.) Aperit se nobis divina voluntas, utcunque carni gravis videatur, at exemplar nobis proponitur a deo, in quo discamus quid dominus a nobis requirat. Ostendit ergo se clementem esse, facilem, et misericordem, qui in se peccantibus clementer remittat, ut doceat et nos clementes esse et faciles, ut simus propensi ad ignoscendum iis qui nos laeserunt: decet enim filios patris sui naturam et ingenium imitari. Filii dei facti sumus per fidem, naturam ergo divinam imitemur. Sed hic (ut in omnibus) fidei et caritatis regula adhibenda est, ad hanc omnia sunt exigenda, ne usquam impingamus. Aliquando septuagies septies ignoscendum est fratri. Aliquando oculus est eruendus. Nihil ex affectibus geratur, qui nos laedunt iis facile reconciliari debemus; qui deum offendunt et ecclesiam, graviter puniamus. Nec oratio solum est, sed publica Christianorum professio. Alligat enim deus remissionem suam nostrae remissioni: si non remiserimus nos, neque deus nobis ignoscet.

Ne inducas in tentationem.) Tentatio est vita humana, ut Iob testatur. Da igitur o pater puras cogitationes, ne carni nimium in nos permittas, serva nos ne in affectuum imperium cadamus: serva a malo, a daemone qui omnium malorum est artifex.

Porro cum ieiunaveritis non sitis tetrici.) *Σκυθρωποι*, Finſter, dunckel, ſur. *Ἀφανίζειν* est nativam faciei formam ficta macie tristique pallore obscurare, et quasi e medio tollere. Hoc enim faciebant hypo-

critae dum ieiunabant, simulantes omnia, et ad populi adplausum attemperantes. Ut Iudaei superstitionem in ieiuniis sunt sequuti, ita quoque (quin magis) Papistae. Iudaei unum tantum diem habebant a deo praeceptum, cui deinde multos addiderunt. Qui vero ieiunia eorum deo placeant ex Esaia satis manifestum fit. Tempus certum Iudaeis in die ieiunii non erat finitum, ipsi vesperam élegerunt. Quod imitati Papistae, ad meridiem usque ieiunarunt: et ut Iudaeos plene imitarentur, vesperam in meridie fecerunt, tam potentes scilicet in operibus dei, ante prandium vesperas preces canentes. Ne audiamus ventris et gulae imperium! Nec interim opus, ut vel Christi vel Ioannis ieiunium certis diebus imitemur, sed inter haec duo extrema medium teneamus. Venter nimis cupit, Christus singulare quiddam facit. Christianum ieiunium inter haec modum tenet, non indulget carni nimium, nec immodica abstinentia eam enecat et inutilem reddit. Abstinentia ergo et temperantia a Christo suis praescribitur: qua utemur, non ut aliis placeamus aut commendemur, sed ut carni petulanti frenum iniiciamus, et eam in servitutem spiritus redigamus.

Unge caput, lava faciem etc.) Hac periphrasi nihil aliud dicit, quam dissimula ieiunium tuum, liber sis ab hisce hypocritarum moribus. Ungi oleo, gaudii erat apud istas gentes, 4. Reg. 14. Quum ieiunas nec facias nec omittas quidquam, quod auram captet popularem. Qui deum non spectant, a gula vel corporis salute deterreantur. Nec enim melior est medicus, quam temperantia et dieta, hoc est, moderata victus ratio.

Ne vobis reponatis thesauros in terra.) Et hic modum docet in parandis rebus. Alibi enim extremum et perfectissimum tradit, quum dicit, Vende omnia, et da pauperibus. Quod si omnes facerent, deus nosset qui ex animo et vera pietate facerent. Et tametsi hoc perfectissimum et absolutissimum esset, non tamen omnibus competeret. Modum ergo quendam in his temporariis rebus praescribit Christus, ne quid nimis, ut qui perfectissima assequi non possunt, saltem media quadam via incedant. Docet ergo ne plus aequo illis rebus tribuant quae aeternae aut perpetuae non sunt, sine quibus ut non commode vivere possumus, ita illis ad necessitatem tantum, non ad luxum et voluptatem utamur. Nocentissima pestis est cupiditas, a qua Christianus sibi caveat, et modum servet. Lanii non admodum multum operae impendunt, dum claviculos aut paxillulos ex ligno aptant ad consuenda farcimina, sat esse putantes si tantum acuminis habeat ut transire possit. Fabri aut artifices qui toto aevo aliud nihil faciunt, quam instrumenta sic exacte parare ut niteant, parum utilitatis vel sibi vel aliis conferunt. Si aestimamus divitias ex comparatione, nemo dives erit: alter enim alterum superat opibus. Si vero ad modum contulerimus, dives est, qui satis habet. Et hic habet satis, qui modum servat. Ubi non est modus, nemo dives est. Summae divitiae sunt, quae quam proxime ad summam inopiam accedunt. Summa inopia est nihil habere et miserrimum esse.

Lucerna corporis est oculus.) Hoc est, corpus utitur oculo pro lucerna. Totum corpus tenebrosum erit. Hoc per hypallagen dicit: actiones quae fiunt per corpus tenebrosae sunt, sine oculo ac lumine

operari commode non potest. Oculus seu lucerna (nam per comparationem loquitur Christus) ad quam omnia opera Christianorum dirigenda sunt, cognitio vera est dei. Praelucet fides omnibus actionibus piorum, quemadmodum oculus corporis actionibus. Hac lucerna praelucente, et in parando et in utendo modum servabimus. Neque enim quod adest luxu effundemus, neque sordide retinebimus. Qui hac luce carent in summa inopia peccant, impatientia nempe, murmuratione, cupiditate. Qui vero oculos mentis in hanc lucernam dirigunt, nec in summis divitiis modum excedunt. Qui hanc lucem habent, lucide et clarissime peragunt omnia, non ambulant in tenebris, nusquam impingunt, nusquam offendunt. Oculum autem per allegoriam fidem intelligi indicat, quod et ante et post de divitiis dixit. Propositum enim est Christo eximere divitiarum cupiditatem ex cordibus suorum. Quam propositionem rationibus confirmat.

Ubi enim thesaurus est, ibi est et cor.) Si thesaurus est in cellis et granariis, illic cor quoque est. Interim tamen cordis et omnium actionum lucem fidem esse docet. Secunda ratio a communi sensu desumpta est.

Nemo potest duobus dominis servire.) Haec enim sententia generalis est, et confessa ab omnibus.

Nolite solliciti esse.) Commoda anthypophora obiectioni occurrit. Diceret enim quispiam: Otiosi ergo et ignavi erimus? Dicit ergo *μὴ μεριμνᾶτε*, quasi diceret: Non prohibeo providentiam et curam rerum, sed nolo ut anxia cura distorqueamini et nimio rerum studio teneamini. Vox Graeca vehementius quiddam sonat quam (solicitum esse) exprimat. Est enim *μεριμνάω* anxie et solicite de aliqua re cogito, ubi homines avari diu noctuque distorquentur, et tantum non desperant. Ubi vero huiusmodi cura est, cor a deo avulsum est, rebus terrenis inhians et serviens. Docet ergo (ut supra diximus) Christus in omnibus modum quendam servare, quem tenere sine fide et pietate nemo potest. Fides oculus est omnium actionum et lux quaedam. Ut ergo corpus caecis oculis nihil videt, ita nec homines sine fide quidquam recte gerunt aut iudicant. Hic oculus a nullo homine purgari potest, nec ferunt homines, si quis hunc verbo dei purgare et emendare tentet. Quidquid enim avaris et divitibus de modo dicas, semper habent quod praetexant. Qui sex mille aureos habet, alium obiicit qui plus possidet, et ad hunc collatus sibi pauper esse videtur. Nihil ergo proficimus externa doctrina, dum oculo fidei carent divites. Nullae divitiae tantae sunt quae avaro sufficiant. Hinc quidam dicit: Semper avarus eget, quum non quod habet numeret, sed tantum quod non habet optet. Haec excusatio per comparationem aliorum non in hoc vitio tantum fit, sed in omnibus. Quisque enim, quia non tantum quantum alius peccavit, innocens videri vult. Sic pharisaeus dicebat: Non sum sicut caeteri homines, nec ut hic publicanus, quum interim gravioribus vitiis (si Christo credimus) scateret, et iniustior alio esset. Rogandus est ergo deus ut nos oculo bono et lucido donet. Hoc enim praelucente et dirigente omnia recte transigentur; quid deceat, quid minus mox docebit.

Nonne anima pluris est quam indumentum?) Quis vobis dedit

animam? Deus nimirum. Num ergo animae obliviscetur creator et opifex? Iam si animae rationem habet deus, et hanc pascit ac servat, corpus non pascet ac curabit? Memineris et te creaturam dei esse, quin potiorem et multo dignissimam, excellis enim non volucres modo, sed et caetera omnia. Quod si volucribus providet pientissimus pater, quomodo te deserere posset? Sed haec anxia cura hinc nascitur, quod donis et benedictionibus dei omnes abutimur. Hic tantum corradit, quantum mille sufficeret; alius otio indulget, et usura divitias sibi parat. Hinc dei oblivio, hinc diffidentia: aut enim bonitatis divinae obliti desperant, aut ignavia victi deum tentant.

Quod si gramen agri.) Pulcherrimus est descensus a flore ad foenum.

Gentes haec quaerunt.) Vehementius quiddam significat vox Graecanica ἐπιζητέω. Gentes quoniam ignarae sunt bonitatis dei, neque hac fidunt, putant omnia suo labore, sua industria parari; fidelis omnia e manu dei se accipere certo cognoscit, sine cuius benedictione omnis humanus conatus frustra laborat.

Primum quaerite regnum dei.) Si oculus noster purus et sincerus fuerit, hoc unum omnes curabimus, ut fides, pietas, iustitia, innocentia et veritas propagetur; nam in iis consistit regnum dei. In primis ergo studeamus placere deo, dispicereque quales ei post hanc vitam cohabitemus. Caetera omnia ipsius curae committamus.

Nolite solliciti esse.) Rursum non intelligit de simplici et licita sollicitudine, sed de anxia quadam et desperata cura. Christus enim alibi prudentes esse suos iubet. Prudentia autem rerum est futurarum providentia. Tolleretur omnis dei sapientia. Quid enim nobis sapientia proderit, si prudentibus esse non licet? Et Paulus dicit: Prudenter ambulate, tempus enim malum est etc. At prudentiae columbina simplicitas iungi debet.

In crastinum.) Id est in posterum. Sic enim Cras utuntur Hebraei.

Crastinus dies curam sui habebit.) Elegans haec est prosopopoeia. Crastina lux ostendet pro quibus curandum, adferet enim ea pro quibus solicitus es. Cura autem pro iis capitur, pro quibus curam gerimus, vel quae a nobis curantur. Adferet crastinus dies eas res, pro quibus tu sollicitus es, ut videas deum tui curam gerere.

CAPUT VII.

Nolite iudicare.) Haec ad interiorem hominem pertinent. Loquitur enim de eo iudicio quo tu hominem in corde tuo pro tuo arbitrio aut potius libidine iudicas, etiam in hisce morbis, a quibus tu non es immunis, quum interim gravissima et publica scelera dissimules, ne dicam probes. Et haec doctrina etiam iudicibus datur, non quidem quod non iudicent et damnent sceleratos, aut quod non plectant sontes iustis suppliciis et poenis (nam hoc illorum est officium); sed quod et ipsi nihil ex privatis affectibus pronuncient. Qui enim ex affectu iudicant, iudicium dei non effugient.

Cur vides festucam.) Cogitet quisque intra se, annon et tu talis.

An enim non hoc stultissimum fuerit, si quis ex oculo alterius festuculam eximere studet, quum ipse trabem in oculo gestet? Sic quisque sese examinet, domum suam, familiam, uxores, liberos etc. Qui alios a peccatis avocat, ipse primum a sceleribus abscedat. Qui caeteros emendare cupiunt, non hoc temerario iudicio, sed exhortatione ex charitate proficiscente efficient: nam si charitas abest, quidquid fit, hypocrisis est, non virtus et iustitia. Docet ergo Christus hoc sermone, ut in se quisque descendat, seque primum norit. Nec opus est, ut ex festuca et trabe allegoriam texamus, quum non comparative loquatur, sed absurditatem indicet, si quis se neglecto alium iudicet ac corripiat: quum et Ethnici hoc praecipiant, eum omni crimine vacare debere, qui in alium dicere sit paratus.

Nolite sanctum dare canibus.) Expositio est superioris: Nolite iudicare. Quasi dicat: Non hoc volo ut omnino non iudicetis, aut sceleribus non obstetis. Quin in vitiis idem faciendum quod in corporum morbis. Hic omnes sua consilia et adiumenta conferunt, ut convalescat aegrotus: cur non idem faceremus in aegrotatione animae? Sunt autem, qui correptiones piorum et prophetarum non audiunt, quia caro sunt, quin et in monentes insiliunt, frendunt, persequuntur. Multo ergo magis anxii sumus ut corpus servetur, quam ut animus valeat. Laudamus medicum qui ex inspectione urinae omnem nobis morbum aperit, hunc nobilitamus et famigeratum reddimus, commendamus eum omnibus; animi vero medicum, qui nobis morbos nostros ob oculos ponit, et graphice quasi in tabula depingit, explodimus et abiicimus. Qui tales sunt, canibus non sunt absimiles, illis ergo evangelium non est praedicandum. Hic vero observandum quam miseri quamque infelices sint, quibus deus negat et aufert, quod tamen toti mundo iubet offerri. Dicit enim Christus, Ite in orbem universum, et praedicate evangelium omni creaturae, et suos in medios lupos abstrudit. Hic vero ne canibus tam sanctum nuncium proiiciant vetat. Videntur quidem hi loci sibi in speciem pugnantes. At lux fidei adhibita conciliat. Iis lupis missi sunt apostoli, de quibus spes est, ut lupina feritate posita in oves mutentur, et simul cum bove foeno vescantur. At ubi conclamata, desperata, et conscelerata adeo sunt omnia ut spes resipiscentiae nulla supersit, quid iuvat hisce canibus evangelium praedicare? nisi malimus et doctrinam et doctores pessum iri nedum contemni. Non est tam temere abiiciendum hoc pretiosum margaritum. Ubi vero evangelium sit praedicandum, ubi minus, lucerna fidei docebit. Per *sanctum* iustum, verum, coeleste, et quidquid dei est intellige. Neque ignaviam suam meticulosi prophetae his verbis excusabunt. Ubicunque enim spes est lucri, ibi doceamus, utcunque multa nobis ob id ferenda sint, multa devoranda. At interim orandus est deus ardentissimis votis.

Petite et dabitur vobis.) A communi sensu argumenta astruit. Inter homines si quid petimus ardentius, impetramus, cur non idem apud deum? Roga dominum ut et tu verbum eius recte praedices, et is qui audit recte intelligat, fructumque in eo ferat. Sine intermissione ad dominum clamandum et orandum est. Qui domino fidit, ad dominum

adcurrit, certus quod exaudiatur. Quod si non adimit quae premunt, exercet nos interim ne luxu et voluptate diffluamus.

Quum sitis mali.) Hoc ad totum genus humanum loquitur, et hac comparatione ostendit se solum bonum esse, et fontem inexhaustum omnis boni.

Quidquid petieritis.) In omnibus se preces nostras exauditurum pollicetur, modo prosit, et salutare sit, fideque vera petitum; dicit enim: Bona dabit. Hac conditione apposita moderatur et temperat sermonem. Nam sic parentes solent, nihil quod noxium est liberis suis dare. Quasi dicat, Cur vobis darem, quae obessent, quae vos non raro pro affectu carnali petitis?

Quaecunque volueritis ut vobis faciant.) Quandoquidem Christus reformator est naturae conditae, in Adamo corruptae, fundamentum iuris naturalis hic attingit. Nota est sententia Pauli ad Romanos: Nam quum gentes quae legem non habent, natura quae legis sunt faciunt, eae legem non habentes, sibi ipsis sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis etc. In primo quoque capite dixerat: Id quod de deo cognosci potest manifestum est illis, deus enim illis patefecit. Ex hisce locis aperte intelligimus, quod dei est ea, quam homines naturae nescio cui ferunt acceptam, de deo notitia. Deus enim manifestavit illis. Et natura quid aliud est, quam continens perpetuaque operatio dei, rerumque omnium dispositio? Accessit autem Paulus hoc loco nonnihil ad gentilium, quum de deo loquuntur, usum: non quod ipse sic sentiat, quod dei cognitio et lex ab humana ratione proficiscatur, sed quod gentiles sic sentirent, unde caute subiungit: Deus enim patefecit illis, ne quis putaret hanc a se aut suis viribus habere. Tametsi et gentium sapientissimi quique (quantum ego iudicare possum) naturam aliud nihil intelligant, quam immutabilem summi numinis operationem et providentiam. Hoc ex Seneca, Cicerone aliisque facile colligi potest. Cicero enim in lib. de Legib. et Inventione, de lege naturae ita scribit: Naturae lex, recta et summa est ratio insita in natura, iubens ea quae facienda sunt, prohibensque contraria. Haec summa lex est quae seculis omnibus ante nata est quam scripta lex ulla, aut omnino civitas constituta: ius enim naturae non opinione sed ingenita quadam vi ortum et constitutum est. Natura autem omnis divinitus regitur. Ex omnibus animantibus nullum est praeter hominem quod notitiam habeat dei. Hoc iure devincta est omnium hominum societas. Hi igniculi a natura sunt dati homini et ingeniti, ut intelligamus nos ad iustitiam societatemque mutuam natos; corruptione vero naturae, depravatione consuetudinis, et opinionum vanitate tanquam extinguuntur. Hinc oriuntur et confirmantur vitia, dum homo a natura discedit. Naturae igitur ius est, quod nobis non opinio, sed innata quaedam vis affert, ut religionem, pietatem, gratiam, vindicationem, observantiam, veritatem. Religionem eam, quae in metu et ceremonia deorum sit, appellant. Pietatem quae erga patriam aut parentes, aut alios sanguine coniunctos officium conservare moneat. Gratiam, quae in memoria et remuneratione officiorum, et honorum, et amicitiarum,

observantiam teneat. Vindicationem, per quam vim et contumeliam defendendo, aut ulciscendo propulsamus a nobis, et a nostris, qui nobis esse cari debent, et per quam peccata punimus. Observantiam, per quam aetate, aut sapientia, aut aliqua dignitate antecedentes veneramur et colimus. Veritatem, per quam damus operam, ne quid aliter quam confirmaverimus fiat, aut factum, aut futurum sit. Ex his et aliis quae apud Ethnicos leguntur passim, facile inducor, naturam rationemque illis fuisse quod nos dei voluntatem aut ordinationem dicimus, aliquando etiam imaginem dei, quae aut insculpta sit primum hominibus, aut deinde spiritus sancti operatione per fidem et charitatem illustrata et renovata. Habet enim et habuit semper et in gentibus deus, quos ante iacta fundamenta mundi in Christo ad iustitiam et vitam elegit. Haec imago dei homini impressa nonnihil vitiis deturpata et inquinata. Haec lucernula densissimis tenebris obfuscata et obliterata est, non tamen omnino extincta. Nam et in impiissimis et sceleratissimis hominibus se prodit, et peccatis reclamat, ac quantum quidem potest renititur ac repugnat. In hac sententia confirmatiorem me reddit sanctissimus et orthodoxus vir Augustinus in lib. de spiritu et litera cap. 27. et sequentibus, ubi sic scribit, Nec moveat quod Paulus naturaliter dixit gentes quae legis sunt facere, non spiritu dei, non fide, non gratia. Hoc enim agit spiritus gratiae, ut imaginem dei, in qua naturaliter facti sumus, instauret in nobis. Vitium quippe contra naturam est, quod utique sanat gratia, propter quam deo dicitur: Miserere mei, sana animam meam quia peccavi tibi! Proinde homines naturaliter quae legis sunt faciunt. Qui enim hoc non faciunt vitiose faciunt. Quo vitio deleta est lex dei de cordibus. Ac per hoc vitio sanato, cum illic scribitur, fiunt quae legis sunt naturaliter, non quod per naturam negata sit gratia, sed potius per gratiam reparata natura: per unum enim hominem peccatum etc. Rom. 5. Quae gratia in interiore homine renovato iustitia scribitur, quam culpa deleverat, et haec misericordia super genus humanum per Christum Iesum dominum nostrum: unus enim deus, unus mediator etc. 1. Timoth. 2. Hanc sententiam si quis reiiciat, et putet eos, qui naturaliter quae legis sunt faciunt, non censendos esse in numerum eorum, quos Christi iustificat gratia, sed in eorum potius, quorum etiam impiorum, nec deum verum veraciter iusteque colentium, quaedam tamen facta legimus vel novimus vel audimus, quae secundum iustitiae regulam non solum vituperare non possumus, verum etiam merito recteque laudamus, huic non admodum refragabor. Quanquam si discutiatur quo fine fiant, vix inveniuntur quae iustitiae debitam laudem defensionemque mereantur. Veruntamen quia non usque adeo in anima humana imago dei terrenorum affectuum labe detrita est, ut nulla in ea velut lineamenta extrema remanserint, unde merito dici possit, etiam in ipsa impietate vitae suae facere aliqua legis vel sapere. Non enim omni modo deletum est, quod ibi per imaginem dei cum crearemur impressum est. Nam sicut ipsa imago dei renovatur in mente credentium per testamentum novum, quam non penitus impietas aboleverat (nam remanserat ratio sine qua rationalis anima dici non potest): ita etiam ibi lex dei, non ex omni parte deleta

per iniustitiam, profecto scribitur renovata per gratiam. Hactenus Augustini verba recensuimus, quae tametsi perturbata et vehementer obscura illic sint posita, hoc tamen dicere videntur quod aliquid ex imagine impressa a deo in anima remanserit, quocunque tandem nomine, sive rationis sive naturae, nominetur a gentibus. Certe Paulus legem vocat quae naturae sit a deo impressa. Quod vero hic igniculus a deo datus et impressus non dictat, ratio dico incorruptae naturae, hoc vitiosum et pravum esse necessarium fuerit, ut Augustinus dixit, quum vitia sint contra naturam. Hoc idem verbis licet diversis Cicero quoque dicit: Quae enim natura bona sunt, insidiis voluptatis (quae mater est omnium vitiorum) corrumpuntur. Hunc scopum si quis observet, hanc vocem naturae si quis exaudit et sequitur, illustrabitur maiori gratia per Christum. Hanc qui negligit et surda aure transit, affectuum imperium sequutus, ne iustus quidem aut bonus vir apud homines dici potest. Ut enim quisque maxime ad suum commodum refert quaecunque agit, ita minime est vir bonus, ut qui virtutem praemio metiatur, nullam virtutem nisi malitiam putet. Quod si homines ab iniuria poena, non natura arcere deberet: quaenam sollicitudo vexaret impios sublato suppliciorum metu, quorum tamen nemo tam audax unquam fuit, quin aut abnueret a se commissum esse facinus, aut iusti sui doloris causam aliquam fingeret, defensionemque a natura iure aliquo quaereret. Itaque poenas scelerati homines luunt, non tam iudiciis, quae quondam nusquam erant, hodie multifariam nulla sunt; ut sint ficta tamen persaepe et falsa sunt, quam ut eos agitent insectenturque furiae, non ardentibus taedis (sicut in fabulis est) sed angore conscientiae, fraudisque cruciatu. Quod si poena, si metus supplicii, non ipsa turpitudo deterreret ab iniuriosa facinorosaque vita, nemo est iniustus; at incauti potius habendi sunt improbi. Tum autem qui non ipso honesto movemur ut boni viri simus, sed utilitate aliqua et fructu, callidi sumus, non boni. Nam quid faciet is homo in tenebris, qui nihil timet, nisi testem vel iudicem? Quid in deserto loco nactus, quem multo auro spoliare possit imbecillum atque solum? Noster quidem hic natura vir iustus ac bonus etiam colloquetur, iuvabit, in viam deducet; is vero qui nihil alterius causa faciet, et metitur suis commodis omnia, videtis credo quid sit acturus. Quod si negabit se illi vitam erepturum, et aurum ablaturum, nunquam ob eam causam negabit, quod id natura turpe iudicet, sed quod metuat ne emanet, id est, ne malum habeat. Quorsum vero haec tam longa et philosophica, inquit quis? Quod videamus, quid Paulus vocaverit legem in cordibus inscriptam a deo (nemo enim in cor scribere potest nisi solus deus) utque intelligamus et per gentes veritatem scriptam esse. Nos vero non quis dicat, sed quid, considerantes, veritatem vel a gentibus dictam libenter recipimus, scientes omnem veritatem a deo esse, per quemcunque tandem revelatam. Ex stercore aurum et gemmas colligimus ad decorem domus dei nostri. Sed propius iam accedentes, qualiter naturam hanc aut imaginem menti insculptam ac deturpatam, doctrina sua et spiritu reformarit Christus, ostendemus. In Christo enim omnia luculentissime et absolutissime proponuntur. Et licet pro temporis ratione bona quaedam dixerint et scripserint gentes (tectum

enim et absconditum fuit altissime illius lucis mysterium): Christus tamen mundi totius lux omnia perfectissime instaurat. Quum igitur in legis explicationem, quae per pharisaeos deuterotas foedata et quasi suppressa erat, incidisset, brevi compendio, ad finem orationis, in summam et caput omnes leges contrahit, et in primaevam originem reducit. Omnes enim leges in lege naturae fundatae nisi sint, bonae esse haudquaquam possunt. Dicit ergo Christus: Quaecunque vultis ut faciant vobis homines, eadem facite et illis. Haec enim lex et prophetae. Hoc deinde clarius in cap. 22. explicat, dicens: Diliges dominum deum tuum ex toto corde etc. et proximum tuum ut te ipsum. In his enim duobus praeceptis universa lex pendet et prophetae. Sed hoc observandum, hanc naturae legem non a carnis affectibus aut ab ullo homine, sed a deo esse metiendam. Posteaquam enim caro in Adam est corrupta, nihil boni nec dictat nec facit. Utque Adam mox deitatis honorem ambit, ita omnes ex Adam nati caeteris praeesse cupiunt. Hinc fit, ut alius omnibus dominari cupiat, alius vero nemini parere et subesse velit. Uterque naturae incorruptae legem non audiens: nam illa utrisque reclamat. Lex autem naturae, ut tyrannum compescit ne caeteros violentia premat, et aliis contemptis ipse regat solus: ita rursum docet carni corruptae necesse esse, ut unus aliquis caeteris praesit et rerum habenas moderetur, qui sontes puniat, insontes tueatur, et iustitiae ac legum sit vindex. Est ergo lex naturae nihil aliud, quam vera religio, cognitio scilicet cultus et metus numinis supremi: quam cognitionem, quemque cultum nemo docere potest, quam solus deus, quae naturae lex a deo insculpta humano pectori, vitiis deturpata, per Christi gratiam renovatur. Nam ut primum haec lux per spiritum dei illustratur homini, ita per Christi spiritum reficitur et confirmatur postea.

Introite per angustam portam.) Christus qui unica consolatio est et salus animarum, salutis viam angustam facit; quum tamen aliis in locis facillimum aditum per se ostendat, dicens: Qui in me credit habet vitam aeternam. Omnes quidem fidem in Christum iactamus, et tamen pauci inveniunt portam salutis. Item alibi dicit, apud homines impossibile esse salvari, quum hic quibusdam salvari permittat. Sententia ergo verborum Christi est, paucos esse qui revera sint Christiani, qui recte in via dei incedant, hoc est, in Christo, ut ponatur res pro persona, quod scripturae frequens est. Nam tot sunt hostes, tot deceptiones, et impedimenta, quibus seducuntur etiam recte incedentes, ut tot pedicas, tot tendiculas elabi eis sit difficillimum. Est satan in primis astutus et versipellis veterator. Est mundus cum suis illecebris et vanitatibus. Est caro corrupta, cuius affectus vehementissimi sunt, hominem torrentis in morem rapientes et deturbantes. Hinc superbia, hinc avaritia, ambitio, luxuries praedulce malum, ira, invidia, voluptatum furor. Haec quum sic habeant, oportet hominem dei et discipulum Christi diligenter vigilare ne usquam aberret, et orare ne inducatur in tentationem, id est, ne hostium tentationibus cedat et succumbat. Quod si erratum est, mox retracto pede in viam redeamus, nec in coepto errore pergamus. Qui enim Christi sunt, Christi vitam sibi proponunt exprimendam; et si cadunt aut aberrant, mox resurgunt et deserto

errore resipiscunt. Eorum vero qui toto pectore plenisque oculis in Christi exemplar intendunt, quique immoto vultu in hunc unicum scopum collimant, pauci sunt. Angusta ergo est via, quum perpauci sint, qui non divitiis inhient, qui non honorem et gloriam affectent. Porro plurimi sunt qui in hisce temporariis rebus felicitatem universam collocant, qui turpissime falluntur. Felicitas enim seu beatitudo satietas est perpetua. Terrena autem, etiamsi possideas, satiare animum non possunt, sed desiderium potius excitant et augent, felicem ergo reddere neminem possunt; quin animo quam longissime ab his recedere, eaque negligere et veluti ex alto despicere felicissimum est. Soli vero deo haerere, solidam et summam praestat felicitatem. Ad hanc felicitatem prae universis creaturis homo conditus et evectus est, quam assequitur per gratiam et fidem Christi. Sic David pronunciat: Quid est homo quod memor es eius etc. Alibi vero quum hominem iuxta corruptionem metitur et describit, dicit: Non est qui faciat bonum, ne unus quidem; item: Omnis homo mendax etc. Sic dicimus: Homo bulla est: iuxta carnem enim corrumpitur, putrescit, et totus impurus est; iuxta imaginem a deo insculptam, dignissima est et mirabilissima creaturarum homo. Quid enim mirabilius quam spiritum esse permixtum et inclusum carni, nec tamen suem esse? Communicat homo cum spiritibus coelestibus, rursus cum luto et carne terrena, idque in una substantia, in uno homine; idque demum est mirabile. Hinc pugna nascitur de qua supra attigimus et Gal. 5. Si audimus spiritus instinctum (nam is lucem dei nobis ostendit) recte incedimus: si carnem sequimur, longissime aberramus. Quum vero paucissimi sint, qui spreta carne spiritus imperium sequantur, recte dicit Christus, angustam esse viam ad vitam. Caro certe non solum prona est ad omnia scelera, ad ebrietatem, ad voluptatem etc. sed rationes habet et consilia quibus haec adipiscatur. Ratio ergo humana et ipsa caro est; at lux supercoelestis ex deo. Hoc Paulus ubique docet rationem et animi cogitationes peccata esse: Quum zelus et contentiones inter vos, annon carnales estis? Item queritur se sentire aliam legem in membris quae legi dei repugnet. Vani ergo sunt qui dicunt: Quidquid deo pro obsequio offero, hoc ei gratum erit. Caro enim hoc loquitur, et carnis ratio sic subducit. Sed contra deus intonat, dicens: Hoc solum facito quod ego tibi praecipio, nec addas quidquam nec minuas! Haec est lux et spiritus dei. Nec possunt haec contraria ullo modo convenire: alterum falsum sit necesse est; dei vero verbum aeternum est et infallibile, ergo nostra figmenta vana sunt et falsa. Quae ergo homines sine verbo dei ex bona (ut inquiunt) intentione deo obtrudunt, utcunque splendeant, caro sunt et a diabolo dictata, qui hoc unum curat et agit, ut carnis opiniones verbo dei praeferantur, aut saltem aequentur. Deus veritas est; ergo verbum eius audiri et recipi debet, non humanum commentum. Quid ergo Papatus aliud est quam animarum seductio, quin potius omnium scelerum fomentum? Papa perhibet nos meritis monachorum beari. Quid vanius? quid stultius? imo quid magis impium? Qui se servare non potest, alium servabit? Christus dicit, apud homines impossibile esse ut quis salvus fiat. Sed haec est carnis impudens audacia,

haec inolita superbia, ut sese sic erigat ac supra deum extollat, non contenta si luxu suo satiata voluptuetur, et insaniat, nisi et religionis se magistram statuat, tenebras suas hominibus pro luce divinae veritatis proponat. Hinc merito Christus clamat, viam ad perditionem et mortem latam esse, multosque in ea perire. Sed pone abolitum esse universum Papismum, adhuc tamen tot sunt ambages, tot avocamenta a vera pietate, tot tamque vehementes carnis affectus, ut salvari nobis impossibile fuerit. Quod si in unicum deum fidis, in via recta ambulas nec aberras; mox ut oculos ab illo vel paululum deflectis, errare incipis. Quantum fidis, tantum recte incedis: quantum fide infirmior es, longius discedis. Sola fides caute ducit. In petra ergo hac firmiter stemus, et sola misericordia dei per Christum fidamus, et nihil oberunt adfectus quantumvis oppugnent. De nobis desperemus, de dei misericordia nequaquam. Haec ergo via est angusta quam pauci inveniunt, uni deo inhaerere, huic uni fidere, contra vitia perpetuo pugnare, innocentiae studere, iustitiam sectari, quam tamen nunquam plene assequi possumus, casum et errorem suum coram deo fateri, revocare pedem, dolere si quid est commissum, in timore et humilitate coram deo versari etc.

Cavete a falsis prophetis.) Ne vero quis me putet de angustis illis et superstitiosis viis pharisaeorum dicere, in quibus miseras conscientias torquent et seducunt, moneo ut a talibus doctoribus vehementer caveatis, qui vos humanis traditionibus a via dei seducunt, qui commenta rationis vobis praescribunt, illaqueantes animas vestras fictis ieiuniis et operibus hypocriticis. In summa, angusta via est, soli deo fidere, ipsiusque gratia omnia posse et facere et ferre. In hac via pauci ambulant. Caeterum lata et spatiosa est via ad mortem: multi enim sunt et innumeri qui fidem simulant, et speciem quandam sanctitatis et pietatis praeferunt, quum vera fide intus vacent. Nemo tamen sic curiosus esse velit, ut hinc colligere velit, paucos esse qui serventur! nam hoc non est nostrum iudicare. Quis scit quot sint illorum qui deo vere fidant? Apud te mane, in te ipsum descende et scrutare quali tu sis fide praeditus, quantum adhuc a vera pietate absis, quantum tuis operibus nitaris. Nemo potest alium in hisce rebus iudicare; se ipsum quisque exploret ac iudicet.

Qui ad vos veniunt in ovium vestitu.) Carnis consilia et rationes speciem honestissimam et pulcherrimam induunt, et hic est ovium vestitus; intus vero, si quis penitius introspiciat, omnia tetra et corrupta sunt. Magister igitur veritatis ab huiusmodi fuco cavere docet, ne usquam externa sanctitatis specie fallamur. Prophetae qui a deo missi sunt, pleni sunt ubique increpationibus contra impios et sceleratos, et maxime contra falsos prophetas. Quum vero veritas a propheta in medium ponitur, conscientiarum nostrarum tanta est infirmitas, carnis corruptae tanta audacia, ut prophetas veros et fidos repellere audeamus. Quandoquidem autem prophetarum magna est et dignitas et authoritas, tum etiam ingens apud pios illis decernitur praemium, ut publicis alimentis foveantur, honor denique non vulgaris: fit ut multi officium prophetale ambiant, seque veritatis praecones simulent, quum interim aliud quiddam spectent, et sua quaerant, ventris et gloriae mancipia.

Hi iam falsi sunt prophetae a quibus cavere monet Christus. Speciem enim sanctitatis et veritatis praeferunt, quum intus sint lupi rapaces. Ut enim miraculo sint hominibus, sanctitatis speciem induunt, intus putres et corrupti. Nec tamen desunt qui istis aures praebeant, quique illos foveant, ii nempe qui sceleribus serviunt, quorum vitiis prophetae tales blandiuntur et palpant. Prophetae vero officium est, non ea dicere quae nemo ignorat, aut quae hominibus arrident, sed veritatem (cuius prae caeteris debet esse peritus) in medium proponere, et scelera increpare, sive audiant, sive non audiant. Nam si propheta somnia sua praedicat, aut blandiloquentia populum demulcet, perit interim omnis iustitia et publica libertas.

Ex fructibus eorum cognoscetis.) Quis nos docebit aut certos faciet qui sint falsi prophetae, inquit aliquis? Tu vetuisti ne quem iudicemus; discernere ergo non possumus. Respondet Christus, Facile est illos cognoscere ex fructibus eorum. Neque enim vetui quo minus hominem ex operibus, quae facit, aestimetis, sed temerarium iudicium, quod ex affectu carnis et animi levitate fit, prohibui. Si gloriam dei spectat propheta, si iustitiam, veritatem, pacem et salutem publicam, certum est eum verum esse prophetam et a deo missum. Si alio spectat, falsus est. Atque hoc facile deprehenditur: verba enim et actiones hominem produnt. Neque enim diu latere potest hypocrisis, neque fieri potest, ut qui gloriae dei diligenter student, nihil in populo proficiant. Arbores qui recte plantantur, fructum ferunt.

Non omnis qui dicit Domine.) Non moror verba, sed facta inspicio, quae ad divinam voluntatem conformata sunt. Facere voluntatem dei, discipulum Christi indicat. Qui intus pius est, et fructibus fidem prodit, hic vere Christianus est. Quae sine his fiunt, hypocrisis sunt. Facere vero voluntatem dei patris, est credere in eum quem misit ipse, Ioan. 6. Qui hoc vere faciunt, pie et innocenter vivunt, et voluntati divinae ardenter student.

Multi dicent in illo die.) Et hoc de falsis prophetis intelligitur. In illo die, id est, in articulo temporis, ubi iudex venerit Christus. Nam varie utuntur isto vocabulo *Dies* Hebraei.

In nomine tuo prophetavimus.) Vide periculum! quum illi damnantur qui in nomine Christi praedicarunt, quid de his fiet qui alieno nomine praedicarunt? Praedicarunt quidem veritatem sed non vere; praedicarunt verbum dei, sed deus non fuit scopus eorum in quem respicerent, sed aut quaestus aut gloria. In doctrina quidem non facile patietur deus nos errare, at in modo praedicandi facilius est decipi. Quod si viderimus praeconem verbi huc solum niti, ut iuste, pie, et innocenter vivamus, nec suam rem agere, non facile decipiemur. Hic vero perspicaci oculo opus est. Quum veritatem praedicant sed non vere, hoc est, non moti gloria dei, hic multi quidem emendantur, at interim cymbalum illud pulchre inani sono tinniens consumetur, et scopae quae omnia verrunt et purgant, denique inutiles redduntur et in ignem coniiciuntur. Qui vero sunt, qui solius dei respectu veritatem praedicant? qui nihil quaerunt quam vitae innocentiam et novitatem, atque huius rei gratia et vitam et corpus in peri-

culum ponunt, opponentes se murum aeneum omni impietati et conscelerationi.

Daemonia eiecimus et virtutes.) δυνάμεις virtutes, id est miracula operati sumus. Hoc aliud est periculum. Nam vulgus imperitum miraculorum operatione facile seducitur, dum vident quosdam daemones eiicere, et supra naturam quaedam operari. Miracula ergo interiorem sanctitatem et iustitiam fidei non arguunt, quod Christus Matth. 24. clare indicat, quum dicit per falsos prophetas tanta fieri miracula, ut etiam electi (si fieri possit) seducantur. Quandocunque supra naturam aliquid mirabiliter fit, certi simus deum operari ad electorum suorum aut salutem aut probationem; de fide vero istius qui facit hoc, certi esse non possumus. An non cottidie innumeri fructus impiis per virtutem dei proveniunt? Sed haec ipsa assiduitate miraculi nomen perdiderunt. Miracula quae fiunt per impios, ideo fiunt, ut virtus dei agnoscatur. Nam per nomen, id est per virtutem et potentiam dei fiunt, quaecunque fiunt miracula; sive boni et pii illa faciant, sive impii. De piis exempla plura in Actis apostolorum suppetunt, et Marci ultimo: de impiis non sunt minora exempla. Dei solius est operari miracula, at per homines nonnunquam operatur, quibus ut organis et instrumentis suis utitur. Et omnia miracula huc servire debent, ut potentia dei illustretur et laudetur, quae in operatione miraculorum relucet. Deinde hunc usum habent miracula, ut carnis contumaciam et curiositatem quodam modo compescant, quae prius ferocius reluctabatur, idque in piis maxime, qui et ipsi carnem remurmurantem spiritui gestant; in impiis parum efficiunt aut nihil, praesertim intus in mente. Qui vero fidem intus habent, carne tamen foris nonnihil remurmurante, illorum carnem deus aliquando miraculis tranquillat, in impiis contumaciam potius auget. Vera fides a solo dei spiritu est, nec vim aliquam a miraculis recipit. Et haec tranquillitas quae a miraculis carni venit, temporis successu defervet et perit, sola fides spiritus firma et immota manet, miraculis nec infirmior nec firmior fit: nam sic est virtute numinis firmata, ut si etiam impius aliquis (deo id permittente) miracula faceret, non tamen moveretur, nisi quatenus caro piorum etiam vacillat et trepidat. Fides simulata, quae radice caret externis spectris mota, sursum deorsumque iactata inconstantiam suam prodit.

Omnes qui audit sermones.) Peroratio est aut epilogus. Dicit autem Sermones istos. Graecanica verba multam habent emphasim. Verba nempe dei quae Christus coelo detulit, verba veritatis, verba aeternae vitae, verba solida, firma, immutabilia, aeterna. Quicunque ergo illis nititur tanquam firmissimae petrae, moveri nunquam poterit. Omnes fere hodie incertis et frivolis rebus nitimur. Qui opibus inhiant, fortunae servi sunt: una enim dies saepe illis omnia adimit, et non solum pauperes sed et calamitosos facit, ut eis eveniat, quod opibus maxime cavere voluerunt: paupertatem effugere voluerunt, et incidunt in eam. Quis hunc non insipientem et stolidum dicet, qui distractis domo et praediis fortunae se aleae tradit? Deus fundamentum est animae nostrae certum et firmum, quem si deserimus et incertis divitiis

haeremus, stultissimi sumus, quum habere plus non possimus quam dederit et concesserit deus. Soli ergo deo et verbo eius nitamur! Quod de divitiis dixi, idem intellige de voluptatibus, de prole, caeterisque, quibus homines mundi fidunt. Nulli creaturae certo et tuto fidere possumus, quum eas pro suo arbitrio vertere possit deus excelsus: disparata autem sunt creator et creatura. Impossibile est ut faber lignarius sit domus, aut domus sit faber. Nec potest creatura omnis boni esse capax, solus deus fons est omnis boni. Per arenas intelligit creaturas utcunque sint sanctae: omnis enim creatura mendax est, et fallere potest; solus deus solidus, firmus, et verax. In summa, arena est, quocunque extra deum nituntur mortales.

Veluti authoritatem habens.) Nam ipsemet ille erat de quo loquebatur, nempe unus et verus deus, vera et aeterna vita, viva illa petra super quam aedificati esse debemus. Eratque sermo eius vivus et magnae efficaciae. Non sic dicebant scribae, sed ad literam ieiunam tantum, non ut profectum et utilitatem in plebe efficerent, sed potius ut ipsi magni haberentur et sancti. Christus loquebatur ex proprio thesauro et sapientia, nempe ad hoc missus a deo.

CAPUT VIII.

Ecce leprosus accedens.) Lepra incurabile quoddam malum adumbrat. Possunt autem haec non incommode nostris temporibus aptari. Nam ἴπτλον magnum est, et fere immedicabile. Sic enim omnia scelera hodie invaluerunt, ut neque curationi neque salati locus sit, neque curam admittere possumus. Ulcus purulentum et letale obducta pelle superficietenus tantum curamus; at morbi radicem et pus latens intrinsecus non excindimus: nihil ergo nobis expectandum, quam ut propediem vulnus recrudescat, et maiori periculo quod latebat erumpat. Amicitiam et foedus cum pensionariis ambimus, et pacem coalitam cum illis illaesam cupimus; hinc fit ut ad eorum scelera dissimulemus et conniveamus. Si vero pacem cum deo habere cupimus, et veram salutem quaerimus: reipublicae nostrae, expurgandae sunt sordes, nec ulcera tanta coeno obducenda et tegenda. Aut enim extirpandi sunt patriae proditores, iustitiaeque desertores sanguinarii, aut nihil expectandum, quam ut sub potestatem eorum et tyrannidem redigamur. Nulla enim est Christi conventio cum Belial. Videte quantis in periculis versemur, dum contra tam gravem pestem praedicare non licet, et iugum eorum ferre durissimum fuerit. Cur vero contra haec clamare non audemus? quia omnes pacem quaerunt, pacem rem pulcherrimam existimant, et qui bellum contra illos suadent pro falsis prophetis habentur. An non hoc ingens est periculum? an non magna tentatio? dum id quod nos omnes perdit, pacem et salutem, quod nos omnibus eximit malis, bellum et seditionem vocamus. Sacerdotes (inquiunt) pacem praedicare debent et studere tranquillitati publicae; iam vero nihil aliud faciunt quam nos committere, et frigidam suffundere. Haec vox plausibilis est, et speciem quandam in vulgo habet, fidemque invenit. Sed hoc nos perdit, quod venenum letale pacem adpellamus, et quod maximis criminibus virtutum nomina induimus. Parentibus

num quid gravius accidere potest, quam si proles lepram incurrat? Adhuc tamen divinis et humanis legibus a caeterorum consuetudine et consortio, ut membrum nocentissimum separatur, et in locum suum procul ab hominibus secluditur, utcunque parentibus doleat, nisi familiam totam, civitatemque contaminatam velint. Sic habet res cum pensionariis: publica quaedam pestis sunt et corruptela patriae, morum, religionis, et omnis honestatis. Quomodo ergo cum illis pacem habebimus unquam? aut quomodo leprosos istos domi sine periculo contagii servare possumus? Daemone non expulso, salus esse non potest: nam daemon et Christus simul cohabitare non possunt. Satana rursum admisso, fiunt novissima prioribus peiora.

Si vis potes me mundare.) Verbum hoc magnae est fidei, Christi potentiam agnoscentis, et voluntatem suam divinae subiicientis. Absolute salutem corporis petere non bene possumus, quandoquidem utile sit an minus, dcoque dignum, ignoramus. Quasi diceret leprosus: Nescio quid sit petendum, at hoc scio, talem ac tantum esse, qui cum voluerit posse subest. Summa haec verecundia et modestia.

Ne cui dixeris.) Exemplum est humilitatis et modestiae, quo vanam gloriam fugere docet Christus. Si quid boni feceris, ne laudem affectes, ne populi favorem aucuperis; satis sit tibi quod rectum est patrasse. Fidelis ergo et diligens esto in bene agendo, et virtutem sponte sequetur gloria. Si laudem quaeris et spectari vis, hypocrita es.

In testimonium illis.) Ut scilicet sanitas tua etiam sacerdotibus testata et perspecta sit. Nam ego satis scio te mundum esse, sacerdotes vero hoc ignorant. Testare ergo illis tuam sanitatem, ne dicant se per me fraudatos esse suo iure; ne violata lege, quae etiamnunc durat, tumultus excitetur. Hoc denique observandum, quandoquidem tanta cura deo fuit, ut leprosi a sanis secluderentur: quanta ergo esse debet, ne animae sceleribus inficiantur, quod in ordine sacerdotum et leprosorum inspectione figura et typo olim expressit. Sed hoc duntaxat in lepra, non in aliis morbis. Nam exclusio aut excommunicatio non nisi in gravissimis et irreparabilibus malis fieri debet, quae inficiunt et contaminant, et contagionem corpori Christi (quod innocentissimum et purissimum esse convenit) inferunt. Nam satius est unum aliquod membrum abscindere et perdere, quam sinere ut totum corpus pereat.

Adiit eum centurio.) Deus qui nobis filium suum unigenitum misit, benignitatem, sapientiam, veritatem, et virtutem suam in eo sic oculis nostris subiecit ac explicavit, ut clarissime ea in Christo Iesu perspexerimus. Sic Ioannes dicit, Vidimus gloriam eius, gloriam quasi unigeniti a patre, plenum gratia et veritate. Veritatem inquam et virtutem suam deus in Christo expressit, qui cordium abstrusa novit, et opera fecit quae nulla potest creatura: absentem curavit, corpore quidem absens, at divina natura praesentissimus. *Παῖς* Graecis non puerum modo, sed et servum significat. Hanc fidem habet centurio, ut satis esse putet, si morbum duntaxat medico indicet, de potentia omnino nihil dubitans. Dum fides orat, exaudit deus, non sic dum caro ex adfectu ad deum clamat.

Ego veniam et curabo.) Sciebat Christus se non venturum, nec

tamen mentitur. Vult enim fidem centurionis his verbis elicere, et coram omnibus Iudaeis, qui aderant, notam facere, ut ipsos pudefaceret.

Non sum dignus ut introeas.) Tanta reverentia, tanta verecundia utitur vera fides, Non sum dignus: nihil merito suo, totum gratiae et potentiae ipsius tribuit. Quasi dicat, Miles sum, domus mea imparata est, et parum digna tanto hospiti. Tanti aestimat Christum, tamque sese abiicit et deprimit.

Et ego in potestate sum constitutus.) Hoc enim mihi magis arridet, quam si dicamus, Sub potestate. Quasi dicat, Et ego rerum praefectus sum. Quod si ego homo tantam habeo potestatem (his verbis potestatem dei adumbrat) quantam tu habes: iube tantum, et fiet, omnia enim tuo subsunt imperio. Manifesta divinae potentiae confessio in Christo.

Ait sequentibus se.) Pedibus scilicet corporis, inter quos et discipuli erant, et praecipui.

In Israel non inveni fidem tantam.) Nec discipulos excipit, nam pleraque Christi non intelligebant.

Venient ab oriente et occidente.) Haec ad vocationem gentium pertinent, de qua multa ubique in prophetis sub verborum involucro vaticinata legimus. Quasi diceret Christus, Quid vobis videtur? Quid in prophetis legitis? An non videtur vobis tempus illud adesse a prophetis praedictum, in quo vobis repudiatis gentes in ecclesiam et gratiam dei adsumentur, quum is gentilis homo virtutem divinam in me agnoscit, quam vos agnoscere non vultis? Sub oriente vero et occidente aquilonem et austrum, ut in sufficienti divisione, comprehendit.

Recumbent cum Abrahamo etc.) Id est gratia et benevolentia deus populum gentium prosequetur, qua complexus est olim Abrahamum, Isaacum etc.

Vidit socrum Petri in lecto.) Ubique salutaris est Christus; et dum corpora sanat, simul ad animam sanitatis pars redit. Nam pessimus sit oportet, qui quum sanum se corpore factum videt, tantum benefactorem non agnoscit et laudat. Tribulationes et infirmitates omnesque adversitates vocationes et exhortationes dei sunt, quibus nos dum aberramus deus adclamat. Quandocunque ergo aberrantem revocat, divinae hoc beneficentiae et bonitatis esse intelligamus.

Surrexit et ministravit eis.) Qui vere Christum induerunt, signa debent praeferre resipiscentiae et sanitatis per Christum donatae, et ministrare proximis per charitatem.

Omnes male habentes sanavit.) Hic non unus sanatus fuisse scribitur, sed turbam omnium aegrotorum Christi virtutem et salutem sensisse. Describuntur ergo hic multa simul miracula, quibus se virtus divina in Christo exerit.

Eiecit spiritus immundos verbo.) Id est, virtute, iussu, imperio, et potentia sua. Nam non tantum tribuendum existimo verbo externo, etiam Christi, quantum plures putant; quasi vero Christus non saepenumero Pharisaeis et scribis verbo suo praedicarit, quo obstinatiores et duriores sint facti. Quomodo ergo statim adfuit quod

verbo adferebatur? Sic enim illi adfirmant, verbum secum ferre quae indicat. Verbo ergo solo eiecit, id est, solo iussu. Quum diceret Exi, exibant: quod tamen non verbi erat, sed divinae virtutis.

Hic infirmitates nostras suscepit.) Ex Isaia desumptum testimonium de Christo. Dicitur autem Christus ab Esaia vir intelligens aut cognoscens infirmitates. Cognoscere autem est (ut et Germanice dicimus Er erkennt) moveri et tangi nostris malis, et medelam adhibere ac succurrere. Sic Christus nostri causa omnes infirmitates nostras (peccato excepto) in se suscepit, et in sese expertus est, per omnia similis nobis factus absque peccato, ut misericors esset pontifex qui condolescere nostris infirmitatibus posset. Propensior enim est ad sanandum medicus, qui in se morbum est expertus, et multo melius etiam curare potest. Ut ergo deus benignitatem et charitatem suam nobis ob oculos poneret, filium suum carnem assumere voluit. Quod si factum non fuisset, causificari potuissemus, deum ut indolens est, ita nostris malis minime affici, et ignorare quae nos premunt. Hac de causa filium suum charissimum in nostras infirmitates immersit. Ad hoc respexit Esaias, ad hoc Paulus in epist. ad Hebraeos. Nec solum portavit nostros morbos, sed etiam abstulit, et poenas quas commerueramus in suo corpore expiavit. Matthaeus evangelista verba prophetae per Catagogen ad corporales infirmitates et morbos deflectit, ab eo quod minus est ad maius argumentum texens. Quasi diceret, in corporalium morborum curatione satis declaratur, Christum animarum quoque medicum et curatorem esse. Labores et calamitates nostras omnes portavit, quae ex peccato nascuntur: deinde et peccata quoque portavit, id est, sustulit (ut Petrus ait) super lignum in corpore suo. Et corporalis quidem curatio symbolum est, imo non symbolum, sed certa probatio, infallibileque sanationis animarum argumentum. Quod si animarum est medicus, multo magis corporum. Si corpus tantopere curat, quis credet eum animas neglecturum? Uterque ergo gratiam et virtutem Christi agnoscit et praedicat.

Praeceptor sequar te quocunque.) Impetu quodam et affectu ferebatur discipulus ille, qui Christum sequi cupit (ut multi hodie quoque solent) non expensa ratione, quid esset sequi Christum, quam durum omnia relinquere propter Christum, sese totum abnegare, et dedicare Christo. Quasi diceret Christus, Tu forte aliud spectas, divitias videlicet, gloriam, voluptates. Sic multi sunt qui impetu quodam magnifica pollicentur, aut novitate rei allecti, aut alio affectu impulsi. Expedit ergo ut bene expendat quisque, quid sit praedicare et sequi Christum, ne posteaquam coeperit sequi, turpiter desciscat, et manum aratro admotam retrahat, ac respiciat. Et haec quidem ad Scribam. Est enim scribarum genus contemptum et inhonestum etiam apud gentes, malis utuntur artibus, ad divitias comparandas, ad honores, ad voluptates appositissimi. Sunt autem duplices homines, quidam tam sunt astuti et vafri, ut mox ab initio olfaciant, quid adferat evangelium. Hi mox evangelio renascenti resistunt, et herbescentem veritatem in herba (ut aiunt) suffocant ac extingunt. Evangelium enim summas docet virtutes, humilitatem, modestiam, patientiam, charita-

tem etc. Docet ponere omnem superbiam, omnem luxum, omnem pompam mundi, omnes illecebras carnis. Cavent ergo hi qui talia praevident, ne evangelium latius serpat. Alii minus cauti multitudinem sequuntur, quorum inconstantiam et perfidiam dum boni deprehendunt, minus fidunt illis, et negligunt illos. Quod dum intelligunt, rursum deficiunt, relabuntur: erant enim hypocritae, nec traxit eos ad fidei doctrinam amor dei, sed affectus carnis, et praeceps iudicium.

Sine ut mortui sepeliant mortuos.) Hunc cunctantem impellit Christus ut se sequatur, et vetat patrem sepelire. Non docet hoc exemplum, ut curam pro parentibus abiiciamus, aut pietatis officia negligamus, sed ut occasionem observemus. Iam Christus in procinctu erat, ut traiiceret in ulteriorem ripam cum sequente turba; is cunctatur et citra lacum vult manere. Vide qualis occasio. Hic ergo ostendit Christus, quomodo occasio nequaquam sit praetereunda aut negligenda, et omnis adfectus vel charissimorum posthabendus. Et haec doctrina maxime ad Evangelistas et apostolos pertinet, ita tamen ut suo quodam modo ad caeteros Christianos omnes. Nam magna cautione in his opus est, ut spiritus bene discernamus et examinemus. Nam docere, ut omnes absque discrimine relinquant liberos et parentes, ex daemone est, non ex deo. Quaecunque nos a deo avocant, relinquere debemus. Nam hunc iuvenem affectus patris a Christo abstraxit: nisi enim hoc momento temporis cum Christo traiecisset, a Christo fuisset omnino avulsus. Mortui sunt qui plus quae mundi sunt quam quae dei curant, qui terrena coelestibus praeferunt, qui neglecto deo mundo se dedunt, ut Paulus de vidua loquitur, quae etiam vivens in deliciis mortua est. Cessatores hodie multi sunt, qui ubi vident sua non succedere, aut Christi opus suis commodis obstare aut incommodare, cessant nec promovent opus Christi, sed sua potius. Hinc negligentia et torpor. Et isti certe mortui dicuntur. Docet ergo Christus, ut semper maiora praeponantur minoribus, dum adest locus et occasio; etiamsi et minus bonum sit. Sed turpe est propter nostrum commodum opus dei negligere et impedire. Simplex et fortis fides omnia penetrat, ut patet in apostolis. Parata est et corpus et animam dare pro gloria Christi.

Ecce motus magnus factus.) Omnis Christi actio aut docet, aut terret, aut consolatur, aut divinam virtutem manifestat ac indicat. Quum ergo mare commovet ac rursum sedat, facit hoc, ut homines agnoscant eum esse deum, quemadmodum ipsi viso miraculo testantur. Item ut arguat fidei exiguitatem, et imbecillitatem corroboret ac firmet, ut ab infidelibus testimonium suae divinitatis exprimat. Docet ut in undis adversitatum constantes simus, et de auxilio domini non desperemus, ipsum esse qui tempestatibus imperet, qui motus sedet. Deus omnia movet, omnia tranquillat, ipse immotus et immutabilis existens, non minus quam sol qui omnia sub se superat. Hic pluit, hic ningit, hic terra movetur, illic tranquillum est, et sol in suo cursu non mutatur. Sic in motibus, qui circa nos, non absque illius providentia fiunt, deus immotus manet. Hoc vero nobis interim extorquet, ut agnoscamus et confiteamur eum esse, qui tempestates sedet, quas sedare humanis viribus impossibile fuit. Atque huius rei exempla in negotio

evangelii innumera hodie suppetunt, ubi undique procellae ingruunt et navim evangelii premere tentant, quas dominus non solum tranquillat, sed ad evangelii promotionem servire facit. Sic Christus dormit, sed nihilominus scit quae fiunt. Non dormit deus, sed quum pericula et tempestates ingruunt, nec statim adest, putamus eum dormire. Concurrunt principes, consultant de Evangelii subversione, huc omnes nervos tendunt, omnia tumultibus et persequutionibus replent; levi flatu deus omnia consilia eorum disiicit, et conatus eorum subvertit. Fur, donec deprehenditur, semper latere potest: sic impii manifesti esse non possunt, donec totam animi sui malitiam et perversitatem ad summum evomunt. Sinit ergo deus ut prodant sua scelera, ut tyrannidem exerant, et virus pectoris manifestis indiciis evomant. Deinde, ut quantum adversitates et tempestates augescunt, tantum crescat fiducia in deum, tantoque acrius precibus instemus ut adimantur, accurramusque ad eum qui solus mutare potest, ut dormientem excitemus. Nam hoc a nobis raro aut vix fit, nisi dum mala ingruunt, et adversitates premunt. In rebus secundis insolentes sumus, obliviscimur dei, socordiae et ignaviae dediti. Excitat ergo nos adflictionibus dominus, et ad preces extimulat, ut et nos ipsum excitemus, et auxilium ab eo petamus. Neque interim otio indulgent discipuli, nec ignavi desident, sed remis contendunt, enituntur ex adversis fluctibus, eluctantur: sed opera eorum frustranea est, nisi deus succurrat. Deus ergo exercet nos interim, et videt nostrum laborem; considerat qua quisque diligentia et industria rem gerat, et opus suum prosequatur. Hoc temporis poëtae Hebraeorum variis figuris exprimunt, dicunt dominum abesse, dormire, non aspicere. Rursus quum manum praebet et succurrit, dicunt eum exurgere, et nos aspicere etc. Iam propter carnis fragilitatem timor saepe et pusillanimitas et fidei infirmitas nascitur in nobis, ob quam increpat nos dominus et animat ac fulcit. Consilia ergo firma et constantia ex fidei firmitate nascuntur. Dominus nobiscum est in navi, si ei fidimus, si negotia eius diligenter exequimur, si veritatem et iustitiam promovemus; nec potest submergi navis nostra, utcunque saeviant procellae, utcunque fluctus alluant. Quod si navigationem non ex fide aut Christi spiritu instituimus, mirum non est, si naufragium patimur et infeliciter navigamus. Increpare Hebraeis pro iubere et imperare ponitur. Increpavit ventos, id est, imperio suo compescuit. Tace inquit Marcus, id est, conquiesce. Sic enim Hebraei loquuntur, silere pro quietum esse. Exod. 14. Vos tacebitis. Sedata tempestate, gratias agamus, et domini opus esse agnoscamus, hunc laudemus, huic totum tribuamus!

Occurrerunt duo daemoniaci.) Matthaeus duos scribit daemoniacos, Marcus unius mentionem facit. Sed qui duos nominat, unum non negat. Et numerus facile cadit, persona non item. Non ergo anxii sunt apostoli in hisce rebus enarrandis, sed fidi testes simplicis veritatis. Hoc vero nobis magnopere observandum, quod qui adfectibus et sceleribus occupantur, magis furunt et insaniunt, quam quorum corpora daemon exagitat. Qui avaritia tenentur, nemini parcunt, omnes opprimunt, vim cunctis inferunt, universos laedunt. Obsessi

corpore, deo sic permittente, a daemone exagitantur, nec ratione utuntur. Hinc fit ut aliquando in gravia et inhumana quaedam incidant, sed nec legibus puniuntur, quia mente carent, et rationis usum amiserunt. Impii vero ratione utuntur, prudentes et volentes nocent ac saeviunt. Violenti tyranni omnia vastant ac perdunt, nec cohibentur a nobis, sed insuper officiis honoribusque publicis donantur; summa rerum illis committitur, illorum consiliis ac nutu omnia geruntur in orbe, quum potius vinculis et catenis cohiberi, et publica exempla fieri deberent, imo ex orbe profligandi. Quod vero tales hodie magistratus sunt et iudices, in causa est, quod et nos stulti sumus et caeci, aut potius impii et obsessi eisdem daemoniis, gaudentes eorum malitia et impietate. Clamant ex obsessis sentientes vim Christi daemones, questi se ante tempus (scilicet ultimum) torqueri. At prudentiores iis, qui Christiano nomine gloriantur, vim dei agnoscere nolentes. Quod vero sues Gerasenorum perdit, vim eis non facit. Nam quum deus sit, omnia sua sunt. Et iudicia eius iniusta non sunt: perfidia et infidelitate hanc poenam meruerant. Eiecerunt enim Christum quem amplecti et obviis ulnis excipere merito debuerant. Hic vero discimus miseriam nostram: mox ut nobis aliquid decedit, sordet Christus; evangelium, veritas reiiciuntur et deseruntur. Impatientes sumus si quid iacturae vel rerum vel gloriae nobis ob Christum accidat. Sues typum gerunt avarorum et voluptuosorum.

CAPUT IX.

Bono animo esto fili, remit.) Quasi dicat: Deus novit conscientiam tuam, peccata tua. Respicit autem fidem ferentium, qui bonitatem et potentiam Christi credunt. Haec enim duo hominem ad Christum trahunt, et faciunt ut se deo totum committat. Credunt Christo tantam potentiam esse ut morbum adimere possit, tantam bonitatem ut velit, ut primum infirmum ad eum attulerint. Bono animo estó. Sic alloquitur divina bonitas omnes adflictos, sic consolatur spiritus fidei in tribulationibus. Quasi dicat, Non factum est temere, quod haec adversitas venit: providentia dei hoc ordinavit. Aderit ergo deus, is succurret, opem feret, et educet. Ubi vero loquitur deus mecum, ais? Non quidem semper per angelum aut adparitionem, sed per revelationem et spiritum suum in corde tuo, per cuius adclamationem caro compescitur, et spiritus tuus confortatur, ut constans sis, ut paratus propter hunc unicum thesaurum facere, pati, et amittere omnia.

Remittuntur tibi peccata tua.) Corporis morbus poena est peccati; in primis ergo causas morbi pellit Christus. Vbi peccata non ponimus, quidquid praetendimus in speciem, hypocrisis est, nec sanitas dici potest, ubi causae morbi non fuerint excisae. Videtur magnum aliquod crimen designasse, quod sibi et Christo soli fuerit cognitum, non aliis, nec ferentibus quidem. Anxium ergo intra se ob peccati magnitudinem, ob quod merito se pati doluit, consolatur Christus. Et hic obiter intelligi datur, quantum terreamur poena peccati appetente, et quum deus virgam adhibet. Conscii enim nobis ipsis sumus, nec ignoramus causam malorum. Quod si patris ferulam aequo animo

ferimus, et quemadmodum ingenuos liberos decet dicimus: Peccavi o pater, doleo, resipiscam, parce, bene res habet. Si vero fugere conamur aut patris castigationem reiicere ac negligere, aut contra murmurare, argumentum est nos contumaces esse filios et rebelles. Convertamur ergo ad percutientem patrem, nec solum agnoscamus peccatum commissum, sed et emendemus. Ubi enim peccata agnoscuntur, et dolor est ac pudor cum proposito vitam et mores emendandi, ibi fides est. Ubi vero peccata agnoscimus nec tamen a peccando desistimus, infidelitas est et perfidia.

Quis potest remittere peccata nisi solus deus?) Hoc agnoscant impii hostes Christi, qui divinitatem eius negant et purum hominem existimant. Nam si Christus non esset deus, temere, nec sine blasphemia sibi peccatorum remissionem sumunt, quemadmodum Papa cum suis facit, peiores hostibus illis Christi. Nam Iudaei soli deo remissionem peccatorum tribuunt. Qui filii dei facti sunt per fidem, certi intra se sunt remissionis peccatorum, nec eam quaerunt apud Papam aut aliam creaturam. Considerat enim ineffabilem dei patris benevolentiam et charitatem, qui filium proprium in mortem pro eo dedit, in quo nos omnes filios adoptavit. Hic iam spiritum filii accepit, non servi. Qui in filium credunt, habent vitam aeternam: qui in filium non credunt, super hos manet ira dei, nec unquam videbunt vitam.

Utrum facilius est dicere.) Ad hoc dilemma non respondent Iudaei, interim Christus dicit: Ut agnoscatis me eum esse qui peccata remittat, ecce ego sanum hunc facio: nam hunc morbum incurabilem verbo statim tollere et curare aeque est possibile, ac peccata remittere, utrumque sane creaturae impossibile. Bicorne autem dilemma eis obiicit, ut quodcunque dixerint capiantur. Sed praevertit eorum responsionem, ut qui cum perplexis et obduratis agit.

Filius hominis.) Periphrasis est hominis, sed haec periphrasis proprietatem rei explicat. Vult enim indicare se per omnia (peccato excepto) hominem verum esse, et nobis similem. Et hic certissimam notam habemus, verborum (surge et tolle) non esse tantam vim, ut surgat et ambulet, sed divinae virtutis: verbis dumtaxat virtus haec declaratur, et hominibus proponitur.

Quod talem potestatem dedisset hominibus.) Nam verus homo erat Christus. Sic fides inconcussa stat et firma, et consolatur in omni aegritudine tam mentis quam corporis. Fiducia in Christum roborat animum, quum homo hanc charitatem benignissimi patris expendit, ex qua filium in mortem pro nobis dedit, et eum e coelis misit, ut omnes cum eo et in eo ascenderemus. Exemplo id aperiemus. Si quis facinorosus ob scelera sua ad capitis supplicium damnatus in turri esset, et senatus consulem ipsum mitteret, ut istum extraheret et in senatum duceret liberatum: an non certo cognosceret is, se vere assertum et in gratiam receptum? Quanto vero magis, si consul ipso absoluto, veste rei induta, turrim pro eo intraret? Maxime vero, si donata ei vita filium suum unigenitum et charissimum pro eo in mortem daret. Cordium cognitor ipse dicit, Remittuntur tibi peccata, indicans, peccatum non solum in genere causam esse malorum, sed quod cuiusque

privati hominis peccatum morborum causa est: tangi enim illius peccatum privatum, ut hic locus non modo generalis sit, sed et specialis.

Videt hominem sedentem ad telonium.) Vocationem suam scribit Matthaeus, et statum suum pessimum. Primum igitur requiritur, ut verbi minister et evangelista sit vocatus. Secundo docetur, quod etiam magni peccatores gratiam nanciscuntur, imo magni fiunt apud Christum, non quidem perstando in peccatis, sed deserendo peccatum et Christo adhaerendo. Qui peccarunt, quum Christum amplectuntur et a peccatis conversi innocenter vivunt, maiores fiunt apud deum, quam qui se iustos arbitrantur, et sibi in sua iustitia placent. Neque haec dicimus ut a bonis operibus cessemus, sed ne operibus bonis fidamus. Non enim ex operibus iustitiae quae fecimus nos, sed per suam misericordiam salvos nos fecit dèus. Qui invocati prophetant, increpantur a domino per Ieremiam. Vocatio autem evangelistarum et episcoporum non solum ab electione, et doctrina pendere debet, sed etiam a caeteris circumstantiis et conditionibus, de quibus in Epist. Pauli 1. Timoth. 3. Telones sunt quicunque aere ad se redimunt, quo deinde caeteros gravent ac fraudent, quocunque tandem modo id fiat: odiosum hoc genus hominum olim Romanis fuit. Publicani impudenter, deinde etiam impune, iniurii et graves sunt hominibus usura, monopoliis, emptione, venditione etc.

Sequere me.) Sequi hic, non solum pedibus fieri intelligatur, sed animo potius. Sequere me, id est, mihi adhaere, sis discipulus meus.

Cur cum publicanis manducat?) Falsa et hypocritica iustitia dolet dum convertuntur peccatores: non enim ferunt ut coelum secum accipiant peccatores, quum tamen status eorum multo sit peior et periculosior, ut qui se pro iustis ducunt, nec peccata sua agnoscunt, adeoque nec dolent nec ad dominum ex toto corde convertuntur. Invident coelum et vitam aeternam peccatoribus, invident eis clementiam et gratiam dei.

Non opus habent hi qui valent medico.) Iesus servator est et medicus Matth. 1. Alludit ergo ad nomen suum: quasi diceret, Nescitis qui sim? qui vocer? Iesus, id est, medicus. Oportet ergo ut aegrotos adeam et eos visitem, ut eis consulam et opem feram. Vos quidem iustitiae vestrae confisi, puros et sanos vos ipsos esse existimatis. Et haec per concessionem loquitur dominus: revera enim nemo mortalium iustus est, et mundus a peccato, nemo est qui Christo non egeat. Quasi dicat, Age etiamsi quis iustus (quemadmodum vobis videmini) esset, adhuc tamen quia medicus sum veni ut peccatorum vulneribus pharmacum adhibeam. An ignoratis medicum non solere validos adire? nec enim vim suam exerere apud sanos potest. Ego de coelo veni animarum medicus, veni ut aegrotis, qui aegritudinem suam agnoscunt, et mihi eam aperiunt, mederer, quin ut eis felicitatem et vitam aeternam donarem. Qui videlicet de se ipsis desperantes, ad me verum medicum confugiunt, apud me onera sua deponunt, apud me unum sanitatem et salutem quaerunt.

Quin potius ite et discite.) Vos pharisaei sacerdotibus adblanditis et eorum causam fovetis, hoc urgentes unum, ut homines multum offerant, atque hisce pro rebus coelum promittitis mortalibus, in his absolutam iustitiam collocatis. Quin legitis quae Oseas scribit, quod deus reiectis sacrificiis et holocaustis, misericordia gaudet et beneficentia, iustitia et vitae innocentia? Quum Oseas hoc docet, cur vos aliter docere audetis? Ad opera igitur pietatis prompti simus. Nam haec demum fructus sunt fidei et verae religionis, bene afficere inopes, misericordes esse et beneficos in egenos: et haec officia sunt non solum ecclesiae Christianae, sed etiam civitatis et humanae societatis. Civitas enim quid est, quam multorum una domus? Sic Christus in primis nobis pauperes commendat, dicens, Pauperes semper habebitis vobiscum, illis potestis benefacere. Quum vero dicit Potestis, non id in arbitrium nostrum ponit, ut vel facere vel omittere possimus, sed praeceptum est ut benefaciamus pauperibus, quandoquidem illorum copia semper suppetat. Exemplum. Si quis onus grave ferret, ignorans quo in loco ponere deberet, dico: Huc potes ponere, hoc est, huc pone, nam huc collocandum est non alio.

Venit filius hominis salvos facere.) Sermo hic mire consolatorius est. Christus salutaris est peccatoribus, iis scilicet quibus peccata displicent, qui de peccatis suis dolent, qui iustitiae et innocentiae avidi sunt. Nam si de peccatis vere dolent, vitam haud dubie emendant et a peccatis absistunt. Ubi emendatio vitae non sequitur, certissimum argumentum est, dolorem de peccato abesse. Qui vero dolore peccatorum caret, nec sensu malorum tangitur, nec gravitatem suorum scelerum expendit, quomodo is immensam dei patris charitatem per Christum nobis exhibitam expendet, aut satis digne aestimabit? Similis est hic Christianus ei, qui de artificio aliquo multa dicit, cuius tamen ignarus est, et quo minime delectatur.

Cur discipuli tui non ieiunant?) Alius quidam orationem addit. Haec enim duo maxima sunt et utilissima opera. At discipuli Ioannis operibus illis fidebant et nitebantur, et iusti ex illis videri volebant. Ubi vero hic animus ad opus bonum accedit, vitiat opus et ex bono opere hypocriticum facit, quod deo placere nunquam potest. Deus tale est bonum, quod se gratis fruendum praebet. Qui operibus fidunt, et ex his iustitiam quaerunt, bonitatem et liberalitatem dei patris per Christum exhibitam contemnunt et aspernantur, quod blasphemum est et contumeliosum; neque secus ac si quis pauper a praedivite aliquo et praepotente invitatus, qui abunde omnia parasset, vinum et panem secum ferre praesumat. Non enim praesumptionis et arrogantiae hic notam effugiet: vult enim videri et ipse aliquid ad hoc prandium, utcunque splendidum et lautum, attulisse, non ferens de se dici quod divitis bona absumpserit. Quis hanc arrogantiam et iactantiam ferat? quis hanc ingratitudinem non damnet? An non dives hic contemptum se et iniuria affectum merito queretur? Reiicit ergo Christus hypocriticum istud discipulorum Ioannis ieiunium, ostendens nihil opus esse ieiunio his, qui Christum animae sponsum praesentem habeant. Qui vero Christo carent, aut affectibus obruuntur, his opus est, ut corpus castigent et in servitutem spiritus redigant. Qui sine fide ieiunant,

orant, aut aliud quiddam faciunt, similes sunt ei, qui iusculum coquit sine carnibus. Quid enim fiet si aqua in ollam infusa carnes non imponat? Carnis saporem nunquam habebit, quidquid tandem vel salis vel butyri addat, nisi carnes ollae inserat. Caminus hypocausti nunquam recte calefiet nisi ignis intus sit, etiamsi foris calida quaedam admoveris. Sine fide nihil recte fit. Sub Papa ergo vana duntaxat ieiunii et orationis nomina remanserunt (sic suggerente satana), res verae non adfuerunt. Haec ex opinione humana nata sunt, quae authoritatem adepta est. Ad incudem ergo haec duo revocat Christus Matth. 6. et hic, ut expurgatis sordibus vera opera remaneant et renoventur, ut cadat quidquid vel a satana, vel a stultis hominibus additum est. Plus autem habet haec quaestio discipulorum Ioannis, quam prima fronte adpareat. Est enim occultum dilemma: quasi dicerent, Quandoquidem nos tam frequenter ieiunamus, tu vero cum tuis nihil ieiunas: fieri non potest, quin alteri ex nobis errent. Neque enim idem est spiritus utrorumque. At nos sancti et iusti habemur coram omnibus hominibus; consequens ergo est, ut tu erres nec iustus sis. Tales sunt hodie contentiones et disceptationes de Eucharistia. Quum enim non idem sit omnium, qui de hac re scribunt et loquuntur, spiritus, alteri errent necesse erit.

Non possunt filii sponsi.) Sermo est metaphoricus, Filii sponsi idiotismo Hebraico pro sodalibus sociis. Sic Germanice de militibus dicimus doryphoris, Mengs bydermanns ſun. Helvetii suos servorum nomine exprimunt suo idiotismo, Der Eydgenoſſen knecht, sic Landsknecht; tametsi a terris aut regionibus (nam ex diversis confluit haec colluvies) videantur nomen accepisse Landsknecht. Dicit ergo Christus: Similitudinem a nuptiis capite. In nuptiis omnes gaudent. Christus sponsus est, discipuli amici sponsi. Donec adest sponsus et nuptiae etiamnunc durant, omnes amici gaudent et laetantur, abest omnis moeror. Ubi Christus praesens est animae, mens gaudium habet et tranquillitatem. Quum vero sponsus abesse aut abscedere nobis videtur, tunc ieiunemus, id est, carnem domemus, et oremus, id est, ardenti fide et voto auxilium eius imploremus. Iam Christus hac responsione rem persona induit: quasi dicat, Nemo negat ieiunium esse rem multo excellentissimam; at ego sponsus iam praesens sum meis, paedagogus et magister eorum, ego duco eos, ego eos formo, toti ab ore meo pendent, ut ieiunio eis nihil sit opus. Quamdiu adest homini pio spiritus Christi, et imperium obtinet, recte constituta sunt omnia: parent enim omnia summo imperatori, qui docet et suggerit quo pacto sit vivendum ne quid peccetur contra deum. Hic custos semper vigilat, et vitam hominis rite componit, carnem domare, et vere ieiunare docet, compescit carnis impetum et petulantiam, abstinet ab omnibus illicitis et immoderatis rebus. In summa, omnia ad praescriptum Christi fiunt. Quod si adfectus carnis imperitare velint (ut in divite illo, de quo Luc. 12. qui dicebat, Anima mea satis iam tibi est, ede, bibe etc.): iam strueen ieiunandum, ut impetus comprimantur, iam fomenta omnia subtrahantur. Num putatis ita res esse creatas a deo, ne homo illis utatur? Ad usum hominis omnia creavit deus, ut illis utatur cum gratiarumactione: nec

peccat in his, nisi modum excedat. Vos in hoc tantum ieiunatis, ut ieiunatum sit, atque hinc vobis iustitiam et sanctitatem arrogatis. Dicam vero quid in causa sit: In opinione erronea et falsa estis, quae tamen temporis diuturnitate imbibita confirmata est, idque Simili vobis ostendam.

Nullus immittit assumentum.) Quasi diceret, Ego veni ut aliam iustitiam doceam, vos falsae nitimini: putatis enim id rectum esse, quod vobis arridet, et quodcunque animo vestro ac sensu concepistis, sed toto coelo erratis. Ego de coelo veram iustitiam et innocentiam attuli, quae non sita est in multis ieiuniis, aut in multiloquio orationis. Ego spiritum et mentem hominis renovo, ut homo rebus illis studeat quae deo probantur, atque haec nova spiritualis veraque iustitia non convenit veteri vestrae iustitiae. Vina recentia et nova fortia sunt et fervent, opus ergo novis et fortibus vasis. Vos veteres estis utres, semper vetera quaedam et abolita, quibus estis adsueti, adfertis, et omnibus obtrudere vultis; hypocritica illa mire vobis placent. At nihil profuerit, si opiniones vestras vanas et veteres iuxta mea nova dogmata statuero. Vestra intereant necesse est, opusque ut et vos novi fiatis, ut novum vinum novae meae doctrinae capere possitis. Apostoli ergo ceremoniis veteribus nihil sunt usi, nisi forte ad tempus, ut est in Actis. Observandum hic, duplicem esse iustitiam, alteram quae in externa conversatione sita est, et coram hominibus valet, in operibus scilicet et ceremoniis, quam Paulus ad Hebraeos carnis iustificationem vocat. Alteram iustitiam dei, qua homo intus purus est et sanctus, et ex corde operatur bonum. Hanc donat deus per filium suum et per spiritum eius, ubi spiritus et lux dei in corde est, et foris in opera erumpit, et ut ignis emicat ac relucet: non quidem ut per huiusmodi opera gloriam appetamus aut ab hominibus conspiciamur et placeamus, sed ut fidem et iustitiam nobis per Christum donatam exerceamus. Qui sic iustus est, sibi nunquam placet, nunquam satisfacit, sed in medio opere bono sibi displicet: videt enim et expendit, quantum sibi adhuc desit, et quam sint impura quae facit. Et cum omnia fecit quae praecepta sunt, inutilem se servum et peccatorem agnoscit; semper dicit, Pater remitte nobis debita nostra, tantum abest ut iustitiae suae fidat.

Filia mea modo defuncta est, sed veni etc.) Et vivet, id est, revalescet, servabitur: omnia enim חיה significat. Fides huius Iairi satis infirma est: persuasus enim est Christum non posse sanare nisi praesens adsit, et manu tangat puellam, quasi contactus ad hanc rem aliquid conferat. Deinde in solam filiae sanitatem respicit, non in potentiam et virtutem Christi: quacunque tandem ratione sanasset Christus filiam suam, modo sit curata, gratum fuisset patri. Sic hodie plerunque facimus. Volumus esse sani quibuscunque tandem mediis et et artibus sanitatem impetremus, etiamsi aliquando sciamus illicita esse et contra dominum. Veri fideles nihil contra dominum tentant, nec curari volunt nisi volente et cooperante domino. Si quid domino adversum est, fugiunt hoc et adversantur.

Ecce mulier quae sanguinis profluvio.) Sanari non potuit

haec mulier, etiam quum omnia bona sua in medicos erogasset. Sic totum genus humanum a peccato liberari non potuit, donec veniret Iesus verus animarum medicus, qui nostra natura et fragilitate adsumpta in hoc venit, ut deploratum istum morbum tolleret. Hoc duntaxat conscientiam tranquillat et certam facit, quum peccator misericordiam dei patris expendit, quod filium suum unigenitum pro nobis dedit. Mulier intus sentit sibi beneficium exhibitum. Sic mens fidelis intus bonitatem et charitatem dei sentit et experitur, obsignante cor spiritu libertatis filiorum dei. Haec mentis persuasio et certitudo a nulla re externa venit, sed a solo trahente et illustrante spiritu dei.

Non est mortua puella, sed dormit.) His verbis Christus a praesentibus testimonium extorquet. Nam si hoc non dixisset Christus, hostes postea dixissent, Non fuit mortua sed dormivit. Iam quum Christus dicit, Non est mortua, irrident eum et sermonem eius explodunt, dicuntque eam vere esse mortuam. Elicit ergo eorum testimonium contra calumniam adversariorum. Qui allegoriis ludunt, per mulierem Iudaeos ceremoniis deditos, per puellam gentium populum intelligunt. Nam hae a morte infidelitatis per Christum liberatae et in consortium ecclesiae cooptatae sunt. Quod Christus hic dicit puellam dormire, non more Hebraeorum consueto (qui mortem somnum adpellant) loquitur: nam hoc irrisione non fuisset dignum, nec ideo somnum dicit mortem quod ei tam facile sit eam resuscitare quam si dormiret, sed ut a parentibus testimonium mortis eius eliceret, ut supra est dictum.

Sequuti sunt eum duo caeci etc. Miserere fili David.) Ex familia Davidis Christum seu Messiam nasciturum apud Iudaeos tum (ut hic adparet) in confesso fuit. At Christum non credunt esse eum Messiam. Hic videmus, qualiter fides a nulla exteriori re venire possit, nisi intus spiritus trahat. Sciebant eum esse ex domo Iosephi, at quod Ioseph ex Davide esset non sciebant. Deinde accedunt adfectus et opiniones falsae, quae etiam clara impiis obscura faciunt. Sic Pontificii etiam doctissimi, quantumvis claram videant esse doctrinam Christi, adhuc tamen dicunt se eam non intelligere, nec credunt: Iudaicis enim tenebris sunt excaecati. Duos caecos illuminavit, ut videamus nullum esse morbum, quem Christus non tollat. Sed quid est quod aliquando parva gesta scripta sunt; quum tamen saepe scribatur omnes languidos sanatos fuisse? nonne hoc satis esset? Sed scribuntur quaedam, ut etiam discamus quomodo sanati sint fide in Christum, ut hic locus clare indicat. Nam haec fides sanavit eos, quod crederent eum hoc posse, deinde tam bonum esse ut etiam vellet. Sinit autem ut se sequantur caeci, non statim praestans quod petunt, non quod non velit aut possit, sed ut ostendat ordinem, quem divina providentia cum hominibus servat, quae sinit nos tribulationibus et laboribus vexari, ut corpus dometur, ut spiritui subigatur, et exerceatur etc. Sic enim condidit deus hominem, ut labore assiduo agitetur, non marcescat otio.

Adduxerunt hominem mutum.) Multa et varia opera Christi recenset Evangelista, ut virtutem et operationem divinam probe explicet. Nam omnes evangelistae huc spectant, ut clare doceant Christum

esse filium et virtutem dei. Hoc tres priores virtute et miraculorum operatione explicare conantur, Ioannes doctrina magis et virtute. Nam Ioannes plus depingit Christum ut servatorem et redemptorem totius orbis et filium dei. Non solum a daemonio liberat, quo nimirum contenti fuissent qui eum offerebant, sed plus dat quam audeamus sperare aut petere. Nam et loquelam restituit et auditum. Sic deus in omni tribulatione succurrit et perfecte iuvat et liberat. Erat genus humanum obsessum a daemone; non satis fuit deo hoc redimere a potestate diaboli, nisi et resurrectione et ascensione sua ad coelos nos certos faceret, ut et nos aliquando resurrecturi et ascensuri essemus. Et hoc est quod Irenaeus dicit corpus Christi nostra corpora pascere ad immortalitatem, ut simus haeredes dei perpetuo cum eo victuri.

Nunquam apparuit sic in Israel.) Quasi dicerent. Multa quidem olim facta sunt a prophetis, at talia et tanta tamque cumulatim nunquam sunt facta. Nullus enim erat morbus quantumlibet magnus, qui manum eius effugere posset. Miracula operatur deus, ut et fidelium carnem tranquillet. Nam impios plus contumaces reddunt et magis obdurant, ut hic videre est in pharisaeis, qui operationem divinae virtutis daemoni adscribunt. Aten omnia perrumpere et illico omnia perdere scribunt poëtae, Gratias lente accedere. Quo typo figuratur, perniciem et malitiam frequentem et ubique obviam esse, occupareque omnia, gratiam, beneficentiam, et benignitatem admodum raram. Calumniari et res bene gestas carpere, in proclivi est omnibus, in bonam partem interpretari et bene loqui rarissimum. Facilius est centum trucidare, quam unum servare et restituere.

Praedicans evangelium regni.) Nempe quod ipse iam venisset, quem pro liberatione generis humani deus per omnes prophetas venturum promisisset.

Affectu misericordiae tactus.) Magna profecto calamitas ubi plebs errat sine vero pastore. Ubi pastor fidus adest, officio suo diligenter invigilat, oves congregat, malos increpat, et ab improbitate hoedorum oves tutatur. Elegans est haec metaphora et valde apta huic negotio. Sacerdotes Iudaici curam ovium non gerebant, sed suum lucrum spectabant: oves quidem deglubunt, at ab improbitate luporum et ferarum non defendunt. Idem nostra fit tempestate, ubi Pontificii de purgatorio praedicant, de oblationibus, de Missa, de templorum ornatu etc. interim oves verbo veritatis pascere negligunt, scelera dissimulant, et non acriter increpant.

Ipsa quidem messis copiosa est.) Ostendit magnam esse messem, multosque veritatis evangelicae sitibundos, ita ut nullo alio sit iam opus quam messoribus, id est, praedicatoribus. Monet ergo orandum esse ad deum patrem nostrum, ut mittat messores et praedicatores veritatis, ostendens iis verbis, si veritas praedicetur et audiatur, illico secuturam esse fidem, et omnia quae decent populum dei. Hoc ergo ante omnia orate, ut veritatem suam praedicari et annunciari faciat pater; semper erunt qui eam recipient. Nam is qui veritatem nobis facit annunciari, idem etiam spiritum suum auditoribus dabit, ut et veritatem recipiant, et vitam iuxta illam forment.

CAPUT X.

Humilis fuit Christus et contemptus inter homines, habitus pro filio fabri indocto et inerudito, qui nec literas nosset, per quem tamen deus verbum suum mundo innotescit. Hoc idem servat Christus in electione idiotarum apostolorum, qui simplices sunt piscatores, ut intelligamus virtutem esse solius dei, non potentiae aut conditionis humanae, 1. Cor. 1. Hanc doctrinam evangelicam messi comparat, alias reti aut verriculo. Amandat autem Christus discipulos, et in messem extrudit, ut colligant in horreum suum triticum maturum. Dat eis potestatem super daemonia et morbos omnes, quos tamen nominatim non exprimit, nimirum aestimandum relinquens, si potestatem habeant super daemones, idem posse eos in minoribus. In hoc autem dat potestatem apostolis, ut intelligant homines doctrinam non esse apostolorum sed dei, quum scilicet virtutem videant humana maiorem. Eiicere daemonia non humànae, sed divinae duntaxat virtutis est. Non ergo apostolorum est quod daemonia eiiciunt, sed Christi, ideo Marci ultimo dicit, In nomine meo daemonia eiicient etc. Quum ergo hic virtutem divinam tribuit apostolis, quae solius dei est, nihil miremur. Nam et alibi ipsis potestatem remittendi peccata, quod itidem solius dei opus est, tribuit et donat, Ioan. 20. Hoc nempe fit propter communionem et societatem quam habent membra cum capite, et filii cum patre, familia cum patrefamilias. Sic aliquando servus dicit: Haec domus mea est, quae tamen heri est: quandoquidem vero ipse in familia est, participat in nuncupatione domus. Petrum Cephas nominat Christus, quod hic omnium nomine confessurus erat Christum filium dei esse, ut est Ioan. 1. et Matth. 16. Haec enim firmissima petra est, haec indubitata et vera fides, credere quod deus miserit filium suum in mundum pro salute totius mundi. Qui hanc confessionem in corde concepit, et ore profitetur, fundamentum verum et solidum fidei habet, quemadmodum Petrus. Primus erat Petrus. Hic primus numeri est aut ordinis, non dignitatis. A Petro enim numerum orditur. Maior et Minor Hebraico more pro maiore et minore natu ponitur. Simon Chananaeus. Iuxtà vaticinia prophetarum ex Iudaeis apostoli erant delegendi. Quid ergo est quod hic Chananaeus dicitur? Ex Chananaica forte terra erat, et nihilo tamen minus Iudaeus. Nam post captivitatem Babylonicam sparsim habitabant inter gentes.

Iudas qui prodidit eum) Quum apostolos eligeret, nondum prodiderat eum Iudas. At quum Matthaeus evangelium suum scriberet, traditio iam per Iudam facta erat; ideo vocat eum hoc nomine, ad differentiam alterius Iudae qui et Thaddaeus.

In viam gentium.) Hebraismus est pro eo quod alius diceret, Ad gentes. Et hoc in prophetis praedictum erat, ut salus primum Iudaeis nunciaretur. Deus autem fidem et promissionem suam servare voluit populo, etiamsi sciret eos nequaquam credituros, Act. 13. Vobis primum oportuit annunciari hanc salutem etc.

In civitatem Samaritanorum ne introieritis.) Non vetat ingressum, sed ne gentibus praedicent evangelium. Atque hoc praeceptum servarunt apostoli diligenter, ut semper primum synagogas

Iudaeorum ingrederentur, etiam in gentilium urbibus, deinde etiam gentibus praedicarent, Marci ultimo: ibi enim omni creaturae praedicare iubet, per omnem creaturam omnes gentes promiscue intelligens, ut nemo queratur se exclusum ab evangelio dei.

Ad oves perditas domus Israel.) Nam supra a fine dixerat populum Iudaicum esse ut oves errantes absque pastore.

Adpropinquavit regnum coelorum.) Hoc est, pollicitatio dei (qui in coelo habitat) facta vobis de servatore Messia, deque redemptione mundi, iam praestita est. Increbuerat nimirum inter Iudaeos opinio, quod Messias esset eos liberaturus ex captivitate Romana, et restiturus esset regnum Israeliticum; et sic quidem sonant prophetarum vaticinia de regno Messiae, si spectes literam, quod et hodie plerique faciunt. At longe aliud praedixeruut prophetae, longe aliud spectarunt. Haec ergo vox, Adpropinquavit regnum dei, plausibilis erat et grata Iudaeis omnibus, in primis autem piis et fidelibus, qui spiritualibus et mundis oculis videbant, et expectabant redemptionem Israelis; impiis nihilo minus et carnalibus qui expectabant terrenam et externam libertatem (ut et hodie fit.) Magis vero dolebant isti se esse servos et captivos Romani imperii, quam mancipia diaboli et peccati. At Christus non venerat, ut more regum temporale obtineret regnum, aut ut Romano imperio eos eximeret: dicit enim, Reddite quae sunt Caesaris Caesari; sed ut animas a potestate daemonis et scelerum liberaret. Haec eam ob causam dicuntur, ut populus obedientiam discat erga magistratum, non ut adprobetur audacia, violentia et iniuria magistratuum et principum, qua populos divexant et premunt. Nam et illi monendi sunt ut desistant a tyrannide, ne manum domini incidant, ut agnoscant et se habere dominum in coelis, cui nisi pareant, crudelis eos poena maneat. Sed cur praedicare iubet Christus veritatem evangelicam in populo tam contumaci et incredulo? Ut cogitationes cordium, quo scilicet quisque spectet, in auditione evangelii palam fiant. Sic cribrandi sumus, ut adpareat qui triticum, qui paleae sint. Hac ergo ratione primum Iudais contumacibus evangelium suum mittit, et eis liberationem annunciat, tametsi plerosque sciret in populo impios esse, qui verbum hoc ad carnalem libertatem essent tracturi. Sic apud nos primum praedicatum est, liberos nos esse per Christum, quod verbum bona pars carnalium sinistre arripuerunt, et quum non succedit pro eorum voto, resiliunt et deficiunt.

Gratuito accepistis, gratuito date.) Sine respectu mercedis et lucri, praedicanda est veritas evangelica. Qui ergo ventris gratia praedicant, discipuli Christi non sunt: neque hi, qui ad hominis praescriptum praedicant, non ad normam Christi. Nihil sine mercede, gratis nihil dederunt in ecclesia Pontificii, nec minus populum seduxerunt quam Iudaici sacerdotes olim, falsa scilicet doctrina et humanis traditionibus. Sic enim deus per prophetam de illis conqueritur, Me dereliquerunt fontem aquae vivae, et effoderunt sibi cisternas. Sic papistae sua figmenta et somnia populo proposuerunt, de purgatorio, de indulgentiis. Iis vero qui tam misere nos seduxerunt, opes cumu-

latim adveximus, locupletantes eos, ut iam regibus et principibus superiores, nostris nos opibus perdant ac premant. In hisce tenebris quum esset universus orbis, et quisque in viam suam declinaret, Christus per apostolos lucem ingerit, et facem veritatis accendit, ut quisque sciat quo sibi sit ambulandum. Si quis in terram ignotam veniat, quaerens qua ambulet et incedat via, et obvius fiat aliquis qui a recta via seducat, iam ille putat se rectam viam tenere quum maxime erret. Sic Iudaeis cum sacerdotibus suis, et nobis cum Pontificiis contigit. Quum prius vocati essent apostoli ad sequendum Christum, subinde domum sunt reversi; at nunc cum in opus evangelii mittuntur, non patitur eos redire domum ut se parent, sed imparatos mittit et omni auxilio humano destitutos, ut a se solo pendeant, in eum solum sperent, et totam fiduciam collocent.

Ne possideatis aurum neque argentum.) Μὴ κτήσησθε. Verbum Graecum magis significat adquirere comparare et sibi vendicare, quam possidere significat. Ne ergo ex praedicatione evangelii sibi thesauros et opes corradant, vetat, neque diu ultro citroque cursitent ut aes conflent, et se (ut solet) itineri accingant. Per zonas autem synecdochice marsupia, crumenas, et pecunias intelligit: sic Germanice quum peram volumus, zonam aut cingulum petimus. Vide in Chiliadibus.

Dignus est operarius cibo suo aut mercede.) Sententia hac generali ad suum propositum utitur Christus. Duplex autem error circa praedicta verba Christi inolevit. Prior est Catabaptistarum, qui arrepto verbo Christi, Ne possideatis, omnem mercedem praedicatoribus verbi abnegant, contra omnem humanitatem, et naturae sensum. Posterior error Papistarum est, qui hoc verbo, Dignus est operarius mercede, ad quaestum suum turpissime abutuntur, opus dei mentientes, et sub hoc titulo infinita bona, ingentesque divitias corradunt, quum nihil sint minus, quam operarii dei. Quod si maxime evangelium praedicarent, modum tamen in corradendo transgrediuntur, in fruendo et retinendo luxum et fastum immodicum ostentant, voluptatibus immersi sunt, genio indulgent, carni serviunt, et omnibus adfectibus turpissimis obtemperant. Contra hos duos hostes veritatis praeco, armis veritatis munitus, pugnare debet, quorum alter a laeva, alter a dextra impetit. At qui in dextro cornu sunt Catabaptistae, graviores et atrociores sunt: hypocrisis occultum est malum, et se sanctitate et innocentia vitae palliat, ut et pii aliquando hac specie seducantur, Matth. 24. Per mercedem autem et victum, omne id intelligitur, quod ad vitae necessitatem et sustentationem pertinet, modo non sit cum pleonexia, id est cum cupiditate et avaritia coniunctum.

Neque peram ad iter.) Peram viatoriam intelligit, qua ad iter paramur nimis anxie.

Non duas tunicas.) Non excludit alteram tunicam, sed intemperantiam prohibet hoc numero binario, ut nos Germanice dicimus, quum ebrietatem et immodestiam alicuius lurconis taxare volumus, Der iſt ein mäſſiger geſell, trinckt des tags zwen köpf wyn, quum forte plus aut minus bibat.

Neque virgam.) Hic vetat, alibi permittit baculum: neque pugnant tamen hi loci utcunque dissimiles, sed maxime consonant si fidem adhibeas. Omnem fastum et adparatum immodicum vetat. Baculum quidem ad iter quo in via sustententur permittit; virgam qua percutiant, premant, laedant, non permittit.

Inquirite quis in ea dignus sit atque illic manete donec exeatis.) ἄξιος dignus, non pro eo accipitur qui omnino purus et absque peccato sit, aut qui suis operibus hoc meruerit, nam talis nullus fuisset, sed significat aptum, idoneum, et commodum, Geſchickt, fuglich, zügſam, gelägen huß gſind. In hanc vos recipiatis etc. Sic alibi dicit Christus, Qui non baiulat crucem suam etc. non est me dignus, Der fügt mir nit zum junger, non convenit mihi cum eo. Et illic manete, neque discurrite de domo in domum, ne pervagemini omnes domos, donec exeatis scilicet urbem quam eratis ingressi. Curiosam discursionem vetat.

Salutate illam.) Mos salutandi Iudaeis fuit, Pax vobis. Quae formula licet hic non manifeste exprimatur, ex posterioribus tamen verbis satis intelligitur, quum dicit, Pax vestra manebit super eos, id est, tranquillabuntur eorum conscientiae per evangelium et gratiam dei, et sic implebitur in eis pax quam vos estis imprecati. Similis fere sententia in Ezechiele: Si vigil in specula constitutus malum praenunciarit et monuerit, et audierint eum, salvantur ambo, et monitus et monens; sin non audiunt monitorem, monens se salvat et asserit, neque perditi sanguinis reus agetur. Qui evangelium praedicantibus apostolis non recipiunt, hoc ipso se produnt, quod impii sunt et damnati, quatenus scilicet ecclesiae constat, quae de his quae foris sunt iudicat; quod si ipsos interim aut postea mutat deus, nos non fallimur nostra sententia. Nam soli deo corda nota sunt, ut patet de latrone in cruce, qui in oculis et iudicio hominum recte damnatus censebatur, sed deus intus cor eius movit et convertit, idque subito, ut electus coram deo et salvus esset. Neque nobis intermittendum erit interim quidquid est officii nostri, utcunque deus cor intus mutet aut convertat: nam et hoc aperiet nobis deus aliquando. Hoc dum fit, mutamus et nos nostram sententiam, quam prius super eum tuleramus, ut manifeste patet. 1. Cor. 5. et in posteriori, dum iubet recipi fornicarium.

Quicunque non audierit sermones vestros.) Vos scilicet qui meum verbum praedicatis. Nam nihil efficiunt Papistae, qui haec verba ad se torquent, volentes sua aequari divinis. Quandoquidem apostoli organa erant divinae operationis, dantur eis aliquando ex divina dignatione, quae solius dei sunt, idque (ut supra ostendimus) virtute Synecdoches, et propter communicationem membrorum et capitis. Apostolos vice sua hic statuit; at nihilominus deus est qui operatur omnia in omnibus, qui dat et velle et perficere, qui dat incrementum. Paterfamilias dicit, Haec ligna advexit equus meus: quum interim paterfamilias ligna succiderit, funes alligarit, equum currui aptarit, et domum ligna vexerit etc.

Excutite pulverem de pedibus vestris.) Et hoc loco Catabaptistae abutuntur, sese ob singularem quandam sanctitatem (quam sibi

arrogant) ab aliis separantes, qui tametsi Christum profitentur, vitiis tamen quibusdam et imperfectionibus etiamnunc laborant: quod plane hypocriticum est et satanicum. Hos enim non deserere, sed fovere, assumere et ad meliorem vitam reducere convenit. Infirmi enim fovendi sunt et adsumendi, quemadmodum docet Paulus, ab iis qui potentes sunt. Sed et Papa hic errat, qui scelera omnia fovet si pecunia detur, nec operam dat ut scelera desecentur aut tollantur. Illi omnes excludere et contemnere volunt; hic neminem. Iam regia nobis via incedendum erit, neque ad dexteram neque ad sinistram declinandum. Hoc vero docet Christus, ut hi vitentur qui verbum dei eis praedicatum, nec audire, nec recipere voluut, qui contumaciter in infidelitate et impietate sua perdurant. Hinc fit ut merito senatu atque omni magistratu excludantur, qui verbo dei non credunt, nec solum non credunt, sed et in super persequuntur. Quomodo enim hi possunt, aut cur debent praeesse populo dei, causas religionis tractare, honorem et gloriam dei promovere, veritatem et iustitiam provehere, tutari bonos, animadvertere in sceleratos, qui ipsi sunt infideles et impii?

Sodomitae mitius habebunt.) Nam illis non fuit missum evangelium; quod si factum fuisset, nimirum resipuissent. Peior ergo erit eorum poena et gravior, qui cum audiant, non credunt. Hoc vero non solum de extremo illo iudicio intellige, sed de omni iudicio et visitatione divina.

Ecce ego mitto vos sicut oves.) Nemo se ipsum tueri potest, solus deus est protector noster. Placuit deo ut per simplices, velut oves, verbum suum mundo proponeret, lupis eos obiiciens. Lupi sunt quicunque non ferunt ut corrigantur. Contingit ergo, ut qui veritatem dicat et peccata corrigat, nusquam sit tutus. Quod autem sibi malum non irrogetur, non est ex sua ipsius natura, sed virtute et protectione dei. Qui de natura rerum scribunt, serpentes vino cicurari aiunt. Debent ergo hi qui verbo praesunt cavere, ne voluptatibus mundi capti et inebriati suspicionem aut offensionem verbo dent apud auditores. In simplicitate servanda constantia, ne veritati quid decedat. Praedicemus veritatem simplici animo, summa cum fide, nihil ex astutia, nihil dolo, ne palpemus, ne blandiamur. Grave admodum et periculosum est officium apostoli et episcopi, utpote qui inter lupos versatur. Semper sunt in ecclesia, quos veritas offendit, quibus infesta et odiosa est increpatio, qui nolunt corripi. At illis obsistere oportet. Hinc invidia conflatur verbi ministris. Et certe exigua est haec consolatio qua Christus suos alloquitur, dicens, Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum. In arborum satione essentialia sunt quaedam, quaedam accidunt et concurrunt, quae tamen ad plantulae propagationem serviunt. Essentiale est plantula domestica desecta ex arbore, quae consecto trunco inseritur. Praeter hoc iam tenaci terra aut argilla illinitur nova insitio et libro obducitur, sepe munitur, ne quid laedat etc. Itidem hic observandum in apostolorum praedicatione. Essentiale et praecipuum est apostolorum officium, evangelium plantare apud homines, veritatem summa cum fide et diligentia inculcare, a quo nec mors deterreat. Iam vero nihil omittendum eorum quae ad promovendam hanc plantu-

lam facere possunt. Volo ergo ut prudentes sitis, circumspecte omnia agatis, nihil temere, nihil inconsulto. Si ergo videbitur non solum vos sed evangelium quoque in eo esse, ut periculum ingrediatur, fugiendum interim vobis. Et ita conciliantur hi duo loci in speciem contrarii: *Ecce ego mitto vos ut oves in medium luporum:* Et, *Cavete ab hominibus illis.* Quomodo enim aliter cavere possunt eos ad quos mittuntur? Nec tamen ob quaelibet vel levia terriculamenta fugiendum est. Fides docebit et spiritus intus docens, ubi cedendum ubi manendum. Ubi enim cor hominis fide et charitate est accensum, non facile in his errabit. Ad accidentalia etiam pertinet morum facilitas, comitas, modestia, orationis ordo, perspicuitas, artificium etc. caeteraeque circumstantiae temporis, personarum, locorum. Hoc et ipse Christus alibi docet, dum vires iubet expendere et facultates, antequam tam arduum opus quis adgrediatur, ne turpiter postea, neque sine risu deflectat, et inchoatum opus deserat. Et hoc maxime apostolis quadrat, ne quis se temere in officium praedicandi ingerat. Qui arbores plantant, tempus observant: nemo enim in hieme arbores conserit, aut dum nive obducta est terra: observant agricolae tempestatem et lunae motum.

In testimonium illis et gent.) Illis Iudaeis scilicet, et gentibus. Hoc adiicit, ut indicet evangelium demum perventurum esse etiam ad gentes, ad quas post resurrectionem missurus eos erat.

Ad principes et reges ducemini propter me.) Homo natura mendax est et malus, solus deus verax et bonus. Qui ergo lucem veritatis ingerit malis et tenebrionibus, adversum hunc mox bellum concitatur: nulla enim lucis et tenebrarum conventio. Obstant huiusmodi homines veritatis praedicatoribus, in primis autem sacerdotes mali et superstitiosi, qui populum captivum tenent suis traditionibus, et suis figmentis dementant. Tales ad adventum veritatis mox clamant, Ecce hi tumultuosi sunt et seditiosi. Hoc prophetis, Christo, apostolisque contigisse historiae sacrae abunde testantur. Hierem. 26. 32. 38. 3. Regum 18. Amos. 7. Actorum liber hisce exemplis plenus est. Insimulati sunt semper veritatis doctores seditionum et tumultuum, ut hoc praetextu perderentur. Sic factum est sanctis martyribus olim sub imperatoribus Romanis: quum enim deos vanos exploderent, cultumque unius dei docerent, delati sunt apud eos qui rerum habenas moderabantur, quasi omnem magistratum abolere vellent, ut est videre apud Symmachum. Hac causa ad magistratus et principes ducti sunt et coram eis adcusati tanquam tumultuum authores. Non fert morbus ut adtrectetur, ulcus ut contingatur, sed aliter curari non potest.

Ipsis in testimonium.) Principes et magistratus impii verbum dei non audiunt, nisi coacti, quum scilicet ante eos statuuntur praedicatores veritatis. At hoc non diu durat, neque in animos eorum vere penetrat. Sic coguntur velint nolint audire verbum veritatis in testimonium. Quidam tamen nec tum audiunt, sed aures obturant aspidis in morem, neque recipiunt a piis satisfactionem. Qui audiunt, audito non obtemperant aut persequuntur etiam, iam testimonium habent suae damnationis in conscientia. Qui non audiunt, et tamen inauditum exscindere et persequi pergunt, rursus habent testimonium suae damnationis

in conscientia, quod ignoratum et inauditum damnant. Praedicatur ergo verbum evangelii in testimonium salutis, his qui audiunt et obtemperant, damnationis incredulis.

Tradent vos.) Hoc est, prodent. At vos ne sitis solliciti de apologia, anxia quadam et desperabunda meditatione praecogitantes quid sitis responsuri. Quid divinam norunt providentiam, sciunt capillos capitis sui omnes esse numeratos coram deo, non solum actus et verba. Asserit aliquando gloriam suam verborum eloquentia et ornatu, aliquando taciturnitate. Ipse dat mutis os ut sint diserti, timidis cor ut prodeant, omniaque moderatur pro bona sua voluntate. Hic iam bifariam erratur. Sunt qui ex curiositate et humana prudentia neglecto deo omnia agere volunt. Sunt qui deum tentant et dicunt, Dominus omnia recte disponet; ipsi tamen interim nihil conantur neque laborare pro gloria dei volunt. Aut ergo curiositatem nostram, aut negligentiam et torporem punit deus. Ad laborem et opus homo conditus est, utcunque interim deus omnia agat et moderetur. Nihil ergo laboris, nihil diligentiae et industriae omittamus; at in his omnibus nihil nobis tribuamus, sed in solam dei virtutem speremus. Neque labor noster plus efficiet, quam velit deus, ut in agricolatione quotidie videmus. Rusticus proscindit terram, arat, seminat etc. nec tamen plus provenit quam velit deus.

Ne sitis solliciti.) Hoc verbum consolationi est apostolis simplicibus et idiotis: poterant enim intra se cogitare et dicere, Ecce tu extrudis nos, sistendos ais coram regibus et praesidibus orbis, indocti sumus et plane rerum imperiti. Quid sumus dicturi coram tam doctis et sapientibus? Consolatur ergo eos dominus, et dicit: Ne sitis hac de causa anxii, ego qui vos mitto dabo vobis os et sapientiam. Qui fideles sunt, utcunque sint simplices, semper intrepidi erunt. Quemadmodum deus non vult ut eloquentia et lenocinio verborum nitamur neque virtutem illis rebus tribuamus, ita nec vult ut omnia temere et sine iudicio effutiamus. Haec dicit pro consolatione eorum qui se minus idoneos ad hanc rem existimabant.

Spiritus patris vestri.) Haec consolatio communis est omnibus Christianis nedum Apostolis. Spiritu patris nititur fidelis, non carne, non curiositate aut humanis consiliis. Quum ergo opus dei quod nobis praescribit, et quod per nos operatur, sistimus nostra negligentia aut socordia aut etiam curiositate, perfidi sumus. Quod si deus, qui nos illustrat suo spiritu et in opus suum agit, ut promoveamus, interim cursum operis sistit et remoratur, aut alio dirigit quam nos velimus, hoc ferendum est nobis summa cum tolerantia, ac sequi nos convenit praeitorem deum. Nec ab opera nostra unquam cessandum erit. Nam dum putamus conclamata et desperata esse omnia, tum maxime aderit nobis deus. Auriga deus est, is habenas moderatur, et omnia pro bona sua voluntate disponit.

Tradet frater fratrem in mortem.) Sint duo fratres, alter miles pensionarius viribus et audacia pollens, alter fucata quadam iustitia nitens, sed hypocrita et gloriae mancipium. Hi duo diversis sane studiis ducuntur, et longe inter se dissentiunt. At dum ad extrema

ventum est, mox fiunt amici. Quum enim in pensionarium militem animadvertere vult magistratus, alter dicit: Punire hunc non possum, frater enim est etc. Sic possunt diversissima quandoque crimina inter dissidentes componi et coire. At dum alter evangelio credit et doctrinae Christi adhaeret, alter veritatem insectatur, non veretur fratrem suum persequi et in mortem tradere. Cur hoc? Dolet satanae mirum in modum, dum videt hominem bona fide deo adhaerere; ferre potest si quis virtutibus ex vana gloria studet. Priores ergo, de quibus exemplum dedimus, uni eidemque domino serviunt, alter per latrocinia et manifesta scelera, alter hypocrisi et vana gloria. At postremi duo, alter deo servit, alter diabolo; convenire ergo nulla ratione possunt. Hoc pessime habet diabolum dum vere et ex corde domino placere volumus.

Eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum.) Propter nomen meum inquit Christus, non propter scelera vestra. Capitur rursus nomen pro gloria et maiestate. Propter praedicationem veritatis: Umb minent willen, vel: Umb mines handels willen.

Qui in finem usque perseverat.) Constantia virtus in primis necessaria omnibus piis. Hac enim perrumpere oportet omnia pericula, omnesque omnium adversariorum insidias. Honesta est causa propter quam patimur, ad honestum officium vocavit nos deus. Qui in acie cum hoste congreditur mercenarius miles saucia conscientia cadit nec sine metu: scit enim se habere malam causam et servire se daemoni. Pius vero et qui deo viventi summo imperatori militat, bonam habet causam et in media morte gaudium conscientiae bonae.

Quum persequuti vos fuerint in una civitate.) Prius constantiam et perseverantiam in praedicatione veritatis docuit. Iam ne contumaciam aut praefractam pertinaciam intelligant, dicit: Fugite, dum tempus est state, dum tempus postulat fugite. Hoc idem quod hic docet ipse fecit. Non vult ut nos temere in periculum coniiciamus, praesertim ubi non est spes lucrandi homines. Hanc prudentiam spiritus fidei et charitatis docebit.

Non perambulabitis omnes civitates Israel.) Hoc est, non potestis in cunctis urbibus Israeliticis praedicationem explere, quin iam filius hominis vos subsequatur. Mittebat enim eos ad omnem locum, quo erat ipse venturus. Quem vos praedicabitis, ipse veniet, et post vos praedicabit. Filium hominis se vocat, periphrasi hac verum hominem sese ostendens.

Non est discipulus supra magistrum.) Similitudo est. Discipulus dicitur quamdiu sub praeceptore formatur et instituitur. Sunt enim correlativa discipulus et praeceptor. Discipuli adhuc sub incude erant, et a Christo formabantur. Discipulus bene actum secum putat, si fiat similis magistro. Quod igitur a me videtis fieri, hoc idem et vos facite: quae me videtis pati, ad eadem ferenda estote parati. Si patrem familias tam indignis modis tractarunt, ut contumeliis et convitiis turpissimis eum adficerent, nihil mirandum, si idem vobis quoque facturi sint.

Ne timeatis eos qui corpus occidunt.) Parvum vobis sit propter iustitiam mori, parvum contumeliis et probris affici. Quum dominus advenerit, et omnia bona et mala simul producentur, bene vobis qui

Christo adhaesistis, ubi impii propria conscientia condemnati pudefient coram omnibus, quemadmodum ii qui publice propter scelera et malefacta ducuntur ad supplicium. Parvum est, imo momentaneum, corpus perdere in hoc mundo, quod cras aut postridie suopte moritur et occidit, et sicut flos agri perit, decidit, et emarcet. Is timendus vobis est qui et animam in gehenna perpetuo cruciare potest. Tyrannus unam partem duntaxat occidere potest, deus ambas. Gloriosum est mori pro iustitia, pro veritate, pro gloria dei. Neque hoc fit absque dei providentia. Nam etiamsi velletis effugere et vitare mortem, non potestis. Si deus servare vult, nemo perdet: si perdere vult, nemo servabit. Idcirco divinae voluntati totos nos contradamus, qui potestatem habet corpus et animam perdendi. Hic clare discimus, corpus ad vitam resurrecturum esse, a contrariis ducto argumento. Nam si corpus cum anima in supplicium aeternum mittitur, ergo corpus piorum simul cum anima vitam habebit perpetuam.

Nihil opertum quod non reveletur.) Consolatur hoc verbum apostolos. Quasi diceret: Ne vos angat, quod contumelia vos adficiunt! innocentia vestra innotescet aliquando omnibus simulque aliorum malitia.

Quod vobis in aurem dico, praedicate super tecta.) Christus ux est, nihilque tenebricosum est in eius doctrina. Si quid tenebrarum adhuc est, in illis certe est, quorum corda adhuc captiva tenet Satan, 2. Cor. 4. Vult Christus omnia sua aperte dici. Qui ergo docent oculos claudendos, aures obturandas esse, et credendum quod corpus Christi sit in pane, non praedicatores sunt lucis, sed tenebrarum.

Ne ergo metuatis ab his.) Haec verba docent, ut deum summum thesaurum cordis nostri ducamus, malimusque omnia perdere quam ipsum. Hoc si fecerimus, undique muniti sumus, ut qui ante nos aereum habeamus murum. Deus fortitudo mea et refugium meum; non timebo quid faciat mihi caro.

Nonne duo passerculi minuto asse veneunt.) Quasi diceret: Accipe duo minutissima, alterum quod est inter homines, duo asses scilicet: alterum quod est longe ab hominibus, duo videlicet passerculos, et in his disce providentiam divinam. In terram cadere periphrasis est Hebraica pro perire. Duo passerculi homine longe sunt inferiores, quum tam vili venduntur, minuto scilicet asse. Quod si hi non pereunt absque providentia divina, quanto minus homo? Qui hanc providentiam dei ignorant aut non credunt, semper turbantur, et scire volunt qua ratione quaeque agat deus, donec huc perveniant, ut dicant non esse deum. Quandoquidem vero in mentionem divinae providentiae incidimus, paulisper in hac digrediemur. Duplici via providentia dei cognosci potest. Altera per ordinem omnium visibilium rerum. Altera per considerationem ipsius dei in se. Nullus est artifex, qui artis suae instrumenta non in numerato habeat. Nec tamen in potestate est agricolae, etiamsi omnem operam suam locaverit, ut fructum ferat semen; attamen terram proscindit et subigit. Agnoscat ergo necesse est excellentiorem quandam virtutem esse, quae incrementum det, et omnia producat. Non annus, non aura, non arvum fructum producit. Utcunque sit coelum, si nihil seris, nihil metes: est ergo aliquis hisce

omnibus superior cuius virtute haec omnia agunt. Quis vento dicit quando sit flandum? Nam fieri posset, ut maximo cum detrimento frugum flaret. Est ergo aliquis qui tempus flandi definiat. Sic opus nostrum primo a deo motum est et elicitum, quemadmodum terra et aura ab ipso movetur. Agricola a deo ordinatus est ut terram proscindat; terra non plus dat quam velit conditor, quae et ipsa dei manu movetur. Dicis, Cur ergo tantus labor a me exigitur? At sic et terra (si loqui daretur) dicere posset, Cur me ubique perfoditis? cur omnes venas meas tam alte scrutamini? cur mihi omnes incumbitis? cur aurum, fructus, et alia a me postulatis? Considera iam folium unum arboris aut pampini, expende omnes venulas et fibras, ramusculosque omnes per totum corpus folii diffusos. Quis haec facit? Ramus? Minime. Arbor? Minime. Terra fert fructum? Cur ergo nobis non palmas, dactylos et amineas profert? Conferant omnes orbis artifices artes suas et faciant unum oculum, aut minutissimum gramen. Deus ergo est qui operatur omnia in omnibus. Altera via investigandi divinam providentiam ab ipso deo sumitur, qui ut omnem legem superat, ita nec transgredi aut peccare potest, utcunque mala facere legatur. Lex propter transgressiones est posita: deus non potest transgredi. Ergo deus non est sub lege. Item deus non est sub lege; ergo peccare non potest. Quum ergo deus sub lege non sit, peccatum aut malum ei adscribere haudquaquam debemus. Quum deus dicit: Noli mentiri, certum est deum esse talis ingenii talisque naturae ut non mentiatur. Iam si quaero, Cur deus permittit ut hic proditionem, alter latrocinium designet? Argumentum certissimum est, me deum nondum nosse. Volo enim eum meo (ut aiunt) pede metiri, nempe lege, sub qua ego vivo. Ipse summum est bonum, cuius sunt omnia, nihil est nostrum. An ergo non potest suis pro arbitrio suo uti? Deus ergo contra legem nihil facit, etiamsi certa ratione et causa permittit ut hic trucidet, alter trucidetur. Creaturae suae sunt ambo, quas sic vult perdere. Quod latro occidit, in culpa non est deus, sed latro culpam habet, quia is est sub lege: Non occides. An non licet patrifamilias rebus suis pro libito uti? Cur hoc deo minus liceat? Hic siste gradum, et subde te deo, ne responses, ne disputes cum deo, ne sis scrutator maiestatis. Quis enim tu es qui audes deo obstrepere? lutum figulo? Si latro es, et duceris ad rotam, cogita: O deus permisisti ut in hanc tam gravissimam culpam caderem, atque hoc probrosum mortis genus perferrem, ut in me descenderem et me agnoscerem, ut coram te humiliarer; atque haec est summa gratia, excellentissimumque divinae tuae bonitatis beneficium. Iam ergo certo certius novi quod me paterno complecteris affectu. Cadere permisisti, ut resurgerem, ut modestiam discerem. Sic egisti o pater cum Davide, Petro et aliis. Hae ergo causae sunt cur deus nos in peccata cadere permittit, aut ut humiliemur et emendemur, discamusque bonitatem dei ex casu agnoscere, aut ut nos perdat et damnet, si ex casu peiores et contumaciores evadimus. Quoties pereunt homines in laetis et prosperis rebus, qui, si adversa eis mitteret deus, resipiscerent et servarentur? Qui divinam providentiam recte intelligere volet, cogitet, primum iudiciorum dei abyssum et sapientiae

dei profunditatem. Deinde quod apud deum nulla potest esse iniustitia. Iustus enim est dominus in omnibus viis suis, et sanctus in omnibus operibus suis.

Capilli capitis vestri.) Qui calvus est, non potest efficere, etiamsi omnes artifices convocet, ut pilos habeat. At hoc ex eis rebus est quae homini non sunt admodum necessariae, et sine quibus homo vivere potest. Quod si haec minuta in sua providentia habet, quanto magis corpus et animam vitamque hominis? Semper ergo vincere ea sententia debet, quae divinae providentiae omnia fert accepta. Tametsi ipse aliquando operibus nostris mercedem pollicetur. At haec est gratia quod nobis sua tribuit: agit nobiscum ut cum filiis pientissimus pater. Haeredes autem sumus paternorum bonorum coelesti nativitate, id est, electione, non operibus nostris aut meritis, aut ulla iustitia nostra. Hoc interim observandum quod tametsi divina providentia omnia in omnibus operatur, nihilo tamen minus opera nostra et laborem, ut exerceamur, requirit, nec plus tamen efficiemus quam velit ipse. Quum ergo diligenter operam das, ut peccata eradices, recte facis; etiamsi nolit deus hoc tempore effectum dare operi tuo. Ipse novit tempus cuique rei aptum. Quod si iam dicere velis, Expectabo ergo illud tempus et cessabo iam, erras: laborem enim et industriam a te exigit deus, ipse interim operatur et efficit omnia. Tu quaere illius gloriam, et non aberrabis: hoc si non feceris, punieris ob negligentiam et ignaviam tuam. Humiliat ergo nos deus et exercet, omnia non secundum nostram, sed secundum suam voluntatem perficiens.

Qui me confitetur coram hominibus.) Quandoquidem igitur deus vestri curam gerit, et tanti vos aestimat, decet ut hunc agnoscatis et palam coram hominibus confiteamini. Confiteri autem non capitur hic more Papistico, pro peccata in aurem sacerdotis insonare, sed generaliter significat Bekennen. Quod quidem vario fit modo. Apostolis praecipit ut praecones sint publici veritatis et evangelii, a qua praedicatione nec morte deterreri debeant. Deinde et vita confiteantur, quae non minus quam os clamare debet: sunt enim lux mundi. Alii qui ministri publici non sunt, nihilominus pro gratia quisque sibi data Christum confiteri debent, et eius beneficia agnoscere, non ore solum, sed et corde et factis, imo tota vita. Hic observandum est unum idemque verbum Christi alios aliter afficere, aliterque ad alios pertinere. Aliter enim apostoli dominum confiteri, aliter caeteri pii debent. Illi semper ad mortem usque, hi dum tempus et occasio postulat. Confiteri solum ore salutare non est, sed fide et corde. Idcirco Paulus dicit ad Titum, Confitentur ore deum, quem factis negant. Ubi ergo factis et fructibus bonis caret fides, simulata et mortua est confessio. Christus vero nos confitebitur coram patre, dum nos pro suis coram patre, agnoscit, et nos patri commendat: dicuntur autem haec humano more. Magna vero miseris nobis haec est consolatio, commendari deo nos a Christo summi regis filio. An non saepe virtuosum aliquem videre gaudium est? Quid igitur aeterni regis filium et haeredem esse, semper cum eo conversari, omnia cum eo habere communia? Sic enim Chri-

stus dicit: Vos autem estis qui permansistis mecum in tentationibus meis. Et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi pater meus regnum, ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo etc. Magna profecto dignatio, quod deus vocat nos vilissimos peccatores ad tantum fastigium, ad tantas opes, tantamque gloriam. Qui haec saepius mente revolvit, facile terrena omnia contemnet. Hic etiam discimus non opus esse ut divi nos commendent deo; Christus ipse commendat nos deo, et causam nostram agit.

Non veni pacem mittere.) Ubicunque praedicatur et promovetur veritas, dissidium oritur, idque omnino malum est; sed ita fit, quia dominus praedixit. Praedixerat item Iudam proditurum, et hoc malum erat, sed quemadmodum dictum erat a domino ita et factum est. Oritur ergo dissidium ab his, qui contra veritatem, contra iustitiam et pietatem veram pugnant, utcunque pietatem simulent. Neque hinc patrocinium reperire possunt, qui vi et gladio ad veritatis et fidei confessionem homines adigunt. Aliud vero est homines ad fidem cogere, et aliud blasphemantes fidem et nomen dei, venenumque falsae doctrinae spargentes punire et coercere, aut abducentes a deo et vera pietate e medio tollere. Hoc a sanctis et piis magistratibus semper factum est, illud vero tyrannorum est et pharisaeorum. Vide Deuteron. 13. Num. 25. 4. Reg. 9. 2. Paralip. 29. 4. Reg. 22. 3. Reg. 18. Danielis 6. August. ad Bonifacium, de correct. Donat.

Dissidere faciam hominem.) Homo hic idiotismo Hebraico pro filio ponitur, dicit enim: Hominem contra patrem suum. Domestici item pro familiaribus aut familia. Pugnabit enim familia adversus patremfamilias, et paterfamilias adversus familiam, Mich. 7. Et haec pro consolatione dominus suis praedicit; quasi diceret: Multa ferenda vobis erunt vel a coniunctissimis, sed forti animo este! otium nunquam peperit virtutem. Laboribus ergo et variis tentationibus exercet nos deus. Resistendum impiis forti et infracto animo, non secus ac inundantibus et erumpentibus aquis aggeribus occurrimus. Cor fidele et integrum tribulationibus et pressuris non labascit, non concidit, non deprimitur, sed duratur potius, fortius fit et robustius. Hinc palmam veteres martyribus assignarunt, quod haec arbor invicta est, semperque viret, nec mole etiam imposita deprimitur.

Qui amaverit patrem aut matrem.) Omittuntur possessiva, ut in Germanica lingua fieri solet. Intelligit enim suum patrem, et suam matrem: Qui patrem suum amaverit etc. Si scilicet veritati resistunt, et a deo abducere conantur. Adhuc enim versatur in pugna quae inter patrem et filium evangelii gratia nascitur. Filius recipit evangelium, pater ab evangelio abhorret, aut evangelium persequitur. Iam non debet filius reclamantem patrem audire, et a Christo quem recepit deficere; quod si facit patre coelesti commodus non erit: hoc enim significat (dignus) ut supra auditum est. Duo sunt praecepta: alterum praecipit, ut patrem et matrem honorem, alterum ut deum super omnia diligam. Hic iam pugna oritur. Pater vendicat sibi filium, sibi item deus. Quid hic faciendum? Dices: Quandoquidem pater meus deo adversatur, relinquendus erit mihi, et deo adhaerendum. Quod si affectus erga patrem

tantus est, ut illius gratia deum relinquas, ab illius gratia iam excidisti. Grave est (fateor) patrem deserere qui te genuit, qui te enutrivit, et cuius beneficiis frui possis: at multo gravissimum est et maioris periculi deum offendere, qui te creavit et in vita servat. An tu hunc in familia tua feres, qui sui compendii gratia tua negligit, perire sinit, aut te deserit? Non puto, neque enim tibi commodus erit. Et quomodo paterfamilias coelestis in sua familia feret, qui ob affectum sanguinis ipsum deserit?

Qui non baiulat crucem suam.) Quasi diceret Christus, Ego veni in hunc mundum, in has miserias, et sponte eas subivi: non enim sum in peccato natus. Unde nulla mihi crux aut poena debebatur, propter vos suscepi infirmitates vestras. Quod si ego vestras infirmitates fero, cur vos eas ferre recusatis? An non estis peccatores? Certissimum argumentum est paternae in nos benevolentiae, si quando nos tribulationibus visitat, si virgam adhibet, et crucem imponit; signum est quod nostri curam nondum abiecit, sed nos pro filiis agnoscit. Pater qui filium castigare cessat, de filio desperavit, et eum quasi abiecit. Innumeri infirmitatibus et pressuris emendati, et a gravibus sceleribus custoditi sunt. Adversitates ergo immittit, ut nos domet. Qui se sceleribus opponunt, et constanter iniustitiae repugnant, illis crux parata est, et certa persequutio. Tum virtutes sunt, quum se vitiis opponunt, dum contra scelera pugnant. Blanditur fortuna, arridet mundus, illicit felicitas; resistendum est. Saevit rursus fortuna, tonat, et adversa quaeque minatur, ingruunt adversitates, persequutiones, odia, mortes; et hic resistendum constantissime. Semel ergo devovendus est animus, ut cum iactura rerum et vitae, iustitiae, veritati et deo haereas indivulse. Qui veritatem evangelii sic defendunt, ut neminem laedere velint, neminem offendere, hasque cogitationes antea in animo versant, non bona fide evangelium praedicant. Iacienda semel alea, et mortis periculum pro veritate subeundum, firmandusque animus contra omnes carnis, mundi, et satanae insultus. Certo tibi persuade, quod omnium odia sis in te concitaturus, si bona fide domini negotium gerere voles, et sta firmiter sisque aheneus murus contra omnia totius mundi mala. Curiositas est ne dicam perfidia, sic velle praedicare et promovere veritatem, ne mendacia arguas aut offendas. Si carnem offendere metuis, integer et probus non es, adeoque deum negas. Si constanter deum vis confiteri, habebis omnem carnem tibi hostem. Sic paratos ad hanc viam nos esse convenit, ne unquam respectemus etiamsi post nos omnia pereant. Hanc vero animi constantiam huiusmodi cogitationes firmant, si cogitaverimus quam breves sint, quamque momentaneae huius temporis adflictiones, nempe quae pares non sunt ad gloriam quae revelabitur in nobis. Ad haec habitus quidam adquiritur, ut adsuefiat malis ferendis homo. Qui valetudinarii sunt et chronicis morbis laborant ac subinde languent, sic suis morbis adsuefiunt ut arte quadam ferant. Ita fit, ut si omnium hominum omnes morbos in unum conferrentur, nullus suum cum alterius morbo permutaturus sit, quum suum norit, alienum non norit. Qui sic animum ad

crucem ferendam firmavit et praeparavit, cruci sese adcommodat, quemadmodum equi clitellarii ferendis oneribus aut clitellis sese aptant, laetus interim et forti animo existens. Qui vero gloriam, opes, voluptatem aut requiem in officio quaerunt, ingruentibus adversitatibus animo labascunt et discruciantur. Carnis impatientia crucem horret et detestatur, vexata malis clamat, et effugere conatur. Hoc ergo unum nobis deest, quod malis ferendis nec adsueti sumus nec exerciti. Sunt quaedam mala, quae omnino ferre nos convenit, quae tamen abiicimus: sunt rursus mala, quae omnino e medio tollere oportuit, quae ferimus, qualia sunt scelera. Sic in omnibus quae nostra est perversitas repugnantes nos divinae voluntati ostendimus.

Qui perdiderit animam suam.) Et haec consolatio est discipulorum ne mortis metu perculsi deficiant, sed constantes et intrepidi munus sibi commissum adgrediantur, contemptis omnibus huius vitae oblectamentis, contempta etiam vita.

Qui recipit iustum.) Mercedem iusti recipiet, hoc est mercedem recipiet ac si iustum ipsum excepisset. Imputat enim sibi factum deus quod suis feceris. Prima igitur missio duntaxat ad Iudaeos fuit, quibus praecipue promissus erat Christus. Deinde ut rudes adhuc discipuli primum apud suos exercerentur, ubi minus metuerent, minus erubescerent, a quibus etiam magis intelligerentur, donec exerciti postea recepto spiritu totum orbem pervagarent.

CAPUT XI.

In civitates eorum venit.) Id est in eas civitates ubi ipsi prius praedicaverant, non in quibus habitabant. Praemiserat enim eos ad omnem locum quo erat ipse venturus, ut quod ipsi praedicaverant, ipse facto praestaret. Adparet Ioannem diu fuisse captum, quod et Iosephus testatur, ductus ad turrim Stratonis, nimirum ut illic servaretur ne tumultus populi eum eripere posset.

Missis duobus discipulis.) Causam huius missionis talem fuisse constat, quod discipuli Ioannem Christo praeferebant, a qua opinione avelli vix poterant. Captus ergo Ioannes mittit eos ad Christum, ut coram miracula eius et virtutem videant, audiantque doctrinam eius.

Ite renunciate.) Benigne recipit rudes Christus, nec increpat, sed post visa miracula ad magistrum remittit ut referant quae viderant, quasi Ioanni mandaturus. Intelligendum vero relinquit eis, si Ioannis referat haec scire (nec enim propter Ioannem haec, sed ipsorum gratia dixerat), multo plus ipsorum. Ingenia modesta et ingenua disciplinam recipiunt, etiamsi alios increpare audiant. Ubi vero praefracta et dura sunt ingenia, minis est opus ac flagris. Caeteris ergo admonitis, et nos ipsos admonitos sciamus, ut semper cogitemus, ne et tu talis. Qui rationes et consilia contemnunt, qui increpationes spernunt, minas negligunt, exhortationes surda aure praetereunt, deplorati omnino sunt, apud quos nihil vel parum unquam proficitur. Discipuli vero Ioannis sic erant instituti a Ioanne, ut vel leni admonitione permoveri possent.

Pauperes laetum recipiunt evangelium.) Adflictis et moestis

consolatio et tranquillitas nunciatur, remissio videlicet peccatorum per Christum.

Et beatus qui non scanda.) Hoc verbo clam ferit discipulorum animos. Sanctitas enim Ioannis sic eorum oculos praestrinxerat, ut Christum Ioanne longe minorem existimarent, offensi humilitate et comitate Christi. Hic vero discimus severitatem et vitae sanctitatem non spectari debere, sed salutem per Christum. Nam Ioannes se minorem Christo confitetur, quum tamen Ioannes vitae austeritate Christum antecelleret. Salutem et iustitiam severitate vitae et propriis operibus metiebantur, propterea Christum et discipulos eius contemnebant (Sic hodie omnes ex externis iudicamus sanctitatem, et fallimur hypocrisi. Humana iustitia turgidi, Christo sunt offensi) hoc est, contemnebant Christum, neque tanti eum faciebant quanti debuerant. In Christo ergo offendi, est opera dei iuxta humanum sensum aestimare, nec plus de deo sentire quam capiat ratio. Potuisset laudare Ioannem in conspectu discipulorum; at hoc cessisset eis in maius scandalum in Christo, abeuntibus ergo illis laudare Ioannem incipit. Facile hominis authoritate nitimur, hinc sectae et factiones 1. Cor. 1. Gloriantur praeceptoribus suis discipuli, si quid praecellunt. Nos a Christo cognomen accepimus, et sumus discipuli Christi, siquidem fructibus professione hac dignis hoc ostenderimus. In hoc (inquit Christus) omnes cognoscent quod mei estis discipuli, si dilectionem inter vos mutuam habueritis, Ioan. 13. Quod ergo discipuli vocantur Ioannis, in hoc mox peccatur, hoc venenum est.

Existis in desertum.) Quid sit desertum, supra tertio capite patuit. Sensus est, ex urbe in agrum exivistis. Arundine inconstantiam significat, quasi dicat, An non tum inveniebatis virum constantem et veritatis tenacem? Num ad gloriam et delicias vestium respexit? Minime. Huiusmodi homines molliculi in aulis sunt regum et principum. Non sine naso hic regum mollitiem taxat, et Sardanapalicum luxum. Quemadmodum herbae nomina sua olim indita, virtutemque suam quam indidit deus semper retinent, retinebuntque in posterum, ita et virtutes ac vitia. Mollities semper fuit signum inconstantiae, ita et hodie. Magnopere aegrotat animus, qui tanta levitate manifestisque signis erumpit. Impotentia muliebri laborat, imo voluptatis servus est, qui annulis, sericis vestibus, auro, argento huiusmodique nugis se ostentat et venditat.

Videre prophetam.) Sed forte dicetis vos ad prophetam exivisse, ut audiretis eum. Dico ergo vobis, quod nimis humiliter de Ioanne sentitis, non satis eius dignitatem et authoritatem expendentes. Is enim est quem Malachias specialiter designat praecursorem fore servatoris et Messiae. Haec partim ad manifestationem Messiae pertinent, partim ad Iudaeorum caecitatem taxandam, qui quotidie scripturas legerent nec satis animadverterent, quid promittant, aut quid potissimum in illis spectari debeat. Observandum vero diligenter quid in Ioanne laudet Christus, non stemmata, non opes, non eruditionem (quae tamen magnipenduntur a multis, nec in Ioanne ista esse negat, ne quid desiderent), sed constantiam virtutem praecipuam, quum caeterae

virtutes sine constantia nihil sint. Ut sal omnes cibos condit et sapidos reddit, ita constantia omnes virtutes ad finem bonum perducit et consummat.

Non surrexit maior Ioanne.) Facit hic Christus quod docet Paulus, honore ut invicem praeveniamus, utque quisque alium sibi praeferat non se aliis. Non ergo seipsum commendat Christus, quum summus esset et caput omnium: in aliena enim laude versatur.

Qui minor.) Sic tegit verba ne sese laudare videatur, quum tamen se his verbis laudet, sed occultius. Et ad iudicium hominum format orationem. Christus enim pro minimo habebatur. Subiicit autem haec, ne quis Ioannem sibi praeferat a comparatione sese excipiens summa cum modestia, ne gloriae cupidus videri possit, interim quod factu opus est eis ostendens. Veritas erat omnino dicenda; hanc summa cum fide et modestia proponens docet vitare vanam gloriam. Sunt quibus alius placeat sensus, nempe, qui se infra Ioannem abiicit maior eo erit, sed prior videtur esse magis genuinus. Regnum coelorum pro his capitur, qui tum praedicabant et fidem amplexabantur.

A diebus Ioannis.) Et haec ad laudem Ioannis pertinent, partim tamen ad gentium vocationem. Ioannes limes erat, et omnes prophetae tempora ista futura praedixerant, in quibus gentes avide excepturae essent salvatorem, et perventurae ad dei unius cognitionem. Non quod Ioannes is sit, sed Christus, quem Ioannes praecurrit, ut viam illi paret, imo ut praesentem iam ostendat. Missus ergo Ioannes a deo, ut Christum salvatorem adesse praedicet, quem qui fuerint amplexi, vitam sint habituri perpetuam. Praedicatur autem Christus inter Iudaeos primum, deinde et inter gentes. Quo sermone Christus hoc significat, hactenus cessatum fuisse a prophetis, canes mutos fuisse. Deinde in futurum Christum figuris tantum praelusum fuisse. Iam vero quum Ioannes adsit, strenue praedicari regnum dei, ut multi convertantur ad veritatem, avideque adcurrant. Praedicante enim Ioanne ad Iordanem, catervatim populus magnoque desiderio adcurrit ad eum, deinde etiam ad Christum ipsum, qui cum authoritate docebat. Atque in ista re Ioannes laudem et partem suam habet, quum sit lucis huius testis etc. Regnum coelorum, id est, verbum dei, veritas, potenter et magna cum luce mundo ingeritur et proponitur, vitia et scelera strenue arguuntur. Ioannes ergo praecursor est et limes, quem ultra prophetae et lex non pertingunt, tametsi apostoli ceremoniis quibusdam legalibus ad tempus sint usi; at omnia ad idem tempus pertinent. Nam quod Christus et apostoli legalia quaedam observant, propter occasionem factum est, ut commodius evangelium propagaretur. Sub Ioanne vera iustificatio praedicata est, non iustificatio carnis aut ceremoniarum ritus: non enim docebat Ioannes holocausta offerre, aut externis observationibus deum demereri, sed vitam et mores mutare, studere innocentiae, et per fidem amplecti eum quem pater servatorem miserit mundo.

Et si vultis recipere ipse est Helias.) Haec in Malachia de Ioanne dicuntur, quibus angelus consonat quum patri dicit: Ipse praecedet eum in virtute et spiritu Heliae. Helias propheta erat omnium constantissimus, zelum habens dei et verae religionis; talis fuit et Ioannes, et hac ex causa Ioannem dicit esse Heliam Christus.

Sed cui assimilabo generationem hanc?) Duo exempla habet maxima quidem et praecipua populus Iudaicus, Ioannem qui vitae sanctitate et austeritate pharisaeos antecellit (vixit enim in deserto non in populi frequentia, ut si quem vitae austeritas delectat et movet, habeat quod amplectatur). Sed is me praedicat esse servatorem, quem tamen pharisaei non recipiunt. Me, qui comiter et humaniter hominibus convixi, ut si quos vitae facilitas et morum comitas delectaret, invenirent, quod arriperent, ut nihil usquam sit quod desiderent. Omnem ergo hypocrisim Christus per laudem Ioannis pudefacit. Quandoquidem Christus venerat, ut infirmos curaret, et misericordiam dei exhiberet mortalibus, comem vitam duxit inter homines, et omnino humanam, absque tamen peccato, ut exemplum haberemus humanae vitae, misericordis, beneficae. Duabus ergo viis reducere populum sceleratissimum statuit deus. Ioannem primum misit austerae vitae sectatorem, et is Christum testatur agnum esse dei qui tollat peccatum mundi: nec tamen ei credunt. Satisfecit ergo pharisaeis qui vitae austeritatem et sanctitatem simularunt, quibus Christus Ioannem profert, si quo modo eos movere possit, ut tanto testi fidem habeant. Verum ne quis hinc colligat, salutem esse sitam in vitae austeritate, aut externa sanctitate, Christum suum comem et facilem exhibuit hominibus; at neutri cedit contumax populus, utrumque egregie contemnit et reiicit.

Iustificata ergo est sapientia etc.) Divina sapientia iustificata est, id est, absoluta a filiis suis, Iudaeis nempe, iustificata est, id est, liberata est propriis ipsorum sententiis. Quum damnantur, suis conscientiis agnoscunt esse non iniquum, quum tot viis ducti et illecti obtemperare noluerint.

In quibus fuerant editae virtutes.) Virtutes hic pro miraculis poni existimo: per antonomasiam enim virtutes miracula vocantur, quod iis virtus dei maxime sit manifestata; deinde quod sola virtute dei sint facta. Huiusmodi miracula seu virtutes in civitatibus praedictis maxime operatus est, sed non crediderunt. Hic manifeste videmus miracula nihil prodesse, ubi perfidia est et incredulitas. Perfidia enim veritatem non recipit, utcunque manifeste offeratur et proponatur, quum tamen maxime pia videri velit hypocrisis. Innumera miracula edidit Christus in istis urbibus, in quibus exerta fuit divina virtus in Christo, sed nequicquam apud incredulos. Incredulitas subinde praetextum quaerit, et excusationem, adeoque occasionem obscurandae gloriae Christi. Hinc fit ut potius satanae hanc virtutem quidam adscribant. Ubicunque ergo veritas et virtus dei manifestatur, nec ab hominibus recipitur, signum est fidem abesse, nec deum habitare in illorum cordibus qui veritatem aversantur. Quod vero verbo dei repugnatur, hinc fit, quod veritas nostris affectibus obstat: hinc illae lachrymae, hinc tantae querelae. Quum pensionariis illis muneribus principum interdicitur, non secus terrentur, ac si pius satanae mentionem fieri audiret. Metuit uterque thesauro suo, quem maxime diligit, ac mox ut diripi hunc sibi sentit, clamat. Pii deum pro thesauro suo habent, super omnia dilectum; hunc ne prodant perdantve, omnia facere et pati parati sunt. Rursus impii mammona habent, vanam gloriam,

voluptates etc. et hunc thesaurum pedibus et manibus tuentur, et mordicus retinere student, nec sibi eripi patiuntur; quin contra eos, qui hoc tentant, velis et remis pugnant, eosque neci tradere satagunt. Tyrus et Sidon urbes maritimae sunt, quum maximae et populosae, tum propter negotiationes frequentes et hominum plurimorum confluxum plenae sceleribus et flagitiis, libidine, voluptate, deliciis, fastu etc.

Olim in sacco.) Saccus quid sit omnibus est notum linguis, sed hic in aliam significationem transsumitur, pro lugubri scilicet veste, quam alii aliter nominant, nos cilicium. Sic in cinere aut pulvere sedere, aut cinere aspersum esse, symbolice squalidum esse et moestum significat. Periphrasis sunt poenitentiae. His enim signis veteres se peccasse contra deum, et dolere de peccatis testabantur. Volumus enim etiam nostro iudicio videri peccasse et resipiscentiam meditari his externis, quae si ex vero corde fiunt, damnanda minime sunt; si vero sine vera cordis conversione, fucus sunt et hypocrisis. *Πάλαι* mature, temestive, iamdudum, Zeitlich, ernſtlich: nam sic utuntur hac voce Graecanici scriptores. His omnibus nihil aliud docet, quam ut ei loquenti obaudiamus, operantem advertamus, ad virtutis eius operationem moveamur, ni extremae culpae et poenae velimus esse obnoxii. Haec ergo summa est Christianae religionis, ut quoties loquitur dominus, eum audiamus, nec aures obturemus. Nam si loquentem neglexerimus, certissimum est argumentum nos incredulos esse, et deum a nobis abesse. Mox ut oculos a deo praelucente in nos conversi averterimus, nihil facimus quam errare, hallucinari, cadere, et vitiis servire. Nec tamen, quod multi non audiunt, aut ea abutuntur, veritas interim tacenda est. Vult enim nos, utcunque illi non audiant, exercere, et post crucem coronare ac gloriosos reddere. Ad magna ergo et ardua nos vocat, quae nobis in manum confert, quibus in rebus si cessatores fuerimus, non impune hoc feremus. Interim nihilominus ignavia nostra et ingratitudo proditur. Novit deus quid et quantum cuique imponat, quemadmodum praeceptor novit quid et quantum cuique puero praescribat. Quibus magna committit, hos vehementer vult exercere. Quos vero socordes novit et ignavos, iis parum aut nihil credit, ut in ignavia sua pereant. Stulti ergo nos si ambiverimus maiora, aut perfidi si commissa negligenter curaverimus. Qui virtutes meditatur, virtutibus delectatur et gaudet. Qui vitiis inhiat, vitiis oblectatur. Qui deum non habet, boni nihil unquam operabitur. Qui vero deum habent praesentem, quid boni illis deesse potest? Praeclare quidam Ethnicus: Cum hominibus sic vive, ac si praesens esset deus: cum deo sic loquere, ac si omnes audiant. Puderet te audientibus hominibus centum mille aureos petere. Haec timorem dei et reverentiam docent. Ad propositum autem! Posteaquam veritatem dei audierimus, virtutemque eius experti sumus, constantes simus et fortes in opere domini. Hoc si non fecerimus, certissimum argumentum est nos nec verbo dei fidem habere, nec credere deum esse.

Ad coelum exaltata.) Hyperbolica locutio est. Beata es dicta, fortunata et felix; ob miracula scilicet quae in te facta sunt, vehementer

es evecta, et supra modum laudata etc. Sic contrario sensu, depressa es ad inferos.

Confiteor tibi pater.) Haec ad discipulos posteaquam rediissent a praedicatione, in qua feliciter omnia ceciderant: expulerant enim daemonia et virtutes multas fecerant, unde et gloriabantur. Repetuntur autem haec verba per Epanodum. Nam superius increpitis Iudaeis se salvatorem esse ostenderat, quem non reciperent, suo iudicio se condemnantes, interim exempli vice Sodomam, Tyrum, et Sidonem subiiciens. Redit ergo iam ad id ut ostendat quantus sit, et quod deus hoc absconderit sapientibus huius mundi: parvulis vero et simplicibus hoc revelarit, et quod illi reiiciant ipsum, hi vero recipiant. Confiteor, id est agnosco, agoque gratias, praedico etc. Epanodum vero esse verba ipsa indicant: dicit enim, In illo tempore respondens etc. hoc est subiungens superioribus. Sic enim voce Ana Hebraei utuntur, etiam si nullus alius loquutus fuerit. Ana, asserere, testificari, respondere. Latinus diceret, Loquutus insuper: aut, Dixit item: repetiit autem etc. *Νήπιος*, Narr, find, toredt, ut Hebraeis est suum Naar.

Abscondisti sapientibus.) Praeter divinam sapientiam alia nulla est quae non ex hac derivetur. Sapientes ergo hic disputationis gratia vocat et pro more, astutulos et acuti ingenii homines qui mundum sapiunt: nam illi mundo sapientes dicuntur, qui corradendis pecuniis et lucris inhiant, perfidi, qui se ipsos amant, qui voluptatibus indulgent, terrena curant et sectantur etc. Huiusmodi homines doctrinam Christi non recipiunt: docet enim terrena contemnere. Christus ergo per sapientes non eos sapientes intelligit, qui ex deo sapiunt. Nam tales rerum divinarum sunt callentissimi. Vere sapiens omnia terrena animo transcendit, omnia potest vincere, omnia moderate ferre, omnia pericula et tela fortunae animo supergreditur, aeterna meditatur. Terrena sapientia et humana tenebras inducit non lucem. Quemadmodum coelum supra lunarem orbem purum est tranquillum et serenum, omnia quae infra sunt transcendens, etiam si infra sint tonitrua et fulgura: sic vere sapiens omnes procellas omnesque tempestates turbulentas transcendit. Neque tamen invidet Christus hisce sapientibus divina haec mysteria, sed quandoquidem videt mundi sapientes veritatem, quae tamen illis manifestatur, non recipere, simplices vero per patris spiritum attractos eam amplecti, gratias agit patri pro tanto munere. Nemo enim Christum servatorem agnoscit, quam is quem pater trahit et illustrat.

Omnia mihi tradita sunt.) Hic iam se eum esse ostendit, in cuius manu omnia posita sunt. Ne ergo metuamus homines, quum tam potentem habeamus dominum; at mundi sapientes hoc non credunt, nec se tanto regi subiiciunt.

Venite ad me omnes.) Omnia creata creatorem testimonio quodam agnoscunt et confitentur, at homo ad cognitionem et fruitionem summi boni super omnia creatus est, adeoque mente praeditus divina. Homini itaque prae caeteris se aperuit deus: imaginem enim suam ei impressit. Hinc in omnibus hominibus, etiam impiis, metus est dei. Unde enim est quod metu poenae impii percelluntur? Hinc nimirum quod sciunt deum esse malorum vindicem. Nam tametsi ho-

mines latere et impune scelus designare possent, conscientia tamen intus clamat, deum iustum esse qui peccatum inultum non sinat. Haec nota impressa menti humanae a deo (Gentes a Natura dicunt, intelligunt autem per naturam deum authorem naturae; sacrae literae Imaginem dei, gentes Informationem adpellant) Cicero in primo lib. de natura informationem vocat notionem a natura animo inpressam, hoc est, praenotionem et *πρόληψιν*, quasi praescriptam notitiam et anticipatam. Quae enim (inquit ille) gens, aut quod genus hominum, quod non habeat sine doctrina anticipationem quandam deorum, quam appellat *πρόληψιν* Epicurus, id est anteceptam animo rei quandam informationem, sine qua nec intelligi quidquam nec disputari possit etc. Quandoquidem igitur ex innata hac seu imagine seu praenotione ac praesensione dei metus dei in omnium animis concipitur, consequens est, ut desperabundi omnes mortales concidant, quum se aeterna poena et damnatione ex iusto dei iudicio dignos videant: nam omnes sunt peccatores, impotentes qui sese tam gravi casu evolvant ac explicent. Huic infirmitati succurrere volens misericors deus, misit nobis filium suum unigenitum, quem nobis donavit et communem fecit, sese in illo nobis communicans. Neque tamen in ea natura quae impassibilis esset, quemadmodum olim Abrahae caeterisque patribus adparuit; quin naturam nostram imbecillem atque infirmam, simulque omnes naturae nostrae necessitates (excepto peccato) in se suscipiens, factus est homo mortalis. Nec in pueritia obire voluit mortem, aut brevi duntaxat hic tempore degere, sed annis multis nobiscum in terris versari, et omnes infirmitates nostras experiri. Non enim vitam egit voluptuosam ut solent mortales, sed omnibus malis propter nos obnoxius, crudelissima et probrosissima tandem morte cum sceleratis reputatus, vitam finivit. Sic patri obediens ad mortem usque, nostri gratia sese ad abiectissima quaeque deiecit, ut ostenderet quanta nos charitate complecteretur. Qua in re iustitiam suam simulque misericordiam suam ineffabilem nobis declaravit deus. Misericordiam, quod proprium et unigenitum filium suum nobis dat, quo non est excellentius et preciosum magis neque in coelo neque in terra, simulque cum eo omnia: quid enim negabit, qui filium dedit? Iustitiam vero, quod peccatum non sinit inultum, nec proprio filio suo parcit, sed pro nobis omnibus in mortem tradit illum, omnia totius mundi peccata in eum conjiciens et in eo expians. Is in crucem suffixus omnes metu peccati et damnationis perculsos ad se vocat, dicens, Venite ad me etc. Solus enim Christus desperabundas et anxias conscientias consolatur et erigit, aestum animi extinguit et pacem ac tranquillitatem praestat. Hoc vero tum fit, quum vera fide Christum arripimus servatorem nostrum et pignus gratiae divinae, per quem in numerum filiorum dei cooptati, et ab aeterna morte redempti sumus. Nemo tranquillus in conscientia sua unquam erit, donec certa fiducia concepta, indubitata fide se in misericordiam dei, quam nobis in filio exhibuit, contulerit. Quomodo enim de paterna in se benevolentia dubitare potest, qui filium sibi a deo datum certo crediderit?

Tollite iugum meum.) Iugum Christi nihil aliud est, quam voluntati dei et innocentiae studere. Qui divitiis corradendis inhiant,

qui voluptatibus indulgent, qui affectibus inserviunt, gravissimum iugum ferunt. Qui vero Christo serviunt, leve onus gestant. Quantumvis enim foris adfligantur et persequutionibus exagitentur, intus tamen mirabili gaudio perfusi, laeto et constanti animo omnia propter deum perferunt, scientes se sic placere domino. Haec autem verba sunt ex fonte misericordiae dei. Quum enim videamus et experti simus, quod deus nostrae infirmitati succurrit, idque per multos labores et mortem filii sui dilectissimi: an non iam dignum est, ut nos propter nomen suum parati simus omnia ferre? Vult ergo, quod quemadmodum ipse unigenitum suum propter nos omnibus malis exposuit, ut divinae eius iustitiae satis fieret, omniaque propter nos obedienter tulit, ut nos quoque crucem nostram iugum scilicet domini magno et infracto animo feramus, discamusque ab eo, quod sicut ipse omnia nostri gratia tulit, ita et nos omnia propter ipsius gloriam iustitiam et veritatem, propterque proximum feramus, alter alterius onera portemus etc.

Et invenietis requiem.) Si quemadmodum ego omnia propter vos feci, vos quoque ob gloriam dei et proximi facere et pati prompti fueritis, tranquillitatem et pacem conscientiis vestris invenietis.

CAPUT XII.

Ibat Iesus in sabbatis per segetes etc.) In lege exemplum est eius qui lapidabatur, quod sabbatum lignorum collectione violasset. Tam firmum et sacrosanctum erat apud eos sabbatum. At populus Iudaicus non observabat cur tam anxie sabbati observationem praecepisset deus, non tam spiritum quam corticem legis spectantes. Pharisaei ergo et sacerdotes prae caeteris Christo infesti, in hoc intentissimi fuerunt, ut Christum deprehenderent, si usquam sabbatum violaret, causam se sufficientem nactos putantes, ut neci eum darent. Odiosissimum enim erat omni populo siquis sabbatum violasset. Sabbati observatio in hoc a deo tam diligenter inculcatur, ut a vitiis cessemus et quiescamus, pedemque a malo revocemus, Ies. 58; utque vacemus rei divinae, nempe legis lectioni, verbo dei, gratiarum actioni, orationibus, memorandis beneficiis divinis. Postremo nostri rationem habens deus, et requiem fessis corporibus instituit (qua ratione et nox creata est in usum hominum): quod enim caret alterna requie durabile non est. Quum venisset Christus, qui in hoc missus erat, ut legis umbras discuteret, et a fiducia operum legalium in dei fiduciam mentes abduceret, imo ut legis spiritum explicaret atque donaret, ostendit suos externis hisce nihil esse ligatos, quae carnali olim populo paedagogi vice tradita fuerant. Nam nec internis legis operibus unquam satisfacimus, ut impotentia nostra semper sit coram iudicio divino damnationi obnoxia. Quam ob causam a iure legis absolvit nos dominus, multo magis a lege externarum traditionum nos liberavit. Quo nimirum indicatur, quandoquidem interna lex iustificare nos non potuit, multo minus externa haec posse.

Coeperunt vellere spicas et comedere.) Notatur hic frugalitas Christi et discipulorum eius, taxanturque voluptates et deliciae nostrae, quibus toti immersi iam sumus, non contenti devorasse praecipua, nisi

et reliqua pedibus conculcemus. Ezech. 34. Iudaei sabbatum tunc sanctificatum existimabant, si ab externo opere quis cessaret et abstineret; Christus vero hanc opinionem taxans, aliam docet esse rationem sabbati sanctificandi, et discipulos suos nihil peccasse exemplo Davidis ostendit. 1. Reg. 21. Hoc ergo exemplo docet Christus omnia externa in nostra esse potestate, omnia servire nostrae necessitati. Et interpretatio legis etiam lege vigente adhuc admittitur, legemque moderatur. Peccant ergo Antichristi ministri qui post abolitam legem gravioribus legibus Christi fideles adstringunt et onerant. Omnia in usum fidelium creata sunt a domino, ut illis cum gratiarum actione utantur. Haec dum vetat Papa, non solum contumeliam Christo facit, sed et gratiarum actionem, quae deo a fidelibus in omnibus fieri deberet, minuit. Alterum exemplum a sacerdotibus veteris testamenti sumptum est, qui sabbatorum die sacris operabantur, idque magno negotio et labore; neque tamen sabbatum violabant aut profanabant. Argumentum Christi sic habet: Si sub lege necessitati hominum sine violatione sabbati operibus externis licuit servire, quanto id magis iam licet, quum ego qui maior sum templo adsum et legem aboleverim? Si templum corporale tanti fuit, ut ob illius cultum violari sabbatum licuerit, magis ob me qui multo superior sum templo hoc. Nos Christiani in vero templo sumus, nempe in Christo. Christus nostrum templum est; quemadmodum olim in templo Iudaei sanctitatem et gratiam quaerebant et inveniebant, sic hodie nos omnem sanctitatem et gratiam in Christo habemus.

Misericordiam volo et non sacr.) Reiicit sacrificia dum maxime illis uterentur sacerdotes; quanto magis nunc, quum Christus sit nostrum sacrificium deo gratissimum? Deo enim nihil magis placet, quam misericordia et beneficentia in pauperes.

Dominus est filius hominis, etiam sabbati.) Quum Christus filius hominis propter nos factus, dominus sit sabbati, constituit et nos dominos sabbati. Nam dum noster est, omnia sua quoque nostra sunt, ipse caput, nos membra, communicamur ergo bonis eius. Christus hic non se excusat sed discipulos. In quo hoc discimus, quandoquidem Christus in se omnes excusat, omnes nos in ipso esse dominos sabbati. Hic est imperscrutabilis divinae bonitatis thesaurus, quod nos omnes in filio suo suscepit. Nam et nos filii dei sumus, tametsi ipse naturalis sit filius et aeternus, nos adoptivi. Quod ergo hac in parte Christo licet, et nobis licet.

Venit in synagogam.) Hoc factum est secundo sabbato aut altero, quod Lucas deuteroproton vocat. Est aut deuteroproton aut secundoprimum sabbatum (ut mihi quidem videtur), quum duae feriae sibi mutuo sine medio sequuntur. Priori ergo sabbato discipuli spicas evulserunt, sequenti praesens miraculum a Christo factum est in synagoga, ut patet ex Luca. Saepe autem synagogas eorum ingreditur, ne calumniam ei struerent quod simplici plebeculae in angulis praedicans imponeret. Ingreditur ergo in eorum conciones, doctos eorum convincit: neque enim lucem fugit veritas. Contrarium faciunt hodie Catabaptistae, qui sollennes conventus horrent et aversantur, in angulis stultis mulierculis clam praedicationem instituunt.

Extende manum tuam.) Vocavit eum, et in medio statuit, ut Marcus habet. Quoniam enim deus erat, vidit quid peteret cor infirmi. Novit deinde cor pharisaeorum. In hoc discimus, prophetae officium esse, ut palam in concione dolum, perfidiam et iniustitiam omnem arguat et traducat. Deinde simul salutem et veritatem populo proponat, ut utrumque hominibus notum et manifestum fiat, illud ut fugiant, hoc ut amplectantur; ut veritas et iustitia rursus emergat, plantetur, et fructum edat, adeoque gloria dei propagetur passim, scelera aboleantur et extirpentur. Quum ergo ministri sic gnaviter et strenue veritatem in medium ponunt, fit ut filii dei salutis cupidi veritatem amplectantur, utcunque reprobi eam reiiciant et persequantur. Quemadmodum hic videmus Christum nosse quid mali hunc premat, quod sit eius votum, eumque ex omni turba evocat, et sanat: sic omnium hominum vota novit et pervidet. Scit quae nos mala premant, scit an ipsum solum invocemus, quidque ab eo postulemus, desideria cordis nostri perspecta sunt ei, conscientiae nostrae illi patent. Nec tamen mox quum in medium sistitur, sanus est, sed tum tandem quum divina virtus dicit, Extende manum tuam: sic homines non statim fideles sunt, quum minister verbi scelera traducit, et veritatem proponit, donec spiritus dei mentes eorum illustraverit.

Pharisaei consilium ceperunt adversus eum.) Consultant de eo interficiendo, nimirum arbitrantes se causae satis habere, quod sabbatum profanasset, id sibi persuadentes, si Christum interfecerint, res eorum in vado esse, neminemque fore, qui eorum scelera porro attingat (hoc ingenium est carnis). At longe errant. Nam quanto ipsi magis veritatem extinguere conantur, tanto luculentius emergit. Sic et hodie videmus.

Iesus secessit illinc.) Fugit persequutionem Christus, qui, dum tempus est, ultro morti occurrit. Discant hic ministri veritatis hoc idem facere, si gloria dei, si charitas et salus proximi suadet. Spiritus omnia suggeret.

Hic quaedam per digressionem interposuit, quae nostris temporibus et moribus conveniebant maxime.

Unde fit, quod hodie omnia in summa sint consceleratione, quod iniustitia regnet, et veritas iaceat neglecta et oppressa, doli, fraudes, mendacia, torrentis in morem omnia vastent ac perdant? Natura quadam omnes animantes mutuo sese voce cognoscunt; neque id de genere duntaxat dictum esse accipias, sed de singulis speciebus. Agnus foetus sui vocem, etiam si inter mille clamet, mox cognoscit et adcurrit, neque id solum, sed et novit quid hac voce sibi velit. Formicae et apes etiam si voce careant, sono tamen quodam sese norunt, et ordinem ac politiam quandam habent, ac talem ut homines plerumque vincant. De hominibus iam dicam: Mater filii clamantis vocem audit, at nescit quid petat, quo egeat: saepe alimentum praebet, quum potum postulet. Sermone ergo deus summus opifex homines donavit, quo alter in alterum sensa et mentem quasi transfunderet. Hoc infundibulum, quo mentem nostram aliis manifestamus, si vitiatum fuerit, et mendaciis corruptum,

nihil integrum in vita hominum remanet. Quod proh dolor hoc saeculo frequentissimum est. Ubi enim ignem quis ostenderit, aquam reperies. Hinc consceleratio tanta invaluit et totum mundum occupavit, quod quisque mentitur proximo suo. Hinc tot mala, tot adflictiones et calamitates. Hinc fit ut in ipsa meridie et clarissima luce veluti caeci palpemus. Neque excusationem praetendere possumus, ut olim, quum ex ignorantia quid liquido esset in causa ignorabamus. Lux in medium posita est, splendor eius totum orbem percurrit. Rursus doli et fraudes, impiorum insidiae, quas contra veritatem parant, in propatulo sunt. Sed de industria caecutimus et dissimulamus, imo videre nolumus, punire cunctamur, defendimus impios, patrocinamur illis, fovemus eos, et sponte exitium nostrum accersimus. Sed fugam Christi praeteximus, indulgentiam eius ac clementiam in peccatores. Quod in magnis istis sceleribus et impietatibus, quae in contumeliam gloriae dei, veritatis iacturam, et reipublicae Christianae extremam perniciem vergunt, fieri non conveniebat. Hic enim fugiendum minime est ubi gloria dei et salus reipublicae periclitatur. Sed ignaviae nostrae et molliciei praetextum quaerimus, et quum simus intus corrupti et charitate dei vacui, charitatem tamen ubique praetendimus et morbum dissimulamus. Exempli causa: Sint centum viri, qui trahant trabem aliquam praegrandem! hi si alacres fuerint et spontanei, sine negotio opus conficient. Quod si inter illos herniosi aliquot fuerint aut rupti, aut morbo aliquo occulto laborantes, strenue quidem in speciem molientur, at nihil promovebunt. Et tamen interim omnes videri volunt strenue laborasse, quum pauci sint qui robur exerant et vere trahant. Hoc dum fit, videmus cessare opus; rationem tamen interim cur cesset ignoramus, quum hi qui maxime languent, morbos suos dissimulant. Causam aliquam subesse scimus, causam tamen ipsam quae et cuius sit nescimus. Non secus hodie fit in vindicanda religione veri dei, in asserenda iustitia et veritate, in moderanda republica. Indicantur comitia, convocantur concilia, coit senatus. Nec dubium est multa posse eos qui conveniunt et de rebus istis consultant; si tam strenui omnes essent et gnavi, quam videri omnes volunt. At quum interim videmus tot comitiis et conventibus nihil effici, veritatem et iustitiam nihil promoveri, scelera et flagitia impune grassari, quis dubitat plerosque inter illos infirmos, languidos et corruptos esse, utcunque fortes se et strenuos simulent? Sed morbus iste latens re ipsa se prodit, certis argumentis et notis manifestus fit. Huic corruptioni nihilominus speciem pietatis et charitatis obducimus, quidquid usquam in doctrina Christi de charitate, de remittendis noxis, de patientia, de parcendo proditum est, ad praetextum nostrae ignaviae et socordiae arripientes. Perit interim nobis omnis virtus, veritas, iustitia, religio. Nihil ergo cedendum dum religionis et iustitiae negotium agitur, dum iactura veritatis imminet, sed usque in mortem fortiter perstandum.

Interminatus est illis ne se manifestum facerent.) Increpare pro vetare Hebraeis non raro accipitur. Iussit ne se manifestum facerent ubinam esset: nam concilium coeperant eum occidendi. Potest esse et alius sensus et forte magis genuinus. Vetuit ne cui haec dicerent,

ut doceat nos in operibus dei fugere vanam gloriam. Nam alioqui fieri non potuit, ut vetaret ne opera dei innotescerent, aut quod hi qui curati erant ab eo non fierent hominibus manifesti. Palam enim factum est cunctis, quod qui prius caeci fuerant, iam viderent etc. Iactationem ergo in donis dei vitare docet.

Ecce filius meus.) Post reiectionem idololatriae et superstitionis, deus per prophetam filium suum promittit, qui verum cultum dei sit instauraturus, et omnia iuxta regulam veritatis atque iustitiae directurus. Servus autem vocatur filius dei propter missionem et officium, et propter naturam carnis assumptam. Significat ergo propheta filium dei futurum in forma servi propter nos, in quo tamen pater placari velit. Quasi diceret: Si quid condo, per ipsum condo; si quid condono et remitto, per illum condono et remitto; omnia per ipsum ago et facio. Facit autem deus omnia per se ipsum, ergo Christus est deus. Interim ostendit etiam naturam et ingenium spiritus dei. Ubicunque enim haec sunt, spiritum Christi adesse necesse est.

Dabo eum spiritu.) Haec iuxta naturam humanam sunt intelligenda: nam iuxta divinam naturam est ipse spiritus. In nobis non est spiritus personalis ut in Christo.

Iudicium gentibus.) Si aequum et iustum est inter nos, signum est advenisse Christum, et spiritum eius in nobis esse.

Non clamabit.) Tametsi voces sumus clamantes in deserto Ies. 40: attamen clamor noster non talis est, qui ex ferocia carnis et temeritate prodeat. Qui ad iustitiam et vitae sanctitatem, ad scelerum vindicationem clamant, non clamatores aut clamosi dici debent, sed hi potius, qui contra veritatem clamant, et imperiose ferociunt. Significat ergo mititatem et mansuetudinem Christi, cuius vox tam sit placida futura, ut non more impetuosorum hominum in plateis sit clamaturus. Non clamabit nisi in loco et tempore. Dum opus erit clamore, non tacebit. Er wirt nit hochpöchig ſin.

Arundinem.) Compatietur nostris infirmitatibus, infirmam fidem non extinguet, sed fovebit: non premet nos potentia sua, sed humaniter suscipiet.

Donec eiiciat.) Pronunciabit iustum et aequum, omnia summa veritate et fide transiget, donec ad finem iustitiam perducat.

Et in nomine illius gent.) Haec ad vocationem gentium pertinent, quae per Christum etiam erant congregandae et salvandae. Prophetia autem praecipue huc spectat. Evangelista autem ostendit cur Christus pharisaeorum invidiam declinarit. Quasi diceret: Tametsi deus erat Christus, et totius mundi conditor et redemptor, ut iure potuerit se de inimicis suis et perfidis pharisaeis ulcisci, mansuetudine tamen et fuga eos superare, et eis pro tempore cedere voluit. Qui vero iam fugit, suo tempore morti obviam it, et ultro se offert. Qui iam parcit, postea funditus eos perdit et extirpat.

Eiecit daemonium.) Vis daemonis maior est quam sit omnium hominum, dei autem virtus potest vim diaboli ab homine abarcere; ergo maior est virtus dei quam daemonis. Nec vim ullam habet satan in homines, nisi quantum ei deus permittit. Vide quam omnipotentem

et fortem habeamus deum. Et si omnia percurreris, reperies semper bonum fortius esse malo, et quod virtus vitium superat. Sapientia (inquit ille) vincit malitiam. Quandocunque enim crevit malitia ad summum usque, divina virtus semper superior evasit, et malitiam excidit. Haec fere natura est dei, ut inundante malitia potentiam suam exerat. Sic quum Amorrhaeorum impietas eousque creverat, ut ferendo amplius non esset, tandem post plures annos expulit eos, et alium populum induxit. Sic divina virtus vim satanae expellit, quae opprimere ac regnare non potest, nisi divina virtus permiserit. Nemo ergo tantopere a daemone obsessus fuerit, quin, si deum invocet, liberari possit. Quum igitur videamus satanae artes iam maxime vigere, et eius membra insidias evangelio struere, sceleribusque omnibus abundare, cur cessamus? cur non ad dominum pro liberatione adcurrimus et ardenter oramus? cur non ope sua et virtute daemonis artes expelli petimus? Bellum perpetuum nobis est cum principe huius mundi. In bellis consilia prosunt. Quemadmodum faber ferrarius nihil operari potest, nisi vigilet et malleo omnes ictus moderetur, prout usus postulat: sic bellum malleus est, consilium autem malleum moderatur. Vigilandum omnino est, et in fide standum contra adversarium, neque unquam statio deserenda. Qui affectibus serviunt et occupantur, periculosius sunt obsessi, quam si corpus vexaret daemon. Qui enim corpore obsidentur, illis saepe illaesus manet animus; qui vero in animis obsidentur, gravius laborant, et nisi dominus succurrat damnantur. Si ergo obsessos corpore horremus et fugimus, cur non etiam sceleratos et palam impios?

Num hic est ille filius David?) Christum aut Messiam filium fore Davidis, iam confessum erat apud Iudaeos. Nam hoc divina vox promiserat. David enim rex bonus promissionem a domino acceperat semen ex eo proditurum, per quod salus parata esset omnibus gentibus. Sensus ergo est: Quandoquidem is daemonia eiicit, nimirum is est, quem deus ex Davide salvatorem nobis promisit deus. Qui ex affectibus moti quid incipiunt, defervescente affectu remittunt et languescunt; qui vero ex amore iustitiae et gloriae dei, ex fide et charitate impulsi agunt, non cessant, sed constanter pergunt donec propositum efficiant. Turbis placuit factum Christi, ideo laudant et deum glorificant, pharisaei vero calumniantur et daemoni adscribunt. Sic et hodie fit: quicunque vere credunt et Christi sunt, magno gaudio verbum dei audiunt, et recipiunt ardentissimo pectore quidquid divinum est. Qui autem non vere credunt, mox audita veritate calumniantur, licet sub praetextu veritatis et iustitiae. Tantam vim habet iustitia et veritas, ut malitiam suam sub his ingerant impii. Tantae authoritatis et reverentiae iustitiam et veritatem esse sciunt, ut non dubitent suas imposturas sub illarum veste et specie perrupturas. Atque sic nolentes etiam contra se veritati et iustitiae testimonium ferunt impii, suis ipsorum conscientiis convicti et condemnati. Foris dicunt: In Beelzebub principe daemoniorum eiicit daemonia; intus tamen in conscientiis suis convicti sunt haec fieri virtute divina, sed dolor et invidia has voces extorquet.

Propterea ipsi iudicabunt de vobis.) Hoc est, iudicium quo vos iudicabimini, ex iniuria elucebit, qua me et meos afficitis. Nam

omne iudicium est filii dei Christi. Sed videbunt omnes impii sese digne condemnatos, suisque ipsorum conscientiis hoc fatebuntur, qui hic dissimulant et premunt, quod intus agnoscunt. Virtute ergo hyppallages haec intelligenda sunt, iudices vestri erunt, id est, vos iudicabimini illorum comparatione.

Alioqui quomodo etc.) Stabit regnum eius? Ex re ipsa arguit: Ubi imperium est, ibi est superior et inferior: si daemon se ipsum expellit, imperium nullum habet. Deinde calumniamini meum factum; filiorum vestrorum facta non accusatis. Relinquitur ergo, ut vos sitis iudicati. Et consequens est, me haec virtute dei facere. Hinc luce clarius est, me eum esse qui regnum dei venerim plantare in mundo. Cur ergo me non recipitis? quum adsim inter vos in hoc, ut erigam regnum dei in vobis. Adsum salvator ille mundi qui regnum Israelis sum instauraturus. Ubicunque veritas recipitur: illic erigitur regnum dei, illic virtus Christi satanam expellere incipit. Quum igitur filii vestri me recipiunt, et virtute mea daemones eiiciunt, an non signum certum habetis inter vos venisse regnum dei, si modo reciperetis? Regnum dei est ubi daemon cedit, et veritas reviviscit, ubi virtus dei exeritur, ubi virtutes divinas et iustitiam florere videmus, pacem, humilitatem, obedientiam, mansuetudinem, charitatem etc.

Quomodo potest aliquis.) Alio simili idem probat se virtute propria, hoc est, divina eiicere daemonia. Videmus in humanis rebus sic natura esse comparatum, ut nemo alium vincere aut expellere possit, nisi sit illo fortior. Quum ergo videtis me daemonia eiicere, cur non intelligitis me daemone superiorem esse? Hinc discimus quantum habeamus imperatorem et ducem, quam praepotens caput Christum qui omni virtute superior est. Sic 1. Ioan. 4.

Vasa eius.) Vasa dicuntur instrumenta, arma, suppellex, more Hebraico. Quasi diceret: Non secus ego satanam in manu mea habeo, quem capere et vincere possum, spolia diripere, hunc quem possederat liberare, et ab eius violentia et tyrannide adserere.

Qui non est mecum.) Medium non reliquit: aut colligere oportet cum Christo, aut dispergere cum satana. Qui spiritum meum habet, qui ingenio meo praeditus est, efficaciter operatur et fidem operibus exerit: neque enim spiritus et fides ignava aut otiosa res est. Qui charitate dei praediti sunt, ignis in morem inardescunt. Hic excluditur omnis hypocrisis, contra eos qui nec calidi sunt nec frigidi, sed tepidi: illi enim evomuntur a domino. Tracta autem est metaphora a messis tempore, ubi omnes currunt et colligunt futuram tempestatem metuentes: qui hoc non faciunt, si quid perit aut dispergitur, culpa eorum perditur. Sic in negotiis divinis, qui bonum non promovet, malum promoveat necesse est. Sic Gregorius dicebat: In via dei stare, retrogredi est. Hac ergo sententia admonet Christus vehementer, et simul eorum malitiam protrahit. Quasi diceret: Multi sunt inter vos qui omnia dissimulant, neutri parti adhaerentes et mussitantes. Sed si vere essetis discipuli mei, si vere crederetis mihi, adiungeretis vos plebi, et confiteremini me virtute dei eiecisse daemonium, ageretisque pro tam

immenso beneficio gratias deo; aut palam iungeretis vos alteri parti, qui factum meum calumniantur et daemoni adscribunt. At quia dissimulatis, certissimum signum est, vos mecum non esse, nec mecum colligere, sed dispergere potius, adhaeretis calumniatoribus meis utcunque dissimuletis. Sunt multi leves et cito mobiles seu inconstantes ac tepidi, non malitia, sed inertia. Rursus sunt inconstantes plerique ex malitia potius quam ex ignorantia aut inscitia. Volunt quidam gnavi, strenui et constantes esse, sed tam inertes sunt ut nesciant quibus in rebus consistat vera constantia, nec tantum operae impendunt ut intelligant. In ampliando regnum Christi, si quos videmus gnavos et alacres adcurrere, et mutuis auxiliis se iungere, signum est eos esse filios dei. Ubi vero dissimulant homines aut consistunt, ubi deest ardor et studium propagandi regni Christi, metus est ne cupiant regnum satanae instauratum.

Propterea dico vobis, omne peccatum.) Posteaquam manifestis argumentis ostendit eis eiecisse se daemonium maiori virtute quam sit daemonis, indicat iam quam graviter peccent ipsi non credendo ei, et factum eius calumniando. Intelligit autem per spiritum deitatem, per filium hominis humanitatem. Magna vero consolatio haec est adflictis conscientiis, quod omne peccatum remittitur; nullum esse tam grave peccatum quod non veniam inveniat apud deum, modo doleat peccasse et deum offendisse, sit amor et sitis iustitiae. Nam quomodo remitti potest illis quibus peccatum arridet, iustitia displicet? Haec ergo consolatio, quod omne peccatum remittatur hominibus, illis proponitur et promittitur, qui peccatorum suorum magnitudinem et multitudinem agnoscunt, qui dolent, qui oderunt et fugiunt peccata, qui peccatum abiicere student, et operam dant ut iustitiae et innocentiae serviant, qui in timore dei ambulant, et sollicite coram deo versantur, curantes ne posthac rursum peccent. Relinquunt enim scelera et peccata quiddam post se quod ad recidivum allicit, saepe redeunt tentando et titillando animum. Maior ergo cura adhibenda his qui ceciderunt. Hoc vero in primis nobis dolere debet, quod summum et aeternum bonum offendimus, et carni plusquam spiritui obtemperavimus. Spiritus per antonomasiam pro divino spiritu hic ponitur, id est, pro virtute et potentia, sicut quum dicimus Apostolum pro Paulo, Poëtam pro Vergilio. Spiritus, id est, ipsa deitas, aut deus ipse. Obiicis: Omnia peccata sunt contra deum. Nam deus est legislator, et qui legem contemnit, etiam deum ipsum legislatorem contemnit, videtur ergo nulla venia speranda. Responsio: Christus suis verbis unum duntaxat peccatum excipit, quod non remittatur, caetera omnia remitti affirmat. Christus virtutem suam divinam tam manifeste in hoc miraculo prodiderat, ut nemo sanae mentis alii attribuere posset, quod plebs confitetur et agnoscit. Quum ergo pharisaei hoc calumniantur et daemoni adscribunt, peccant in spiritum sanctum. Peccare ergo in spiritum sanctum (ut hinc colligi potest) est divinae virtuti, potentiae, veritati agnitae et manifestae obstare ac repugnare, aut eam calumniari et blasphemare, atque in hac blasphemia perseverare, et ex destinata malitia non ex infirmitate aut ignorantia peccare, nec redire aut resipiscere. Qui deum vere timent

et amant, mox ut veritatem audiunt exhilarantur, et obviis manibus eam recipiunt, a quocunque tandem dicatur aut praedicetur. Qui hoc non facit, prodit se atheon esse. Fidelis cedit veritati, nec pertinaciter reluctatur. Non ergo derogemus fidem huic quem deum esse novimus, quemadmodum Iudaei fecerunt, qui vim divinam satanae adscribunt, et veritatem mendacium esse calumniantur, et emergentem veritatem opprimere et extinguere conati sunt. Ergo post quadraginta annos miserabiliter excisi sunt, non ob hoc tantum, quod hominem Christum cruci suffixissent (nam hoc remitti potuit) sed quod virtutem divinam in Christo blasphemassent, et in incredulitate sua perdurassent.

Quicunque verbum dixerit.) Dicere hic generaliter capitur, pro loqui, meditari, cogitare, statuere aut facere: nam Hebraeis latae significationis est דבר. Mox ut peccatum displicet et dolet, cum proposito resipiscendi et ad deum redeundi, non est peccatum in spiritum sanctum. Nam displicentia dolor et agnitio seu confessio peccati ex deo est. Si dolet homo de peccato, per fidem dolet; fides ex spiritu dei est: non ergo potest peccare in spiritum sanctum. Perseverare in peccato, non credere in Christum, impoenitentem esse, peccatum est in spiritum sanctum.

Neque hic neque in futuro.) Qui purgatorium hinc colligunt et firmant, paralogismum admittunt. Nam non sequitur: Is neque die, neque nocte quiescit, ergo nocte quiescit; sed sic: Is neque die neque nocte quietem habet, ergo nunquam habet quietem. Partes ergo temporis omnes sufficienti divisione complectitur.

Aut facite arborem.) Quasi diceret: Impingitis mihi quod haec faciam virtute daemonis, sed longe erratis. Quomodo enim arbor mala fructus bonos ferret? aut cur fructus istiusmodi bonos et utiles arbori malae tribuitis? aut arborem quae fert bonos fructus qua fronte malam dicitis? Comparate iam me et vos, Cui benefacitis vos? Vos deglubitis et spoliatis pauperes, viduarum domos devoratis, docetis offerre in templa, parentes fraudare. Ego contra omnibus benefacio, nemo venit ad me, qui spe sua frustratus abeat, nemo qui non singulari quodam beneficio a me afficiatur, omnes aegrotos sano corpore et animo, cibo famelicos, errantes doceo veritatem etc. An ergo non manifesta est malitia et perfidia vestra? quae fidem et dexteritatem meam ferre haudquaquam potest. Quidquid agitis et dicitis, in blasphemiam virtutis et veritatis divinae cedit. Hic discimus et nos malas arbores esse, si bonos fructus non ferimus, quidquid tandem de deo garriamus. Fructus vero fidelium non sunt praecoces aut praematuri, non temporarii, qui ad tempus tantum durent, et deinde decidui pereant, sed boni, firmi, et perpetui: habent enim radicem bene firmatam. Putres arbores et ipsae fructus praebent, sed putres et temporarios. Quae radicem altam non habent, sole exoriente arescunt, ut Christus infra 13. capite docet. Sic Paulus Ephes. 2. orat flexis ad deum genubus, ut det nobis iuxta divitias gloriae suae, ut fortitudine corroboremur per spiritum suum in interno homine, ut inhabitet Christus per fidem in cordibus nostris, fixis in charitate radicibus, et fundamento iacto assequi valeamus etc. Quae in mineralibus in superficie adparent, non sunt aurum aut argentum:

illa enim penitius latent, et magno labore eruuntur ex venis terrae. Piorum corda ita confirmata sunt in domino, ut nunquam dimoveri ab hac petra possint. Ex fructibus ergo arbor cognoscitur, ut supra quoque docuit Christus. Sed interim hoc observandum, quales sint fructus, quam diuturni, quam boni, quam perpetui et duri. Hic saepe fallimur. Hypocrisis enim altum et profundum malum est, et nos fere iudicio caremus. At spiritualis omnia diiudicat. Non species externa spectanda est, sed penitus introspiciendum.

Progenies viperarum.) Periphrasis est viperarum, Germanice dicimus: Du nater, oder, jr nateren, in qua lingua magnum habet contemptum, et acerbissimam increpationem. Dure semper increpitat dominus pharisaeos venenosum genus hominum. Venenata animalia venenum gerunt, quaedam in cauda, quaedam in lingua, quaedam in toto corpore etc. Sic hypocritae saepe in cauda gerunt venenum, diu operientes tandem effundunt. Alii palam evomunt venenum, et saepe sumus tota vita venenati et infecti. Quum homo aliud loquitur, quam corde sentit, venenum est. Nam (ut supra diximus) homo prae caeteris animantibus sermonem a deo accepit, ut sensa pectoris sui aliis prodat. Sed (proh pudor) homines linguam aliter loqui instituunt, quam corde sentiant. Alius est qui iustitiam, aequitatem et veritatem diligit, sed de illis nihil loquitur. Alius deinde magnifica quaedam de iustitia et veritate detonat, sed iustitiam et veritatem non amat. Utrumque falsum. Tametsi rarius sit illud, ut quis veritatis sit studiosus, et non magnifice de illa loquatur. Sunt autem quidam qui iustitiam et veritatem promotam cupiant, tamen adeo frigidi et segnes ut nihil laboris propter haec impendere velint. Ubi cor ardet amore iustitiae, strenue adgredimur omnia: ubi vero hoc studium non cernitur, cor non rectum est cum domino, utcunque foris simulemus. Deinde et hoc plurimum habet periculi, multosque seducit, quod verum, iustum, et aequum, non suis coloribus exprimuntur. Mendacia ita comuntur et exornantur ut pro veritate recipiantur. Sic impii pharisaei veritatem et virtutem dei daemoni adscribunt, idque hoc praetextu, ac si vellent simplicem plebem ab errore et mendacio avertere, quum interim pleni sint invidia et veneno, sua quaerunt et Christo invident. Sed mendacia sua nomine veritatis vestiunt, veritatem mendacii insimulant. Infirmiter ergo et humiliter loquimur de veritate, granditer vero et magnifice de mendaciis et imposturis. Hinc fit ut pauci veritatem amplectantur, mendacia cuncti deament. Orationem Christianorum non oportet esse accuratam et elegantem, sed gravem ac multo pondere gravidam.

Ex abundantia cordis.) Oratio testis est pectoris. Si veritatem fovemus, si hunc thesaurum in corde habemus, oratio spirabit veritatem. Quasi diceret: Quandoquidem semel malum proposuistis in cordibus vestris, imo quia corda vestra plena sunt malitia: qui fieri posset ut bona loqueremini? Thesaurus cordis dicitur, quod illic et bona et mala reponuntur.

De omni verbo otioso.) Hoc verbum omnes homines terret et damnat, quia omnis homo mendax. Quis hic non stupesceret? Neque opus est testibus aut iudicibus externis, conscientia nostra nos coarguit

et convincit. Omnes ergo rei imo damnati constituimur. Quod si hoc in verbis est, quid de cogitationibus et factis fiet? O quam sumus impuri et undique contaminati. Si innocens coram deo innocens non est, ubi iam meritum et patrocinium nostrum est, quod aliis pollicemur? Hic per digressionem dixit, quomodo cavendum sit ab otiosis et noxiis sermonibus. Primum adsuescamus a teneris duci metu dei. Sic David dicit: In quo corriget adolescens viam suam? in custodiendo sermones tuos. Scriptura docet ponere custodiam ori, et linguae frenum imponere. Quo enim magis lubricum instrumentum est lingua, hoc magis retinendum et custodiendum, ne temere labatur. Quum enim ad casum tam sumus proclives, et reddenda est deo ratio de omnibus verbis quae vel temere excidunt, certe magna nobis cautio est adhibenda. Exemplum. Qui vitra aut ova gestat in via lubrica aut glacie concreta, huic duo imminent incommoda. Nam magna iactura est vitra fregisse, deinde via periculosissima est. Is ergo vel circuit ut lubricam viam vitet, aut cineres vel tale quidpiam in viam spargit, ne cadat aut labatur. Sic nobis omnis haec via lubrica vitanda et circumeunda est, hoc est, cavendi sunt hi qui leviter et lubrice loquuntur. Hinc est in symbolis Pythagoricis, Hirundinem in domo tua ne foveto. Deinde duri quippiam in viam spargamus, hoc est, vultum severum et frontem corrugatam his ostendamus, qui talia loquuntur, aut avertamus faciem, garrulitatem verbis detestemur, ut deterreantur illi qui talibus delectantur. Sed lingua vult loqui, etiam aliquando non in loco. Hoc humanae sapientiae deest, ut non sit semper domi, hoc est: in arduis et magnis rebus, ubi sapientia et consilio maxime opus est, non semper videt optimum et quod liquido est in causa; quanto minus ergo in frivolis illis et quotidianis negotiis? Caveamus ergo ne quid temere effutiamus. Disciplina succurrendum est linguae non secus ac pueris, qui ratione non ducuntur. Pueri virga coercentur a noxis, lingua freno et custodia. Hoc ubi non fit, utrique praecipites feruntur, et magna dant incommoda. Aut utilia loquamur, aut iucunda. Reddenda ratio est deo de omni verbo otioso. Quod non est intelligendum, ut in die iudicii longa examinatione aut ratione opus sit, sed notius et prius pro posteriori accipit et minus noto. Solutio debiti sequitur rationem. Debitores ergo dei constituimur etiam propter verba. Hoc iam terret, et homines omnes ad desperationem adigit, nisi gratia per Christum miseris succurreret, et rursus desperabundos erigeret. Agnoscenda igitur culpa, et currendum ad medicum, curaque adhibenda ne porro linguae frena laxemus.

Ex verbis iustificaberis.) Hoc est, liberaberis, absolveris. Hebraei enim iustificare pro absolvere, et impiare רשׁע, pro damnare saepius utuntur. Sic Germani loquuntur: Er iſt gut geben, er iſt böß geben. In summa, Christus docet quod et verba damnent homines: qui ergo sibi ab inutilibus sermonibus temperant, poenam effugiunt quae debetur inutilibus sermonibus. Et haec videtur esse genuina sententia. Nemo ergo verba tanquam levia contemnat, quasi parum sit sic vel sic loqui, aut quasi nihil referat. Caveat quisque ne temere verba otiosa et inutilia effutiat, et de iis quae exciderunt doleat coram

deo. Damnant enim si peccata esse non agnoscamus, aut si pro peccatis ea non habuerimus. Et haec lex satis indicat omnes mortales damnationi esse obnoxios, etiam si alia nulla superesset. Damnationem ergo linguae nostrae alligavit deus, deinde et cordi, quum dicit: Ne concupiscas. Ah quanta nostra miseria!

Volumus ex te signum videre.) Sic habet ingenium carnis, ut signa quaerat. Pharisaei dum factum Christi calumniantur, plebs deum glorificat, et Christum filium Davidis praedicat, quod non ferentes pharisaei, virtutem tantam daemoni attribuunt. Hoc dum Christus intelligit, non patitur plebem seduci calumniis pharisaeorum, qui tamen paratus erat etiam mortem obire. Quandoquidem vero haec patientia ad imminutionem gloriae dei vergebat, per apologiam respondit eis coram plebe, ostendens se non daemonis, sed dei virtute operatum. Quibus argumentis ne victi aut cessisse veritati viderentur Iudaei, aliud excogitant. Quasi dicerent: Si tantus esset, signa ostenderet, et nos parati essemus ei credere. Quasi vero hoc non sit signum, daemonem ab obsesso expellere, quasi vero ipsi iam probassent, hanc expulsionem non fuisse signum, contra manifesta et evidentia argumenta Christi. Tam clara, tamque manifesta erant signa, quae faciebat Christus, ut etiam dicerent quidam, Nullus unquam sic loquutus est; sic nunquam factum est in Israel; a saeculo non est auditum, et caetera. Adparet ergo quod pharisaei hic aliquod miraculum ex coelo subitum requirunt, ut olim in Aegypto factum erat, repentinas videlicet tenebras aut grandines, aut aliquid huiusmodi. Dum opus est, deus edit miracula, ut olim in deserto, quando pavit populum Israel manna, et per filium suum quinque panibus: necessitas enim hoc postulabat. Dum discipuli in mari periclitabantur, adcurrit Christus et mari imperat, undas procellosas sedat, et mare tranquillat: opus enim erat. Praeter necessitatem nulla facit miracula, et qui haec petit dominum tentat, idque mala conscientia et curiositate. Gravissime ergo peccant pharisaei petentes signa, quum nihil esset quod hac in parte in Christo desiderare possent. Veritatem potius adtendere debebant, quae signis multo est potentior. An vero hoc non signum fuit, et magnum quidem, orbem hominesque renovare praedicato evangelio? Instauratio enim animi, et mentis informatio multo excellentior et maior est maiorique potentia indiget, quam corporum languidorum restitutio. Hoc totum non recipiunt pharisaei, quia non credunt praedicato evangelio. Nemo ergo in miracula oculos convertat, sed in ipsam veritatem puram ac lucidam, et nunquam falletur. Animus veritate informatus, et certa fide illustratus, non nutat nec deflectit, etiamsi omnia miracula mundi videret: non enim miraculis fulcitur sed veritate ipsa, non in personas respicit aut quidquam externum, sed in ipsum deum optimum et aeternum. Quod si deus daemoni vel malis hominibus permittit ut edant signa, mox dicit: haec ad nostri probationem fiunt, etiamsi causa eum lateat.

Generatio prava et adultera.) Per mimesin haec loquitur Christus. Tales enim filii illegitimi et spurii, aut ex adulterio nati, mundo fere contempti sunt, fitque non raro, ut huiusmodi etiam dege-

nerent, et solo titulo gentis suae glorientur, non virtutibus sint ornati. Sic Iudaei patre Abraamo gloriabantur, quum nihil minus essent quam filii Abrahae. Nam spurii etiam familiae nomen retinent. Neque interim negaverim plures esse spurios qui nonnunquam legitimis meliores evadant, ut patet de Iephte, quem deus elegit in iudicem populi sui prae omnibus aliis in Israel. Qui post praedicationem veritatis signa petit nihil aliud facit, quam veritati obstrepere, quum interim simulet se velle credere veritati, si is qui veritatem praedicat miracula edat; quasi de sanctitate eius dubitaret, non considerans quod deus est cardiognostes, id est, cordium cognitor et inspector.

Filius hominis erit in corde terrae.) Cor terrae dicitur, et cor maris, loquutione Hebraica, pro eo quod dicimus in medio terrae aut in intimo. Passionem suam his verbis indicat Christus, simulque resurrectionem, cuius typus fuit Ionae factum. Resurrectio Christi verum est testimonium deitatis suae. Nam quum a morte resurgit, ostendit orbi, filium dei a Iudaeis cruci suffigendum, non quidem iuxta divinitatem, sed iuxta humanitatem assumptam. Simul autem ostendit se mortis et dominum et victorem esse. Item quod deum nemo interficere aut domare potest. Quasi diceret Christus, Morte quidem me afficietis, sed potentia mea resurgam, nec extinguere me potestis; quin potius ego vos extinguam et funditus perdam. Ostendam vobis qui et qualis sim, tametsi iam credere haudquaquam vultis.

Surgent Ninivitae in iudicio.) Exemplum Ninivitarum docet clementiam dei tantam esse, ut si quis vel sceleratissimus resipuerit, gratiam et remissionem peccatorum sit reperturus apud deum. Si vero pergit esse sceleratus, addit deus de poena septuplum, ut est in minis legis, extendit manum suam nec retrahit, donec aut resipiscamus, aut funditus pereamus. Mutat deus consilium, si nos vitam et mores mutaverimus, nec tamen quidquam in deo mutatur. Condemnare hic pro simplici ponitur *κρίνειν*, singulari quodam significatu. Quasi diceret Christus; Quum Ninivitae vobis comparantur, vestrum peccatum longe superat, adeoque maiori poena digni estis. Nam illi Ethnici erant et ad unius prophetae Iudaici vocem mox resipuerunt et poenitentiam egerunt. Vos populus estis dei, vobis misit deus filium suum, me scilicet, qui tot signa inter vos edidi, qui doctrina salutari multis modis vos formavi, beneficiis iuvi, nec tamen hisce omnibus movere vos potui, ut a malitia et perfidia vestra desisteretis. An igitur vos illis comparati non estis longe peiores, quantumvis patre deo et Abrahamo gloriemini? *Ἀναστήσονται* sistentur vobiscum in iudicio. Surgere: Ston pro Darſtellen, more Hebraico, ut verbum קוּם sit Hiphil. *Κρίσει* pro *συγκρίσει* comparatione.

Regina Austri.) Hoc est Sabaeorum regina. Nam Saba ad meridiem spectat. Et haec fuit mulier gentilis, sed adeo sapientiae et veritatis cupida, ut tanto negotio tantisque expensis regem terrenum adiret. Ego rex sum excelsissimus et vere sapientissimus, cuius typus duntaxat fuit Salomon. Ego ad vos de coelis veni, offerens vobis coelestem et veram sapientiam, et contemnitis me. Sic hodie multi sunt ignavi qui veritatem oblatam respuunt ac negligunt, ut taceam interim eos qui veritatem insectantur et extinguere conantur. Plus-

quam Ionas, plusquam Salomon, videtur per genitivos exponi posse istas orationes, sic: Maior Ionae, maior Solomonis: hoc est, is in quem respexit Salomon vel quem praefiguravit. Ninivitae ad praedicationem unius Ionae resipiscunt, vos ad praedicationem eius, qui maior est Iona, magis obsurdescitis.

Quum immundus spiritus.) Conclusio est argumentorum quibus usus est Christus contra Iudaeos. Quasi diceret, Quocirca Iudaeis hoc usu veniet, quod his qui tandem pereunt. Argumentum autem a ficto casu adducit. Nam spiritus alioqui a locis aridis et desertis non abhorret. At quandoquidem homo abhorret ab huiusmodi locis, contra gaudet aquosis et amoenis, adfingitur hic mos daemoni. Daemones ministri sunt in republica coelestis patrisfamilias, omnipotentis nempe dei ut in republica sunt lictores et carnifices. Rursus boni angeli ministri sunt eiusdem dei ad bonum, et his tam bonis quam malis morem humanum affingimus. Ponamus (per impossibile), quod praeco qui condemnato sententiam fert sine affectu sit. Rursus qui absoluto laeta nunciat affectu careat, uterque tamen nihil est quam minister senatus. Sic angeli sine affectibus sunt, quos tamen eis attribuimus. Sic deo poenitentia affingitur, quum tamen deus nihil perperam agere possit cuius ipsum poeniteat. In hominibus certe poenitentia et dolor ex re male aut perperam gesta venit. Exulem ergo fingit daemonem, et quasi e patria proscriptum, qui nusquam tutus sit. Hoc autem ficto argumento Christus nihil aliud docet, quam mala indies magis magisque gliscere, si non ardenter vigilaverimus et oraverimus, si non omni cura et solicitudine malum semel pulsum ne redeat praecaverimus. Sic Iudaei deum dereliquerant, fontem aquae vivae et perennis, foderant sibi cisternas veteres, quae aquam continere non potuerunt; continget ergo eis quod obsessis, qui semel liberati rursus in eandem amentiam et insaniam incidunt. Saepe liberavit eos deus, sed nequicquam. Pereundum ergo est eis, quum filium dei aspernantur et crucifigunt: hoc enim peccato sic divinam iustitiam irritabunt, ut eos in perfidia et desperatione sua merito perdat. Dicit intra se, id est, cogitat aut statuit apud se. Hac ergo catastropha hoc significat Christus, mendacium omnes nervos tendere, mox ut veritatem videt emergere, ut eam opprimat. Si non constanter veritati cognitae et praedicatae adhaeserimus, posteriora prioribus fore peiora, hoc est, maiori condemnationi, maioribusque malis nos faciemus obnoxios. Doctrina ergo haec Christi ad constantiam nos hortatur et perseverantiam in coepta veritate: his enim virtutibus caeterae consummantur et absoluuntur. Dicit ergo Christus: Veritas lux est, quae mentem humanam exhilarat. Saepe hanc lucem profesi Iudaei, ut quando dicunt: Hic est propheta, nunquam sic vidimus etc. Sed non sunt constantes, non sunt perseverantes. Mendacium oppugnat eos. Nam si me non receperint, tota via aberrant. Saepe antea in captivitatem sunt abducti, saepe iterum liberati, sed mala omnia praeterita ludus sunt, si comparentur ad futuram calamitatem. Saepe remisit eis culpam deus, sed quum me filium dei cruci affigent et in incredulitate sua permanent, actum est de eis. Et hoc iuxta prophetiam Christi verissime est impletum.

Reperit eum vacantem.) Id est, otiosam, securam, ut est in lib. Iudicum de Laitis, quos Danitae securos ignavos et sine metu viventes opprimunt. Iudicum. 18. Exempli gratia: Si quis amicum aliquo scelere occupatum admonet, et persuadet ut resipiscat vitamque suam iuxta legem dei instituat. Hoc dum facit aliquandiu, veniunt ad eum veteres socii quos olim habuit, qui verbis eum persuadere conantur ut in priora vitia redeat. Quid (inquiunt) fraudas genium tuum? quid hunc vetulum et delirum audis? quid sacerdoti obtemperas? Veni nobiscum, fruamur aetate dum datur etc. Oportet ergo, ut is, quem semel a laqueis diaboli per gratiam suam eripuit dominus, vigilet et ardenter oret, ne prioribus vitiis rursus implicetur, neve in tentationem reducatur. Non dormit satan, sed circuit tanquam leo quaerens quem devoret, cui resistendum est fide.

Mater et fratres.) Quum tam acriter errorem et perfidiam pharisaeorum refelleret Christus, graviterque increparet: ecce mater interpellat etc. Fratres vocant Iudaei quemlibet, maxime consanguineos. Aderant ergo propinqui eius cum matre. Nam discipuli intus erant cum eo. Quod Chrysostomus hic adfectum ambitionis aut vanae gloriae attribuit Mariae, nihil opus fuit. At in hoc videmus veteribus olim maiorem fuisse libertatem loquendi de sanctorum infirmitate, quam sit hodie, quum hodie divos pro diis habeamus. Si quis inter nos virtute, iustitia, aut veritate praepollet, hunc aut deum facimus, aut daemonem habere dicimus. Unde vero hoc? Quod nos vacui sumus omni virtute et iustitia. Miramur ergo tales, qui istis virtutibus praediti sunt, nec solidis studemus virtutibus, sed speciem tantum sequimur; mentes nostrae virtutibus solidis et veris non sunt exercitae nec imbutae. Est aliquis (natura melancholicus) qui solitudine gaudet, abhorrens ab hominum consortio. Iste si speciem sanctitatis affectui adiunxerit, mox periculosissimo errore nobis imponit: pro sancto enim hunc colere incipimus. Si quis inediam patitur, forte ex ignavia, quia vel laborare non potest, aut aliis oneri esse nolit, si superstitionem addit, oculos nobis praestringit, ut eum adoremus. Nec tam sagaces sumus ut iudicio penitius introspiciamus: hypocrisis imponit nobis, quia ad veritatem ipsam non penetramus. Fallimur ergo quemadmodum pueri, qui fulgore et externa rerum specie capti, saepe stannea et orichalcea pro argenteis et aureis amplectuntur. In causa est, quod rerum sunt imperiti et iudicio carent; argentarii non item, quia indicem habent, et rerum notitiam exactam. Non secus est de virtutibus: nam illas nosse et discernere, nec his falli, admodum paucorum est, nempe eorum qui spiritu dei sunt illustrati: spiritualis enim omnia diiudicat, et spiritus docet omnem veritatem. Solida ergo virtus est, quam spiritus sanctus menti indit et suggerit, in qua a teneris multo labore et tempore exerciti et adsueti sumus: haec constans est et in finem usque perdurat. Quod ergo divos pro deo colimus et deo praeferimus, duplici ex causa fit, aut quod deum non recte cognoscimus, aut quod in veris virtutibus non sumus exerciti et confirmati.

Qui sunt fratres mei.) Hoc non loquitur matrem aversans aut dedignans. Nam qui honorare matrem docet, quomodo is matrem

suam contemneret? At noluit matris intuitu, dei negotium interpellari. Nam supra docuit propter deum relinquendam esse matrem et omnia. Quum ergo ille qui vocabat eum foras, putabat matris gratia egressurum eum, domat hunc affectum Christus. Ad maiora missus erat, quam ut adfectibus obsequeretur. Affectus ergo humani negotium dei impedire non debent. Matri obsequi speciale quiddam est, iustitiam et veritatem promovere, consulere rebus omnium, generalia sunt et maiora: debent ergo minora cedere maioribus. Quasi diceret: Nihil iam audio de matre et fratribus: agendum est iam mihi cum matribus et fratribus spiritualibus. Nativitas et propinquitas spiritus, carnis propinquitatem longe superat. Arctius me stringunt negotia spiritus, quam matris cura. De generositate quaedam. Quod ad carnis nativitatem attinet, nemo alium praecellit, nisi ingenio et virtute praepolleat. Hanc sententiam ab ethnicis confessam, eruit et illustrat Christus. Is (inquit) vere nobilis et bene natus est, qui studet voluntati patris mei: nam sic frater meus efficitur. Quid vero excellentius quam filium esse dei, fratrem Christi? Qui mihi spiritu iuncti fuerint propinquiores mihi sunt, quam qui sanguine. Per antithesin enim opponit carnali nativitati spiritualem. Num Socrates reliquit post se filium sibi similem? Num Plato, num Demosthenes, num Cicero? Reperire est viros clarissimos ex quibus sceleratissimi, nequam et stolidissimi filii nati sunt, qui solis titulis gloriati parentum claritudine et splendore ad flagitia sunt abusi. Cham filius erat Noe pii patris impius filius. Sic Manasses ex Ezechia. Per omnes historias duntaxat duo Catones reperies. Et admodum rarum est, ut ex claris parentibus clari sint filii. Quid ergo iuvat vanis titulis gloriari? Vera ingenuitas ex virtute nascitur et factis egregiis. Rursus ex regibus nemo fuit, qui non ex servis natus fuerit. Contra nemo est tam vilis, tamque humilis, cuius praecessores non fuerint ex magnis heroibus. Sic variant res, et nihil firmum sub sole, praeter unam virtutem. Nec est terra aliqua tam ferax, quin et steriles et inutiles gignat arbores, quae tamen cura et diligentia mutari et meliores reddi possunt. Rursus bonae arbores aliquando degenerant.

CAPUT XIII.

Simile est regnum coelorum.) Hac parabola increpat eos qui frequentes ad se venerant audire verbum dei, nihil aut parum proficientes: quod fere semper fit, ut optima raro placeant omnibus. Quotidie audimus verbum dei, pauci illud servant, pauci sunt qui vitam suam iuxta verbum dei instituant, pauci corde retinent et conservant. Accidit nobis quod fit dum plures ad ignem incensum confluunt, pauci vero vasa habent quibus ignem secum auferant. At huiusmodi cum pectoribus ad verbum dei accedendum, ut quisque cogitet: Haec tibi sunt dicta, haec te perstringunt et taxant; mutabis ergo haec, et pones hunc affectum, servabis haec quae dicta sunt, et conferes ea in corde tuo etc. Petrae aut loca saxosa affectus sunt diu inoliti et inveterati, et tales nonnunquam gaudent ad auditum verbi, sed tamdiu, dum non tangitur eorum affectus. Quum audimus verbum dei, nec vitam immutamus, signum est certissimum obdurationis et imminentis poenae. Is qui se-

minat Christus est, qui e coelo venit ut divina et coelestia seminaret in agrum pectoris nostri.

Qui habet aures.) Hoc epiphonemate ubicunque Christus utitur, ad diligentem auscultationem hortatur, nt in re seria et necessaria. Parabolae bene docent, tenacius haerent, delectant etiam ac incitant. Qui mentes habent spiritu dei et fide praeditas; illis incitantur et moventur: qui vero ex electorum numero non sunt, magis magisque illis obtenebrantur et obdurantur.

Vobis datum est.) Quod me non intelligunt, non fit humanae intelligentiae vitio, sed eorum malicia: nec enim in hoc me accedunt, quod meliores fieri studeant, aut quod sitis iustitiae eos adigat. Vobis autrem vestrique similibus datum est: hoc est, ad hoc estis electi a deo, ut mysteria dei intelligatis. Nam et ipsi discipuli non intelligebant donec Christus eis parabolam exponeret, at desiderium quoddam habebant, et quaerebant. Ideo exposita sunt illis quae obscure dixerat; reliqui aut contemnebant, aut negligebant.

Qui habet dabitur ei.) Aenigmatice haec dicuntur: nec enim hoc vult, quod divitibus divitiae, aut argutis et astutis argutiae augendae sint. Qui desiderium habent iustitiae et veritatis, hos deus magis magisque illustrabit. Rursus qui veritatis et iustitiae non sunt cupidi, plus excaecabuntur, etiamsi alias sint sapientissimi. Qui artificia discunt, amorem ad haec habeant necesse est, et fervorem quendam non solum discendi, sed et excellendi in ista arte cui dant operam. Ubi hoc studium deest, nihil efficitur. Est quandoque contemptus aliquis et humilis; ingenio tamen valet ad omnia, ut miraculo sit omnibus. Quicunque ergo desiderio cognoscendi dei tenentur, illis non negabit se deus. Acumen multi habent, studium et ardorem veritatis cognoscendae pauci. Sic hodie multi audiunt verbum dei homines ingeniosissimi et acutissimi, veritatem esse intelligunt, quae praedicatur, sed veritatem non diligunt nec amplectuntur. Merito ergo excaecantur, obdurantur, et peiores indies fiunt. Quandoquidem enim de parvis non sunt grati, indigni sunt maioribus; et qui veritatem non amant nec recipiunt, merito mendaciis et erroribus implicati pereunt. Qui vero accensi sunt studio veritatis, hos subinde ad maiora subvehet dominus. Regnum dei significat negotium evangelii, Der handel des worts gottes.

Videntes non vident.) Vident miracula, sed nolunt hinc colligere et credere in me virtutem dei. Audiunt divina eloquia, sed nihilo meliores fiunt. Propheta Esaias postquam labia polluta repurgata erant a domino, missus est ad populum Iudaicum cum huiusmodi mandatis: Excaeca cor populi huius etc. Quid vero his verbis sibi vult dominus? Imitatur hoc loco patrem, qui diu filium beneficiis invitavit et lactavit. Quibus dum nihil promovet, alia utitur ratione, negat beneficium filio, cessat a verberibus, permittit ei ut suo more et arbitrio vivat, expellit domo, nec tamen paternus animus abalienatus est ab eo; quin ardenti charitate filium prosequitur, salutem eius quaerit, proinde nihil intentatum relinquit, ut ad meliorem vitam revocet. At filius indies peior efficitur. His ergo verbis utitur Christus ad pertinaciam Iudaicae gentis contun-

dendam, quibus et nobis hodie utendum est, ubi omnia sunt deplorata et obstinatissima.

Beati oculi.) His verbis ostendit Christus, magno desiderio adventu Messiae fuisse accensos veteres, cuius tamen corporalem praesentiam videre non poterant. Messias fuit in voto et expectatione omnium piorum; in hunc omnium vota, desideria, et preces respiciebant, Adam, Noe, Abraham, Iacob etc. Sic ut quidam putarent sibi datum et praestitum, ut de Seth patet, Noe et Ismaele: dicit enim Abraham: Utinam vivat Ismael! sed dominus respondet: In Isaac erit tibi semen. Ad Messiae promissionem omnes pii respiciunt, in hac fide et expectatione vivunt, etiam antequam Christus homo nascitur. Apostolorum autem oculi hanc praerogativam habuerunt, quod Christum in carne viderunt, et cum eo familiariter conversati sunt, miracula suis oculis viderunt, virtutem dei in eo sunt experti, et se tota fiducia in eum coniecerunt. Dicit ergo Christus: oculi vestri non sunt excaecati quemadmodum pharisaeorum. Deinde in hoc feliciores estis veteribus, quod vobis humanitatem meam conspici datum est corporalibus oculis, praeter hoc quod spiritu in me creditis. Et ob hanc causam expono vobis parabolam hanc, quae obduratis et excaecatis tecta et incognita manet.

Semen in via.) Sunt qui non audiunt verbum dei ut meliores reddantur, sed ut videantur audiisse; conculcati sunt ut via, impudentes et perfrictae frontis homines, quemadmodum scortum quod ad viam publicam sedet prostitutum omnibus. His mox tollit verbum satanas. Petra vero eos significat, qui affectibus sunt inveterati, qui cum gaudio quidem verbum dei audiunt, sed quum eorum affectus tanguntur non cedunt. Equidem quisque habet aliquem affectum et morbum in quo est induratus. Meliores tamen hi prioribus sunt, quia illi contemnunt verbum auditum, hi minime: quod vero meliores non redduntur, in causa est affectus inolitus. Hos probat ignis, ut est 1. Cor. 3. Ferre possunt ut idola ex templis eiiciantur, Missa abrogetur etc. Quum vero eorum usura aut avaritia tangitur, hic saxis sunt duriores. Tertii generis divites sunt et voluptarii, qui utilitatem honestati praeponunt, terrena divinis, temporalia aeternis, corporalia spiritualibus. Pugna contra saxa, id est inolitos affectus, gravis est; gravis quoque quae contra curas sollicitudines et divitias huius mundi fit. Hic labor, hoc opus est. Anxiis ergo precibus invocandus est deus, ut molliat saxum hoc praedurum cordis nostri, ut moveat induratum pectus, ut eximat cor lapideum, et donet carneum, et faciat nos ambulare in praeceptis suis, ut spinis nos involutos extricet et illaesos servet.

Qui in terram bonam.) Terra semper manet terra, semper inquinat et lutulentum quid de se praebet; attamen verbum dei recipit, deinde fructum producit. Hi significantur, qui tametsi sint peccatores, tamen per gratiam dei meliorem meditantur vitam, et huc toto studio et conatu feruntur, non secus certe, quam si quis grande aliquod saxum (quum viribus sit impar) ad destinatum locum protrudere cogatur. Is omnes nervos huc tendit, movendo, volutando, ut promoveat; iam fessus redditur, mox impatiens, at interim ab opere non omnino desistit,

resumit vires, iterum adgreditur molem, ac mutuis vicibus semper idem tentat, et quod viribus non potest, arte et astu tentat, donec multo sudore opus coeptum perficiat. Sic nobis quoque faciendum; si semel non successerit, non ob id cessandum aut desperandum, saepe redeundum, saepe conatus resumendi, expurganda quae adsunt mala, obstandum futuris et imminentibus. Nam militia est vita piorum in terris, nulla hic requies, nulla cessatio, sed labor continuus. Terra haec (ut in horto fit) semper inutiles et noxias herbas profert, urticas, spinas, lolium: eradicanda sunt haec, et bona promovenda. Mox ut hoc vitium evulseris, aliud succrescit. Abit libido, augetur cupiditas: nemo sine crimine vivit. Haec vero terra bona est, quae verbum dei recipit, et quotidie aliquid fructus producit. Nec tamen hoc in omnibus similiter fit, alii aliis plus minusve ferunt. Quotidie invocari oportet spiritu, alioqui terra semper manet terra.

Aliam parabolam proposuit eis) Parabola de zizaniis quartam praecedentis partem exponit, nempe eos fideles et pios esse, qui tametsi infirmitatibus carnis sint circumdati, tamen verbum dei audiunt, et Christo fidunt. Inter affectus humanos audiunt verbum dei, et student quotidie affectibus renunciare et mori. Docet ergo haec parabola ut proximos quemadmodum nos ipsos diligamus, alter alterius onera sentiamus et feramus. Et hoc praecepto omnes peccatores constituimur. Num ergo cessare aut absistere debemus, quod nobis impossibile est exacte legem praestare? Minime! conatus laude dignus est et deo placet. Studeamus igitur hoc agere, quod deus a nobis requirit, nec tamen plus efficiemus quam velit ipse. Novit dominus figmentum nostrum, parcit infirmitati nostrae, ignoscit delicto, indulget impotentiae nostrae. Si non possumus absque omni peccato esse, caveamus tamen a sceleribus. Christianis hominibus verba et praecepta dei placent, illis student, et quum sentiunt perfectionem divinae legis se assequi non posse, dolent, agnoscunt et conqueruntur, et inveniunt gratiam. Docet ergo Christus hac parabola, ut quotidianos lapsus alter alteri ignoscat, esse morbos inter pios, quos ferre invicem oporteat. Caeterum conscelerationem non esse ferendam et impudentiam, infra 18. capite docet: ea enim debet tolli. Zizania ergo sunt ea peccata, quae Christus septuagies septies docet remittere. Est deinde aliud quoddam scelus et flagitium, quod vitare, quod eiicere docet Christus, quod ferendum haudquaquam est quum deo sit invisum et hominibus. Infames enim sunt etiam apud homines flagitiosi. Cavet ergo hac parabola dominus, ne impudentes simus aut sine fronte peccemus, sed quotidie emendemus quod quotidie committimus. Sic Ioan. 13. Opus est ut pedes lavemus. Conversatio enim dum hic degimus aliquid impuritatis habet, quum impossibile sit, ut sine peccato vivamus. Sed huiusmodi impuritas non est talis, quae nos e consortio fidelium eximat aut eiiciat. Qui in via lutosa incedit, paludes nimirum, quantum potest, vitat et cavet; caeterum evitare non potest, ut nihil luti pedibus adhaereat, aut ut nunquam labatur. Qui vero in paludem cadit, nec vult resurgere, is nimirum desperavit. Qui vero postquam lapsus est resurgit, hic spem concepit, ut promoveri et mundus fieri velit. Ne ergo ex hoc loco praetextum quaerant sibi, qui in gravis-

simis sceleribus parcere vel sibi vel aliis, et nihil punire nec conscleratissima volunt. Per regnum dei ecclesiam suam significare vult et filios dei per gratiam suam renatos, et illi vocantur terra bona, non quod sint sine peccato, aut quod omnino sint consummati et nihil peccent amplius, sed quod semen, hoc est, verbum dei recipiant, et fructum aliquem ferant.

Venit inimicus.) Fideles semel animis proponunt vivere iuxta verbum dei; sed satan non dormit, qui semper aliquid superseminat zizaniorum, tentat nos et adfectus carnis suggestionibus malis percellit: succrescunt nonnunquam zizania negligentibus nobis aut incogitantibus, sed fructus facile dignoscuntur. Sic in nobis affectus quandoque suppullulant et progerminant, dum negligentes et socordes sumus. Ad vigilantiam ergo adhortatur nos dominus. Ubicunque ergo praedicatur verbum dei, ibi vigilandum est et cavendum, ne zizania per satanam seminata, bonum semen vitient aut opprimant. Novit daemon veterem artem, per quam primos parentes nostros seduxit.

Accedentes servi.) Per Servos eos intellige qui praesunt et verbo et reipublicae. Nam illorum est discernere inter vitia et scelera: inter ea quae infirmitatis sunt, et ea quae malitiae: inter ea quibus debetur venia, et quae merentur animadversionem publicam. Sufferunt ergo infirmitates aliorum et clementer condonant quae sine malitia et impudentia fiunt, condolent illis qui ex impetu carnis labuntur, flagitia et scelera e medio tollunt.

Colligere.) Pro abiicere. Nam colligimus plerumque ea quae abiicere volumus et perdere. Metalepsis.

At illè dixit, Non.) Hoc semper intelligendum est de iis vitiis, quae in ecclesia dei ferenda sunt, sine quibus nemo esse potest. Nec tamen interim nobis palpemus, aut in istis vitiis nobis placeamus; sed doleamus de eis, confiteamur ea coram domino corde contrito et humiliato, expurgemus ea quotidie, ne modicum fermenti totam massam acidam reddat et vitiet. Nam si parva negligimus, evadunt tandem in maiora et graviora: et si non ea quisque emendaverit et eiecerit, tandem collecta in ignem mittentur aeternum.

Triticum.) Per triticum vere pios et fideles intellige, qui magno et ferventi studio vitam Christo dignam meditantur, qui operam dant ut in omnibus deo placeant, et iuxta eius voluntatem vivant. Utcunque interim sentiant suam infirmitatem, utcunque quotidie et singulis fere horis labantur, non tamen desperant, non despondent animum, identidem post casum resurgunt, et sordes per poenitentiam ac aspersionem sanguinis Christi emundant etc. Vita piorum fabricae aut machinae similis est, quam dum faber omni studio accuratissime absolvit: nihilo tamen minus semper aliquid occurrit oculis eius, quod displiceat, quod parum probet, quod elegantius esse optet, quod mutatum cupiat, nec unquam vel post exactissimam diligentiam sibi satisfacit. Semper ergo est in opere, nunquam cessat. Sic nunquam debemus nobis in operibus nostris placere, nunquam satisfactum putemus! Etiamsi oculis nostris quod deest deprehendere non possumus, deus tamen, cuius oculi penitius introspiciunt, videt quid desit. Hunc oremus, ut per Christum, qui

nostra est iustitia et consummatio, id quod nobis decst et per nos perfici et praestari non potest, praestet et absolvat. Manus mentem nunquam assequi potest; at si mens pia est et fidelis, indulget deus per clementiam suam, quod assequi non possumus.

Grano sinapis.) Cognitionem, fidem et operationem augeri haec parabola ostendit. Nam utcunque absque peccatis non sumus, utcunque multis vitiis involuti et circumdati, semen tamen bonum receptum in terram bonam semper crescit, et haec est magna satis consolatio nobis infirmis et imbecillibus. Sinapis autem natura fidei ingenium declarat. Parvum et admodum exiguum est hoc granulum, in quo initium fidei adumbratur, quum quis vel aurem verbo dei praebet, et veritatem agnoscit; et id quidem parvum est. Deinde sequitur veritatis admiratio, augescit enim in oculis piorum subinde veritas, plus lucis cordi eorum indies illucet. Qui primum mare ingrediuntur, his videtur arida multo esse maior: quum vero in pelagus veniunt longius a terra remoti, vident quam exigua portio sit terrae, si ad mare compares; illic quoque marina monstra multa vident, ut admiratione tam vasti aequoris stupeant. Sic quum in luto et terrenis rebus, hoc est, in nostra ratione haeremus, quae dei sunt ignoramus: quum vero terra relicta in divina oculos defixerimus, longe admiranda discimus. Quid vero mare aliud est quam numinis providentia et omnium rerum administratio, immensa et inexhausta virtus et operatio dei? Incipiamus ergo aliquando solvere, et a terra avulsi in considerationem operum dei ingredi, et magnifica videbimus. Consideremus mirabilia dei, donec ad maiora exerceamur. Ut tam exiguum semen in magnum arbustum excrescit, sic fides subinde crescit et assurgit, nempe consideratione et admiratione operum divinae providentiae. Hodie ab hoc vitio recedamus, cras ab alio, sic subinde proficiamus, donec in virum perfectum adolescamus. Ne sistamus gradum! adhuc in itinere sumus, lutoso quidem et valde lubrico, nondum sumus assequuti in quod nitimur. Acre est deinde granum sinapis, quo acrimonia prophetalis significatur. Hanc ob causam sal terrae dicuntur apostoli. Sal vero quum in lebetem aut sartaginem venit, acrorem amittit. Sic propheta cum ad mortem ducitur, non est acer amplius nec acerbus sed mitis et mansuetus, ut videmus in Christo, qui tanquam agnus ad lanienam ductus non renititur, et dicit: Nolite flere super me: item, Pater ignosce illis etc.

Volucres coeli.) Allegorice extorres significat, et qui pulsi sedibus suis circumvolant: hi enim requiem inveniunt apud vere fideles. Qui firmi sunt suscipiunt infirmos, quibus in hunc usum firmitatem dedit deus, ut infirmorum imbecillitatem fulciant. Sic Paulus Rom. 15. iubet ut firmiores imbecilles suscipiant, id est, foveant, patrocinentur, consolentur. Quemadmodum advocatus clientis causam suscipit, sicubi errare eum videt, corrigit et emendat: sic nos debemus affecti esse erga infirmos. Sic Paulus gavisus est evangelii praedicatione, sciens hoc esse infirmarum conscientiarum consolationem. Et dicit: Vae mihi Mir iſt wunn vnd wee, si non evangelizavero.

Simile est regnum coelorum fermento.) Haec parabola indicat

evangelii fructum derivari et propagari ad omnes: nam modicum fermenti totam massam acidam reddit. Qui vere sunt Christiani conantur omnes alios ad fidem adtrahere, et domino lucrari. Falsa vero religio aut superstitio dicit, Quid ad me si pereat ille? nihil mea interest quid hic credat. Vera fides scit nihil esse utilius, nihil melius, nihil deo gratius, quam fidere dei misericordia, hanc salutem et felicitatem omnibus cupit esse notam, huc omne studium convertit, ut multi salvi fiant. Qui mare navigant diversos fines sibi praestituunt: hic piscibus tendit insidias, alius locum aliquem petit, alius animi gratia in aequore ludit: qui vero navigationem instiueret nullo sine praesumpto, stultus nimirum iudicandus esset. Sic diversos fines sibi praefigunt homines, sunt qui divitiis inhiant; alius captat honores, voluptatem alius: fideles divina et coelestia meditantur, et omnia dei respectu faciunt, summum bonum pro scopo habent, et si quem tam temere ferri vident, commiserantur eius sortem et deplorant, adcurrunt et ex errore ad veritatem adducunt. Fides dei patris naturam imitatur: omnibus prodest, omnibus consulit, domesticis praesertim, et iis qui eundem habent spiritum. Quomodo enim vere fidelis in portu iam existens, in mari periclitantes videret, et opem ferre non conaretur?

Eructabo.) Nam multa a saeculo fuerunt abscondita, quae Christus lux mundi protulit, et sic enarravit, ut nunquam antea fuerunt explicata. Cupidos veritatis parabolae mirum in modum excitant et accendunt, ut diligentius investigent et scrutentur, quorum gustum aliquem perceperunt. Qui vero veritatis non sunt studiosi, parabolas contemnunt et ignavi praetereunt. Deinde penitius insident parabolae, diutius haerent et servantur. Et est doctrina veritatis quemadmodum aliae res. Quaedam sine involucro dantur et nuda, quaedam vero tecta, et pannis involuta aut vasculis inclusa, nimirum ut diligentius serventur, ne quid labis contrahant aut prostituantur temere. Quae ergo Christus verborum involucris obtecta dedit, debent maiori diligentia pectoribus nostris involvi et servari. Virtutes (ut inquiunt philosophi) possessorem suum ditant, et corda eorum accendunt, ut desiderent omnes tales esse. Sic fides piorum cordibus infusa, omnes ad fidem allicere cupit. Nam et fides et virtus a deo est, si modo utraque vera sit, non ficta. Si quis fortis esset, vellet autem alios omnes eviratos esse et molles, is fortitudinem veram non haberet, sed hypocriticam. Si vero quis caeteris omnibus virtute prodesse cupit, is virtutem veram a deo habet. Caro sese in omnibus quaerit, spiritus dei omnibus vult prodesse.

Bonum semen ii sunt filii regni.) Quid vero hoc sibi vult, quum superius bonum semen verbum dei dixerit? Est manifesta enallage, semen pro terra bona in qua semen bonum recipitur: nam hac explicatione non solum parabolam de zizaniis, sed etiam primam de semine reserat. Zizania pravi sunt homines qui bonis semper sunt mixti.

Omnis scriba doctus.) Non omnes docti ad regnum coelorum docti sunt, hoc est, non omnibus commissa est provincia docendi et regnum dei, id est, ecclesiam plantandi. Doctus ergo sit oportet, et sic doctus ut regnum dei doceat. Atque is similis debet esse patri-

familias qui horna et vetera facile depromat. Docet apostolos non alia sed aliis eadem docere, ut apte, in loco et prudenter veritatem depromant, et mysteria dispensent. Sic prophetae docti fuerunt ad regnum dei, ut commode verbum dei proponerent. David dicit, Innocens manibus, qui munera non accepit. Esaias venustius haec eadem exprimit, dicens: Qui excutit manus ab omni munere. Haec vero nemo melius, commodius nemo faciet, quam qui doctus est et eruditus, super haec cum in divinis scripturis tum in omni disciplinarum genere callentissimus et exercitatissimus. Talis fuit Paulus, talis et Timotheus. Et apostoli plus tribus annis conversati sunt cum Christo, quotidie docti ab eo, nihilominus tamen, antequam ad praedicationem amandarentur, fortiori fuerunt donati spiritu. Nam prima praedicatio in Iudaea praeludium quoddam et velitaris quaedam pugna fuit. Necesse est ut qui caeteros docere debent, maiori sint ipsi doctrina et spiritu praediti. Nec satis est esse doctum, nisi simul fidelis sit. Non enim est venenum aliud praesentius, quam eruditio sine pietate. Solent venefici venena non nuda, sed in vino aut alia quapiam re propinare illis quos interficere volunt, ut cito per omnes venas corporis penetret et transfundatur: non secus facit docta impietas specie pietatis et eruditionis commendata.

Nazareth.) Patria Christi dicitur, quod illic esset nutritus et educatus. Deinde et Capernaum patria dicitur, quod illic multo tempore versabatur. Patria eum eiicit, apud exteros charus est Christus. Sic de multis legimus qui licet indigenae non essent, incolae tamen multa egregia patrarunt, ut Abraham, qui trans flumen venit in terram, in qua etiam cum regibus amicitias iungit et foedera pangit. Sic Seneca et Cicero Romae in pretio fuerunt, licet essent advenae.

Unde huic sapientia?) Divina docuit Christus et ea quae erant coelestis sapientiae, ut in admirationem raperentur cuncti homines. Spectabat in docendo gloriam dei, et salutem mortalium. At pharisaeorum doctrina et sacerdotum longe aliud spectabat. Christus ergo sic docuit, ut etiam hostes ad eius doctrinam stuperent, et veram eam esse testarentur. Sic pollere debet propheta in populo doctrina et veritate.

Nonne hic est filius fabri?) Ioseph pater Christi putatus est, eo quod in Nazareth eum educaverit. Fratres vi sermonis Hebraici affines et cognati dicuntur.

Nonne omnes apud nos sunt?) Qui semper domi manent, nec apud exteros usu et cognitione rerum exercentur, eos contemnunt, qui foris versati, et multa cognitione edocti, domum aliquando redeunt. Offenduntur enim illorum eruditione, experientia et sapientia qua praediti sunt, imo eam contemnunt et calumniantur, insidiantur illis etiam propinqui et domestici. Et hoc ferendum est ei, qui virtute et eruditione alios antecellit. Vulgus hac persuasione fallitur, quod indigenas existimat virtutibus excellere, exteris minus tribuit, aut quod habent extenuare conatur.

Non est propheta acceptus.) Prophetae commercium cum bonis et honestis debet esse; illius quoque est toto conatu contra scelera es

sceleratos pugnare, ac illis omni studio resistere. Quo fit, ut exosus habeatur iis omnibus, quorum scelera in lucem protracta arguuntur: et illorum non est exiguus numerus, qui involuti tenebris lucem horrent. Deinde haud ferimus ut propheta qui nostras est, nos arguat, nec cogitamus deum prophetas non ex angelis, sed ex mortalibus elegisse. Et hac de causa veteres ab indigenis prophetis abhorrentes, eos exteris aliquando permutarunt, ut est alicubi apud Augustinum reperire. Ad haec plures habent occasiones indigenae vel dissimulandi veritatem, vel palpandi vitiis, vel deficiendi a Christi doctrina, propter consanguineorum et affinium affectus, qui vehementes sunt, et multum possunt. Semel vitam suam propheta devoveat, et se totum deo dedicet necesse est, qui contra omnem huius mundi impietatem constanti pectore pugnare constituit. Nam illius officium est etiam cordis abstrusa et affectus impiorum in lucem protrahere et damnare, quae a magistratu poenam non habent. Avaritia, invidia, et sui ipsius amor mulctam apud magistratum non merentur, nisi fructibus manifestis se prodant, et alios offendant. At propheta verbo dei in ista invehit, et ea ex specu in lucem traducit, ut conscientiae terreantur, pudefiant, doleant et sibi displicere incipiant. Et si magistratus ad manifesta flagitia aliquando vel ex negligentia vel ex malitia connivet, non debet tamen dissimulare propheta, sed vocem tubae in morem intendere et populo scelera annuntiare. Ubicunque ergo deus prophetas veros et fideles mittit, signum est clementiae eius: monet enim in tempore, ut posita impietate populus resipiscat, et non pereat.

CAPUT XIV.

Tyrannorum natura in hoc capite describitur. Deinde quod etiam impii de veritate testantur vel invite. Nam opinio Herodis hic testatur Christum esse bonum, quem putat pro Ioanne surrexisse, paremque Ioanni esse.

Herodes tetrarcha audivit famam.) Coniectura Herodis ex fama est vaga et inconstanti de Iesu, imo non vaga sed falsa. Nam tametsi Ioannes vir esset sanctus et inculpatus (ut oratio tyranni testatur): Christus tamen Ioanne longe erat praestantior. Quum vero Herodes parem eum esse dicit Ioanni, simul testimonium dat, Christum fuisse virum bonum. Syriam in tetrarchias quadripartitam Lucas testatur; quam vero impii fuerint praefecti et proconsules Romani ex historiis disci potest. Haec ad nostra tempora imo ad nostros praesides non inepte, neque falso deflecti possunt.

Is surrexit a mortuis.) Occupatio est. Diceret enim quis: Ioannes tanta miracula non fecit tantasque virtutes, quantas Iesus. Quid ergo eum Ioanni comparas? aut cur dicis eum esse Ioannem? Ideo dicit: Surrexit a mortuis, et iam denuo vitae restitutus maiora facit quam prius. Vide Iosephum.

Non licet tibi habere uxorem.) Nefandum et impudens scelus tyrannus hic committit, nec solum ipse in culpa est, sed et populus qui impudentem vivere impune sinit. Magna nimirum consceleratio est, ubi regi tam impudenter vivere atque impune licet. Si aliqua ratio aut

amor honesti et iusti fuisset in populo, increpasset regem, corripuisset, et contumacem eiecisset. Solus Ioannes dei metuens magis quam hominum, tam nefarium regem corripit et castigat. Num caeteri hoc non vident? Imo maxime, quum manifestum esset omnibus; sed nullus habebat metum dei, nullus fuit tam constans, qui regem vellet offendere. Non debet dissimulare propheta, si reges peccant et magistratus, sed scelera eorum debet graviter increpare. Quid vero isti faciunt? Convertunt se non ad scelera sua, ut ea emendent, sed contra prophetam arguentem: hunc persequuntur odio, relegant, capiunt, trucidant. Quin eos imitantur, qui quum in publicum prodeuntes aliquid sordis in veste habent, et ab amico admonentur, gratias agunt, gaudent, et sordes deponunt ac abstergunt, et pro beneficio magno agnoscunt se admonitos. At nos in eos qui admonent et corripiunt invehimur, et eos in mortem usque persequimur. Quicunque ferre aequo animo admonitionem et correptionem non possunt, tyrannicum animum habent, etiamsi Codro sint pauperiores. Nec a sceleribus et vitiis duntaxat abhorrere debemus, sed insuper virtutibus studere, idque magno conatu et summa diligentia. Qui flores legunt, non temere transeunt, sed diligenter circumspicientes prata et agros scrutantur, inclinant se ad terram, et pulcherrimos decerpunt. Sic apes omnium florum dulcissimis insident et mella colligunt. Ita proponamus nobis optima quaeque imitanda. Sed omnes videri volumus quales non sumus; quales vero sumus videri non volumus, nec patimur ut quis morbos nostros curet. Qui gravibus morbis laborant, nec patiuntur sibi morbum vel indicari, quis illis medebitur? Quandoquidem igitur nemo medicinam scelerum admittit, debet propheta, qui medelam adfert aegrotantibus, non solum ad contumelias et odia, sed ad mortem, devotum habere animum; hoc sibi praemium ab initio proponat. Mortem sibi faciat familiarem, et nihil terrebitur. Mors non perdit vitam, sed mutat, ut sunt omnium rerum vicissitudines, veris, hiemis, aestatis, autumni. Est ortus solis, est occasus. Sic vitam mors, et rursus mortem vita sequitur. Quis solem perisse dicit dum occidit? qui etiam tum lucet, quum nobis absconditur sub terram. Sic anima semper vivit, etiam dum corpus in terra cubat. Quis est qui vitam non desideret, aut lucem solis vel noctu videre optet? Mors autem vitae aeternae inserit, et ad lucem perpetuam ducit. Sed quod mortem metuimus, in causa est, quod temporariis et caducis rebus inhiantes, aeterna bona negligimus, societatem cum deo et angelis ac sanctis omnibus posthabentes. Propheta ergo in primis atque pii omnes oculos fidei in ea bona defigant, in quae mors nos inserit, et facile omnia prae illis contemnent. Multa interim ferant necesse est, quae corpori dolent, quemadmodum fit in messe, sed ingens fructus laborem sequitur. In messe omnes sudant, et aestum gravissimum spe fructus ferunt. Sic qui domino colligunt, laborent et sudent necesse est. Messores sunt prophetae, quos in messem suam amandat dominus. Qui ergo per gratiam dei mortem vitae ianuam agnoscunt, et aeterna ac coelestia in desiderio habent, hi omnia scelera horrent, imo non solum horrent ac fugiunt, sed ea in caeteris quoque damnant et corripiunt. Hinc pugna nostro saeculo, quod evangelium scelera nostra

arguit, quod ferre nullo pacto volumus. Ioannes ergo, vir sanctus et constans, gravi correptione tam impudens scelus regis adoritur, cuius, si alium sic vidisset peccare, punire interfuit. Sic Davidem Nathan propheta in tam gravi scelere iussu domini in faciem obiurgat.

Metuebat populum.) Hoc in mente tyrannorum primum praeceptum est, ne quem metuant; hoc unum curant ne quis eis resistat, ne quis eorum conatus impediat. Hoc enim semper eos anxios facit quod metuunt ne quis hoc tentet. Vult enim omnia tentare et designare impune. Nec ullis hominibus magis insidias tendunt, quam iis quos sibi obstare posse existimant. Libertas maxime invisa tyrannis. Nec iure agunt aut legitimo ordine contra sibi adversantes, sed vi et tyrannide, quemadmodum in Ioanne sanctissimo et incorruptissimo viro, cuius caput petit tyrannus, videre licet. Exemplum interim proponitur muliebris audaciae. Nam contra naturam foeminarum lupa haec caput viri petit. Natura molles sunt mulieres et ad commiserationem proclives, sed in hac foemina tanta est impotentia, ut non solum viri ferociam non mitiget, sed et ipsa in tyrannidem incidat. Avaritia magis propria est mulieribus, tum etiam in eis periculosior. Quoque vir est magis avarus, hoc plus habet impotentiae muliebris, tametsi hoc vitium commune sit omnibus hominibus, foeminis tamen in primis. Atque hoc vitium magnam et ingentem secum trahit catervam scelerum. In animalibus praesertim volucribus foemellae maribus rapaciores sunt: dicunt in causa esse amorem liberorum, pro quibus tantam gerunt curam. Inconstantiae mater est avaritia: apud quem enim avaritia valet, ab hoc nihil solidi, nihil honesti expectes! in omnibus enim rebus commodum et lucrum spectat, ad hoc omnia et dicta et facta moderatur, Mammonae in omnibus servit, nempe deo suo. Divitiae similes globo sunt, quem pueri inconstantem et volubilem quocunque fertur sequuntur, donec eo adolescant ut ipsi consistant et globum iactitent. De mulieribus in genere loquuti sumus: reperiuntur enim inter eas honestae quaedam, piae et fortes, magnanimae, sapientes, ut videmus in Sara, regina Sabaeorum, et Abigail. Voluptatibus et delitiis natae sibi videntur foeminae, quibus plus addictae sunt quam viri, et minus possunt resistere. Voluptates magnam vim opum requirunt si quis illis satisfacere tentat. Quis vero tam noxium morbum curabit? Solus metus dei. At hic aliud iam est periculum. Nam superstitionibus in primis sunt deditae mulieres, ut vertatur eis etiam religio in superstitionem. Docendae ergo sunt simpliciter non curiose. Astutia enim seu acumen mulierum spicarum aristis simile est, quae aciem quidem habent sed admodum imbecillem: pungunt non perforant. Acus penetrat. Docet ergo apostolus Paulus, ut viris subditae sint in domino, et ab illis discant si quid opus est. Caeterum ipsae fideles sint et domus custodes. Quandoquidem enim viro lapsus causa extitit, decet ut virum iam sequatur, non praeeat, salutem consequutura in educatione et cura liberorum. His ergo rebus intenta sit uxor, nec viro imperet, nec ab eo sciscitetur quid in senatu sit decretum. Haec enim ei materiam suppeditant garriendi. Omnis curiositas fugienda mulieribus, deinde luxus et fastus, in primis autem otium, quod malorum cultorum causa est. Impetibus et adfectibus ut

resistat, virtus in mulieribus infirmior est, nec revocare a scelere quod proposuerunt potest.

Et doluit propter iusiurandum.) Hoc vere scribit Evangelista. Nam Nequam simulabat se dolere, sed fucus erat.

Ac sepelierunt illud.) Sepelire corpora humana officii est ac pietatis, propter spem futurae resurrectionis.

Secessit illinc Iesus.) Non ut officium detrectet, sed ut usque ad mortem opus a deo commissum perficiat. Ipse enim vitae nostrae debebat esse exemplar et forma, non solum docendo sed et vivendo. Nondum ergo hora eius aderat; non ergo mortem fugit, sed dispensat. Sic fecerunt aliquando apostoli, non ut mortem effugerent, sed ut ad tempus furori cederent.

Renunciarunt Iesu.) Mors Ioannis a discipulis eius Christo renunciatur, non quod prius nesciverit (qui omnia novit) sed quod veritatem humanae naturae ostenderet, qui voluit ab aliis hoc addiscere. More humano auctibus et incrementis proficit, ne humanam naturam videatur excedere. Hoc et Lucas testatur, quum dicit puerum Iesum profecisse aetate et sapientia: aetate, id est suo aevo, quandiu scilicet vixit: et sapientia, id est mente.

Ad desertum locum seorsim.) *Κατ' ἰδίαν*, By jm sebs. Quod fortassis peculiarem aliquem locum haberet in quem sese saepius conferret solus cum suis. Tantam vim videtur habere *κατ' ἰδίαν*.

Misertus est turbae.) Miseret Christum turbae, qui prius fugerat tyrannum. Quo exemplo nos quoque docemur, si aliquando etiam fugimus, tamen redire ad eos debere, qui nostra ope indigent, quoties res ipsa postulat. Licet fugere et dissimulare, hac tamen lege, ut dum opus sit rursum adcurramus. Neque fugiamus ex metu aut ex perfidia.

Hic obiter locum ex Hebraeis tractavit, Animalia quorum sanguis etc. Sanguis vehiculum est animae ac vitae, non sanguis ille crassus, sed subtilis, vivus, spiritus, vis et tenuis vapor per quem anima corpori iungitur. Haec Paulus per allegoriam tractat. Quasi diceret: Quid putatis fratres deum hac re voluisse, quod sanguis animalium olim in sanctum sanctorum est illatus, corporibus foris concrematis? Neque enim temere haec sunt facta a divina sapientia. Voluit ergo divinus spiritus hisce ceremoniis aliquid adumbrare, quae futuris temporibus et saeculis ostensurus esset, nempe, quod Christus filius dei, qui est vera vita omnium, per sanguinem adumbratus, aliquando esset venturus. Nam hic sanguis quasi in occulto servabatur; secundum corpus vero extra portam eiectus mortem passus est. Hoc vero quod in Christo semel factum est vere, debet in nobis quotidie fieri. Est enim Christus vitae nostrae exemplar, ut inquit Petrus: Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum ut sequeremini vestigia eius. Exeamus ergo et nos ad eum extra castra, opprobrium eius portantes. Nam quum ille qui erat rex regum et dominus omnium hoc passus est, cur nos idem detrectemus? At haec non de locali duntaxat egressione intelligenda sunt: animo recedendum est ab his terrenis, affectibus moriendum. Nihil proderit locum mutasse, sed animum: si affectum

nobiscum gerimus, nihilo erimus meliores etiamsi ad orbis fines fugerimus. Coelum non animum mutant (inquit Horatius) qui trans mare currunt. Adfectus sunt mutandi et innovandi. Recedat homo ab se ipso, a pravis et noxiis affectibus. Deponat veterem hominem, eumque cum Christo crucifigat et sepeliat. Relinquat tenebras, adhaereat luci. Qui puer et stultus est, adolescat et sapiens fiat. Quidquid loquitur, quidquid agit, in omnibus deum spectet. Qui sic vitam componit, excutit curas terrenas, contemnit quidquid vel promittit vel minatur mundus. Meditatur semper ardua quaedam, ob quae si accidat quidpiam adversi, patientia vincit; modo quod ad gloriam dei et proximorum salutem coepit, ad finem destinatum perducat. Onera quae in navi vehuntur, si solida non sistunt, sed ad motum navis vacillant, navem facile submergunt. Quae vero immota iacent, nec ad motum navis moventur, ab his navi non est metuendum periculum; imo navem aliquandiu retinent. Sic mentes nostrae immotae esse debent, ne ad quemlibet fortunae ventum, aut affectuum impulsum (Caro enim ad procellas vacillat) moveantur et a statu suo deflectant. Sic incolumes per omnem tempestatem et maris huius tumultuosi undas ad expectatam patriam tandem appellemus.

Ascendit in montem solus ad orandum.) Dimissis turbis secedit in montem; locum orationi et contemplationi aptum. Sic saepe reditus sunt ad studia, ad orationes; at benefacere et prodesse aliis praecipuum est officium episcopi. Omnia vero tempus suum habent. Cupiit Paulus dissolvi et esse cum Christo, at suo desiderio utilitatem publicam praeposuit. Christum exemplar vitae nostrae proponamus! is docet ubi opus sit prodire. Nemo sua negligit, qui sana mente praeditus est. Quare hoc? Quia ad rem intenti sumus omnes: si ad opus dei essemus tam intenti, adque publicam salutem: non minus essemus solliciti quomodo proveheretur gloria dei, et salus reipublicae. Sapientia bonum est publicum et donum dei. Gaudeamus ergo hoc inveniri in nostra familia, hoc est, in ecclesia et republica, ne simus invidi. Qui sapientiam habet, non dissimulet, non celet eam, non abscondat, non invideat caeteris, sed ea ad salutem totius ecclesiae utatur. Exempli causa: Materfamilias omnes claves totius domus uno fasce colligatas gestat, nec opus est, ut singuli clavium fascem habeant. Satis est si domina habeat, sed sic ut caeteris omnibus (dum opus est) communicet. Non secus iudicandum est de sapientia: non omnibus omnia dat deus, sed singulis singula, ita tamen, ut communia sint omnibus. Utinam publicis rebus et gloriae dei sic essemus intenti ut nostris! cresceret nimirum usus et fides. Quoniam vero studium deest, sequitur et negligentia, ignorantia et impatientia. Christus docet, cibat populum, et curat ubique. Deinde sese ad requiem et orationem suam confert. Oratio Christi humanitati eius convenit, praesertim quatenus aliquid petit (nam quatenus laus est et interna delectatio etiam deo convenire potest.) Nam in oratione spiritus est et caro. Navis iacta procellis propositum est pii pectoris, et profectus in via dei, et haec multa habet quae sibi obstant in hoc mundo. Veritas multos habet adversarios. Nam Christus, qui est veritas, in signum positus est cui contradicitur. Sic prophetae

sic apostoli. Res autem invincibilis est, et inexpugnabilis veritas; clam ergo et cuniculis quibusdam, non aperto Marte expugnant eam impii. Nemo dicit: Haec est veritas, hanc nolo, sed tribuit veritati nomen mendacii. Nam tanta res est veritas, ut ne pessimi audeant ei in faciem contradicere, et mendacissimi quique veracissimi videri volunt. In aliena ergo persona contra illam pugnant. Neque potest tamen (quantumvis in eam sordes et dedecora iaciant) extingui, sed clarius semper emicat, quod non faciunt aliae res quae sordibus obducuntur. Quod Christus super mare ambulat divinitatis est: quod orat, humanitatis.

Spectrum est.) Sic nobis contingit in dubiis rebus, dum serena sunt omnia, nihil dubitamus; sed ingruentibus procellis frangimur et dubii sumus. Fides dum tentatur vacillat; sed si vera est, non vincitur. Navem veritatis impii subvertere non possunt, quamvis magnopere cupiant.

Ego sum, bono este animo.) Quum Iesus adest et loquitur, omnia in tuto sunt. Et haec ingens est consolatio piorum in omni adversitate. Quis enim dubitabit de eo qui pro nobis filium dedit? Qui Christum, nempe misericordiam dei, recte cognoscit, is interritus est et firma fide. Qui vero deum per Christum non agnoscit, is intus metu perculsus desperabundam habet conscientiam. Oppidum quod intus bellis intestinis scissum est et turbatum, et foris oppugnatum, quomodo stabit? Petrus dum mergit metuit, donec Christus manum porrigit.

Εὐθέως.) Statim, continuo. Hoc subinde additur, ut videamus statim adesse dominum, dum articulus necessitatis est, *ὡς θεὸς ἀπὸ μηχανῆς*, Deus ex improviso, ut videamus auxilium solius dei esse. Tum enim deus opem fert, dum omne auxilium humanum cessat.

Fimbriam vestimenti.) Quod fimbria attacta sanantur infirmi, probatio est certissima et evidentissima, adesse virtutem dei praesentem. In hoc ergo commendat nobis filium suum, non quod vestis sanet aut corporale quid, sed virtus dei in homine Christo. Sed facit hoc, ut nonnihil eorum condonet infirmitati. Sic enim erant persuasi, ut si tantum oram vestis contingerent, sanarentur; iuxta hoc votum praestat eis deus.

CAPUT XV.

Παράδοσις traditio est, Angäben, leer.

Vos autem dicitis etc.) Traditio erat apud Iudaeos, ut quisque ad templi aedificationem aliquid tribueret, quod sane religiosum erat. At hac traditione abusi sunt postea pharisaei et scribae, per avaritiam suam rem eo redigentes, ut multa conferrent homines in gazophylacium templi, praeteritis mandatis dei. Sic olim fratribus mendicantibus propter religionem et probitatem vitae multa sunt data. Hinc monasteria et tantae opes, donec ad summum usque creverunt. Sic sacerdotes et episcopi primum patres erant, quibus dabantur eleemosynae pauperibus dispensandae, decimae et alia. Hoc per abusum in tantum luxum et fastum tandem erupit. Sic apud Iudaeos factum est, ut sacerdotes oblationes in primis urgerent. Huc omnis eorum praedicatio destinata fuit, ut populus multum ad templi fabricam conferret. Coeperunt deinde istas traditiones praeceptis dei praeferre aut certe aequare, adeo ut si pater senex et egens a liberis aliquid postulasset, filius respondere

doctus erat, se hoc dedisse in gazophylatium et donum templi. Ita negligebatur charitas et pietas in parentes, fraudabantur necessariis egeni. Quum tamen dominus dicat per prophetam: Misericordiam et beneficentiam volo, et non sacrificium.

Hic populus labiis me honorat.) Argumentum quod propheta illic tractat est, quod poenas datura sit Hierosolyma, et quod ob scelera eorum dominus ablaturus sit omnes prophetas, ita ut nemo superfuturus sit qui eis praedicat interitum. Causam mox iungit, quod in ore dominum habeant non autem in corde, imo longissime a deo absint eorum mentes. Quidquid enim ipsis dicatur de iustitia, de fide, de supplicio futuro, ipsi rideant et pro somnio habeant. Insomnia mox ut evigilamus abeunt, et omnino animo excidunt, sive tristia, sive laeta fuerint. Nihil proderit deo ore aut labiis adpropinquasse, aut multa de deo disserere, nisi et cor sit cum deo coniunctum. Quibus enim haec dicit sive propheta, sive Christus? Nimirum illis, qui vitae et sanctitatis specie omnibus mortalibus praestabant, pharisaeis nempe, scribis, et sacerdotibus sed hypocritis, qui praeteritis mandatis dei imo contemptis sua docebant. Sic Papistae neglecta veritate et doctrina Christi, sua statuunt, quin doctrinam Christi et verae fidei extinguunt suis traditionibus, enervant vim et meritum passionis et mortis Christi, suamque statuentes iustitiam iustitiae dei non sunt subiecti. Mors Christi remedium est et malagma morborum et vulnerum nostrorum, cuius efficaciam hi non sentiunt, qui peccata sua aut non agnoscunt, aut se suis operibus et satisfactionibus iustificant: non magis (inquam) hi vim mortis Christi sentiunt, quam si emplastrum vivae ac sanae carni imponas.

Omnis plantatio quam non plantavit.) Praeses provinciae non alias debet condere leges quam quas ab imperatore accepit: hoc si fecerit, perfidus est. Sic non debent ministri dei aliud populo proponere quam quod eis a Christo est praescriptum.

Quod in os intrat.) Hoc verbo Christi abutuntur hi, qui sese ingurgitant, vorant, crapulantur, et gulae serviunt. Sed Christus de genere ciborum loquitur, non de modo. Omnis immodestia culpam habet. Non potest ergo hic locus intemperantiae patrocinari. Neque enim dicit: Qui intemperans est, aut qui modum in edendo excedit, non inquinatur; nec modum his verbis excludit. Sic Matthaei ultimo dicitur: Euntes docete omnes gentes baptizantes eos etc. Hic Christus non excludit pueros (sunt enim alii loci qui pueros in ecclesiam Christi includunt), sed aperitur evangelium etiam gentibus, quod antea duntaxat Iudaeis praedicatum erat. Sic quum Christus dicit: Hoc est corpus meum, non includit corpus suum in panem, nec coelo excludit: nam alii sunt loci, qui clare docent corpus Christi sedere ad dexteram dei, ut quum dicit: Et iam non sum in mundo; item: Relinquo mundum etc.

Omnis plantatio.) Sic fieri oportet, sed ingenti negotio. Filii Israel educebantur ex Aegypto, at quadraginta annos vexati sunt in deserto et variis modis exerciti, antequam venirent in terram promissam. Occupata terra plus negotii cum habitatoribus terrae habitum est. Sic excindere regnum Antichristi, vitiorum et scelerum multum negotii fuerit. Nemo ergo cesset, nemo deficiat.

Offensos hoc sermone.) Christus Pharisaeos nihil moratur, quin veritatem intrepide et clare doceat. Sic propheta si vere et ex fide docet, nihil curabit quid quisque loquatur. Hoc enim praecipuum est in dispensatore verbi dei, ut fidelis sit, deinde ut nihil curet iudicium humanum. 1. Cor. 4.

Caeci caecorum duces) Hoc nos consolatur. Nam nos filii lucis sumus non tenebrarum. Dum pugnant contra nos caeci et lucis inimici, ne concidamus: omnes pudefient, et cadent in foveam quam fecerunt, quantumvis pugnent et verberent; modo nos simus prudentes et circumspecti. Qui cum caeco pugnat, observet ictus eius diligenter, et caveat, nec facile laedi poterit. Quod si incautus fuerit, nec oculis illum diligenter observaverit, mirum non est si ab illo quid accidat, idque sua culpa. Insane enim pugnant et imprudenter. Ergo unus qui videt centum caecos vincere poterit, modo prudens sit et vigilans. Bono ergo simus animo: in foveam cadent omnes caeci caecorum duces.

Διαλογισμοὶ non solum cogitationes sunt Gedancken, sed consilia et quidquid homo apud se meditatur aut statuit. Ostendit autem dominus malorum et vitiorum omnium fontem, nempe cor hominis. Et omnia corda hominum qui ex Adam sunt progeniti, has venas et scaturigines habent. Rom. 7. Scio quod in carne mea bonum non habitat. Hoc loquitur talis et tantus vir, tam electum dei organum. Quis ergo sese eximet? Et experimento hoc idem omnes deprehendemus, siquidem penitus nos examinaverimus. Nam quatenus homines sumus et nobis relicti, etiam si quid boni facimus, ob id tantum facimus quod nobis bonum utile aut honestum videtur, non quod deo sic sit visum. Eleemosynam das: laudem affectas aut gloriam, ut scilicet benignum te dicant et misericordem, ut nomen vel post mortem tibi pares, ut duplicia recipias etc. In summa, tua spectas, non gloriam dei aut proximi salutem; adeo nihil boni est in te. Caro vult glorificari, vult sibi bene esse vel cum aliorum detrimento. Amor ergo sui vena est vitiorum et scelerum, quae Christus hic nominat. Proiice pomum duobus pueris, et vide quid fiat et quid uterque tentet. At Christus quaedam hic recenset sub quibus alia omnia comprehendit: sunt enim plura et infinita. Sub concupiscibili et irascibili caetera fere continentur. Sub caede iram, invidiam, litem, contentionem etc. significat. Sub furto, quaecunque proximo nocitura sunt in rebus suis. Sub falso testimonio, mendacia, dolos, fraudes, item convitia etc. *Διαλογισμοὶ πονηροὶ* genus veluti est, deinde sunt spes, invidia, odium etc. Quod si aliquis vel unum ex his sceleribus haberet, odiosus esset omnibus: ut quum diceremus: Hic homo bonus est, sed invidus; perinde ac si quis diceret: Hic homo sanus quidem est et recte valet, sed laborat podogra, aut pustulis Gallicis. Nam utrumque hominem totum deiicit, etiamsi duntaxat unum aliquod membrum occupet. Qui pedibus aut capite laborat, toto corpore decumbit. Non secus est hic: Homo si vel unum peccatum habet, in numerum venit peccatorum recensendus; sat superque habet. Qui invidus est, male loquitur, cogitat malum, laedit proximum, in summa iniquus est et iniurius. Si in unico duntaxat vitio sibi indulget, actum est de iustitia. Quemadmodum mulier impudens, quae fronte

posita se uni duntaxat prostituit, etiamsi alios non admittat: inhonesta tamen est, cor est impurum et corruptum: quemadmodum totus homo aegrotus dicitur, etiamsi digito tantum laboret. Tam vehemens res est affectus carnis et morbus peccati. Qui ergo parva non cavet, facile in graviora cadit. Ex his iam liquet quam miserum et calamitosum animal sit homo, qui non uno duntaxat, sed pluribus vitiis sit obnoxius. Ingenium humanum omne huc inclinat, huc totum incumbit, ut vel sibi prosit, vel alium offendat. Et haec est philautia quae ex diametro cum amore proximi pugnat. Absente charitate nihil fit sine culpa et vitio. Nec potest homo affectus mutare, minus inquam, quam staturam suam aut pilos, ut inquit Christus Matth. 6. Solus deus est qui affectus immutat et emendat: is enim novit ex quibus compositus sit homo. Non potest hoc scire nec Papa, nec Episcopus. Exemplo sit nobis millus aut torques aliquis fabrefactus, et collo hominis impositus: hunc nemo eximere, nemo aperire potest, quam is qui eum fecit. Quanto enim vel serra vel alio instrumento hunc conatur incidere, tanto se laedit gravius. Ad eum ergo properet necesse est, qui millum fabrefecit, nisi de vita velit periclitari. Sic ad deum nobis adcurrendum est ocius: is aliam mentem, alium spiritum indit, is cor lapideum eximit, et carneum ac molle donat. Qui ergo per doctrinam evangelii huc venit, ut philautiam suam agnoscat, hoc est, ut se nihil nisi peccatum esse fateatur, interim sentit adfectus in se minui et immutari, sciat hoc esse a solo deo et spiritu sancto; etiam si gentilis esset qui administrasset foris verbum: nam deus per illum loquutus est veritatem. Qui veritatem loquitur, ex deo loquitur, etiam ethnicus. Qui ex amore sui loquitur, ex carne et homine loquitur. Et haec de differentia carnis et spiritus. Quicunque ergo pravum hoc ingenium carnis et philautiae agnoscit, confitetur, odit, fugit, detestatur, emendat et corrigit; qui aliud sentit, aliud loquitur aut facit, quam dictat caro, ex deo est natus. Quid vero huiusmodi homo porro facit? Voluntas quidem benefaciendi et deo obsequendi adest, at perficiendi facultatem non habet: repugnat enim alia quaedam lex in membris eius legi mentis, hoc est ductui spiritus coelestis magistri, mentis inquam a deo illustratae et innovatae. In pueris clarius, quae dixi, cerni possunt. Morbum peccati habent utcunque ignoratum et incognitum. Nesciunt enim quid rectum sit, quid iniquum, omnia recte facta arbitrantur. Pueri nihil de iusto aut aequo interrogant, sed de libis aut placentis potius, aut de aliis rebus noxiis; de sanctis et divinis rebus nihil sciunt donec doceantur. Reviviscente lege, reviviscit morbus in eis, quo cognito et improbato signum est adesse spiritum fidei. Ubi fides est, peccatum displicet et dolet, pugnatur contra peccatum. Sic placuit domino ut fideles reliquiis peccatorum et affectuum exercerentur, ut corpus subigeretur, quemadmodum si quis asinum gravissimo aliquo onere oneret, et per viam lutulentam et coenosam agat. Hic non est standum asino, nec cadendum etiam: quod si cadit, mox surgendum est et progrediendum. Sic homo ad laborem et pugnam natus est. Hoc nos humiliat, hoc nobis cristas deprimit, et superbam ac fastuosam mentem frangit: docet orare, gemere, flere coram domino: docet petere auxilium a deo, ne in tenta-

tionem inducat: docet cavere futuros lapsus et coelestia meditari. Et hi quidem morbi sunt vitiorum ac animi, ut interim de caeteris huius temporis et vitae calamitatibus taceamus, quae infinitae sunt. Ut vivere in hac vita nihil sit, quam Sisyphi saxum volvere. Potest et vita pii hominis prudenti forti et perito gubernatori assimilari, qui ingruente tempestate in mediis undis et procellis clavum moderatur, et per mare turbulentissimum ad portum magno conatu contendit. Iam undae navim replent, mox dissilit aliquid; at is infracto pectore ventorum vim perrumpit, reficit navem, foramina et fissuras obturat, aquas exhaurit, remis contendit, neque ab his cessat donec vel portum attingat vel in medio pelago mergatur. Mors hominem semel omnibus calamitatibus eripit et liberat. Et quum omnia fracta sunt, nudus tabula aliqua enatat. Fides gubernator est qui clavum tenet, haec omnia vincit, novit quidem imbecillitatem nostram, non tamen cessat sed in finem usque laborat et perseverat, orat, vigilat, nusquam socors, nusquam cessans, et vilibus instrumentis ac fractis ad portum indefesso cursu contendit. Quandoquidem vero huiusmodi mala ex corde omnia originem habent et illinc scaturiunt, descendat homo saepe in sese, et fontem huius mali inspiciat et examinet, obturet venas, expurget sordes. Hoc vero (ut queritur poeta) nemo facit, omnes hypocrisi student, nemo solidae et verae pietati.

Digressus illinc venit in partes Tyri.) Typus est, recedere Christum ab iis, qui mandatis hominum nituntur praeteritis dei mandatis ac praeceptis: involvuntur hi tenebris et erroribus, reiiciuntur, et alia gens recipitur. A Iudaeis contemptoribus ad gentes transit, apud hos mulierem invenit, quae eum laeta excipit. Quae olim Chanaan, iam Palestina vocatur, Syriae pars.

Amanda illam.) Hoc est, Da ei quod petit, gwãr ſy. Nec possunt Papistae hinc divorum intercessionem probare: nam divi adfectibus nostris non tanguntur, nisi felicitatem eorum dicamus interrumpi nostris malis. Alienis enim malis compati aut illa sentire, dolorem ingerit, quem sancti non habent. Secus est de iis qui hic nobiscum in terris vivunt, de quibus dicit Paulus. Alter alterius onera portemus, et gaudeamus cum gaudentibus, doleamus cum dolentibus. Ut interim taceam non exauditos esse apostolos. Quod primum ne verbum quidem respondet, deinde mox durius alloquitur, docet in oratione perseverandum esse.

Non sum missus.) Haec una est ex sententiis quae non in universum verae sunt, sed ad tempus tantum. Quasi diceret: Antequam moriar, non exibit evangelium ad gentes. Neque verbum hoc gratiae dei et electionis aeternae ostium claudit. Habuit enim ante incarnationem et post mortem suam suos electos etiam inter gentes, quibus veritatem manifestare, et quos servare voluit. Durat ergo hoc verbum tantisper, dum Iudaeis reiectis gentes ad ecclesiam recepti sunt. Voluit autem Iudaeis peculiariter manifestari et gratiam suam augustius offerre, ne omnino excusationem ullam haberent.

Domine adiuva me.) Sic solemus in anxietate et dubiis rebus loqui, nescii quid dicamus non procul a desperatione. Quasi diceret,

Adiuva quocunque id fiat modo! scio te id posse. Vide quam sollicita sit pro salute filiae: sic nos solliciti debemus esse pro aliorum salute. Sed dominus adhuc durius eam alloquitur, ut scilicet fidem eius provocet. Non est bonum, *καλὸν*, Füglich, ziemlich, billich.

Nam et catelli edunt.) Hic se aperit pectus humile et fidele. Nam quae modo gentibus impertit Christus, micae sunt duntaxat; postea vero mensam instruit, et epulum splendidissimum apponit per Apostolos, ad coenam suam universos invitans.

O mulier magna est fides tua.) Ingens est fiducia cordis tui erga me, credis me servatorem esse, cuius gratia non uni duntaxat genti alligata sit, intelligis me non Iudaeis solis missum esse. Hoc mysterium apostoli sero intellexerunt, et tandem post acceptum spiritum gentes vix ad fidei consortium admiserunt, Act. 11. Dicit quis: Cur non statim ab initio eam exaudivit? quum tamen fidem haberet antequam eum accederet: certo enim erat persuasa auxiliaturum esse dominum. Sed fidem eius notam facere voluit Christus coram toto populo, ut exemplo illius disceremus et nos. Quin et hoc mulieri profuit, ut ei virtus dei innotesceret, ex qua deinde mota magis glorificaret deum. Nam (ut caro nostra nequam est) si statim eam exaudisset, dicere potuisset aut saltem cogitare: Temere hoc factum est, erat enim gentilis mulier. Sic differt nobis deus quaedam, nec statim praebet quae postulamus, ut fidem nostram provocet, exploret, exerceat, ut variis tribulationibus clarior fiat. Voluit hoc exemplo docere alios, quomodo omnia impetraret fides constans et perseverans.

Proiiciebant aegrotos ad pedes Iesu.) Vehementiori verbo pro mitiori usus est evangelista Hebraico more: Ponebant aegrotos ante eum. Emphasim habet humiliationis et agnitionis. Ex his miraculis evidentia divinae virtutis innotescit etiam indoctae plebi, et laudatur ab omnibus. Nam ita eos sanavit, ut omnes viderent et admirarentur.

Deum Israelis.) Hoc est illum deum quem colebant Israelitae, vel qui in Israel colebatur: ut in Psalmo est, Notus in Iudaea deus, in Israele magnum nomen eius. Gens illa chara fuit deo suo, et adhuc hodie, quantumvis obstinata, meretur aliquid commiserationis et reverentiae ob patres et Christum.

Miseret me turbae.) Semper condolet dominus nostris calamitatibus. Oculi domini super iustos. Intentus ad nostras miserias curat, prospicit, liberat, salvat.

CAPUT XVI.

Pharisaeorum sectam inter alias potiorem fuisse Iosephus testis est. Sectas vero cum apud Iudaeos tum Christianos genuit hypocrisis, quae quo maior est, eo maior et augustior fuit secta. Quod Cartusiani caeteris factionibus praeferuntur et religiosiores habentur, in causa est, quod hypocrisis eorum caeteras omnes antecellit. Sic Pharisaei potiores erant et honoratiores, hoc est, fuerunt maiores prae caeteris hypocritae. Qui sine spiritu in scripturis sacris versantur multum carnis multumque erroris exugunt, et ratio humana curiosa est. Sic Sadducaei angelos ac spiritus negabant, quod ipsis sic videbatur, plus

credebant argutiis suis et curiositati suae, quam divinis literis. Ratio eorum sic dictabat, Deus omnia potest suopte Marte, ergo angelis nihil eget; angeli ergo nulli sunt. Scriptura vero angelos esse testatur, sicut et alias creaturas. Quod si sic ratiocinari liceret, nihil esset: Nam deus nostri nihil eget, neque ullius rei indigus est; consequitur ergo (iuxta hanc rationem) neque hominem, neque alias res esse. Vide autem quam hoc sit absurdum, quum non solum homines esse videamus, sed etiam caeteras creaturas, quae omnia deus creavit certa ratione ad gloriam suam et nostram utilitatem. Nam quid eget deus sole? quum sit ipse lux inextinguibilis? sese fruens, sese illustrans etc. Discamus ergo deum cognoscere in rebus ab ipso creatis (In hunc enim usum omnia creavit, ut sese agnoscendum et fruendum nobis daret.) Nam in omnibus rebus creatis vestigia quaedam sunt et notae divinitatis: in angelo discimus quam purus et subtilis spiritus sit deus: in homine, quomodo se communicet et impartiat etiam carni: in animantibus vitam videmus et motum: in plantis sensum et augmentum: in lapide perspicitur soliditas et immutabilitas. An vero is non vivit qui omnibus dat vitam? Et fortem ac solidum esse oportet, qui tam firma et solida corpora format, ut montes et saxa. Sic transcurre et descende per singula, ab angelis ad res minutissimas et vilissimas, et reperies vestigium aliquod dei, et nihilominus singulorum gradus. Angelus propior est deo quam sit homo, homo propius accedit quam bestiae, sic de caeteris. Nemo ergo ingenio suo aut rationi fidat, sed vim dei, ordinem universi, et scripturae authoritatem expendat in omnibus. Hoc si omnes facerent, non essent tot sectae totque errores et dissensiones in ecclesia Christi. Pharisaei et Sadducaei licet inter se plane dissentiant, in veritatis tamen oppugnatione omnes consentiunt, ut patet Matth. 22. Act. 22.

Rogabant ut signum e coelo ostenderet.) Varia sunt signorum genera. Sunt signa naturalia, ut pluviae signum est si mane coelum rubeat; si tumet et rubet facies, ebrietatem indicat. Et pudor ac impudentia in fronte adparet. Sunt signa morum, ut si vetula cantillat, et veste meretricia utatur. Et haec etiam diversa sunt, quaedam peculiaria, quaedam communia. Peculiaria, ut si quis ridendo aliquem trucidat; alius deinde ira effervescit. Signa factorum, quae inter coniecturas pertinent, ut si quis evaginato et cruento gladio effugerit, et inventus fuerit aliquis interfectus. Item si quis vulnus a tergo habet, satis testimonii est, adversarium non a fronte sed insidiis eum impetiisse. Hoc enim signum multis testimoniis quae diversum testantur praevalet. Signa deinde sunt prodigiosa et portentosa, quae inter miracula recensentur, et haec videntur petere pharisaei a Christo, ut repentinum aliquem motum aut tonitru. Si signa morum recte perpenderemus et observaremus, multa hinc nobis futura esset utilitas. Si scilicet observaremus quibus signis se prodant pensionarii, et sanguinarii milites, patriae proditores, quomodo animos suos vendiderint, et in omne scelus desponderint, quid loquantur, qualiter vivant, quid agant, quibuscum habeant consortium, quid moliantur: sic quoque in reliquis sceleribus. Iudaei multa signa viderunt, nec tamen meliores

sunt facti. In causa fuit, quod signa non rite et diligenter expenderunt. Videbant caecos illuminari, claudos erigi etc. sed non audierunt dominum ut meliores evaderent, nec adhibuerunt doctrinam Christi medelam suis affectibus et morbis. Sic et nos facimus: audimus quotidie verba dei, sed manemus in sceleribus, nec resipiscimus. Miracula postulare ac signa petere, curiositatis est et ex infidelitate nascitur: fides minutissimos flosculos expendit et miratur, ex omnibus rebus creatis creatoris laudem et gloriam decerpit. Si iam scelerum signa bene observaremus, sequeretur in nobis resipiscentia et vitae innovatio; disceremus cavere scelera et sancte vivere, caveremus ab offendiculis, et si alii non resipiscerent et meliores redderentur, servaremus tamen nos ipsos immaculatos et incontaminatos.

Signa temporum.) Tempus pro ipso articulo temporis capitur, quum vel divina bonitas adest, vel imminet vindicta. Quum veritas manifeste praedicatur, et contumaciter veritati repugnatur, signum certissimum est imminere vindictam dei. Nam ubi scelera sic vigent et exundant, ut palam ausint homines impune veritatem contemnere et blasphemare, necesse est ut veniat ira dei. Exemplo sunt prima saecula quae inundatione aquae perierunt. Et Sodoma cum circumiacentibus oppidis, quae igne absorpta sunt. Quum Ninivitae mensuram scelerum expleverant, misit dominus Ionam prophetam ut aut resipiscerent aut pessum irent. Sic deus me vobis misit et Ioannem: nisi ergo resipueritis, in peccatis vestris moriemini, extrema experiemini. Haec signa temporum non attenditis. Revolvite historias veteres, scrutamini scripturas, expendite omnes occasiones, et reperietis tempus adesse, quo dominus vobis Messiam venturum esse promisit. Is iam adest et salutem aeternam offert, hic est per quem benedictionem et felicitatem consequemini, quem si non receperitis: tempus ultionis et vindictae divinae instat, ut aeternum pereatis. Dicunt et hodie quidam: Nescio quid sacerdotes nostri praedicant, olim in Papatu de divis pulchra quaedam dicebantur, iam illorum nulla fit mentio; quasi vero praedicandum sit, quid deus in coelo agat, et non potius quid nos in terra agere conveniat. Quum igitur tanta sit hodie consceleratio, signum aliud nullum expectandum nobis, quam extremum excidium.

Signum non dabitur nisi signum Ionae.) Fuit hoc factum typus mortis et resurrectionis dominicae, quum Ionas sepeliebatur in mari in utero ceti tribus diebus et tribus noctibus, tertia die evomuit eum piscis in littus. Quasi diceret Christus: Hoc signum dabitur vobis: quem vos persequimini et morti tradere cupitis, a morte rursum resurget, ut vivat et regnet in aeternum. Observemus ergo fratres diligenter signa nostrorum scelerum, et certi simus, nisi resipuerimus, adesse vindictam dei. Et signum simus caeteris ut et ipsi resipiscant et iram dei nobiscum effugiant.

Cavete a fermento pharisaeorum.) Aperte innuit Christus se verum et fidum esse praeceptorem. Quemadmodum pater et praeceptor iueri mores format, et totam vitam recte instituit, ab omni re occaponem docendi et pravos mores discipuli corrigendi arripiens: sic Christus quoque facit. Filius ebrius dicit: Vinum hoc anno infeliciter

proveniet. Pater hanc vocem excipiens, respondet: Et quidem tibi (ut videtur) heri infeliciter cessit vinum, taxans interim filii temulentiam et ebrietatem. Sic divina veritas a quacunque re ansam docendi decerpit. Nam hypocrisis in omnibus rebus vult videri, et simulat se esse bonam, sed veritas semper obviat, et hominem sibi cognoscendum proponit. Primum monet Christus, ut caveant a doctrina et moribus pharisaeorum. Deinde quum verba eius non intelligerent, imbecillitatem fidei in eis taxat. Tertio docet alio respiciendum esse quam in corporalem panem. Est autem apta metaphora fermenti: Sicut enim fermentum totam massam acidam reddit et fermentat: sic doctrina totam vitam vitiat. *Διελογίζοντο* inter se colloquebantur, ut de re dubia, Beſpraachtend ſich vnder einander. Homo nihil vult agere, de cuius fine apud se non sit certus, nec fidit deo, et haec est fidei imbecillitas aut modicitas. Fidere oportet ei, qui fallere non potest, qui omnia ad destinatum finem perducit. Tam est bonus ut nec velit nec possit malefacere, tam sapiens ut errare nequeat, tam potens ut impediri nulla re possit, tam fidelis et verax ut mentiri nolit, nec etiam possit. Ne ergo pusillanimes aut nimis solliciti simus, neque diffidamus in rebus dei.

An non memoria tenetis quinque panes?) Ex his verbis intelligimus duas fuisse cibationes, unam ex quinque panibus, alteram ex quatuor, diverso tempore, diversoque loco factas. Per fermentum doctrinam intelligere possumus, hypocrisim et totam vitae rationem ac institutum, professionem, disciplinam: Jr wäſen, läben, ſect, glyßnery, vnd alles damit ſy ummgond. Non vult dominus, vt populus suus hypocrisi vitietur et corrumpatur. Nam hypocrisis aut gloriam, aut lucrum quaerit. Sanctimoniam simulare nocentissimum est venenum. Monachi, Nonnae, et sacrifici tantisper innocentiam et vitae sanctitatem externo cultu simularunt, donec omnem mundi gloriam et opes ad se raperent, quasi non ipsi soli essent sancti, sed et alios sanctitate et coelo operibus suis donarent. Interim omnes mortales sceleribus et vitiis scatebant, corradentes undique ut illis tribuerent, per quorum sanctitatem sibi salutem pollicebantur. Oramus (inquiebant) interim dum vos somno indulgetis. Ab hoc ergo nocentissimo fermento dominus suos praemonet, et cavet ne hoc pessimo vitio contaminentur. Consuetudo cum malis corrumpit hominem. Si ergo discipuli Christi rationem pharisaeorum et eorum institutum imitari voluissent, fuissent inquinati. Vitandum ergo malorum hominum consortium his, qui vitae viam ingredi volunt. Avocat dominus suos ab illorum doctrina et vita, qui sanctissimi erant in toto orbe, si hominum iudicium spectetur. Ideo dicit: Nisi abundaverit iustitia vestra etc. Matth. 5. Aperiamus ergo fidei oculos et facile malos vitabimus. Quod vero eos non cognoscimus et cavemus, partim venit ex caecitate, partim quod nos ipsi clam impii et scelerati sumus.

Filium hominis.) Saepe se Christus sic vocat, ut nobis clare ob oculos ponatur, et subinde refricetur, ipsum esse verum hominem propter nos factum, per omnia nobis similem absque peccato.

Alii Ioannem Baptistam) Ut supra patuit 14. cap. Nam He-

rodes in hac fuit opinione. Quae autem causa est quod Christum pro Ioanne, Helia, aut Hieremia habent? Nimirum quod tanta esset consceleratio Christo praedicante, quanta olim sub istis prophetis. Deinde quod Helias et Hieremias in veteri, Ioannes in novo testamento constantissime scelera taxarunt, et se illis ut murum aeneum opposuerunt, etiam cum capitis periculo. Severissimi zelatores gloriae dei et iustitiae fuerunt. Sic et Christus severissime et acerbissime scelera insectatur, praesertim pharisaeorum hypocrisim, avaritiam, et fastum. Colligi hinc potest creditam id temporis Iudaeis παλιγγενεσίαν et μετεμψύχωσιν, de quibus Iosephum videre potes.

Quid vero vos de me?) Quandoquidem omnes quaerit Christus, solus autem Petrus respondet, manifestum fit, Petrum pro omnibus respondisse, qua responsione Christus est contentus. Quod clarius fit ex cap. 6. Ioannis, ubi dicit Petrus, Nos credimus etc.

Christus filius dei vivi.) Filium dei vocari omnibus piis commune est. Hoc Arrianos fefellit, ut dicerent Christum non esse deum, sed filium dei, quemadmodum reliquos fideles. Verum vocabulum Germanicum, Sun, augustius quiddam et maius sonat, quam vel Ben Hebraeis, vel Graecis παῖς, Sun iſt thürer dann kind. Ben non solum filium significat sed puerum. Sun generationem essentialem connotat et substantialem, Ein eelicher anerborner natürlicher ſun, ex substantia patris genitus. Secus est si dicas, Kind. Kinder ſind ouch qui adoptantur, ideo dicimus Germanice, Wir ſind kinder Gottes, Aber Chriſtus iſt ein ſun Gottes. Nos non item.

Christus unctum sonat. Nam reges ungebantur unguento sacerdotali, de quo Exod. 25. Tu es haeres regni, tibi data est omnis potestas a deo patre in coelo et terra. Nam tantum sonat: Tu es Christus filius dei. Solet post regis obitum unigenitus regis filius inungi in regem, constituitur haeres regni. Sic tu o Christe, idem es cum patre, unicus patris filius eiusdem naturae, substantiae et essentiae, eiusdem potestatis ac omnipotentiae. Nos adoptionis filii sumus, non naturae.

Qui in hunc mundum venisti.) In mundum venire periphrasis est pro hominem fieri, seu humanitatem assumere. Tu qui deus verus es, pro nobis hominem assumpsisti. Quum impossibile esset, ut homines servarentur, aut ut irae ac iustitiae dei satisfacerent, misit deus filium suum in mundum, ut carne nostra assumpta nos in filios adeoque haeredes dei adsciseeret, et in sese constitueret. Ipse filius est verus et aeternus, nos eius fratres et cohaeredes, ipse dat vitam et salutem, imo ipse est vita, Ioan. 3. Voluit semel aperire sinum misericordiae suae, et charitatem universam hominibus effundere, ut certum haberent gratiae et charitatis pignus, ut securi essent de eius benevolentia et indubitato ei fiderent. Qui filium dedit, quid negare potest? Rom. 8. Qui in hunc filium dei credunt et fidunt, hi filii dei sunt et haeredes, et vitam aeternam habent.

Caro et sanguis.) Periphrasis est hominis. Caro et sanguis haec non recipit, quod deus fiat homo, et quod per illius mortem totus mundus reviviscat et servetur. Homo sic ratiocinatur, Tu peccasti; ergo tu lues poenam aut satisfacies ipse: nam sic habent contractus

humani. Qui vero credit, quod per Christi mortem totius mundi peccata expientur, ab alio praeceptore hoc didicit, nempe a deo. Ante thronum gratiae et misericordiae procidamus oportet, et fidere eius bonitati, ut docet Christus Matthaei 18. cap. Fides ergo non ex carne est et sanguine, sed ex deo. Caro et sanguis, id est, homo nequit expendere quod partim bonum eius tam est exiguum, partim quod peccata eius tam sunt multa et ingentia, ut ei ad deum venire sit impossibile, et hoc ex philautia nascitur. Quum vero incipit cognoscere et credere, quod suis viribus sua iustitia servari et iustificari non potest, sed gratuita dei misericordia, haec iam scientia aut cognitio a solo deo venit, e coelo venit desuper, coelitus regeneratus est hic homo, et vitam coelestem auspicatus est, homoque est plane coelestis, incipit ei displicere vita prior, abhorret a peccatis, flet, lacrimatur et agnoscit se peccatorem esse coram summa ista maiestate, expurgat quotidie quod commisit, dolet de praeteritis, cavet futura, quum cadit mox resurgit et ad deum accurrit, accinctus ad pugnam contra hostem in continua statione est etc. Carnalis vero homo semper invenit, quo peccatum suum aut excuset, aut certe elevet, quo bonum suum exaggeret et depraedicet. Quamdiu vero nobis adhuc placemus, quamdiu magni in oculis nostris sumus, filii dei nondum sumus. Quandoquidem igitur in Christo filio dei in filios dei cooptati sumus, debemus toti esse conversi in Christum, et in hunc unum oculos coniicere, et per hunc in deum, cum magno tremore procidentes ante thronum gratiae, coram summo rege tanquam servuli vilissimi, et ut ancillae coram filia regis. Qui deformis est, formosus sibi videtur, donec aliquem se pulchriorem viderit; tum demum sibi displicere incipit, turpem se et deformem agnoscens. Sic miser homo sibi placet, se magnifacit et extollit, donec deum cognoscere discit. Agnito deo et se agnoscit, ac sese cognito se deiicit et abiicit totum, solum deum magnifacit, adorat et admiratur.

Tu es Petrus, tibi dabo.) Hoc loco abusus est Papa in contumeliam dei: nam sibi potestatem remittendi peccata attribuit. Alii pii hunc scopum observant, ut soli deo gloriam omnem tribuant, in nullam creaturam hanc derivantes. Maledictus qui confidit in homine. Tam latus, tam ingens et capax est hic scopus, ut omnium hominum corda concipere possit; quo quisque ab hoc scopo magis aberrat, hoc a salute et vita longius abit. Petrum autem eum nominat, quod veram petram cognoverat et confessus fuerat, Christum videlicet, super quam et ecclesia est collocata et fundata. In Germanica lapsus facile fieri potuit, Vff den velſen, sed Latina omnem dolum et dubitationem excludunt: dicit enim: Super hanc petram, non super hunc Petrum. Neque dubium est quin de se loquatur. Neque est amphibolum aliquod, quum dicit: Super hanc petram, quam tu confessus es, a qua et tibi nomen indidi. Petrus ergo omnium fidelium personam hic gerit ac repraesentat. Nam quemadmodum a Christo Christiani, ita a Petro Petri dicimur, si eandem fidem fuerimus professi quam Petrus, si credimus Iesum esse Christum filium dei viventis, qui in hunc mundum nostri causa venerit.

Adversus eam.) Relativum (eam) referri potest vel ad petram vel ad ecclesiam, videtur tamen commodius ad petram referendum.

Portae inferorum.) Portae urbium munitissimae sunt fere et propugnacula firmiora habent. Significat ergo omne robur, omne munimentum. Per inferos omnem vim contrariam et satanicam, omnem hostis impetum intellige. Neque satan, neque mortis metus, neque inferorum terrere fidelem potest. Magnae sunt hae et firmissimae promissiones, quae fidelium conscientias tranquillant et consolantur. Idem est quod Paulus dicit Rom. 8. Nulla condemnatio his qui sunt in Christo Iesu. Qui ergo deum per Christum, quia peccatores sunt, accedere verentur, nondum vera fide imbuti sunt. Nam qui vere Christo fidunt, nec mortem, nec inferos timent. Aut enim se in barathrum scelerum non praecipitant ut inferi sint eis metuendi, aut si per infirmitatem cadunt non desperant, sed fugiunt fide ad Christum.

Tibi dabo claves.) Promittit hic claves non dat, sed tum tandem cum a mortuis resurgit, Ioan. 20. Claves autem aliud nihil sunt quam praedicatio evangelii, quas dat Christus apostolis, quum eos in orbem praedicaturos amandat. Nam illic dicit: Sicut misit me pater et ego mitto vos. Comparatio est non aequiparatio. Nam Christus fuit a patre missus ut esset redemptio totius mundi; non sic apostoli, qui duntaxat ad praedicandum mittuntur. Quemadmodum vero Christus a patre fuit missus in salutem totius mundi, sic et apostoli fuerunt missi ut praedicarent hanc salutem, ut qui crederent eorum praedicationi servarentur, ac si ab ipso Christo audiissent, ut alibi dicit: Qui vos audit me audit.

Quorum remiseritis.) Hoc Papa ad se vel invitum trahit. Sensus idem est cum eo quod dicitur Marci ultimo: Praedicate evangelium omni creaturae! Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit etc. Hae claves vero non Petro tantum datae sunt, sed et caeteris discipulis omnibus. Praedicare evangelium est, ac si quis afferret claves hominibus, quibus regnum coelorum reseratur.

Tunc edixit discipulis etc.) Dicis, Cur supra 10. cap. iussit eos praedicare regnum dei, hic autem interdicit? Ante mortem non voluit sic manifestus fieri per praedicationem apostolorum, sed per suam praedicationem et divinam virtutem quae miraculis conspiciebatur. Neque enim tempus ea divulgandi adhuc aderat. Qui ergo Petrus est, hoc est, qui petrae Christo fidit et nititur, qui hunc Christum suum et servatorem agnoscit, is firmiter in eo stabit et immotus; illius gratia omnia faciet et patietur, quemadmodum et Christus fecit. Quod si nostra plus amamus quam veritatem et iustitiam, nondum stamus in hac petra.

Quod ipse esset Iesus Christus) Id est filius ille aeternus dei servator et medicus totius mundi: tantum enim pollent haec verba, Iesus Christus, ut supra patuit. Primum lapidem iecit Christus praedicando et miracula faciendo. His enim se cognoscendum dedit, ne si hoc ab apostolis fieret, videretur ab ipsis in gratiam et favorem Christi fieri.

Ac multa pati.) Posteaquam interrogasset ab eis (ut scilicet confessionem ipsorum extorqueret: ipse enim novit omnia) quid de se sentirent, et responsionem eorum accepisset, se scilicet esse filium illum

dei vivi Christum et servatorem, iam proponit eis manifeste se passurum esse et moriturum, quod carni (etiam fidelium) grave est et difficile, quod is scilicet, qui filius est dei, mortem debeat obire. At iuxta humanam duntaxat naturam moritur Christus, tametsi toti Christo attribuitur propter utriusque naturae unionem aut coniunctionem. Ut si dicas hominem graviter vulneratum, qui tamen iuxta corpus duntaxat vulneratus sit: animus enim ferro vulnerari non potest. Discipuli existimabant eum super solium Davidis sessurum in perpetuum, et restituturum regnum Israelis corporale, omnia carnaliter intelligentes, quae in prophetis de regno Messiae scripta sunt. Ut ergo Christus hanc carnalem opinionem e cordibus eorum eximeret, de morte sua mentionem ingerit. Quasi diceret: Quod me filium dei et totius mundi servatorem agnoscitis, recte facitis: videbitis enim me cum gloria resurrecturum et in coelos ascensurum: at in hoc erratis graviter, quod regnaturum me hic in terris carnaliter opinamini. Dico ergo vobis, quod mihi semel est moriendum, idque Hierosolymis; sed tum tandem videbitis me revicturum, et tum se exeret virtus dei. Seniores et sacerdotes in meam mortem conspirabunt, hoc est, saecularis et ecclesiastica potestas contra veritatem, quam praedico, insidias tendent, imo omnis potestas et vis huius mundi. Docebat Christus sanctitatem pharisaeorum et sacerdotum fucum esse et hypocrisim, taxabat eorum avaritiam, fastum, perfidiam, superstitionem et falsam religionem. Sic hodie videmus omnem potestatem huius mundi contra Christum saevire. Qui semper luxui et voluptatibus fuerunt deditissimi, et ad hanc rem totius mundi divitias corraserunt, et eas mordicus adeo tutati sunt, ut principum nullus potuerit eos in ordinem cogere (semper enim immunitatem ecclesiae praetexuerunt): hi iam contemptores divitiarum facti opes ingentes profundunt, et in evangelii eversionem principibus et militibus largiuntur. Quum Christus praedicaret, vulgus ei adhaesit et turmatim ad eum adcurrit. Posteaquam vero potestas publica contra Christum furit, iam omnes Christum deserunt et eum ad crucem postulant. Mobile enim vulgus cum principe mutatur semper. At post resurrectionem versa vice ad praedicationem Petri multa millia ad fidem concurrunt. Quod discipuli ex verbis Christi turbantur, nec intelligunt quid velit, causa est, quod non capiunt qui fiat ut filius dei moriatur. At hunc moerorem mox eximit eis Christus, quum de resurrectione mentionem subiungit, quae tertia die mox a morte sit futura. Sic percutit dominus et sanat, deducit ad inferos et reducit. Deus nunquam punivit aliquam gentem, quin prius miserit prophetas suos ut praemonerent eam, et vindictam dei indicarent, atque ad poenitentiam revocarent. Vita nostra nihil aliud est quam iter quoddam ad mortem, quotidie propius accedimus; at mortem resurrectio sequitur, quemadmodum Christi vita cursus quidam fuit ad crucem et gloriam aeternam. Habemus et nos nostram Hierosolymam, habemus scribas, pharisaeos, sacerdotes, seniores, qui nos sine fine insidiis, odiis, et persequutionibus petunt, sed nihil possunt quam corpus perdere. Sic in Christo corpus adflixerunt et cruci adfixerunt. Ad resurrectionem et vitam nos promovent. Ex his ergo consolationem capiamus, ut laeti crucem nostram tollentes

Christum sequamur. Quemadmodum enim resurrectio Christi exhilarat et consolatur apostolos: sic consolationem nobis adferre debet resurrectio et vita perpetua quam Christus suis promittit. Discamus quotidie mori cum Christo. Baptismo enim eius morti sumus inserti, ut una cum Christo vivificati resurgamus et vivamus. Nemo mortem horreat, nemo fugiat, nemo queratur sibi vim fieri dum moritur. Nam quod omnibus ex aequo est constitutum, si contingat: quis de iniuria conquerī potest? Et Christus ipse mori voluit, ut praeiret nobis. Omnes mortem expectamus, quemadmodum is qui manus ad tergum revinctas habet, et carnificem expectat, qui de eo sumat supplicium.

Et quum abduxisset eum Petrus.) Iterum est προσλαμβάνεσθαι assumere docendi aut corrigendi gratia, ut in epist. ad Rom. 15. Assumite vos invicem etc. De quo supra. Christus pro nobis moritur; nullus est homo qui pro alio moriatur, omnes nostra quaerimus, non quae proximi. Neque Petrus pro Christo mori vult, tametsi eum a morte absterrere conatur.

Satan.) Hebraice impeditorem aut adversarium significat. Satanes sunt, quicunque quacunque occasione nos a deo, a iustitia, a veritate abalienare et abducere conantur. Veri Christiani quidquid dicunt quidquid agunt, ad scopum aequi et veri collineant; hoc eorum votum est unicum, ut veritatem et iustitiam asserant, iniustitiam et scelera exigant ac puniant. Hic satan mille artifex blandis se sermonibus interponit, hacque ratione iustitiam et veritatem impedire nititur. Qui ergo prius Petrus erat in confessione et agnitione petrae, iam quum contra petram loquitur satan fit.

Qui vult venire post me.) Monet nos hisce verbis Christus, ne sinamus nos a veritate abducere, quemadmodum nec ipse Petro suadente abduci potuit. Ostendit se iturum ad mortem, ut exemplum nobis praeferat, ut et nos parati simus ad ferendam crucem, et ad abnegandam nostram voluntatem. Christum sequi, est pie et iuxta formam a Christo praescriptam vivere. Qui eum hic sequuntur, etiam ad aeternam vitam venient. Sed prius per humilitatem et crucis viam eundum nobis, Philip. 2. Humilitatem gloria sequitur. At pauci sunt qui vere humilientur, omnes sibi palpant. Quidam simulant nescio quam humilitatem gestu et vestibus, sed haec non est vera modestia. Modestia vera est res humiles cogitare. Nam qui alta cogitant, superbi sunt et fastuosi: nihil enim agunt, quam ut magni fiant et in altum extollantur. Magna cogitare ut prosis reipublicae et proximo, vera est humilitas et magnanimitas: sed se quaerere in illis, superbia est et ambitio, quam Christus hic frangit, et vult ut eum sequamur. Omnes philautiam habemus ex Adam. Nam mox ut serpens dixit eum deo similem fore, cogitabat quomodo id assequeretur, et cecidit per superbiam mentis. Haec est impotentia carnis corruptae. Nam impotentia est, si quis ultra vires quid tentet, et videri tamen vult quasi possit. Et hoc ingenium nobis agnatum est, ut nostra magnifacianus, aliena elevemus. Hoc in vestibus animadvertere licet, quae quantumvis sint sordidae, si nostrae sunt, laudamus, et magis placent, quam hae quas alii habent. Sic de sermone, de consiliis, de liberis nostris, imo de negotiis omnibus iudicandum

est. Philautia non videt quid sibi desit, nec credit si ab alio indicetur. Hanc veteris Adae contumaciam et superbiam frangere conatur Christus. Christum sequi est, mores eius et vitam imitari. Qui terrenis dominis placere volunt, moribus illorum se conformant et filiorum suorum vestes gerant necesse est. Humilis fuit Christus; licet deus, exinanivit tamen se ipsum formam servi accipiens. Quod si tu is esses, qui tibi videris, opus est ut cum Christo descendas et proximo in bonum servias. Sapientissimus et summus sis licet, donum tamen dei est, quo tu abuteris, si tibi places et non prodes. Hanc animi nostri pravitatem non tanto studio contundere et frangere conamur, quanto erat necesse. Sese abnegare nihil est aliud quam hanc philautiam ponere et coram deo humiliari, caeteris benefacere et prodesse, caeteros amare et iuvare.

Suam crucem.) Quisque suam crucem habet; suam ergo ob Christum ferat. Non enim pati debemus ob malefacta, quemadmodum Petrus docet. Paupertas, tribulatio, persequutio, odium et caeterae huiusmodi calamitates huius vitae ferendae sunt propter Christum infracto animo. Deinde discamus et alter alterius onera ferre. Quisque novit corporales morbos (si res ita fert) aequo animo ferre. Proximi morbos et mentis nemo vult ferre; si quis medelam adhibet et malagma superponit, insanorum et phreneticorum more abiicimus, praesertim si ad elevationem nostrae gloriae fiat. Volumus esse magni, et quidquid deus ferendum imponit, nimis grave videtur. Nec cogitamus hac sorte nos a deo creatos, ut haec feramus. Et quum omnino ferendum est, cur non discimus ferre? Miles hac lege lanceam in bellum gestat, ut eam domum reportet. Sic nos hac conditione in hanc miseriae vallem constituti sumus, ut crucem nostram feramus. Si singulorum morbi conferas in commune, nullus suum alio permutari volet, et tamen nemo vult suum ferre. Deus tulit in se nostras infirmitates, et nemo mortalium suum morbum vult ferre propter deum. An non turpe hoc fuerit, si rex tibi comes in itinere vestem tuam gerat et onus, et tu nec pedes sequendo movere velis, nisi et te ferat?

Perdit animam.) Animam suam, id est se ipsum. Non se nosse debet homo pius, quemadmodum res quae perdita est ignoratur. At nos per philautiam nimis magnifice de nobis ipsis sentimus. Christiana vero fortitudo et magnanimitas sese abiicit, certa quod sese in Christo vita aeterna sit repertura.

Quid proderit?) Epicherema forte. Respondet vero his qui dicunt: Lucrabor hoc, deinde curabo de anima. Quid vero proderit (inquit) si vel totum mundum lucratus fueris, animae interim iacturam faciens? Est aliquis qui non vult offendere mundum; corrumpit interim et prodit iustitiam. Et stultitia est si quis velit placere omnibus: fieri enim non potest ut unus aliquis omnibus placeat. Nemo cum fratre uterino semper consentire potest. Quanta ergo dementia universo orbi velle probari? Anima pretiosissima est, et excellit omnia pretiosa huius mundi. Ne ergo caetera plus diligamus quam animam. Animi humani iudicium simile est regi, qui in regno suo imperat: is si sapiens est et bonus, recta sunt omnia, honesta, quieta, solida, firma. Sic si animus hominis fide firmatus est, omnia recte habebunt, sermones, cogitationes,

actiones, oculus, lingua etc. Animo hominis imago dei indita est; veritatem ergo dum audit, aut obtemperat aut formidat. Animus humanus horto similis est, quem si non curas, urticis et inutilibus herbis obducitur. Veritatem ergo plantemus in animis hominum, idque a teneris annis. Hoc si non fiat, neque oculus neque manus suum facit officium, neque ab inculto animo aliquid boni fructus expectandum. Et haec fortasse causa est, quod filii illegitimi et spurii peiores legitimis evadunt, quod desunt illis vel praeceptores vel parentes, qui eos recte instituant. Sic equorum pulli, si recte cures, generosi evadunt: si negligis, degenerant. Boni hic magnum animi cruciatum sentiunt, dum iustitia et veritas opprimuntur, non solum ob id quod ipsis hoc damnosum est, sed quia gloriae dei derogat. Quantum ergo cruciatum habebunt impii et persecutores veritatis in ultimo illo die, quum coram toto mundo pudefient et damnabuntur? Proinde Christus mox subdit.

Futurum est ut filius hominis.) Obiicit eis iudicium dei exactissimum, qui nullum malum impunitum sinit. Quid ergo prodesset homini negligere animam suam, et futilibus rebus huius mundi adhaerere, quum exactam rationem redditurus sit coram tam severo iudice? Satius ergo est crucem ferre, omnesque huius mundi delicias et voluptates spernere, ut animam impollutam servemus, et stare possimus coram tanto iudice. Hanc animae dignitatem Christus suis proponit. At impii rebus terrenis inhiantes animam negligunt, vana quaedam et blasphema evomentes, ut facile intelligas eos neque animas, neque animarum vitam post mortem credere. Hos dominus his verbis terret, Futurum est ut filius hominis venturus sit.

Sunt quidam de hic stantibus.) Voluit Christus discipulis suis gustum quendam divinitatis suae ac futurae felicitatis praebere, et quasi typum gloriae suae ostendere. Quod maxime decuit hunc qui tam familiariter cum ipsis versabatur. Sed paucos huic spectaculo adhibuit, ut discamus oculos mortalium non posse penetrare ad tantam gloriam, nec esse capaces huius claritatis; neque quoslibet admitti ad tantam lucem, sed eos duntaxat qui ad hoc selecti sunt a deo. Discimus etiam, ne quilibet temere se summis rebus ingerat: nec enim hoc est omnium. Paulus ergo docet non altum sapere, nec supra id quod oportet. Non omnes in tertium coelum rapiuntur. Nemo glorietur de visionibus angelorum, de coelestibus oraculis, de revelationibus spiritualibus: hoc enim et apostoli temporibus magnam pestem invexit ecclesiae Christi. Quod qui fecerunt taxat apostolus in epistola ad Colossenses. Periclitantur multi dum nimis ardua tractant, et plus scire volunt quam opus fuerit. Hinc nobis Marciones, Arrii, caeterique huius farinae haeretici. Ad ardua facinora et egregia facta omnes creati sunt, ad excellentem scientiam non omnes. Non es consul, sed tibi impera et te vince, et fortior eris quovis imperatore. Sumus similes ei, qui asinum freno non retrahit nec tenet, sed pro libidine ferri sinit. Adfectus nostri asini instar metam omnem transgrediuntur, abiectisque frenis in praeceps feruntur. Quum vero fides adest, frenum iniicit et domat carnem, spirituique subiugat. At nos tam molles sumus: ut ne verbulum leviculum omitteremus, indulgemus carni quodcunque libet. Verum omissis omnibus in Christum

nos totos coniiciamus, et hoc unice studeamus, ut coram deo nostro pie et innocenter vivamus; quidquid tandem alii vel loquantur, vel simulent, quidquid de mysticis rebus iactitent. Plus velle scire huc fere hominem ducit, ut sibi plus aequo placeat, non ut sibi displiceat; nocet ergo magis quam prosit. Sicut fides non est omnium, ita nec scientia. Ideo Christus se subducit, et paucos ex suis adhibet. Ad operationem ergo fidei omnes adcingamur. Nam Christiani hominis vita studium est et schola pietatis. Gustabunt ergo quidam ex vobis, qui hic mecum adstant, claritatem meam antequam hinc excedatis. In regno suo, in maiestate sua, in gloria, in claritate, in qua adparebit Christus iudex ad finem mundi.

CAPUT XVII.

Et post dies sex.) Quod Lucas octo, Matthaeus sex dies nominat, nihil diversum est, quum uterque idem scribat. In his non oportet esse curiosos aut nimis anxios. Simpliciter et munde volunt tractari scripturae sacrae. Oratio veritatis est simplex. Veritas amicta simplici veste incedit; ac si regina aliqua simplici et humili veste adpareat, facies tamen augusta sit, et actio omnis prae se ferat dignitatem egregiam, ut quisque dicat: Haec digna est imperio: emicant enim ex oculis radii probitatis et sanctitatis.

In montem.) Ut sit analogia quaedam, non ducit in specum, non in antrum aliquod noctu, ut faciunt praestigiatores et nequam qui turpes res patrant. Facta Christi re ipsa semper innuunt aliquid et docent.

Vestimenta ut nix.) Haec hyperbolam habent. Splendidissimae erant vestes, et lucidiores quam quisquam possit eloqui aut verbis adsequi: splendor maior erat quam qui possit humana mente comprehendi.

Moses et Helias.) Moses legem, Helias prophetas adumbrat. Duo isti summi viri fuerunt veteris testamenti. Ut discamus Christum non abrogasse legem, sed statuisse et firmasse, et eum esse cui optime conveniat cum Mose et prophetis, utpote qui lege sit adumbratus, et prophetarum oraculis praedicatus.

Bonum est nos hic esse.) Petrus optat construi tabernacula, ignarus quid dicat. Et in eo caro adumbratur quae sine cruce et passione cupit salva et beata esse; nimirum cum Christo caeterisque illic manere concupivit.

Hic est filius.) Εὐδόκησα, In dem ich gfriden bin, vel, In dem ich ein gfallen hab. Quasi dicat: Qui mihi placere volunt, per hunc filium mihi placeant oportet, et per nullum alium, Ies. 42. Ecce servus meus etc. Ille solus audiendus est: frustra enim colitur deus mandatis hominum. Significatur hic neque per legem, neque per prophetas servari posse, sed per solum Christum, Ies. 42. Ego dominus.

Ne cui dixeritis.) Efferri vetat, ne caeteri quum viderint eum crucifigi, scandalizentur. Quasi dicat: Nulli contingit haec glorificatio, nisi mors et adflictio praecedant. Lex praecipit, quod si non facimus damnamur. Prophetae docent ex lege, et praevaricantes arguunt,

sed nemo haec accipit, nisi quem intus trahit deus per Christum: is ergo solus est, in quo placatur pater, is nos patri reconciliat. Quomodo ergo adfirmant quidam verbum secum ferre omnia, et mox quum verbum profertur perficere quod significat? et quod solius dei est, illi verbo tribuunt externo. Quod si per verbum virtutem dei intelligunt, quid novi dicunt? Christus Iesus lux est, quae se omnibus communem facit, nec invidet splendorem ulli creaturae. Artifices qui arte aliqua excellunt, et insigne quid norunt, celant hoc caeteros et invident, quae impotentia est humana. Deus vero bona sua nemini abscondit nec invidet, sed in commune omnibus proponit, ut utantur et fruantur eis. Lux ergo dei clarissima est, nec ulli absconditur, quum in propatulo exposita sit toti mundo. Quod si adhuc quibusdam obscura est, non lucis culpa est, sed nostrae infirmitatis. Sed dicet quis: Cur ergo deus nos sic exercet? Sic ei visum est, ut claritatem huius lucis tum tandem plene capiamus, quum ventum est in patriam. Hic ambulandum per fidem; in itinere adhuc sumus, in quo nobis scopus propositus est, ut pie, sancte, et innocenter ambulemus, in quem si scopum oculos defigamus, et lucem Christum sequemur, nec aberrare poterimus. Et haec causa est, quod apostolos vetat ne efferant: nondum enim erat tempus. Cur vero aliis discipulis dicendum non erat? Quia contentionis fuisset materia, iis qui carnales adhuc erant. Post resurrectionem vero facilius credîtu erat. Docet hoc, ut sua sit quisque sorte contentus. Deus sapienter optimeque omnia in universo mundo disponit, pulcherrimoque ordine administrat. Ne ergo dicas, Cur non et mihi tribuit divitias, sapientiam etc.? Indecorum est ut instrumenta fabro responsent, quocunque ea ponat, aut qualitercunque eis utatur: solus paterfamilias novit, quem in usum quodque sit factum. Quod vero nemo intra cuticulam suam se continet, tot contentionum, quae in mundo sunt, causa est. Quisque aliquid tentat, ad quod nec natura nec officio vocatus est.

Filius hominis. Periphrasis est Hebraica, qua hominem circumloquuntur, sed non sine emphasi, ut filii Achivorum pro Graecis sed praestantissimis et fortissimis. Sic Helvetii gnavos et strenuos milites vocant, Der Eydgnoſſen knecht. Sic Christus dicitur filius hominis, in quo nobis proponitur Christus verus homo, mortalis, passibilis, qui omnibus miseriis et aerumnis humanis propter nos sit expositus, qui omnibus calamitatibus (excepto peccato) sit obnoxius. Qui enim totum hominem sanare venerat, totum hominem adsumere voluit. Peccatum vero non adsumpsit, qui totius mundi peccata eluere venerat, agnus sine macula.

Cur scribae.) Scribae Hebraeis pro doctis accipiuntur, ut apud gentes quasdam, Schryber für geleerte.

Helias quidem.) Helias promissus fuit per Malachiam; at corporalem Heliam non intellexit propheta, sed eum qui spiritu et virtute Helia non esset inferior: et is Ioannes fuit Baptista, ut patet ex verbis angeli Lucae 1. et hic ex verbis Christi. Malachias post excidium Babylonicum praedicavit diem domini, qui sit venturus, ut incendium quod omnia vastat; at antea venturum Heliam. Dies domini venit, quando Iudaei per Romanos excisi sunt, quod Christum crucifixerant.

Quod autem in Luca dicit: Convertat patrum corda in filios, comparatio est allegorica. Quum pater aliquando filio irascitur, et filius patri contumax est, interponit se aliquis disceptatorem inter illos. Sic Ioannes fecit praedicando apud Iordanem, ut homines cum deo reconciliaret, cuius testimonium Iudaei non receperunt, neque eum pro Helia (de quo Malachias dixerat) habuerunt, sed eum reiecerunt; quemadmodum qui famelici non sunt cibum reiiciunt.

Sed fecerunt in eo.) Subiectum omittitur, more Hebraico. Fecerunt in eo, Iudaei scilicet et scribae, ac pharisaei (nam de his supra dixerat.) Hi populum naso suspenderunt, et suis figmentis circumduxerunt, ne Ioanni constantissimo prophetae crederent; quin potius eum pro libidine sua trucidarunt. Hoc idem (inquit Christus) et mihi facient. Propter vitam severam quam duxit Ioannes, dicebant Iudaei: Daemonium habet. Non secus fit hodie: nam illos qui excellenti aliquo dono excellunt caeteris, cum daemonibus familiaritatem habere dicimus, quum potius gratiae essent agendae deo pro tanto dono. Praemonet ergo Christus suos, mortem suam eis praedicens, ne concidant quum illa evenerint. Discimus hic, quo magis sunt fidi verbi ministri, hoc magis ad crucem poscuntur. Quis sanctior Christo et Iohanne? Qui in corripiendis et castigandis sceleribus ardentiores sunt et magis strenui, qui veritatem et iustitiam prae caeteris promovere student, hi maiores persequutiones expectent, quae est humani ingenii perversitas et iniquitas. Sic Scipioni factum, sic Ciceroni et multis aliis.

Accessit eum homo quidam.) Haec historia significat genus humanum variis adfectibus et daemoniis vexatum et discerptum non potuisse liberari nisi per filium dei Iesum Christum, ut discamus partim nostram miseriam, partim divinam caritatem agnoscere

Genu flexit.) Morem servet quaeque natio, ne quid nimis aut parum. Modus servetur ubique, nil novi adulationis gratia comminiscamur, nihil immodeste committamus. Apud nos adulatores et parasiti quotidie novi aliquid in hisce rebus confingunt; et licet foris genu flectant, nihil tamen interim veri honoris est in corde. Pater apud discipulos salutem filio petit, sed non invenit: hoc docet nos, quod apud solum Christum quaerenda est salus, apud fontem omnium bonorum.

O natio incredula.) Hac increpatione (ut ex Marco liquet) Christus maxime discipulorum incredulitatem, et pharisaicam pertinaciam taxat. Quasi dicat: Discipuli saepe vidistis maxima signa tantaque, ut vos ipsi confessi sitis me filium esse dei; adhuc tamen parum fidei habetis, semper dubii et vacillantes, et desperatis de salute huius lunatici. Et vos pharisaei perfidi estis: nihil vos movet quidquid tandem faciam. Increpare pro praecipere aut iubere, ut supra 8. cap. Increpavit mare, id est, iussit ut esset tranquillum. Sic praecepit daemoni ut exiret.

Daemonio.) Ac si diceremus nos Germanice Die tüfflung, tametsi non sit pura actio, sed personale partim, Die böschwärd, büß, die der arm mönsch hatt. Nam daemonium pro omni malo potest accipi quod nobis adversatur. Quod daemon torquet obsessum praesente Christo et verbo eius praedicato, ostendit quomodo daemon cum suis turbatur, dum veritas praedicatur, qua daemon egredi cogitur. Irritatur daemon

praedicatione veritatis, sed ob id non est cessandum prophetis. Propheta in hoc mittitur a deo, ut universis et singulis sine delectu personarum scelera ob oculos ponat et traducat, poenasque minetur ni resipiscant. Iam quisque sua vitia suosque morbos habet, nullus vero patitur ut quis attingat aut contrectet; omnes ergo offendat necesse est. Hoc vero efficit in carne nostra satan, qui commotis adfectibus nos turbat et concitat in eos qui scelera nostra redarguunt. Is cogit eos clamare qui tanguntur. Canis funibus aut catenis alligatus, si quis accedat soluturus funes, impetu in eum fertur, et mox ut lorum contrahitur clamat: cutem enim incidit et laedit. Sic qui affectibus capti et funibus peccatorum suorum constricti sunt, in eos feruntur qui funes attingunt: sentiunt enim sibi vim fieri et ulcus tangi, nec possunt tamen funes, nisi attacti, solvi. Qui millum in collo gestat, mox ut aliquis lima eum attingit et deponere tentat, dolet et eiulat, nec fert quod amicus officii causa facit. Quod daemoni expulso praecipit Christus ne redeat, aut amplius vexet (sic enim Marcus habet), significat eos qui per Christum liberati sunt, tentari quidem a daemone et sollicitari, at nullam habere in eos potestatem: nihil enim damnationis his qui sunt in Christo Iesu. Rom. 8. Ob incredulitatem nostram, aut fidei infirmitatem, merito cum discipulis increpamur, quum post multa visa et audita miracula, et post cognitam virtutem dei, nihilo sumus meliores. Hoc ingenue agnoscamus, et oremus dominum, ut posteaquam nos in viam suam statuit, fidem nobis adaugeat, et imbecillitati nostrae succurrat. Dolent discipuli et pudore afficiuntur ob increpationem, et quod ipsi daemonium eiicere non potuerunt: haec omnia infirmam fidem arguunt. Nam si firmam fidem habuissent, agnovissent virtutem hanc daemonia eiiciendi solius Christi esse, non ipsorum, etiamsi ipsi eiecissent. Ad hanc autem quaestionem hoc eos movit, quod antea aliquando daemonia eiecerant, iam non poterant. Vide quam vacillent infirmi discipuli, qui saepe tam constanter Christum filium dei esse fuerant confessi. Sic et nobis contingit dum hac mortali et infirma carne circundati sumus: iam stamus, mox cadimus; iam firmi sumus, mox infirmi. Orandus ergo deus, ut nos constantes et intrepidos faciat. Non concuti et immotum esse, deo quam simillimum est. Qui ergo potentem et constantem fidem habent, deo sunt simillimi. Montes transferre hyperbola est.

Hoc genus.) Qui pellere vult daemonem, inconcussa et firma stet fide, ardentem animum habeat erga deum. In hoc ostenditur, discipulos non firma et indubitata fide ad dominum clamasse: non vigilaverant fide et oratione, hoc est, fideli et constanti oratione. Per ieiunium abstinentiam intelligit ab omni scelere. Expende vim Graecanicae dictionis. *Νηστεύειν* enim non solum ieiunare significat, sed ab omni illicita re abstinere, et in omnibus modum servare. Saepe redeundum fidelibus, et innovanda fides. Nam caro detrahit et subinde abstrahit a deo. Oratione ergo et ieiunio redeundum, Mit bätten vnd ärnſt. Qui daemones vult pellere, opus habet constanti et ardenti fide: nam socordia et tepore nihil agitur. Ingens devotio cordis requiritur, ardensque fides si quis a daemone liberari petit.

Futurum est.) Passionem et mortem suam subinde inculcat Christus, quod et Evangelistae tam diligenter scribunt. Nam magnum est filium dei crucifigi, quod caro vix potest intelligere qui fiat. Subinde ergo hoc repetit Christus, ut discipuli agnoscant ipsum esse filium dei, qui omnia nosceret priusquam fiant, et quod voluntate non necessitate moreretur; quod quidem licet tum non intelligerent, intellexerunt tamen postea, dum Christus resurgeret, spiritu scilicet suggerente. Quaecunque vero de humiliatione Christi filii dei dicuntur, ad gloriam eius et nostram utilitatem pertinent. Nisi enim granum frumenti mortuum fuerit etc. Christus spiritu sancto in terram Mariae virginis seminatus, in cruce moritur, sed mox resurrexit, ut et nos in ipso resurgeremus: ipse enim est primitiae dormientium. Sed prius fuit humiliatus, et tum tandem ad summam gloriam evectus. Philip. 2. Hoc idem continget omnibus piis qui ipsum sequuti fuerint per humilitatem et crucem: resurgent enim et cum Christo gloria fruentur aeterna. Tota vita hominis aliud nihil est quam praeparatio quaedam ad mortem: nos vero vitam hanc pro praeparatione ad vivendum habemus. Nemo enim tam senex est, qui se diutius victurum non cupiat aut speret.

Contristati sunt discipuli.) Partim quod mors haec erat odiosissima et turpissima, partim quod non intelligerent, quomodo is qui filius dei esset pati posset, quum divinam virtutem in doctrina et virtute agnoscebant. Neque enim tantam virtutem et tam pudendam mortem conciliare poterant. Neque potuit tantum apud eos resurrectionis mentio, quantum mortis et passionis. Nam mori (quod consuetum est) saepe viderant, resurgere non item, nisi unum aut alterum; plus ergo movet carnem mortis mentio. Servator noster Iesus Christus sic nos amat, ut propter nos ad summam deiectus sit humilitatem, ut intelligamus eum nostrum esse. Satis magnum erat nostram adsumpsisse naturam; sed insuper acerbissimam mortem pro nobis obiit, ut et nos disceremus omnia pati propter ipsum. Si doles, cogita quod et ipse pro te doluit: si capite laboras, cogita caput eius spinis esse adflictum: odit te mundus, ipse prior odio est habitus: proditores habes, proditus et ipse est a discipulo. Discurre sic per singula et respice semper in Christum! invenies eum omnia illa pro te gustasse. Hoc modo si quis Christi passionem meditatus fuerit, dulce et gratum erit quidquid mali et adversi inciderit ferendum. Summa haec consolatio in omni adflictione, habere Christum consortem, comitem et ducem. Qui sibi Christum non proponunt, gravatim et cum molestia etiam minima quaeque ferunt, et tandem in desperationem cadunt.

Quid tibi videtur Simon.) Qui princeps est coeli et terrae, omniaque moderatur et regit, Caesari se et terrenae potestati subdit. Census si agitur pro republica tutanda et conservanda, iuste fit: si ex cupiditate, tyrannis est. Quandoquidem homo ex anima et corpore constat, corpus magistratui subiectum est, spiritus divino spiritu regitur. Nam donec non sumus spirituales, parere debemus magistratui donec spiritus plene in nobis obtineat et regnet. Qualis enim illa caro est, quae nec spiritui nec magistratui paret? aut quae impio et perverso

regitur spiritu? Qui in omnibus indivulse deo haerent, et spiritui eius obtemperant, magistratu nullo egent; attamen parent ne offendant. Cuius rei exemplum in Christo hic propositum est, qui fuit spiritualissimus. Non omnium est fides, qui verbis et titulo eam profitentur: plerique enim verbis Christum profitentur, factis negant, et veluti mulus et equus indomitus praecipites in omne scelus ruunt, si non frenis et calcaribus cohibeantur. Quin facile etiam spiritualissimi cadunt, Paulus hoc indicat quum dicit: Scio, quod in carne mea bonum non habitat. Magistratu ergo etiam piis opus est: partim, quod pios ab iniuria et violentia vindicet: partim quod malos coerceat et puniat. Vigilandum itaque magistratibus ut officio suo rite fungantur. Caveant ne privatae rei, sed publicae studeant. Quandoquidem ergo posthabitis rebus suis publica curare debet magistratus, dignum est ut e republica ei hoc sarciatur. Iustum itaque est et divinum, ut illis tributa et censum demus, qui pro nobis invigilant. Quum haec docentur, caro prorumpit et elata hoc mandato dei abuti non veretur. Tyranni enim qui nec vigilant, nec curam aliquam pro republica gerunt, qui iustitiam negligunt, ab iniuria non defendunt; sed ludunt, scortantur, libidinantur, perpotant, deglubunt et expilant populum. Hoc faciunt ecclesiastici et saeculares principes, et sub hoc tamen titulo omnia a plebe exigunt, quod sint ministri dei, et reipublicae moderatores. Qui praesides deberent esse iustitiae et religionis antistites, morum et honestatis exemplaria, hi omnia flagitia et scelera impudentissime patrant, ut etiam turpissimos nebulones vitae impuritate vincant. Quum vero sua huiusmodi luxu et intemperantia prodegerunt, tum censum in populo agunt. Officia sua iis committunt qui artem deglubendi optime norunt, nec unquam ius sine munere dicunt, nec ad principem cuiquam aditum faciunt, qui vacuus adparet, similes his, qui animalia peregrina et exotica in ludis publicis pro pecunia exponunt et ostentant. Hanc tyrannidem, avaritiam et socordiam poëtae avibus rapacibus, quas harpyias vocant, adumbrarunt: voraces enim sunt aves, omnia vorantes et defoedantes, semper tamen macrae existentes. Iam ne Christiani sua plus videantur quaerere quam quae dei sunt, et magis inhiare temporalibus quam aeternis et coelestibus, etiam tyrannis in his quae corpus tantum premunt obedire, et illis tributa pendere debent, ne evangelium propter eos male audiat. Quum vero princeps fastu turget, et luxu diffluit, contra plebs inobediens et sua quaerens fuerit, seditiones oriuntur. Neque id sine providentia dei, quae omnes pilos capitis nostri numeratos habet, fit, ut simul tyrannorum libido et populi audacia comprimatur. Hic observet quisque ne sua quaerat, ne nomen dei propter peccatum suum blasphemetur, ne doctrina Christi male audiat. Si potes liber fieri (inquit Paulus) magis utere: sin minus, pave etiam iniustis dominis et morosis; modo nihil contra divinam legem te facere cogant. Haec doctrina privato cuique datur; caeterum tota concio potest et debet cum modestia et timore dei iuste refragari iniuriae et violentiae tyranni, et tueri rempublicam et publicam libertatem. Nam nisi hoc fecerint, simul cum principe impio punientur a deo. Neque

enim impune ferent, si Manassen imperare pro sua libidine et grassari diutius passi fuerint.

Praevenit Petrum Christus.) Ostendit se deum esse, qui omnia, priusquam fiant, novit, refricans, antequam Petrus diceret, quod factum erat ab exactore tributorum. Docet autem Christus hoc sermone, se regibus terrenis nihil debere, quum sit ipse rex omnium; solvere vero iubet, ne quem offendat. Das feyn vnraat darus volge, oder nieman erzürnt wäre.

Profectus ad mare.) Quandoquidem Christus se regem esse omnium indicarat, et filium dei esse naturalem, decuit, ut Petro specimen huius ostenderet peculiari aliquo facto et signo, ut et omnium rerum etiam marinarum beluarum dominus agnosceretur. Quid enim aliud sibi voluit, quod in pisce argentum quaerere iubet? potuisset alioqui nummos in pera multiplicare. Sed voluit aliquid praeter morem et contra naturae ordinem designare. Quod vero hamum mittere iubet in mare, officium apostolatus indicat. Hamus verbi praedicationem adumbrat. Sic de Pericle gentiles dixerunt, quod aculeos quosdam in auditorum animis relinqueret. Indicant hoc sermone eloquentiam efficacem esse. Si haec potest eloquens et philosophica oratio, quanto plus sermo et praedicatio veritatis? At non fit hoc loquentis virtute, sed spiritus trahentis et vivificantis. Quod enim cibus animae propositus non omnibus ex aequo gratus est aut sapit, indicio est, in mente aliquid esse, quod superne illapsum trahat et invitet. Propone cibum aliquem delicatum asino, non edet. Corpora nostra non sunt nata ad perspicuitatem, sed spiritus: quod si nec spiritus verbum dei recipit, incredulitatem esse in causa, manifestum fit. Oportet ergo quod aliquid prius sit in homine quam audiat verbum externum, quod verbum praedicatum et auditum vel recipiat, vel respuat, fides videlicet vel infidelitas.

CAPUT XVIII.

Quod Petrum censum dare iubet, huius quaestionis, quam discipuli movent, causa est. Adparet vero ex istis, nullum praefecisse ex discipulis Christum, quemadmodum Papistae de Petro et suis successoribus stulte, ne dicam impie, contendunt. Affectu quodam carnali et puerili duo discipuli regnare cupiunt. Quae petitio in hoc nobis prodest, quod audimus negatum esse eis a Christo, quod pro carnali affectu postularunt. Deinde neminem praefecisse caeteris, ut nos utrumque fugiamus, nec more principum regnare velimus. Regnum coelorum (ut videtur) priori parte pro ecclesia capitur: posteriori pro aeterno isto regno, in quod aspiramus.

Nisi conversi fueritis.) Vita nostra quotidie mutatur; necesse ergo est nos quotidie innovari et converti: quotidie peccamus, quotidie ergo innovandi sumus. Et nisi dominus nos suo spiritu illustret, trahat, et immutet, indies peiores evadimus. Nam ubi dominus non subinde suo spiritu revocat et tenet, totos nos peccatis et vitiis damus. Et licet quotidie dolcamus, nihilo tamen efficimur meliores; quin potius relabimur. Ut si quis corbem quotidie lavat, nihilo fit melior crebra lotione, sed atteritur potius; etiam si aliquanto fiat purior.

Quemadmodum parvuli.) Pueruli adultos in omnibus imitantur, legunt senatores, faciunt heros et heras, conducunt famulos, struunt aediculas, et haec nos contemptu praeterimus. Sed hoc observandum nobis est, omnia huius mundi esse ludicra quaedam et puerilia, quae abiicere et deserere debemus, quemadmodum pueri illa, dum adolescunt et sapere incipiunt, reiiciunt. Non sunt ad vindictam proni, etiamsi aliquando irascantur, statim redeunt inter se in gratiam. Adfectus ergo si quando commoventur et exurgunt, ne sinamus imperitare, et quatenus ad nos privatim pertinet, faciles debemus esse ad remittendum noxam his qui nos laeserunt. Magistratus vero interest, ut sontes puniat, et si opus sit gladio quoque contumaces feriat. Nos ordinem hunc invertimus: ubi parcendum erat, vindicamus atrociter: ubi vindicandum erat, parcimus. Quae magistratui dicuntur, nobis privatis usurpamus: quae nobis de ignoscentia dicuntur, in magistratum reiicimus. Iniurias nostras strenue ulciscimur, dei gloriam, iustitiae publicae vindicationem negligimus, aut dissimulamus ignavissime. Ubi fortes esse conveniret, ignavi sumus; ubi parcere decebat: Catones severissimos agimus. A pueris ergo discamus non inconstantiam sed ignoscentiam et facilitatem: pueri simus sensibus, non malitia. Deinde veraces sunt pueri (loquimur autem de pueris in genere bene constitutis, non malitiosis et corruptis). Sic et nos simus, non hypocritae, nihil sit in nobis fucatum aut simulatum. Est aliquis qui sapientem se credit quum sit stultus, alius videri vult sanctus quum sit nequam. Sic omnes videri volumus alii quam simus, et quales sumus videri nolumus. Sic dominus ubique nos ad innocentiam et simplicitatem vitae adhortatur, et ex qualibet re quod bonum et pulchrum est decerpere docet. In mundo versari non fit sine contagione: semper ergo redeundum est ad bonam mentem, vigilandumque est in loquendo et agendo, ne quid impuritatis contrahamus. Quum vero pueri nobis exemplum innocentiae proponuntur, discamus et nostros pueros ad innocentiam educare, et mentes eorum formare ad virtutes veras. Plantas curamus, pueros negligimus.

Quisquis igitur humiliaverit.) Ad humilitatem ac modestiam maxime inhortatur, quae in pueris spectanda est; atque his verbis opinionem falsam ex eorum mentibus eximit, qua persuasi erant Christum praefecisse Petrum caeteris. Quasi diceret: Is summus et maximus est inter Christianos, qui omnibus servit.

Et qui receperit.) Qui huiusmodi humilem et vos, dum illis similes estis, receperit, me recipit. Regnum meum situm est in spiritu humiliato, et qui huiusmodi hominem recipit, mihi factum existimabo.

Qui offenderit.) Offendere significat Verböſeren, zeſchanden bringen, verachten, letzen, eos scilicet qui dei sunt, quemadmodum hodie passim fit: exibilantur enim, proscribuntur, et trucidantur qui Christum ex animo confitentur et agnoscunt. Impii enim quidquid est dei exibilant. Capitur ergo in lata significatione Offendere, Zu ſünden bringen, zeſchanden, letzen, erzürnen, beleidigen, verachten, verſpotten, verfolgen, ꝛc. Non fert Christus rex, ut quis suos contemnat aut laedat. Vult enim ut mutuo diligamus tanquam fratres, et alter alterum susci-

piat in charitate et spiritu mansueto. Quum de potestate inter se quaererent discipuli, Iesus responsum suum sic temperat, ut intelligant quantum scelus sit offendere alios, praesertim si hoc faciant magistratus. Illi enim gravissime peccant, si vel levem scandali occasionem dederint iis, quos sub se habent, quum eorum sit omnia scandala, quantum fieri poterit, e medio tollere. Diligenter observanda est haec doctrina Christi, qua nos ad nostri contemptum et abnegationem exhortatur, charitatemque inculcat, ut absit omnis inter nos offensio, mutuoque nos amore ut fratres decet prosequamur. Ergo significatio huius vocis Offendere bene notanda est: significat enim multa, ut saepe fit apud Germanos etiam, ut unica dictio plura habeat significata. Exemplum habemus in hac voce, Wärben. Nec potest cuilibet significationi peculiaris et propria esse vox. Hic ergo, ut supra attigimus: Offendere significat Schupffen, verachten, letzen, beleidigen, beſchwären, quod ex ipsa antithesi facile deprehenditur. Nam dixit: Qui receperit unum ex his. Ergo offendere est contemnere et non recipere eos qui sunt Christi. Offendiculis plenus est mundus, ut exclamandum fuerit Christo.

Vae mundo a scandalis.) Necesse est ut veniant scandala. Dicat quis: Cur ergo eos punimus, qui offendunt? Hic ergo se aperit, cur etiam sontes plectantur, cum necesse sit eos esse, et providentia divina tales sint. Christus enim non solum futura offendicula praedicit, idque certo, sed et offensori suum vae praenunciat et minatur, id est, poenam qua deus sontes punire iubet. Posteriori loco Offendere capitur pro ansam dare peccatis, Schand, laſter, vnd ergernuß anrichten, quum aliquem non pudet peccare, etiam cum aliorum iactura et iniuria.

Vae mundo a scandalis.) Quum filius dei novit corda hominum tam scelerata et flagitiosa, compatiendo queritur, et quasi deplangit eorum malitiam destinatamque poenam. Quemadmodum divina providentia deus praevidet culpae malum, ita et malum poenae praevidet. Nam qui ordinat ut is occidat aliquem, is et ordinat ut idem ipse etiam gladio iudicis plectatur, et hunc in exemplum ponit suae iustitiae, ut in eo manifestetur gloria et voluntas dei, ut cuncti videant eum vas esse in contumeliam adparatum.

Si oculus.) Hic docet Christus quomodo putrida a sanis sint segreganda. Metaphora sumpta a corpore humano morbido, et praeparatio quaedam est ad excommunicationem. Sub offendiculo Christus impudentiam quoque in patrandis peccatis comprehendit. Nam quum haec non punitur caeteros quoque inficit, qui hinc peccandi exemplum sumunt. Comprehendit deinde eam offensionem, qua per vim alii opprimuntur. Ex his enim duabus offensionibus omnia peccata nascuntur. Aut enim impudenter peccando et flagitiose vivendo caeterorum vitam inficimus, nempe, malo exemplo: aut alios vi et tyrannide ad patrandum scelus cogimus. Sic Paulus 1. Cor. 5. iubet expurgare fermentum vetus. Nec debent hi, qui sic corripiuntur, aegre ferre increpationem, nec putare quod ea ex odio fiat. Quemadmodum nec pater filium odit, quem severe corripit, dum videt eum scelere aliquo teneri. Insania est, si quis, dum aegrotat, sanus videri vult, nec audire a medico sibi morbum aperiri seu curari. Totum corpus ecclesiae iam fermentatum

est pessimo fermento; omnia sunt consceleratissima, et ita vitiata, ut nec morbum nec medelam ferre possimus. Deinde hi, quorum sontes plectere interest, corruptissimi sunt, tametsi aliquando leges condant, simulentque ac si eis peccata displiccant. Multiplicant leges, nullas servant, nec praevaricantes puniunt. Quid hoc aliud est, quam leges facere irritas et contemptas? Dum enim impii vident sibi impune licere praevaricari leges, quas tantopere detonant magistratus, asuescunt contemnere leges. Quemadmodum aves quaedam nasutiores et astutiores, quales sunt picae, paulatim personas, quas aves fugandi causa in agros rustici ponunt, contemnere discunt, et posito metu iam grana ac semina colligere incipiunt. Docet ergo divina sapientia, ut hisce malis statim ab initio occurramus, separemus pretiosum a vili, amputemus membra putrida, ne reliquum corpus pereat, etiamsi oculus et manus sint abscindenda. Per manum autem charissima et utilissima: per pedes coniunctissima et fidissima membra intellige. Fidi enim inter se socii sunt pedes. Oculus vero iudex est, magistratus propheta: dicit enim: Speculatorem constituite. Speculatores autem oculatissimi esse debent, unde et mali ac ignavi speculatores caeci dicuntur. Bonum est, id est melius, idiotismo Hebraico.

Angeli eorum.) Angeli sunt administratorii spiritus, ut est in epistola ad Hebraeos 1. cap. Utitur illis divina maiestas, ut videamus quantum nos diligat. Neque vero solum angelos ministros nobis dedit ac custodes, sed et unigenitum filium suum misit propter nos in mundum, ut ostenderet nobis quanti nos aestimaret quantumque diligeret.

Quid vobis videtur?) Quum Christus se venisse propter errantes adseverasset, exemplum subiicit de homine qui centum oves habuerit etc. In Luca hoc clarius exprimitur. Reperit nos (qui centesima pars sumus) in deserto huius mundi, tulit nos super humeros suos. Quasi diceret: Si fidus pastor propter unam ovem errantem tantum curae et laboris sumit, ut revocet ne pereat, quanto magis ego. Nolo ut vel unus ex his, propter quos veni, pereat. Errat autem homo quum aversus a deo creatore suo in se reflectitur: vera enim via est, in omnibus sibi deum ut certissimum scopum praefigere. Quod vero quidam sic ratiocinantur: Christus neminem vult perire, ergo nemo peribit: falso colligunt. Oportet enim alios locos scripturae videre, qui de aeterna damnatione et interitu impiorum loquuntur, qualis est in Esaia ultimo capite, Vermis eorum non morietur, et ignis non extinguetur. Item Matth. 25. Ite in ignem aeternum etc. Christus hic vult dicere, Quandoquidem deus misit me in mundum ut pro mundo morerer, non vult ut mundus pereat, imo nullum omnino vult perire, id est, ut tu eum offendas, contemnas. Sic enim pereundi verbo hic utitur, quemadmodum et in Epistola ad Romanos 14. cap. Ne perdas cibo tuo illum pro quo Christus mortuus est. Oportet observari in quo argumento versetur hic Christus: quandoquidem enim tanto labore et pretio hominem redemit, non vult ut quemquam contemnamus aut laedamus. Non debes tu eos perdere pro quibus Christus est mortuus: neque enim tui sunt, sed dei et Christi, qui eos suo sanguine adquisivit ac redemit.

Quod si peccaverit in te.) Quae hactenus de oculo eruendo deque abscindenda manu dicta sunt, mihi de magistratu dicta videntur. Quae vero iam sequuntur ad excommunicationem pertinere puto. Non enim videtur Christus in tam brevi sermone eadem repetiisse. Equidem sunt quaedam offendicula quae non tam gravia sunt, ut morte sint digna, quae tamen plectenda sunt et exterminanda, de quibus (meo iudicio) Christus iam loqui incipit. Et quasi per anthypophoram sunt dicta. Diceret enim quispiam: Saepius iam passus ab illo iniuriam, nihil proficio sed res indies deterior fit: adcumulatur peccatum peccato. Quid ergo faciendum? Docet igitur Christus modum servare, quod ad nos adtinet et ad privatam iniuriam. Septuagies septies remittendum est, imo semper. Quod ergo dicit: In te, non de privato quoque intelligi debet, sed de universa ecclesia in qua quis habitat. In te, scilicet ecclesia, hoc est, si quis peccatum committit quod totam ecclesiam offendit, vel etiam ad offensionem fit quorundam membrorum, hoc Christus punitum et emendatum vult; nihilominus tu interim semper ad indulgentiam pronus sis. Et mos quidem inter nos inolevit Christianis hominibus indignus: mox enim ut de aliquo crimen audimus, non monemus, sed invulgamus passim etiam incognita et incomperta. Qua diffamatione ecclesiam plus offendimus, quam is suo peccato. Vulgamus enim quae occulta sunt, aut quae fortasse nunquam sunt designata.

Assume unum ad te.) Ergo et monitorem pro altero teste habet. Nam lex iubet duos esse testes in re qualibet.

Si ecclesiam contemnit.) Impudens est et impius: merito ergo reiicitur et contemnitur, quum se impium scelere suo ostendat. Ecclesia primo et principaliter pro congregatione et coetu omnium fidelium ac credentium accipitur, quae fundata est supra petram Christum, pro omnibus electis qui per dei gratiam et sanguinem Christi sanctificati sunt. Haec soli deo nota est et cognita. Novit enim dominus qui sunt eius, nec omnium est fides: multi enim sunt hypocritae, et deus solus cor cognoscit in quo fides est. De hac loquitur Paulus Ephes. 5. Hanc mundam et incontaminatam ecclesiam veteres invisibilem dixerunt, in qua et divi membra sunt. Comprehendit enim haec omnes credentes, qui ab initio mundi ad finem usque vel fuerunt, vel sunt, vel futuri sunt. Vocatur etiam ecclesia catholica, id est, universalis, nempe una in toto orbe. Prophetae hanc adumbrant per templum aut urbem Hierosolymam, aliquando per montem Zion, dum anagoga quadam sensum subducunt. Nam tum in hoc templo unus deus colebatur. Multa enim loca sunt in prophetis, ubi ex ipso contextu deprehenditur, ipsos non loqui de aliquo loco terreno, sed de spirituali templo aut Zion. Hanc confitemur in symbolo quod apostolorum vocant, et in alio ubi apostolica dicitur, quod per apostolos plantata sit primum in toto orbe. Et haec quoque omnium sanctorum est communio. Haec per spiritum gignitur, nutritur, ac conservatur. Qui hanc unicam ecclesiam scindunt, haeretici sunt et Antichristi, quandoquidem cum Christo non colligunt, sed cum Satana dispergunt. Et licet haec uni-

versalis ecclesia nobis sit incognita, nota tamen nobis est ecclesia externa et particularis eorum qui se Christi membra esse confitentur, et baptismatis signo contestantur. Quaero eos, qui se Anabaptistis iungunt, et ecclesiam eorum summis vehunt laudibus, quis eos certos faciat, quod Catabaptistarum ecclesia, ecclesia sit dei? Quum ergo de hac non sunt certi, cur non manent in sua ecclesia a qua turpiter deficiunt? Aut quomodo Catabaptista se ab iis separare potest, quorum corda in Christo sunt fundata, et qui vera fide Christo adhaerent? Nec scripturis nec spiritui Christi consonat, quod quis se ab aliis separare debeat, eo quod se iustiorem putat: sed hoc scripturae docent, quod palam flagitiosi ex ecclesia sint secludendi. Hanc ecclesiam veteres orthodoxam quoque vocarunt, contra haereticos et schismaticos, nempe, quae recte sentiret in omnibus verbis dei et scripturae sacrae, nec patitur se in sectam aliquam abduci. Orthodoxa, die rechtmeinende, rechtuerſtendige kilchen, Catholica vero universalis. Et potest particularis ecclesia orthodoxa esse, at catholica universalis duntaxat: licet catholica aliquando pro universali capiatur quae recte sentit. Secundo capitur ecclesia pro omni particulari ecclesia et congregatione fidelium, id est, eorum qui se fideles profitentur. Sic Paulus docet in omnibus ecclesiis. Item scribit ecclesiae quae est Corinthi, Ephesi, Philippis etc. Atque haec ecclesia visibilis est et externa, cognitaque nobis, et pars est illius universalis. Neque ecclesia ob hanc partitionem magis discerpitur quam corpus, si membra singula numeres. De ista ecclesia hic loquitur Christus, quum dicit: Dic ecclesiae. Qui admonitionem ecclesiae specialis aut particularis non audit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus. Ex his colligimus quomodo excommunicati vitari debeant. Quod si exclusi tam impudenter peccant, ut etiam ceteros offendant, potest magistratus auxilium implorari, ut suo in eos officio fungantur, ut vel compescantur, aut in universum abscindantur, ne caetera membra contagione illius infecta pereant. Hoc veteres aliquando fecerunt, licet Papa hac medela abusus sit.

Quaecunque alligaveritis.) Paulus in Epistola priore ad Corinthios capite quinto iubet fornicarium satanae tradi ad interitum carnis, ita ut spiritus salvus fiat in die domini. Ex quibus verbis deprehenditur excommunicationem nostram ad exteriorem hominem pertinere, ut internus salvus fiat. Hoc est, spiritum posse esse salvum, utcunque damnemus nos carnem. At verba Christi videntur eo tendere, ut quae nobis ligata sunt, etiam ligata sint coram deo in coelis; ex quo deinde sequeretur, electionem dei aeternam per nos posse impediri et cassari. Et ita videntur verba Christi et Pauli sibi esse adversa. Sed non pugnant si recte expendas. Electio dei firma est et propositum immutabile, ut probat Paulus Romanorum 9. 10. et 11. cap. Haec in cursu suo manet, utcunque casus huius mundi varient: non potest ergo ecclesiae iudicium electionem dei impedire. Latro in ecclesia externa damnatus erat, coram iudicio dei electus et beatus, filiusque dei. Neque hinc consequitur: Ergo latrocinandum est, seu: ergo latrocinium non debet puniri a magistratu. Nam et ille latro etiam ab ecclesia plectebatur, et damnatio eius aut poena fuit a deo

praeordinata ac praevisae. Nobis iuxta legem iudicandum erit pariterque agendum. Lex autem iubet: Tollite malum e medio vestri. Si deus latronem in rota convertit, opus est domini. Tu fac tuum opus, et fungere tuo officio. Redeamus autem ad verba Pauli, et diligentius expendamus. Tradatur, inquit, satanae ad interitum carnis, quo spiritus salvus sit in die domini nostri Iesu Christi. Videntur autem haec duo (tradi satanae ad interitum carnis, et spiritum fieri vel esse salvum) sibi pugnantia. Nam qui satanae traditur, utique damnatus est. Deinde et haec pugnant cum praecedentibus: Quaecunque alligaveritis super terram, ligata erunt in coelis. Si enim ligata sunt in coelis quae nos in terris ligamus, spiritus utique damnatur, et hoc est praeiudicare divinae electioni. Posset enim quis satanae tradi et ligari super terram, qui tamen a deo esset electus ad vitam. Electionem autem dei firmam esse supra probatum est. Exemplum huius est in latrone, qui ab ecclesia traditus erat satanae, qui tamen ad vitam aeternam a deo electus fuit. Observemus autem quod electio dei malum non vult, nec malum docet. Nemo ergo dicat: Si sum electus, possum peccare ut latro. Aut contra: Si non sum electus, etiamsi multa bona fecero nihil proderit, moriar enim et damnabor. Omnia enim pendent ab electione dei: si vult me aeterna vita donare, servabor, etiamsi pessimus fuero: si electus non sum, frustra erunt omnia bona opera: poeniteat ergo sive minus, bonus fuero sive malus: idem semper erit. Qui huiusmodi impia verba evomiunt, tandem illo veniunt, ut deum peccati authorem faciant, seque iniuste a deo damnatos clament. Cur, inquiunt, deus damnat me, quum aliter non possem? Omnia enim ab eius providentia et electione pendent, et nemo potest eius voluntati resistere. Illis respondemus: Quod sicut deus praevidit latronem vel alium peccaturum, sic etiam praevidit poenam eius; quod non fecisset, si ipse vellet malum. Quum ergo sceleratis et poenam praevidit, argumentum est deum non gaudere aut delectari peccato, sed peccatum deo displicere. Neque cessat providentia dum impius malum perpetrat, sed ulterius progreditur ac poenam peccanti praevidet. Hinc est illud praeceptum a deo latum: Tollite malum e medio vestri, et singulis peccatis singulae fere poenae in lege domini constitutae sunt. Vult enim flagitiosos exemplum fieri caeteris. Quandoquidem vero ecclesiae Christi particulari de electione dei non constat (nam de manifestis duntaxat iudicat) illuc non penetrat, nec sententiam suam contra electionem dirigit. Iudicium vero ecclesiae sic habet: Si viderit aliquem conscelératum esse, et cum aliorum offendiculo peccare impudenter et publice, tradit eum satanae, id est, excommunicat eum tanquam infidelem: nam talem deprehendit eum in externa conversatione. Neque tamen hoc agit ecclesia, ut huiusmodi condemnetur, aut sub potestate satanae maneat excommunicatus et ab ecclesia exclusus, sed ut emendetur, resipiscat, ac servetur. Satanae ergo tradere aliquem ad carnis interitum est iudicio ecclesiae eum excludi e coetu fidelium, ita ut ei nemo communicet, nempe iniusto et infideli quantum quidem ecclesiae constat. Et haec omnia de exteriori iniustitia intellige, cui per antithesim Paulus ad Hebraeos iustitiam carnis exteriorem opponit. Iustitia

autem externa iustitia est apud homines et in facie ecclesiae, quae consistebat in externis ceremoniis et sacrificiis. Sic ad emundationem carnis valere inquit Paulus, ut patet de leprosis et puerperis. Interitus ergo carnis est, quod talis reputatur iniustus et damnatus apud homines, qui faciem et conversationem externam duntaxat attendunt, et secundum hanc iudicant, sic tamen, ut spiritus salvus fiat, hoc est, ut sic rubore suffusus et coram hominibus contemptus, poeniteat et resipiscat. Grave etenim est et horrendum facinus ecclesiam, corpus nempe Christi, contemnere ac labefactare, et ea committere ac designare, quae exclusionem a populo dei mereantur. Inter haec vero omnia stat electio dei firma. Nam si huiusmodi excommunicatus electus fuerit, haud dubie poenitentiam aget, et ab ecclesia recipietur (satisfecit enim ei si vere resipiscit: nam aliud nihil quaesivit ecclesia dum eum eiiceret) salvusque erit. Si non resipuerit, satanae vere traditus est, quemadmodum ecclesia censuit. Quod vero alius qui resipiscit et redit satanae tradi dicitur, in ecclesiae dicitur iudicio. Vere autem coram deo electus est, et non est satanae, quia agit poenitentiam et dolet ex animo. Saepe fit, quum duo contraria in eadem re simul inveniuntur, ut denominationem talis res accipiat a principaliori. In ecclesia Christi et mali reperiuntur. Et coetus qui bonos et malos simul complectitur, ecclesia nihilominus dicitur Christi, quum tamen mali aut impii nequaquam sint in ecclesia. Quia ergo ecclesia membra sua iudicat ex factis et homines tales censet quales palam esse videt, ignara an excommunicatus acturus sit poenitentiam nec ne, tradit eum satanae, cuius est, si poenitentiam non egerit. Haec ergo omnia quae hic dicuntur per consequentiam intelligenda sunt, videlicet: si non resipuerit, vel si in huiusmodi flagitiis permanserit, satanae est. Et sicut praecipuum in ecclesia Christi sunt boni a quibus et ecclesia denominatur, dicuntur ita et boni et mali satanae tradi, quod fit ad exhortationem et incitationem bonorum et malorum, et simul omnes dicuntur esse in ecclesia (nam et impiis et hypocritis volupe est, si filii dei nominentur.) Tradi quidem dicuntur satanae, quia impii et hypocritae praecipue sunt satanae; in ecclesia vero esse, quia pii et fideles praecipue sunt in ecclesia. Interim boni terrentur hoc tam duro iudicio, ne et ipsi eadem designent, propter quae vident illos traditos esse satanae. Qui vero cum huiusmodi excommunicatis participant, amici sunt satanae, quia placet illis sceleratorum malitia. Hinc proverbium natum esse videtur: Vis hominem nosse? considera sodalitium eius. Simile quid ab Augustino ponitur in 11. lib. de Genesi ad literam cap. 40. Ubi Adam ob praevaricationem eiectus fuit e paradiso, quum tamen electus esset et resipisceret. Secus fit in Cain post domini admonitionem et correptionem; desperat enim. Quum ergo dicitur: Quaecunque ligaveritis etc. Loquutio est ut quum dicimus, fidem salvare hominem, et baptismum mundare a peccatis, ut est apud Petrum. Signo enim tribuitur quod rei est. Sic dicimus symbola militaria facere milites, quum crux assuta neque Hispanum neque Confoederatum faciat. Sic baptismus non facit innocentem et electum, sed signum est quod sit de populo dei. Et ipsa fides non salvat, si proprie loqui volumus, sed signum est salva-

tionis, et electionis. Tractus enim patris salvat et iustificat, et operatio spiritus sancti; fides autem signum est omnium electorum. Sic dicitur, Quaecunque ligaveritis super terram, erunt ligata et in coelis, quum tamen antea oporteat hominem esse ligatum in coelo. Nam ligatio quae fit in terris a ligatione quae in coelo fit provenit et signum eius est. Quae Ioan. 20. dicuntur, ad idem tendunt, ad emendationem nempe et salutem hominum, quamvis diversis respectibus. Lex enim quaecunque fertur generalis esse debet, ut omnia complectatur, quae sub genus pertinent. Tradi ergo satanae est excommunicari, non quod virtute nostrae excommunicationis talis tradatur satanae, sed per consequentiam tantum, nempe si non resipuerit. Quicunque ergo spiritum dei habet, is facile remittit noxam, ac iniuriam, non odit, sed benefacit laedentibus, quod docet Christus in posterioribus. At haec de interiori homine intelligenda sunt, et interim etiam locum habent quae de magistratu et excommunicatione sunt dicta.

Ubi duo vel tres.) Non solum ratum erit si aliquem excommunicaveritis, sed rursus dico vobis: si pro peccatore preces effuderitis, deus exaudiet vos, non ecclesiam duntaxat universam, sed ubicunque duo vel tres in meo nomine congregati fuerint. Atque haec consolatio magna est, quod dominus qui nobis potestatem dat aliquem puniendi, interim misericordiam suam pollicetur nobis, quum pro peccatoribus rogaverimus. Ex his verbis colligunt Catabaptistae suam ecclesiam seu potius sectam. Nam et ipsi a Christianis se separant. Verum est hoc, quod quicunque deum praesentem habet, membrum est Christi et ecclesiae, nec tamen ob id sequitur quod sit de ecclesia illa de qua hic loquimur, quae potestatem habet excommunicandi et alios excludendi. Qui deum habet, membrum est ecclesiae illius invisibilis et generalis; sed in exteriori ecclesia, quae nobis patet, potest aliquis esse membrum, qui tamen in universali membrum non est. Nostrum enim iudicium falli potest. Possumus aliquem habere pro membro, qui membrum non est, nempe reiectus a domino, quum interim nobiscum verbum dei audiat, et sacramentis communicet. Christus ergo non de ecclesia hic loquitur, sed de singulis membris: Quasi dicat: Non ecclesiam duntaxat exaudio precantem, sed singulos qui nomine meo convenerint. Alibi diximus satis de oratione, qualis esse debeat: non enim battologiam commendat, neque eam orationem quae fit ex affectu, qualis illa fuit filiorum Zebedaei. Tales enim preces non exaudiuntur, quod non rite fiant, ut docet Iacobus: Petitis et non accipitis etc. Cogitemus nos in manu dei esse quemadmodum instrumenta in manu artificis. Si contingeret nos ingredi in officinam argentarii, nihil intelligeremus ad quem usum quodque instrumentum factum sit; ipse vero probe intelligit, et nunc illo, nunc alio utitur, prout ei visum fuerit. Quo frequentius utitur, hoc magis amat, attamen ipso usu consumitur quod charissimum est prae caeteris omnibus. Sic cogitemus nos instrumenta esse dei, infirmitatem, languorem, et tribulationem nihil esse quam instrumenta per quae operatur deus, et suos praeparat. Quos pluribus sinit vexari malis, hos prae caeteris diligit. Quod in angulum reiicitur nec in usu est continuo, neglectum est ab

artifice, situ et rubigine perit. Positis ergo adfectibus carnis sincero pectore clamemus ad dominum, voluntati suae et sapientissimae et optimae nostram subiicientes. Fides, timor dei, obedientia, patientia, et modestia sit in corde orantis. Ostendit interim hoc verbum (Ubi duo vel tres fuerint in nomine meo, in medio eorum sum) divinitatem Christi. Nam ubique esse solius divinae est naturae.

Non dico tibi septies.) Contra pessimos et vehementissimos morbos remedia dat Christus. Remittere enim remedium est contra odium. Ira et odium consultores mali, hospites pessimi. Qui hospitem malum et invisum excipit, gaudet si mox discesserit. Cito ergo amandanda ira, amandandum odium. Odium et invidia inveterata est ira. Statim ergo iram pelle, ne apud te senescat. Nemo potest facile primis obstare motibus, aut his liber esse, in his durare periculosum est. Si iram in universum vitare non potes, saltem odio praeclude viam. Caput obtrunca, hoc est, contere iram, quae odii caput est. Odium cauda est in quo viperae venenum latet. Simulant quidam se non esse iratos, sed interim odio dissiliunt et torquentur. Docet ergo Christus, ut faciles simus, libenterque remittamus, non semel atque iterum duntaxat, sed quoties laesi fuerimus et irati. Hic ergo dicitur: Quoties in me peccabit; supra quum de ecclesiae offensione sermonem faceret, In te dixit, id est, in ecclesiam. Hic vero in me, id est, in personam et famam meam. Oportet itaque diligenter discernere inter scelera quae ecclesiam contaminant, et errata ac delicta quae in nos duntaxat committuntur.

Assimilatum est regnum coelorum.) Hac parabola idem docet Christus, quod Matthaei 6. Remitte nobis debita nostra, quemadmodum et nos debitoribus nostris. Clara est haec parabola, at nihil tam clarum in sacris literis, quod non frequenti et diligenti tractatione clarius fiat, gratiusque redoleat. Sic solent flores quidam: quo magis manibus teruntur, hoc magis olent. Regnum coelorum pro ecclesia et fidelibus accipitur. Quum in nobis est cognitio et veritas dei, regnum coelorum est in nobis. Sumus enim erepti a tyrannide satanae, et regno tenebrarum traducti in regnum Christi filii dei. Spiritus dei habitat et regnat in nobis. Metaphoram ergo a rege terreno ducit. Quasi dicat, Scitis quod rex terrenus irasceretur, si servus, cui dimissum esset debitum, erga debitorem suum et conservum asper esset et durus. Ita et deus, quandoquidem remittit vobis peccata vestra, quoties petieritis, cur vos non remitteretis debita proximis? Deus per Christum iudicem rationem a nobis requiret, et conscientiae nostrae, velimus, nolimus, agnoscent delicta sua. Per talentum immensum et grave peccatum intellige. Debitum quod deo debemus magnum est, et quemadmodum servus ille (sub quo adumbramur) solvendo non erat: sic nos deo satisfacere nunquam possumus. Servi sumus aeterni regis, et omnia ei debemus, rationem aliquando reddituri et receptorum et expensorum. Sed imitemur hunc servum in petenda venia: procidit, misericordiam implorat. Sic nos de nostris meritis et viribus diffisi, ante thronum gratiae procidamus, dicentes: Deus propitius sis nobis peccatoribus. Deus ignis est purissimus, omnia consumens, ante cuius conspectum

consistere nemo potest, nisi per gratiam suam. Conscientiae nostrae hoc agnoscant, quum iusto dei iudicio damnati simus, hoc unum superesse, quod gratiam imploremus, quemadmodum faciunt fures et latrones convicti et damnati. Per Christum remissum est peccatum, remissa est culpa; hoc freti ad deum accedere debemus, in hunc conscientiae nostrae se recipiant, et tutae erunt.

Patientiam habe et reddam.) Hic similitudo non quadrat. Fidelis enim anima hoc dicere non audet, hoc est, nequaquam fidere potest sua iustitia. Non possumus deo satisfacere nisi per Christum, at ille nimis audax et praesumptuosus non expensis viribus plus pollicetur quam praestare possit.

Ad conservum dicit, Redde quod debes.) Duritia et inhumanitas ingrati huius hominis describitur. Sic et nos duri sumus et immites, crudeles et immisericordes.

Donec redderet universum debitum.) Nec hic quadrat similitudo, neque enim satisfacere possumus; at in hoc tota similitudo versatur, quemadmodum Christus ipse exponit: Si non remiserimus, nec deus nobis remittet. Quandoquidem deus remisit, et nos remittamus. Nam remissio dei nostram remissionem praecedit, et haec ex illa sequitur. Suae remissioni nostram annectit.

CAPUT XIX.

Et factum est quum consummasset Iesus sermones hos.) Superiori capite tria docuit. Primo, quaedam esse tam enormia flagitia, ut omnino extirpari debeant, etiamsi praestantissima in ecclesia membra fuerint. Secundo, esse quaedam quae excommunicatione et exclusione sint coercenda et emendanda. Tertio, paratos nos esse debere ad ignoscendum ea delicta quae in nos fiunt. Per epilogum ergo dicit: Postquam consummasset Iesus hos sermones, et incipit iam narrare aliam historiam. Pharisaei videntes quod avaritia eorum iuxta lucem et doctrinam Christi consistere non posset (docebant enim externa quaedam et iis fidere, Christus vero in solo deo per se fidere docebat: ipsi externa quaedam et elementa mundi, Christus spiritualia et coelestia): vias ipsum perdendi et calumniandi excogitant varias, variis ergo interrogationibus eum impetunt. Divortium vulgo plausibile erat, de hoc ergo interrogationem instituunt, ut ei, si improbaverit, invidiam plebis conciteat. Ut enim quisque affectus est, ita agit; et quae agit, in his impune pergere vult. Qui vero huiusmodi affectibus carnis repugnare fuerit ausus, is non solum invidiam sed mortem aliquando sibi conciliat. Sic prophetis, sic Christo ipsi contigit. Macula hic significat vel iracundiam, vel intractabilitatem vel foeditatem aliquam corporis. Omnipotens deus qui cuncta creavit, in usum ea hominum creavit, non ut in his voluptuarentur, aut iis abuterentur, sed ad necessitatem. Sol creatus est, ut luceat interdiu, calefaciat, exiccet etc. non ut solem adoremus. Quod de Sole dico, de omnibus aliis intellige. Feminam itaque in adiutorium homini dedit, non ad luxum, ut hac una, uxore scilicet, contentus, alias ne appetat quidem. De Vino similiter collige: nam impie loquuntur qui dicunt, Deus creavit vinum, ergo ingurgitabo

et satisfaciam voluptati et libidini. Attendamus ergo ad creationem et institutionem matrimoniorum! Masculum, inquit scriptura, et foeminam creavit hominem, ut iam non duo sint, sed una caro, unusque quasi homo, atque eos sic coniunxit, ut neutri sit fas alterum deserere aut repudiare. Et in hoc sanctitas et dignitas matrimonii notatur his et aliis scripturae locis. Derelinquat homo patrem et matrem et adhaereat uxori suae. Quasi diceret: Sic sunt conglutinati, ut minus se invicem deserere possint, quam relinquere parentes. Quum vero per praeceptum domini nulli parentes deserere liceat, sed potius beneficiis et veneratione sint prosequendi, consequitur nulli licere ut coniugem suam deserat. Nec Paulus matrimonii dignitatem tacet in Epistola ad Ephesios 5. cap. quum typum facit coniunctionis Christi capitis cum ecclesia. Arctam et maximam coniunctionem et dilectionem ostendit, quae inter coniuges esse debet. Uxores subditae sint viris, veluti in domino, quia vir est caput mulieris. Viri uxores suas diligant quemadmodum Christus ecclesiam dilexit. Uxores rursus maritos suos diligant, liberos ament, sobriae sint, purae, domus custodes, bonae, subditae viris suis, ne sermo dei male audiat. Indecorum enim est mulieri si extra domum suam vagetur et transcurrat. Veteres testudinem symbolum fecerunt mulieris, quod conveniat mulierem in domo sedulam esse, extra raram. Non quod omnia corradat et in domum suam ingerat, sibique tantum prospiciat: lupae enim tales sunt; sed quod laboret et de labore suo aliis quoque impartiat, omnibus consulat. Fides haec dictat, quae et totam vitam et omnes vitae actiones recte format; haec ubi deest, omnia corrupta sunt et vitiata.

Quod deus coniunxit.) Ubi consensus amborum intervenit, coniugium confit, at consensus non est essentiale coniugii (ut quidam falso putant) sed fides eaque vera et integra. Hanc ergo in primis attendant coniuges, si bonis auspiciis convenire velint. Qui voluptatis tantum gratia uxores ducunt, aut ut carnis libidini satisfaciant, aut qui formam tantum attendunt, inhonesti sunt amatores, parumque a meretricio amore absunt, et talia matrimonia parum feliciter coeunt, multaque non immerito habent incommoda, quia haec tantum spectarunt quae caduca et instabilia sunt. Fides perpetua quaedam res est. Sunt qui opes in sacratissima hac re quaerant avarissimi et sordidissimi homines, qui non raro falluntur; quod si eis pro voto nonnunquam successerit, infinitis involvuntur periculis et curis. Pauperes si favente deo convenerint, satis sunt divites et fortunati: benedicet enim eos dominus, modo ipsi sibi non defuerint otio et ignavia. Quod deus coniunxit, homo non separet. Ego sensum genuinum talem esse puto. Nemo temere coniugium damnet, nemo divinam ordinationem, ut Papistae fecerunt et aliae gentes, quae coniugium damnarunt. Deinde etiam nemo temere separet eos qui matrimonio iuncti sunt. De repudio loquuturi, primum de antinomia quaodam praemittemus. Est autem Antinomia (ut docent) legum contrarietas aut pugnantia, quae tamen per aequos et prudentes iudices conciliari possit et debeat. Neque enim ullus est legislatorum tam sapiens tamque eloquens, qui sic leges condat, contra quas nihil vel cogitetur, vel dicatur. Et in divinis legibus

calumniae et falsae interpretationes fiunt. Verba igitur Christi (quod deus coniunxit homo non separet) sic arida sunt ut videantur coniuges nulla ex causa separari posse. Deinde unam fornicationem excipit, ut videatur nulla alia causa admittenda esse. Hinc inter Christianos receptissimum est, ubi semel coiit matrimonium, nullo pacto posse dirimi, nisi alterius morte. Sed nolumus Iudaico more sic literae inhaerere superstitiose, ut leges alias negligamus quae eodem spiritu dictante proditae sunt. Dominus enim temerarium repudium Iudaeorum hic damnat, non omne repudium. Neque unam duntaxat causam excipit, tametsi unius tantum meminerit. Hic enim mos est Hebraeorum, ut sub inferiori similia et graviora omnia intelligant et exprimant. Minimam ergo causam adulterium seu fornicationem assignat, quasi terminum ponens infra quem nemo uxorem repudiare debeat. Exempla ex scripturis adducemus. Prohibet deus, ne quis uxorem fratris sui ducat, non interim expresse prohibens, ne mulier sororis marito nubat, quod tamen aeque vetitum, et in priori comprehensum esse, nemo sanus negabit. Hoc deprehendet facile, quicunque Levitici caput decimumoctavum diligenter examinans antitheses legum rite contulerit. In Exodo, exempli vice, dominus unum casum ponit de fortuito homicidio, eum scilicet non sanguinis esse reum, qui comitem in silva securi elapsa e manu occiderit temere. Indicans hoc exemplo caeteros modos omnes, quibus quis aliquem non voluntate sed fortuito occiderit. Tam enim innocens est qui lapide e tecto iacto aliquem invitus interemerit, quam qui securi e manubrio excussa praeter voluntatem. Qui impotentes sunt natura rite sepafantur, et nubendi facultas uxoribus datur, idque optimo et divino iure, tametsi hoc nusquam claris verbis sit expressum. Dicit enim Paulus: Qui continere non potest nubat, et melius est nubere quam uri. Quod si quae viro nupserit natura impotenti, quis non videt iam causam adesse divortii? quum matrimonium in hoc sit a deo institutum, ut utrique remedium carni habeant praesens. Porro in impari coniugio Paulus divortium admittit, si alter alterum ob fidei professionem dimiserit.

Quare ergo Moses iussit.) Hic est verbum ἐντέλλεσθαι, quod significat Ins gſatz gryffen. Warumb hatt dann Moſes ins gſatz griffen?

Moses dedit vobis.) Quasi dicat: Non dei sed vestri causa, seu potius culpa factum est: indulsit dominus ac permisit, non iussit, dare libellum repudii. In luce evangelii ambulantes alii mores decent: viri maiori tolerantia sint praediti, uxores maiori pudicitia et amore: ferant mariti uxores, non exasperent: parcant, non exagitent acrius, et ut vasi infirmiori indulgeant. In summa: Spiritus meus moderatiores faciat, et contumaciam omnem pellat. Lux ego sum, venique ut omnia renovem, ut omnia in pristinum statum restituam.

Qui repudiatam duxerit, adulter est.) Eam scilicet, quae ex levi causa repudiata est, sine iure, sententiaque iudicis. Nam si repudiata est propter fornicationem seu ob aliam causam graviorem, potest talis fortasse recipi in gratiam si resipiscit, et admitti ad aliud connubium. Hoc dum audiunt apostoli, molestam uxorem retinendam esse nec repudiandam, dicunt: Si sic res habet, satius fuerit non contrahere matri-

monium, et omnino abstinere a coniugio. Quemadmodum et Cato olim dicebat: Si uxoribus carere possemus, magnis molestiis careremus. At propter instantem necessitatem melius est nubere quam uri. Et castitas non est voventis, sed illius qui dat. Frivola ergo et stulta fuerunt vota monastica, imo impia et impura. Non omnes capiunt, id est nemo capit, negatio est Hebraica, et hoc in genere de hominibus intellige. Nam qui frigidi sunt aut natura vitiati aut castrati, hi iam aliquid perdiderunt de homine.

Qui se castrarunt propter regnum coelorum.) Propter regnum coelorum, id est ut regnum coelorum et gratiam evangelii depraedicent et caeteris annuncient. Nam qui se ad hoc operis toto pectore accingunt, tantum molestiarum et laborum devorant, ut carnis desideria plerumque superent, aut non sentiant. Et praecipue de apostolis loquitur, quorum officium erat magno studio et indefesso passim circumcurrere in regiones gentium, ut gloriam Iesu Christi promoverent. Hoc in Paulo clarum fit, qui cupit omnes esse sui similes: qui tametsi uxorem haberet, tot tamen laboribus fatigatus, totque periculis exercitus, raro apud uxorem erat, itaque carnem suam sub iugum Christi domuerat. Labor ergo et zelus apostolorum facit, ut minus sint uxorii; tametsi et ii uxores suas secum aliquando circumduxisse legantur, etiam Paulus ipse, quod sibi ab aliquibus vitio verti queritur.

Qui potest capere.) Hoc verbo sterilitatis obprobrium commutatur, et maledictio quae in lege erat tollitur. Neque enim maledicti sunt amplius qui prole carent.

Tunc oblati sunt ei puelli, ut manus eis imponeret et oraret.) Antea de coniugio habitus est sermo, quod Christus pristinae dignitati restituit; mox de puellis qui ex coniugio suscepti sunt sermo instituitur. Nam ob prolem matrimonium institutum est. Hoc vero, quod mox, quum de matrimonio verba finivisset, pueri offeruntur, non temere factum, sed divina providentia crediderim. Discimus autem hoc facto matrum offerentium cum fidem et devotionem erga Christum, tum dilectionem erga pueros suos. Iesus enim ut omnibus erat salutaris, ita omnibus in admiratione est. Et quemadmodum mulier illa apud Matthaeum. 9. cap. persuasa erat, si vel vestimenti fimbriam attingeret sibi salutem esse certam: ita et matres ad salvatorem Iesum adcurrunt, amicitiam eius ambientes, haud dubiae salutare infantibus suis fore, si vel contactu eos dignaretur: sic enim eos sanctificari et feliciores reddi. Tali ergo affectu adportant prolem suam, ut eis aliquid a Christo impetrent, quem salutarem advenisse omnibus credunt, precanturque ut et manus eis imponat, oretque pro illis, hoc est, bona et fausta illis imprecetur. Nec divitias petunt aut corporale aliquod, sed sanctificationem et salutem. In tanta existimatione Christus est apud Iudaeos, ut non sufficiat eis ad eum certatim currere, nisi simul infantes suos adferant. Sed quam brevis et inconstans est hic affectus in plerisque? quam cito eum deserunt? et ex amicis in hostes convertuntur? abducti scilicet falsis pharisaeorum persuasionibus. Ubi discimus, quam infida, quam incerta et instabilis sit huius mundi amicitia, quam periculosum sit plausui et favori populari fidere. Deinde videmus, in

multis qui ingenti desiderio Christum quaesiverunt et sequuti sunt, non fidem veram et firmam fuisse, sed admirationem quandam carnalem; qui Iesum non vere, sed se in eo quaesiverunt: nam si vera fide fulti fuissent, non tam cito eum, sacerdotum calumniis abducti deseruissent.

Discipuli increpabant eos.) In Deuteronomio 1, et 30. praecipitur, ut eorum pueri adducantur ad lectionem legis. Quod si attendissent discipuli, non tam temere fuissent indignati illis, qui puellos afferebant: at ipsi plus tranquillitati Christi consulere voluerunt, quam puerorum saluti.

Sinite parvulos venire ad me.) Satan libenter in puerorum cordibus sedem sibi parat, vasa adhuc incorrupta vitiare et contaminare conatur, quare summa diligentia opus est, ut sub disciplina et in timore domini educentur, ut novae testae bonis et moribus et disciplinis imbuantur. Student multi ut imagines eorum suspensae ubique splendeant, ut stemmata summis laudibus vehantur, et genus propagatum gloriosum sit; imaginem dei et nostram veram ac vivam negligimus ac contemnimus. Recte Iuvenalis admonet: Nil dictu foedum, visuque haec limina tangat Intra quae puer est, procul hinc, procul inde puellae Lenonum, et cantus pernoctantis parasiti. Maxima debetur puero reverentia, si quid Turpe paras ne tu pueri contemseris annos: sed peccaturo obsistat filius infans. Rustici diligenter curant ut serie quadam hinc arbores, illinc vineta, istinc salicta plantent, illinc olera, illinc frumenta, ut habeant hortum omnigeno fructu laetum. Hanc curam si in excolendis ingeniis puerorum parentes et praeceptores haberent, felicius haberet iuventus hodie. Non satis est si doceant pueros scribendi artem, aut legendi, sed oportet insuper et moribus eos instituere bonis, et totam vitae rationem ordinare. Si tantum curae nobis sumimus ut arbores fructum ferant, si artifices opera sua tanta cum diligentia examinant, et si quid inconcinnum vident, emendant ac corrigunt: liberos nostros cur sic negligimus?

Talium est regnum coelorum) Quod non dixit illorum, Catabaptistae pueris regnum coelorum aut fidem abnegant, sed non considerant: Si regnum coelorum eorum est qui pueris sunt similes, potius illorum esse qui nobis in exemplum et vitae et salutis proponuntur. Si enim regnum coelorum puerorum non esset, non praeciperet dominus, ut illis similes essemus. Quin negat posse ingredi regnum coelorum, qui illos non fuerit imitatus, aut qui se in illos non transformarit.

Accedens ad Iesum quidam adolescens.) Deus, ut est optimus et erga nos benignissimus, saepe nobis tribuit, quod ipsius solius est, causae inferiori quod est superioris: remotissimae quod est propinquae et primae, idque propter commercium quod cum homine habet. Sic Christus dicit: Quorum remiseritis peccata, remissa sunt, quum unius dei sit peccata remittere. Qui animam creavit, solus recreare animam, et eam exonerare potest, mundare et sanctificare. Alter alterum verbo externo docere potest, quanta charitate deus pater nos complectatur, quid per filium nobis donaverit. Hanc quidem consolationem minister adflictis conscientiis et desperabundis proponere et annunciare potest; ut recipiat per fidem, ut annuat, ut firmiter credat, efficere non

potest. Qui vero praedicato evangelio credit Christoque fidit, huic protinus evanescit omnis desperatio, conscientiaque certa et indubitata fide fulta erigitur et tranquillatur. Qui enim filium unigenitum dedit, quid posthac negare poterit? At ut hoc credat firmiterque haereat, ut renovetur regenereturque in novum hominem, operatio est spiritus sancti. Nihilo tamen minus quum ministro intermedio hoc factum est, ministro aliquando tribuitur, ut quum Paulus dicit se Corinthios per evangelium genuisse etc. Idem quoque fit, quum fidei salutem tribuit scriptura: proximiori et nobis magis notae causae tribuitur, quod solius est dei. Nam et fides donum dei est, et spiritus dei excitat illam in cordibus nostris. Multi audiunt verbum fidei, qui tamen non credunt: quidam rursus sero recipiunt: quidam non tum, quum foris verbum audiunt, sed aliquandiu post. Non est volentis, neque currentis, sed miserentis dei. Sic Lucas in Actis dicit, ad praedicationem apostolorum duntaxat eos credidisse, qui ad vitam praeordinati erant: ergo praeordinatio et electio fidem praecedit. Sic Paulus dicit: Quos praedestinavit, hos et vocavit. Electio ergo fidei praeit. At nos de electione certi esse non possumus, nisi de illorum quos credere audimus. Quod si proprie loqui volumus, solus deus iustificat et salvat, idque ex mera sua gratia et misericordia. Interim scriptura sic loquitur: Fides iustificat et salvat, quae tamen loquutio hac moderatione recipitur: Quicunque vera et indubitata cum fide misericordia dei per Christum fidit, is certissimum signum habet electum se esse. Fides ergo arrhabo est, et σφραγίς, quibus corda nostra obsignat deus. Pectus ergo tuum examina! si te certum de misericordia dei invenies, adeo, ut nulla creatura te ab hac fiducia avellere possit, arrhabonem habes spiritus. Arrhabo non maritus est, sed sigillum et pignus certissimum matrimonii. Sic fides certissimum signum est coniunctionis animae tuae cum deo. Ex his loquutionibus et haec est: Si vis ingredi ad vitam, serva mandata. Nam observatio mandatorum dei non est propria causa salutis. Quis enim mandata dei servat? qui eum timet et amat. Quis vero eum timet et colit? qui credit. Quis credit? qui electus est. Vides ut per circulum ad principium redimus. Opera itaque bona fructus fidei dicimus, tametsi huiusmodi ex hypocrisi nonnunquam fiant. Sed hoc solus deus novit, et is qui ea facit; nos ex manifestis iudicamus. Quum ergo bona opera prodire videmus, fructus ea fidei iudicamus, licet aliquando fallimur. Hoc Christus in Luca explicat, dicens: Quum feceritis omnia, quae praecepta sunt vobis, dicite servi inutiles sumus. Ergo praeceptorum observatio non meretur vitam aeternam. Vita et felicitas aeterna talis res est, taleque donum, ut hoc nemo suis viribus aut operibus mereri possit. Deinde in omnibus operibus nostris quantum cunque bonis imperfectio quaedam est et pollutio carnis. Deus vero ut est ipsa puritas, ita puritatem absque omni naevo exigit. Quis vero habitabit cum igne ardente? quis stabit in conspectu eius? Quum ergo ante iudicium eius nemo consistere possit, ad misericordiam eius confugiendum erit omnibus. Iustificatur ergo homo ex fide absque operibus, non quod fides iustificans sit sine operibus: hoc enim impossibile est, sed quod iustificatio solius fidei est non operum. Fides

vera et iustificans, de qua nos loquimur, et quae per dilectionem operatur, tam non potest esse sine bonis operibus, quam ignis sine calore aut splendore. Calefactio caloris est in igne, non splendoris, utcunque ignis non sit sine splendore. Sic iustificatio fidei tribuitur non operibus, tametsi sine operibus fides non sit. Quod vero scriptura fidem vocat quam quidam fingunt et quae mortua est, abusu vocis fit: ut quum dicimus: Fides Iudaeorum, fides Turcarum etc. Sic scriptura aliquando dicit quosdam credidisse, qui fidem sunt professi quam vere non habebant, ut de Simone mago in Actis. Et contra hanc fidem pugnant ubique sancti dum opera exigunt, quemadmodum facit apostolus Iacobus etc. Papa vero qui in hoc exigit opera quasi vitam mereantur, fallit et fallitur et verbum dei adulterat. Filium habes (exempli causa) qui infans adhuc haeres bonorum tuorum est, antequam quidquam operis facere possit, eo quod filius est: nec opera quae sequuntur in aetate grandiori eum haeredem constituunt, sed in haereditate eum servant. Nam si contra voluntatem tuam fecerit, eiici haereditate meretur, hoc est, ostendit se hac contumacia dignum qui haereditate spolietur. Si bene vivit et morigerum se praebet, ostendit se dignum haereditate, quam natura assequutus est et habet. Sic homo filius dei fit gratia et electione dei, non operibus bonis: operibus vero bonis ostendit se talem esse, qui a deo in filium sit electus et receptus; mala autem opera si facit, prodit suam perfidiam et repudiationem, et indicat se filium esse diaboli, non dei.

Cur me vocas bonum? solus deus bonus est.) Non negat se deum esse, sed *κατὰ μίμησιν* respondet adolescenti, qui adulans dominum bonum nominat, quum interim deum esse Christum non crederet. Solus deus itaque bonus quum sit, consequens est, ut omnes homines mali sint. Mali vero quum sint, quid boni facere possunt? Mala enim arbor fructus bonos ferre non potest. Opera ergo nostra eatenus bona sunt, quatenus dona sunt dei, et ex spiritu dei facta. Nam ipse (ut inquit Augustinus) sua dona in nobis coronat. Quidquid ergo non fit ex fide, id est ex dono dei, peccatum est. Sic natura comparatum videmus inter nos, ut nemo ea beneficia aut opera agnoscat, quae ficto corde et perfida fiunt; quanto minus deus qui est cardiognostes?

Si vis ad vitam ingredi serva mandata.) Perstat dominus in mimesi, et ad mentem adolescentis orationem suam attemperat, qui Pharisaico more putabat legis operibus iustificationem et vitam aeternam adquiri posse: quae sententia si vera sit, mandata servare necesse erit. Iubet ergo dominus legis servum, legem servare. At ex huiusmodi verbis non evincent Papistae, vitam aeternam ex observatione mandatorum esse. Bona enim opera, aut mandatorum dei observatio, non causa sunt aut merita salutis aeternae, sed potius indices fidei et electionis. Linea, quae in indice haeret, non est causa quod nummus aureus probus sit, sed ostendit eum esse probum.

Servavi haec a iuventute mea) Satis temere et arroganter. Sed sic respondent qui opera sua aestimant. Sic loquuntur, quotquot iustificationem ex operibus quaerunt, similes artificibus et negociatoribus,

qui perperam facta, et quae parum bona sunt, magnis laudibus evehunt, et tanquam preciosa et optima venditoribus obtrudunt.

Quid adhuc deest?) Magnam ignorantiam prodit iis verbis stultus et arrogans iuvenis. Qui enim sese cognorit intus et in cute, videt sibi adhuc multum deesse bóni, mali plurimum adesse, imo lacunam se agnoscit omnium malorum, et lernam vitiorum.

Quae?) Ex omnibus praeceptis pauca recenset, sub quibus summatim caetera omnia comprehendit: Diliges proximum tuum ut teipsum. Sub hoc universa complectitur, ut docet Paulus Rom. 13.

Vende omnia.) Haec verba quae hactenus audivimus adversari videntur illis: Haec est vita aeterna, ut cognoscant te etc. Ioannis. 17. Manet ergo Christus semper in eodem proposito de operibus, et de mandatorum observatione, ad mentem adolescentis respiciens, et responsionem adcommodans, qui ex operibus iustitiam assequi sperabat. Nam qui fide accensus sic servarit mandata ut hilariter sua pauperibus expendat: is nimirum iam cognovit patrem et filium. Ac si diceret: Age adolescens, tu multa garris de felicitate et operibus bonis; et tamen quod potissimum est, tibi deest, habes quidpiam quod te impedit. Si iubérem iam, ut relictis omnibus me sequereris, turbaretur animus tuus vehementer. Ex quo adparet, divitias plus apud te posse et valere quam deum. Nam qui opes suas propter deum relinquere non potest, regnum coelorum non potest introire. Hic iam ὑπούλον tangit Christus, quod angit animum adolescentis, et in hoc hypocrisim suam protrahit. Deum posthabes divitiis, facultates plus amas quam deum: quod argumentum certissimum est, te cognitionem dei nondum rite percepisse; interim tamen places tibi ac si deum amares et eius praecepta observares. Hic autem sermo: Vende omnia, idem est cum superiori ubi dixit: Qui non odit animam suam: Qui non reliquerit omnia etc. Qui non se abnegaverit et crucem suam tulerit etc. Quicunque ergo huc nondum venerunt ut omnia propter deum relinquere possint, huic adolescenti similes sunt. Et his hypocritis mundus universus plenus est, etiam inter illos qui sibi maxime Christiani videntur. Sed examinet se quisque! qui sic se animatum sentit, ut ob Christum omnia amittere sit paratus, is demum de operibus bonis et divitiarum dispensatione loquatur. Nam is hauddubie recte illis utetur, et neque luxu neque fastu eas profundet.

Et da pauperibus.) Hoc enim si ex fide fiat, thesaurum parat in coelo. Matth. 6.

Et sequere me.) Hoc essentiale est et perfectissimum, quod tamen Christus ultimo loco ponit, prius de observatione mandatorum verba faciens. At in conclusione simul omnia complectitur, et sese quasi explicat. Sic patres in scriptis suis saepe dicunt, nos vere edere corpus et sanguinem Christi, sed semper aliquam voculam interserunt, ex qua colligitur quo sensu haec accipiant. Summa est Christum sequi: qui hoc facit, in divitiis neque periclitari, nec illis abuti potest. Non enim divitiae culpandae sunt, sed abusus. Nihil oberunt tibi Abrahami divitiae, si fidem eius habueris, qui quoties iubet deus,

omnia post se relinquit, et vocantis domini vocem sequitur. Si vero fide et charitate Abrahami cares, noli te cum Abrahamo conferre.

Tristis abiit.) Ratio, quia multas habuit opes. Hoc ulcus, hoc impedimentum. Mox quum onus opum ponere iubet, turbatur et moestus fit, qui paulo ante se universa dei mandata complesse iactitarat, quum tamen essentiale et primarium nec digito adhuc attigerat. Quid hoc erat? Omnia relinquere et abiicere, et solum deum sequi: nam Christus deus est. Omnis creatura dei bona est, abusus pleraque mala facit. Hoc idem de divitiis sentiendum. Nihil gloriemur de nostra innocentia, nisi aperto ostio vivere discamus, ut inquit Seneca. Aperto ostio vivere est, quum facta tua coram omnibus facere audes. Innocens ergo est, qui bona conscientia stare potest coram omnibus. Talem nusquam in vita hac reperies, nemo ergo de innocentia gloriari potest. Quisque aliquid in conscientia habet, quod eum aliis revelare pudet. Si iam dives ita habet et possidet suas divitias, ut omnes homines inspectores et iudices ferat, qualiter adquirat eas, qualiter servet, qualiter amet, qualiter illis utatur, is sine periculo in illis versatur. Sed huiusmodi hominem nullum dabis. Periculosissima igitur res est habere divitias, quibus abuti tam facile possumus. Quapropter Christus dicit.

Dives difficile intrabit in regnum coelorum.) Partim quod pauci sunt qui illis non abutantur, partim quod divitiae additae cupiditati ignem vehementius accendunt, non secus quam si igni sulphur adhibeas. Avaritia statim occasionem arripit saeviendi, si res affluant. Periculosissima igitur res est habere divitias. Sed nos fugacem et brevem vitam fragili columna suffulcire volumus, ac si quis domum quae casum minitatur arundine fulciat.

Quis potest salvus fieri?) Haec responsio spiritualis est, nam apostoli pauperes erant, unde magis dicere poterant: O nos felices, qui divitias nullas possidemus. Sed spiritu ducente cognoscunt nec se totos divitiis atque adfectibus exutos, et quod ipsi eadem catena, iisdem compedibus tenebantur quibus divites. Nam curam pro divitibus gerunt, quum ipsi non sint divites, et sese adfectu metiuntur divitiarum. Nam nemo tam pauper est, qui affectu opum non tangatur. Quum itaque videmus divites attentiores ad rem esse, et divitiis abuti, doleamus illorum vices, compatiamurque illis, quod sic contra dominum peccant, quod donis dei abutuntur; et consideremus nos non omnino innoxios, etiamsi non tam graviter peccamus ut illi. Similes enim sumus divitibus non facultate, sed culpa et affectu. Quis enim est qui opes non affectet? Sic pauper debet adsumere miseriam divitis, et dives miseriam pauperis.

Intuitus eos Iesus.) Hoc verbum emphasin magnam habet, et praeparat corda eorum ad sequentia, ut attendant diligentius quae mox dicentur, quasi oculis praecipiens. Salutem ergo consequi impossibile est hominibus; datur autem ex electione et gratia dei credentibus.

CAPUT XX.

Simile est regnum coelorum.) Haec parabola ad vocationem generalem pertinet omnium populorum, qua deprimitur Iudaeorum

supercilium, qui gentibus salutem invidebant. Primi, Iudaei scilicet erunt novissimi: et postremi, gentes videlicet erunt primi, quod in fine superioris capitis positum est, veluti parascevi ad hoc, quod hac similitudine innuit Christus. Regnum coelorum, id est, amicitia dei cum humano genere, et vocatio hominum ad ecclesiam suam. Quasi diceret: In amicitiam dei venire, aut salutem consequi, non secus habet, ac si herus aliquis summo mane exeat vocatum operarios in vineam etc. Et quae in praeterito ponuntur, more Hebraico in futura converti possunt. Primo mane vocati sunt, qui ab initio creationis vocati sunt ad gratiam et salutem, ut Adam et caeteri. Nam tametsi peccaverat, tamen promissio ei facta fuit mox post praevaricationem. Prima haec vocatio ab Adam durat ad Noam. Nam in omnibus saeculis et aetatibus aliquos servare voluit deus, semper habuit populum suum in terris. Tertia hora a Noa videtur fuisse ad Abrahamum usque. Nam tempore Noe deus se iterum evidentius mundo manifestat. Quoties enim consceleratus incipit esse mundus, deus monet, et punit non resipiscentes. Tum iuxta legem vivebant, quam nos naturae vocamus, quae tamen lex dei est scripta in corde fidelium quae lex nondum monumentis literarum prodita erat. At eadem lex postea a Mose tradita fuit, quae prius in cordibus exarata erat, et iusti ad eam legem vivebant. Et tempus quidem plus centum annorum ad poenitentiam dabat illis deus, sed nequicquam. Quapropter misso diluvio omnia perdidit, misericordiam interim ostendens in Noa et familia eius. Sexta hora ab Abrahamo incipit et durat ad Mosen. Abrahamo enim novae et eximiae promissiones factae leguntur: renovantur enim et refricantur promissiones quae vetustate videbantur exoletae de Messia scilicet, et semine benedicto. Sub hac hora ut dominus locupletius gratiam suam ostendit electis, ita iram et iustitiam clarius exerit in impios, quos igne et sulphure perdit, nec tamen nisi praevia multo ante sua monitione. Nona hora a Mose est ad Christum usque. Sub quo deus novo quodam modo suos iuxta promissiones visitat, et magna cum gloria legem dat, contumaces et hostes interim perdens. Lex docet ut diligamus proximum ut nos ipsos, iubet esse sine concupiscentia etc. et spiritualis est, nos autem carnales; ergo lex damnat. In hoc tamen fertur et prodest ut nobis voluntatem dei manifestet: manifestatio divinae voluntatis bona est, nam deus malum velle non potest. Quanto vero magis voluntas dei nobis innotescit, nec nos iuxta eam vivimus: tanto magis dampationi sumus obnoxii, hoc magis debitores dei constituimur. Sub Mose ergo nulla salus, labor quidem magnus et opera multa, sed nullum adhuc praemium, ad significandum quod opera nostra non servant nos. At in vespera hi quoque mercedem plenam recipiunt, qui pauco tempore sudarant. Haec est gratia per Christum. Hanc ut mundo deus innotesceret: undecima hora, hoc est, ultima filium suum nobis mittit, et hac aetate quosdam vocat, ut discamus gratiam, charitatem, et benevolentiam dei patris. An enim haec non ingens est benevolentia, si quis operarium in vespera demum vocat et praemium integrum pollicetur? Sic deus nobiscum agit, non vult nos pudefacere, nihil nostris operibus debet, at ingentia praemia pollicetur, ut disca-

mus non operum esse sed gratiae salutem et vitam. Haec omnia faciunt ad commendandam gratiam dei per Christum, in quo nihil aliud quam gratia commendatur. Hic omnes gratia sua donat et coelesti haereditate, utcunque sero in vineam venerint, utcunque brevi spatio temporis laborarint. Per murmur vero invidi illius mercenarii philautia et sui ipsius operumque propriorum aestimatio indicatur, quod vitium peculiare fuit Iudaeis: hi enim se solos sanctos et iustos putabant, gentes ut immundos et impuros abominati sunt. Hoc ergo ista parabola dicit Christus: Nihil est ut gloriemini o Iudaei, omnia opera vestra vos servare non possunt, nisi de meritis et iustitiis vestris diffisi, totos vos in gratiam dei per me vobis exhibitam coniiciatis per fidem.

Amice non facio tibi iniuriam.) Quasi dicat: Salus non pendet ab operibus, aut a nativitate, sed a meo dono. Dono autem cuicunque volo, nec facio cuiquam iniuriam: nemini quidquam debeo. At pactum servo, promissis et pollicitis sto firmiter.

Oculus nequam.) Symbolum est et periphrasis fascinationis et invidiae. Oculus tuus nequam est, id est, tu invides aliis meam benignitatem et liberalitatem, quum tibi (o Iudaee) interim nihil decedat. Et certe si vel mica verae pietatis esset, in Iudaeis, cogitarent, non sine causa fieri, ut gentes in eam cognitionem dei sint admissi, in qua ipsi olim fuerunt; gratiae dei hoc adscriberent, praeterquam quod prophetae omnes de repudio Iudaeorum, et vocatione gentium loquuntur.

Multi vocati.) Hoc est ipsa tota multitudo gentium per verbum externum evangelii vocata est per apostolos. At soli praeordinati ad vitam aeternam crediderunt praedicato evangelio, et illi duntaxat fuerunt electi. Omnes gentes vocatae sunt ad unius et veri dei cognitionem quemadmodum prius Iudaei. Est autem vocare externum verbum annuntiare, quo deus se nobis revelat.

Assumpsit Iesus discipulos secreto.) Saepe passionem suam suis praedicit. Et potest epanodus esse ad superiora. Tametsi se moriturum scit, tamen non refugit, sed constanter ad mortem properat. Hinc discamus exemplum constantiae, ut animi nostri in operibus dei non labascant, aut concidant, sed potius gnaviter et alacriter pergant. Neque enim in opere domini est respectandum ei, qui semel manum aratro admovit. Videmus proh dolor multos hypocritas, qui primo fervent, at nihil proficiunt. Temporarii fructus non sunt diuturni. Praecocia poma cito maturescunt, raroque ad iustam frugem perveniunt. Semen quod in petram cadit radices non agit, succo vitali caret, et ingruente solis calore arescit et concidit. At Christus coepto itinere pergit, nec cessat, donec morte vitam consumet. Hic fragrantissimus flos nobis omnibus imitandus proponitur, ut curramus in odore unguentorum eius alacriter, constanter ad passionem et mortem contendentes. Ipse vero mortem morte superat, et ad vitam gloriose resurgit. Hoc idem continget omnibus qui eum sublata cruce fuerint sequuti. Populus Israeliticus, dum ex Aegypto in terram promissam multo labore contendit, ab omnibus circumiacentibus gentibus et populis fuit lacessitus,

sed illi omnia penetrantes, omniaque pericula vincentes optata tandem pace fruuntur.

Dic ut duo filii mei sedeant.) Regnum terrenum somniabant discipuli, quum audirent Christum resurrecturum et regnaturum sine fine. Ad dexteram sedere est praecipuos et summos esse in regno post regem, proximos regi, familiaresque. Sic labor noster omnis huc tendit, ut magni simus; nihil aliud quam gloriam in hoc mundo quaerimus et tranquillitatem, et istis nocentissimis affectibus honestos titulos praeteximus. Dic, id est, praecipe, iube vel promitte. Quae dicimus certa debent esse et firma.

Nescitis quid petatis.) Quasi dicat: Scio quid inter vos conferitis, sed non intelligitis, qualis sit futura mea resurrectio. Et haec dura est increpatio: nemo enim ferre potest ut ignorantiam ei exprobremus. At digna increpatione erat tam crassa et carnalis cogitatio, tantaque ambitio. Discamus hic quaedam leviter, quaedam acriter obiurgare pro modo factorum et scelerum.

Poculum bibere) Symbolum est passionis: sic baptizari, ut patet in Luca 12. Baptismo habeo baptizari, et quomodo coartor, donec perficiatur? Germanice diceremus: Ich hab ein bad vßzetrincken, vel, vor mir. Ad interrogationem domini satis temere et arroganter respondent, non expensis viribus.

Meum non est dare.) Hoc quatenus homo est loquitur: nam iuxta divinam naturam, eiusdem est potentiae cum patre. Soli filio datum est sedere ad dexteram dei patris, id est, humanitati Christi, quae in hoc adsumpta erat, ut toti mundo esset salutaris. Servet nos deus a vana gloria! Examinet se quisque diligenter in omnibus operibus suis, et quaerat causam qua ad opus movetur. Hic adcurrent carnis affectus, quibus resistendum est gratia dei. Fugandae huiusmodi aves impurae et immundae, ne sacrificia nostra polluant. Qui in officio est et nihil quaerit quam vel gloriam vel lucrum, mox ut hoc adipiscitur, fides et diligentia eius defervescit: tenet enim et possidet quod tanto labore quaesivit. Qui vero utilitatem reipublicae quaerit, indies magis vigilans et sollicitus redditur. Semper enim invenit quod agat et quo consulat iis, qui fidei suae commissi sunt. Vera gloria virtutis solidae umbra est, et virtutem sequitur. Qui umbram sine corpore videt, stupore quodam corripitur, phantasma et spectrum existimans. Sic merito quisque horrere debet, si vanam istam gloriam absque solida virtute viderit. Qui gloriae sunt mancipia, puerulis sunt similes, qui frivolis rebus gaudent et gloriantur, eas iactitant et ostentant, noctu secum ferunt, nec sine illis dormire queunt. Eorum gloria solidior est, quae sero venit, eorum inquam qui solidis virtutibus student, qui per omnia munia exerciti et probati fideles inventi sunt, nec temere evecti ad summa fastigia.

Decem indignati sunt.) Videlicet quod tam audaces illi duo fuerant in petendo. Et zelus talis aliquando ex deo potest esse, quum gravatim ferimus et indignamur, si indigni aut mali ad officia publica in ecclesia et republica admoventur. At huiusmodi zelum, simulque stultam aliorum petitionem dominus increpatione sua corrigit et com-

pescit, dicens: Elegi vos, non ut domini sitis, aut gloriam quaeratis, sed ut vitae innocentia et salutari doctrina aliis praeeatis. Sic in Hieremia dicit: Posui te super reges, non ut eis domineris, sed ut eos coarguas. Quod vero Samuel et Pinehas iudices et sacerdotes simul fuerunt, temporibus dandum est, et privilegium est paucorum quod legem communem non infringit, nisi speciali iussu et revelatione dominus aliquem ad hoc ordinaret. Apostoli officium eximium est et praeclarum, et cum huic non licet dominari, multo minus episcopo licet, cuius officium apostolatui succedit, et minus est.

Vos autem non sic.) Aut: Non sit sic inter vos, quemadmodum scilicet solent principes saeculi: hi enim dominos nonnunquam et tyrannos agunt, et miseram plebem graviter premunt. Sic Petrus: Non dominantes in sortem domini. Qui plus laboris et molestiae in ecclesia exhauriunt, qui diligentius curant et solliciti sunt, hi veri domini sunt et summi in ecclesia. Tum maximi eritis, quum diligenter vigilaveritis super gregem domini, et omnia pericula averteritis. Exurgent pseudoprophetae, seminabuntur falsa dogmata, irruent lupi feroces, nascentur scelera, irrepent contentiones etc. His omnibus opponite vos sana doctrina et vitae innocentia, constantique increpatione. Hoc primum fecerunt sancti patres. Deinde sensim irrepserunt divitiae, post has pompa, fastus, splendor, ambitio, deliciae, otium, amor sui. Apostoli ministri sunt et servi, non domini. Apostolatus et episcopatus officium est ac beneficium, non dignitas. Qui servire novit, is summus est. Christus elegit suos apostolos, non ut ei ministrarent, sed ut ab eo discant. Ipse quum esset summus, venit ut ministraret omnibus, servi forma assumpta; hoc in eo imitentur. Sic Martham compescit quum sollicita est nimis, ut ei serviat. Sic in omni vita sua ministrare voluit, non dominari. Lavit pedes discipulorum. Sic praecepit apostolis ut alter alterius pedes lavet, alter alteri per charitatem serviat, doctrina sana adfectus terrenos purget, et quae quotidie in via lutosa accidunt abluat. Nec solum in vita ministravit Christus, sed in mortem usque et in ipsa morte. Hoc idem debent facere episcopi, animam suam dare pro salute populi, et in primis pro veritate caput periculis obiectare. Ecclesiae consulere et prodesse debent, non sibi. Non satis fuit Christo tota vita pati et periclitari ac omnibus benefacere, tandem etiam vitam suam pro suis exponit.

Domine miserere nostri.) Caeci quoque eius beneficia ac doctrinam quum audirent, ad eum clamant, et filium Davidis appellitant. Linea Davidis, quoniam huic eximiae fuerant promissiones factae, semper fuit a piis observata. Quo magis compescuntur, hoc magis clamant. Vera fides turbis affectuum non potest supprimi: semper pergit clamare ad deum certo sperans auxilium, donec impetret quae petit. Satan minatur cum Papa et tota eius pompa. Principes edicta contra fidei doctrinam affigunt, sed illa nihil nos movere debent, quin constanter in via veritatis progrediamur. Sed interim ad dominum clamemus, qui preces nostras non spernit, utcunque simus peccatores et immundi. In hoc peccatores elegit, ut videamus peccatum non esse causam ob quam deus nos repudiet aut abiiciat; modo resipiscamus.

Tetigit oculos.) Adhibet aliquando deus externa quaedam, ut caro nostra tranquilletur, quemadmodum in coena externum sacramentum sensibus exhibet divina sapientia. Aliquando vero non adhibet, ut videamus solam dei virtutem operari.

CAPUT XXI.

Super asinam.) Qui dominus fuit omnium, iumentis utitur pauperum, nec quidquam proprii habet, propter nos pauper factus ditissimus omnium. Sic et nos discamus patienter ferre omnia propter ipsum.

Dicite filiae Zion.) Haec prophetia tam clara est et firma, ut nec Iudaei eam negare possint. Hebraei oppida filias vocant, quod et Graeci ab eis habent. Filia Zion, periphrasis est Hierosolymae. Asinam et pullum ego puto esse iugum Hebraicum, et capi pro eodem, ut est in Cant. 8. Delectantur enim iugis. Paupertatem, humilitatem et mansuetudinem a Christo discimus. Gloria deinde sequitur quam ipse non quaerit, ut populus tanto regi adclamet, et fausta imprecetur. Communis omnium consensus testabatur Christum esse Messiah, qui ex stirpe Davidis promissus erat et expectatus Iudaeis; at nihilominus crucifigunt eum. Multi eum confitentur, sed mox in persequutione cedunt. Facile est ramos avellere, vestes in viam sternere, adclamare plausibiliter, idola et aras diruere. Et hoc quidem aliquid est, et recte fit, at non est illud verum et essentiale quod nos deo probatos reddit; sed perstare in omnibus tribulationibus, et firmiter adhaerere domino, succurrere, adesse et consulere adflictis et oppressis, innocenter vivere, iustitiam colere, et vitiis mori. Multi hoc unum curant, ut latior sit calceus, ut promissa barba, ut pepla magna etc. Sed in his vera religio et vera iustitia non consistit.

Hic est Iesus ille propheta.) Fama Iesus per totam Iudaeam percrebuit, quod totas turbas hominum curabat. Qui ergo tam egregia facit, qui docet, qui omnibus benefacit, nec in his gloriam aut lucrum quaerens, sed ex fide ac charitate omnia faciens, is verus est propheta. Potissimum enim in propheta fides est, 1. Corinth. 4. Recte ergo Iesus hic propheta dicitur, quod fidelis esset, qui se omnibus periculis etiam morti pro veritate obiicit, modo nos voluntatem patris doceret, ac servaret. Propheta verus omnibus se periculis exponit, increpat et extirpat scelera, plantat virtutes, idque prudenter et modo quodam.

Et eiiciebat omnes vendentes.) Haec avaritia sacerdotum templis intulit, qui suae utilitati quam Christi gloriae consultum maluerunt. Hoc idem in Papatu factum videmus. Nam et rapta, et furto ablata, et usura parta, omnia in corbonam pontificii ingerebant, modo ipsi hinc partem aliquam haberent. Et hanc negotiationem ac cauponationem in templis exercere publice eos non puduit. Interim fraudati sunt pauperes, dum aras et idola magnis sumptibus exornavimus, qui nobis a Christo tantopere commendati sunt. Duplici autem via pauperes fraudantur, partim quod haec a pauperibus extorquentur, quorum sanguinem exugunt, partim quod opes in idola transferuntur quae pauperibus debentur. Christus ergo haec omnia subvertit et proculcat, ut videamus prophetae veri officium esse, ut turpes has nundinationes

non e templis solum, sed ex ecclesia et coetu fidelium exigat; imo doctrina sua e republica abigat turpe lucrum, et exactiones iniquas, quibus pauperes vel expilantur vel opprimuntur, qualia sunt monopolia, et usurae, aut iniquae leges, quae sunt pecuniarum tendiculae et aranearum telae.

Domus mea domus orationis.) Quasi dicat: Quemadmodum hoc templum domus est ad hoc parata, ut in ea populus Iudaicus conveniat ad orandum: sic ecclesia, spirituale templum, dei domus erit in qua precabuntur homines, et in qua cultus dei peragatur. Indicans interim ne talia quae contra deum erecta sunt in templis ferantur. In oratoriis ergo nihil admittamus nisi ea ad quae sunt constructa. Et licet ex lapidibus et lignis sit aedificata, tamen cultui dei iam est sanctificata et dedicata, et in usum sacrum non prophanum selecta. Curiam senatoriam si quis profanat, gravi poena plectitur, nec licet cuiquam in hac vel ludere vel alia illicita designare impune: sanctificata enim est iustitiae et aequitati.

Speluncam latronum.) Inter omnia peccata gravissimum est hominem occidere, animae vero mors gravior est multoque gravissima. Qui mentem nobilissimam hominis partem vitiat ac corrumpit erroribus et mendaciis, an non is scelestissimus est? Latrones sunt animarum qui pro verbo dei mendacium docent. Deinde iniustitiam et scelera plantant, qui mentiuntur, fraudant. Deum diligere super omnia, et proximum ut se ipsum, hoc est quod super omnia deo placet. Vos autem sacerdotes docetis semper offerre, quasi tota pietas in hoc uno sit sita, respicitis duntaxat quaestum et avaritiam vestram. In hoc toti estis, ut quam plurimum corradatis. Et quemadmodum latrones, grassatores et homicidae nihil faciunt, quam occidere, grassari, trucidare, vim et violentiam inferre, ut multam pecuniam corradant: sic et vos omnia per iniuriam et fraudem agitis, ut exsaturetis avaritiam vestram. Et sic innocentes animas populi mei occiditis et interficitis. Quemadmodum in speluncis latronum tumultus ac trucidatorum sanguis: sic in templo hoc, quod orationis gratia extructum est, nihil auditur quam voces boum, ovium, sanguis et cruor fusus etc. Discurre iam singula in Papatu et fere nihil invenies quam latrocinium, et innocentium animarum perditionem. Quid hic venale non est? An non hic homo improbus fuerit, qui puero artificium aliquod falso traderet, qui se eius disciplinae et fidei concredidisset? si inquam hoc de industria faceret, quum interim optima non ignoraret. Quis hodie post tot praedicationes, post revelatum evangelium et agnitam veritatem, errorem non scit esse errorem? nisi forte desperatissimus et perditissimus. Impossibile est ut vere fidelis de industria aliquem falso doceat: nam habet spiritum dei, qui nec errare nec fallere potest. Qui igitur verum novit, et falsum docet, is non agitur spiritu sancto, sed satana patre mendaciorum et errorum.

Accesserunt ad eum claudi.) Non solum animas doctrina, sed etiam corpora potentia sua curat. Tanta est beneficentia dei. Nam tametsi curator animarum advenerat praecipue, tamen interim quotidie etiam aegrotos curat et sanat, ut videamus eum esse totius hominis

reparatorem. Sed non fert invidia sacerdotum hoc Christo ferri acceptum, non ferunt invidi laudes tanti benefactoris. Audis (inquiunt) quid isti dicant? Cur pateris te sic efferri a pueris? Respondet Iesus: An ergo non videtis tempus adesse, ut etiam pueri dei laudem resonent ac decantent? An non hoc David praedixit futurum? quid ergo quotidie legitis? Innuit iis verbis (sed tecte) se deum esse. Hac responsione non mitiores sed crudeliores facti sunt impii sacerdotes. Per pueros autem non solum infantes aut tenerae aetatis homines, sed simplicem plebeculam intelligere licet.

Nec posthac fructus ex te nascatur.) Mansuetudo Christi et eximia eius beneficentia in omnes facit, ut merito hanc duram in ficum sententiam admiremur, praesertim quum nondum ficuum tempus esset. Sed nihil temere fit a divina sapientia; voluit hoc facto docere aliquid, ut bonae arbores simus nisi a domino velimus maledici. Quid vero si hac maledictione adumbrare Christus voluit, maledicendam fore Hierosolymam, quae cum a domino plantata fructum ferre debuit, Christum filium dei crucifixit? Sic ergo excisa haec urbs est, ut nec locum aliquem Iudaei illic habeant. Fabulae ergo sunt quae quidam de restitutione corporalis Hierosolymae nugantur. Prior sensus ex Luca probari potest: Arborem fici habebat quidam etc. Deus longanimis est, monet, stercorat per colonos, id est, per prophetas et ministros verbi. Folia sunt exterior adparatus et hypocrisis: fructus vero fidei et charitatis opera. Folia externa professio: ficus fidei et spiritus fructus. Si in eo sumus, ambulemus ut ipse ambulavit, vivamus ut ipse, diligamus ut ipse. Otium odit deus, otiosis maledicit deus. Otium vero non hoc solum est quum nihil agis, sed quum nihil recti aut boni agis, quum carni et voluptatibus vivis, quum nihil sancti et divini meditaris, quum omnia propter rem et gloriam instituis. Spiritus dei non quaerit sua, sed omnibus consulere, omnibus prodesse cupit, semper in commune consulit. Quum exercitus in praelium educitur ex urbe, alii interim domi vigilant et urbem curant. Et qui foris sunt, non omnes in aciem progrediuntur, singuli sua explent officia, nec licet extremis discedere, quod primi pugnant in acie. Sic in ecclesia dei multa sunt officia. Praecipui sunt pastores, episcopi, prophetae. Hi se devovere pro populo universo, et primi capita omnibus periculis obiectare debent. Nec tamen caetera minora ecclesiae membra frustra sunt in corpore. Quisque suo officio inserviat. Haec ergo mens divina est nec otiosa, quae nec die nec nocte quiescit, ut alii in tranquillitate et quiete sint, nec horret quamlibet durum et gravem laborem, ut alii omnes bene et feliciter habeant, ut reipublicae prosit. Caeterum otiosus ille et ignavus venter, inutilisque fucus sibi ipsi oneri est et nulli prodest. Sus animal est immundum et coeno gaudens; et si vita careret, putrefieret statim. Anima ergo ei pro sale est. Sic etiam otiosi sunt et ignavi. Non est otiandum omnino, semper aliquid agendum. Tempus breve est et incertum, pugna vehemens et anceps. Ne igitur tempus perdamus inutiliter et sine fructu, ne negligamus occasiones, stet quisque in sua statione, et bona fide officio suo fungatur. Fieri potest ut minimus in officio suo, fide et diligentia praestantissimos

quosque antecellat et vincat. Spiritum suum ubique agnoscit Christus in suis.

Si habueritis fidem.) Haec vera fides est per quam deus sic cognoscitur, per quam certa fiducia deo sic adhaeret homo, ut nulla creatura eum a veritate iustitiaque possit avellere, per quam homo omnia huius mundi oblectamenta spernit, omnia odia et pericula obiecta perrumpit, et fixo pede verbum dei audit et sequitur. Neque hic docet Christus montes transferre, sed certitudinem fidei tradit. Qui domino certa fide et indubitata adhaerent, etiam quae carni impossibilia sunt possunt, domino ea, dum sibi visum fuerit, dante.

Et omnia quaecunque petieritis.) Non solum de oratione vocali hic loquitur, sed dicere vult: Quaecunque mens vestra fide certa nixa a deo petierit, haec erunt vobis.

Qua authoritate haec facis?) Monet eos ad hanc interrogationem, quod nullus prophetare debet, nisi sit missus, ut est in Hieremia, ubi dominus conqueritur, cucurrisse quosdam non missos, quales omni tempore reperiuntur. Interrogant ergo de missione. *Haec* facis. Hoc refertur ad factum illud quo ementes et vendentes templo eiecerat. Volebant autem impii hypocritae videri, quasi ex pietate quaererent, quum tamen maligno animo omnia ab illis fiant. Non amore iustitiae et veritatis quaerunt, sed ut caperent eum in sermonibus insidiose. Quapropter dominus animos illorum perspiciens, clavum clavo repellit, et quaestionem eorum alia quaestione eludit. Nihilo tamen minus bicorni hoc dilemmate, quod eis obiicit, innuit eis Christus, a quo sit ipse missus. Nam quandoquidem baptismus Ioannis ex deo erat vel e coelo, debebant merito Ioannis testimonio credere, qui Christum filium dei et a deo missum esse palam testabatur Ioan. 1. Baptismus (quantum ego iudico) hic non pro aqua tantum capitur, sed pro doctrina et baptismo simul, pars pro toto: sic saepius Baptismus pro tota religione accipitur, 1. Pet. 3. Sic Marci ult. Qui crediderit et baptizatus fuerit. Hic per baptizari totum catechizari et ecclesiae incorporari intelligo; corpori Christi et religioni initiari, cuius rei baptismus aquae externum signum est. Sic Act. 19. In quid ergo baptizati estis? Wie ſind jr dann bericht? Worvn? Nam postea erudiebantur in Christum Iesum clarius quam antea. Sic Circuncisio varie in scriptura capitur. Caput enim est totius religionis Iudaicae, ut Paulus dicat de circuncisione: Qui circuncisionem recipit, debitorem se totius legis constituit. Simili modo de baptismo sentiendum. Qui enim hunc recipit, corpori Christi coniungitur et consociatur, in mortem Christi inseritur, et membrum eius fit, symbolum accipit abnegationis, mortificationisque carnis et crucis, iure quasi iurando se ad vitae innocentiam et innovationem astringens.

Nescimus.) Divina sapientia humanam pudefacit, et in angustias ducit, ut respondere nihil possit. Qui sibi videbantur sapientissimi et doctissimi, iam nihil sciunt et obmutescunt. Magni refert sapienti obiectione aut responsione aliquem aliquando pudefacere. Et prodest atque decet aliquando impios dura et severa responsione excipere, ut impietas eorum protrahatur et in lucem veniat.

Homo habebat duos filios.) Haec parabola Iudaeos obiurgat, qui se pro filiis dei venditabant, ac si ipsi soli vocati essent, interim voluntatem dei non faciebant. Et hoc principale est in ista parabola. Alterum, quod etiam innuitur, taxat eorum superbiam. Nam aegre ferebant pharisaei, quod Christus familiaris erat publicanis et meretricibus. Praefert ergo eas illis. Quasi dicat: Vos videmini vobis tales esse, qui legem dei servetis, quum tamen prae omnibus sitis transgressores legis. Rursus publicani et meretrices facto quidem videntur reiicere Ioannis, interim tamen resipiscunt et convertuntur. Hoc iam probo vobis ficto hoc argumento. Quid enim vobis videtur, si quis haberet duos filios etc. Nam fictum exemplum esse puto non rem gestam. Sed de hoc nihil contendo, nec magni sane refert, modo intelligamus quid Christus hoc paradigmate sibi velit. Discimus hic, eos qui iustitia et suis operibus fidunt, videri velle ac si essent observatores legis et divinae voluntatis, quum hoc minime sint. Nam istiusmodi homines fere opera faciunt, quae ab hominibus sunt excogitata, non a deo praescripta. Deinde ex talibus operibus iusti videri volunt, et gloriam ex eis quaerunt ac mercedem. Quibus cum Christus hic agit, similes erant sacrificis pontificiis. Nam Papa docet operibus suis homines iustificari ac sanctificari, utcunque Papistae qui talia praecipiunt aut pro aliis faciunt impuri sint. Sed error est, impostura, fidere docere hominum operibus. Quasi diceret Christus: Duo sunt genera hominum, Alterum pendet a gratia et misericordia dei, diffisum suis operibus, alterum propriis operibus nititur. Hoc vero demum est esse iustum, diffidere de sua iustitia, et agnoscere se per solam dei gratiam et misericordiam salvari. In hoc sunt fere omnes homines, ut terrestria curent plusquam divina et coelestia. Hoc animi propositum vocat Christus hic negationem, ac si diceret homo: Non faciam quae deus iubet, sed quae caro dictat. Nam sic omnes homines faciunt, paucis exceptis, qui longo rerum usu et ductu spiritus solidae virtuti innixi victores carnis facti sunt, qui tota vita semper aliquid honesti moliuntur. Verum rarae sunt hae aves, bona pars divitiis inhiant, voluptates sectantur, luxui indulgent, quaerunt quae sua sunt non quae Iesu Christi, divina parum vel nihil curantes. Quum vero tales per spiritum dei tacti hanc carnis impuritatem ac pravitatem incipiunt agnoscere, et resipiscentiam meditari, sanctiores sunt iis, qui operibus suis et meritis fidunt, et ex his iustitiam sibi arrogant. Quicunque suae iustitiae fidit, sese non agnoscit. Qui sese non cognoscit, nec deum cognoscit; qui deum non cognoscit, deo non fidit, nec in eum tota fiducia coniectus esse potest. Qui in deum non credit et eius misericordia non fidit, is nihil boni operatur, ne dicam in omnibus peccat. Sine enim fide placere deo impossibile est. Resipiscentia ergo, vitae prioris, suique ipsius cognitio, vita est Christiana. Contra, peius nihil est quam hypocrisis aut simulata iustitia, et operum fiducia. In summa, abnegatio sui ipsius primus gradus est ad meliorem vitam, ut Christus alibi docet: Qui vult me sequi etc. Abnegare ergo debemus nos ipsos, non fidere nostris operibus. Si ergo contra deum vel voluntate vel facto peccavimus, agnoscamus illud et petamus gratiam et veniam. Agno-

scamus misericordiam eius per Christum nobis exhibitam, et certa fiducia in illam coniecti, coram throno gratiae procidamus. Et haec est regeneratio.

Ego domine.) Vel, Ecce ego domine. Hebraismus est. Obsequentem et obedientem indicat. Patrem vero herum aut dominum nominat Hebraico more. Sic Sara, ut inquit Petrus, maritum suum herum vocitabat. Hoc in more habebat gens illa. Mori publico et honestae consuetudini standum est.

Et non abiit.) Per illum adumbrantur ii, qui nomen et professionem Christi prae se ferunt, quum vita et moribus nihil minus sint quam Christiani.

Publicani et meretrices praecedent.) Haec loquens ad mores illorum respicit, qui factum Christi calumniabantur, quod se iungeret publicanis et peccatoribus, ut supra nono capite patuit, ubi dicunt: Cur magister vester manducat cum peccatoribus? et Lucae septimo cap. Ostendit interim tales magis aptos esse gratiae dei et evangelicae doctrinae (nam hoc regnum coelorum significat) quam eos ipsos pharisaeos, qui eos contemnunt. Nec simpliciter illos istis digniores regno coelorum pronunciat, sed committit utrosque inter se. Et dicit: Hi qui se peccatores agnoscunt, et qui vitam suam nulla ratione bonam esse dicere possunt, hi verbum dei recipientes culpam suam confitentur et detestantur, et salutem per Christum oblatam amplectuntur, et gaudent se invenisse medicum animarum suarum, ad quem avidissime currunt: quod haudquaquam faciunt qui se iustos esse putant, nec morbum suum agnoscunt. Quamobrem noli contemnere peccatores, etiamsi iustus sis. Quum propheta Nathan Davidem ob flagitium designatum increparet, temere pronunciabat rex, existimans crimen suum latere prophetam, qui tamen hoc domino revelante didicerat. Celare ergo scelus conatur. Sed mox ut propheta dicit: Tu ille ipse es, tangitur David in conscientia sua et dolet. Hinc tali sermone contra pharisaeos utitur hic dominus, dicens: meretrices et publicanos pharisaeis praeire in regno coelorum, eo quod peccata sua nulla tergiversatione celari aut negari possint. Quo loco Catabaptistae (ut aliis plerisque) abutuntur, docentes pias mulieres et viduas, non posse ingredi regnum dei, nisi prius meretriées fiant et corpus suum peccatis turpiter prostituant.

Per viam iustitiae.) Hebraismus est. Id est: Ioannes venit, et ostendit vobis verae iustitiae viam, nempe, duxit vos in peccatorum vestrorum cognitionem et resipiscentiam, utque coniiceretis vos per fidem in gratiam, quam per me pater coelestis vobis offert. Sed totum hoc vos contempsistis. Contra publicani, peccatores et meretrices agnito morbo suo ad me festinarunt salutem per me oblatam recipientes. Hoc vos non fecistis: etiamsi corpore me adistis, peccata tamen vestra non agnoscitis, nec creditis mihi quod sim verus servator mundi, sed salutem et vitam quaeritis in iustitiis vestris et hypocriticis operibus. Gratia et misericordia mundo per Christum a patre exhibita non magni aestimatur ab iis, qui peccata sua nec sentiunt, nec agnoscunt, aut de illis non dolent, adeoque sua iustitia suisque meritis fidunt. Qui vero

peccata sua sentiunt et morbos suos agnoscunt, hi magnifaciunt beneficium domini, et cum summa gratitudine amplexantur.

Homo quidam erat paterfamilias qui plant.) Haec parabola (in summa) indicat Iudaeorum reiectionem, et gentium vocationem. Superiori parabola sanctimoniam et iustitiam pharisaeorum reiecerat, hac totum populum. Quasi diceret: Non solum vos cum vestris observationibus frigidis reiiciemini, sed et tota Iudaeorum gens repudiabitur. Regnum dei capitur hic pro ecclesia. Comparat deum patrifamilias, populum vineae. Paterfamilias curam gerit pro familia sua, providet illi, vult ab ea cognosci et coli. Lepida alioqui est et iucunda parabola, conveniensque ad regnum dei vel ad Christi doctrinam. Sicut enim vinum condimentum est et gratum ac utile mortalibus, sic cognitio dei. Qui deum rite metuit, cognoscit et amat, totam vitam et omnes actiones rite componit. Vinum gaudet plantari: sic cognitio dei et vera religio. Vult coli vinum, idque non semel sed singulis annis: sic ecclesia dei vult coli et plantari per vinitores Apostolos, doctores, pastores, diaconos etc. Eph. 4. 1. Cor. 12. Ioann. 15. Pater meus agricola est verus, qui incrementum dat. Nam nos tantum ministri sumus: nihil enim proficimus, nisi dominus intus per spiritum suum operetur. Sic Esa. 5. Synagoga vineae comparatur. Sepes circumducta vineae, protectio et custodia dei est supra populum Iudaicum: de qua plura invenies in libro veteris instrumenti. Constituerat deus populum hunc, ut cupae aut fossae torcularium fiunt ad excipiendum vinum e torculari, ut esset scilicet capax sui verbi per prophetas transfusi; illustraverat eis mentes ut eum reciperent. Et haec per Synecdocham de piis et bonis intelligenda sunt. Specula in vinea ponitur, in qua excubant speculatores prophetae: semper enim dominus mane surrexit et futurum malum per prophetas praenunciavit. Adime hoc officium ex ecclesia, et nil nisi merae tenebrae et ignoratio, nil nisi impietas supererit. Coloni fuerunt sacerdotes et prophetae qui ad colendam hanc vineam constituti et ordinati erant, ut vinea redderet fructum. Mox enim ut deus nobis verbum suum revelat, tempus est ut relicta impietate dignos fructus feramus. Magnifica omnes de veritate, innocentia et iustitia loquimur, sed non respondet vita, non respondent mores professioni. Servi missi prophetae sunt, qui monitionibus, exhortationibus, increpationibus carnem domarent ac frangerent, fructus pietatis requirerent. At caro nihil aliud cogitat, quam quo pacto interimat et perdat eos, qui sibi resistunt et reluctantur. Demum misit deus pater filium suum in mundum, primumque ad Iudaeos. Hic primum nota, quod filium se dei vocat Christus, proque illo vult agnosci, non servus, non propheta aliquis, sed filius unigenitus eiusdem substantiae, naturae atque essentiae cum patre, quem non agnoscentes Iudaei crucifixerunt, tametsi potuissent doctrina virtutibus et miraculis divinam naturam in eo deprehendere. Centurio enim testabatur eum esse filium dei. De Messia ex prophetis potuerunt discere eum esse filium dei. Lex enim docet Messiam futurum filium dei. Deinde alia lex est quae docet eum lapidibus obrui debere, qui se filium dei fecerit. Ipsi vero praeterita prima lege et quasi ignorata,

coram Pilato virtute secundae legis Christum occidi postulant. Hoc ergo in lege quod in Christum non quadrat, pro ansa Christum occidendi accipiunt. Sic nulla lex tam est bona, qua caro et perfidia non abutatur. Pugnant ergo Iudaei obstinatis animis contra veritatem. Parabolae semper habent aliquid universale. Nam non solum Iudaei Christum occiderunt, sui commodi gratia, sed faceret hoc omnis caro, si sibi permittatur. Iudaei propter avaritiam occidunt Christum: sic omnes impii faciunt, oderunt et persequuntur veritatem, occidunt praedicatores veritatis, resistunt veritati, atque in omne periculum se devovent, modo avaritiam suam tueantur, prudentiores in hoc ac constantiores, quam sunt pii in promovenda veritate et gloria dei; tametsi non sit constantia aut prudentia, sed potius impudens audacia et pertinax stultitia. Hoc ergo non solum Iudaicorum aut Romanorum sacrificorum est, sed omnium avarorum ingenium. Quemadmodum enim Iudaei dicebant: Hic est haeres, venite occidamus eum, et erit nostra possessiò: sic hodie loquitur Papa et omnes impii, considerantes quo pacto luxum, avaritiam et fastum suum defendant, et homines sub iugo suo retineant. Interim non considerant, veritatem nec opprimi nec extingui posse etiamsi aliquando teneatur, sed sperant oppresso Christo suam rem constabilitam. Qua opinione longissime falsi sunt impii homines. Nam Christi gloria post mortem subinde gliscebat et clarius emicabat, Iudaei cum tota gente misere perierunt. Eiiciebant filium extra vineam: Iudaei enim Christum extra urbem crucifixerunt. Hic etiam Christus suam divinitatem prodit, quum praescit et praedicit omnia. Nemo mortalium certus est qua sit morte moriturus. Christus autem non solum se moriturum praenunciat, sed etiam quali morte, ut est Iohannis 12. Huc pertinet figura veteris testamenti de cinere vitulae, qui efferebatur extra castra Heb. 13.

Malos male perdet.) Hanc sententiam suo ore pronunciant contra se Iudaei, executio huius facta est in excidio. Quandoquidem enim Christum filium dei reiecerant, merito et ipsi repudiati sunt. Aliis agricolis locatur vinea, dum reiectis Iudaeis gentes vocantur et ecclesia fiunt dei. Feramus ergo fructus dignos nostra vocatione, ne et ipsi abiiciamur.

Lapidem.) Metaphora tracta ab aedificantibus. Intellige autem de Christo lapide angulari, qui utrumque parietem connectit. Auferetur a vobis regnum dei, id est gratia dei. Vel: Vos amplius non eritis ecclesia et populus dei, sed gentes.

Qui ceciderit.) Qui Christum et veritatem contumaciter contempserit. Tentabant eum occidere: sic caro facit, si quidem potest et non cohibetur.

CAPUT XXII.

Hac parabola docet, neminem fidere debere externae professioni: fructibus enim Christiani veri internoscuntur, fides suo tempore fructus se dignos edit. Non ergo sūfficit, si dicis: Christianus sum: In ecclesia sum ect. Non enim omnis qui dicit: Domine domine, introibit in regnum coelorum, sed qui fecerit voluntatem patris. Matth. 7. Sic

Ioannes Matth. 3. dicit, Facite fructus dignos poenitentia. Observandum est hic diligenter, saepe tribui posteriori quod prioris est, saepe scilicet operibus et fidei, quod solius est gratiae divinae et electionis, eo quod qui electi sunt credunt et bona opera ex fide faciunt. Electi fide testantur se esse electos a deo ad vitam aeternam, et filios se esse dei; operibus autem (maxime charitatis) testantur se fidem habere verbo dei et vere credere. Ubicunque ergo opera fidem ornant, signum est fidem esse veram, et salutem certam: ubi vero opera desunt, nec fides per charitatem efficax est, abiicitur homo. Et haec omnia per consequentiam sunt intelligenda. Fictum arbitror esse argumentum, quod non minus docet quam historia et factum verum, saepe etiam plus momenti habet, ut patet in apologo Menenii Agrippae, quum cives seditiosos cum senatu in gratiam reduxit. Plus charitatis in enarrando habent ficta argumenta quam facta. At in permovendo plus habet historia. Repudiatis Iudaeis gentes ad coenam aeterni regis vocatae sunt. Qui vero ingrati fuerunt aut hypocritae, hoc est, qui aut venire voluerunt, aut se venisse et intra ecclesiam esse simularunt, illis continget, quod ei qui absque veste nuptiali ausus est assidere. Nolebant venire scilicet Iudaei. Haec per synecdocham de maiori eorum parte intellige. Nam quum dico: Iudaei populus sunt dei: Iudaei sunt repudiati, loquutiones sunt Synecdochicae, quibus utitur scriptura quum de aliqua parte loquitur. Et intelligi debent, de iis qui tales sunt, et in quos vere competit. Semper fuerunt multi boni et pii, tametsi non semper nostro iudicio adparent. Exemplum est in Helia qui se solum putabat cultorem unius dei, quum essent plusquam septem millia.

Boves sunt mactati, omniaque parata.) Hic licet intelligere bonitatem dei, qui nihil intermittit quo prodesse potest. Quosdam ad coenam vocavit, quosdam vero ad aeternos cruciatus eiicit, utrosque autem ad manifestationem gloriae, bonitatis, potentiae, misericordiae, et iustitiae suae.

Quisque ad negotiationem suam.) Intelligimus hic quod in quocunque opere etiam honestissimo quis peccare potest, si se oblitus dei, huic totum addixerit. Et certe satis magnum peccatum est si se quis rebus huius saeculi, etiam honestis et licitis, sic se totum dat, ut bonitatem dei et aeterna negligat. At hoc multo gravissimum est peccatum, et nulla venia dignum, invitantes et vocantes ad hanc gratiam persequi, contumeliis afficere, et occidere. Hoc designant Iudaei in prophetas et filium dei, et hanc ob causam merito sunt excisi. Primum ergo ad coenam vocantur; illis propter ingratitudinem repudiatis vocantur nihilominus gentes. Hoc innuitur, quum dicitur: Ite ad exitus viarum. Quid enim hoc aliud quam quod Christus apostolis dicit: Ite in orbem universum et praedicate evangelium omni creaturae? Nam primum ad Iudaeos solos mittebantur.

Non indutum veste nuptiali.) Non invenit eum totum nudum: gerebat nomen Christi, sed fide interna carebat; otiosus erat, sine charitate et operibus bonis. Ne ergo patiamur tempus inutiliter transire, sed operemur bonum dum tempus habemus. Nemo dicat: Cras, cras. Qui non est hodie, cras minus aptus erit. Nemo differat poenitentiam.

Tunc abeuntes Pharisaei.) Affectus nostri carnales semper se tegunt et defendunt verbo dei. Sic Iudaei dum negabant vectigal Caesari, praetexunt se populum esse dei seque servire deo. Pessimi quique facinoribus suis ex scriptura patrocinium quaerunt. Avarus usurarius aliquid ex scripturis decerpit quo cupiditatem suam iustificet: ut de Abrahamo, et Loto, aut Iobe. Adulteri Davidem citant: perfidi Petrum. Sed quod nitiosum est in sanctorum vita, hoc in exemplum non est trahendum nobis. Quod si sanctos peccatores imitari libet, imitemur totos, lachrymis et poenitentia peccata obtegentes. Si fuimus socii errantium, simus et socii errata emendantium. Nihil ad te divitiae Abrahae, si tibi numisma numen est. Sic Catabaptistae qui segetem domini subintroeuntes zizania seminant, ex scripturis suum errorem confirmant; sed gloriam et lucrum quaerunt, omnia miscent et turbant, Iam iusiurandum illicitum aiunt, iam negant magistratum, et allegant pro se locum Lucae 22. Vos autem non sic, qui tamen eis nihil suffragatur. Nam illic Christus apostolos suos, quos ad praedicandi officium elegerat, instituit, ne more principum imperitarent aut tumultuarentur. Et falluntur hac voce (גוֹיִם gentium) quae Hebraico schemate non solum gentes infideles, sed et populum dei Iudaicum aliquando significat, ut videre est in veteri testamento multis locis. Hebraismus ergo est: Principes gentium, id est principes populorum, nationum, terrarum, Die wältlichen oberen, non Die fürſten der heyden, ut illi transferunt. Deinde non animadvertunt personarum distinctionem, principum scilicet et apostolorum, gladii et prophetiae, quam illic Christus instituit. Magistratus praesidii et tecti vice est mortalibus, sub quod confugere licet tempestate ingruente, ut tuti degant. Vita nostra variis calamitatibus exposita est; magistratus ergo sunt a deo constituti, qui populum vel a maximis prohibeant, quum ab omnibus non possint. Quis non optarit, ut coelum semper esset serenum et tranquillum, ut nunquam grandines et tempestates noxiae? Hoc quum sit impossibile, gaudemus nos habere tecta, sub quae confugiamus et improbitatem coeli declinemus. Quis vero hoc non votis omnibus expeteret, ut omnes homines sic viverent, ut magistratu nullo esset opus? Hoc quum fieri nequeat, magistratus utilis et necessarius est, ut saltem ab improbitate malorum tuti simus: si non liceat nobis esse probissimis, simus tamen minus improbi. Et hunc errorem suum aliosque plures, hypocrisi et loquacitate freti, conantur defendere: nam eloquentiam non habent. Sub nomine Caesaris intelligit Christus omnem magistratum, seu omnem creaturam ac hominem, quem deus ut praesit ordinavit. Sicut Petrus dicit: Omni humanae creaturae, id est, Aller geſchöpf die Gott verordnet hat zu fürwäſeren. Quasi dicat dominus: Date deo quod debetis deo, creaturae vero quod creaturae debetis. Non huc veni ut discam fidem frangere, aut debita non solvere, ut magistratum suo iure fraudem. Sub dei ergo et Caesaris nomine omnia intelligit ac comprehendit, quemadmodum Paulus iubet omnibus reddere quae debentur. In genere ergo Caesarem pro omni magistratu ponit: non enim hoc agit Christus ut omnes nationes Caesaris subiiciat iugo. Tum erant Iudaei sub Romano Caesare. Si fuissent sub rege

Babylonico, dixisset: Reddite regi quae regis sunt. Errant ergo hic inconsulti quidam, qui virtute illorum verborum omnes homines sub imperium Caesaris cogere moliuntur: sed hoc faciunt literatores. Omnis fere error ex literatoribus venit, qui relicto sensu vero scripturam torquent. Litera propter sensum data est, cui et servire debet, sensus non est propter literam.

Litera debet intelligi iuxta spiritum: nam alioqui impostura esset. Nullum enim verbum est in mundo, quod a calumniatoribus non perverti aut depravari possit, si in alienum sensum torqueatur.

Erant apud nos septem fratres etc.) Ne frater uxorem fratris ducat in Levitico vetitum est. At ab hac lege exceptio est in Deuteronomio: permittitur enim fratri ut demortui fratris, qui sine liberis excessit, semen excitet. Hoc loco abusi Sadducaei Christo dolosam et fraudulentam quaestionem obiiciunt, ut ei calumniam struant. Et hoc fictum argumentum esse credo. Sadducaeorum error erat, animas post mortem quasi domire: nam omnino vitam post mortem eis negasse non crediderim. Fuisset enim crassissimus error, praesertim in populo dei. Quam opinionem si tenuerunt, clarus erit textus. Deinde et corporum resurrectionem negabant. קום vero et קמה non solum surgere Hebraeis, sed et stare ac manere significat. Ut in Esaia quum dicitur: Verbum domini stabit in aeternum, hoc est firmum manet. Qui errant, errorem defendere volunt; et quo longius a via aberrant, hoc magis errant. In resurrectione ergo, id est in vita post hanc vitam, cuius erit uxor haec? Carnalem cogitationem sibi praefixerant, oportere alibi esse quemadmodum hic fit. Corpus et spiritus opponuntur: Corpus dicitur quod sensibus capi potest; Spiritus quod sensibus non subiacet. Corpus semper habet aliquid quod moveat, nec movetur nisi per spiritum. Spiritus contra res est vigilans et efficax, quae ab operatione nunquam cessat, ut in igne videmus, quod elementum inter caetera nobilius est, quod spiritui sit maxime simile. Multo vero plus agilis est anima, perpetuo operans, etiam dum corpus dormit, et dum corpori inclusa est ut carceri. Magis ergo exuta corpore nec mori nec dormire potest. Ignis, qui fit ex lignis viridibus et crassis, non tam lucet quam qui ex aridis et levibus: sic anima liberata a corpore crasso multo est agilior celeriorque. Animae ergo post mortem vivunt, nec possunt dormire, sed erunt ut angeli dei.

Non est deus mortuorum.) Haec responsio non pertinet ad corporum resurrectionem, sed ad statum animae post mortem. Per resurrectionem ergo perseverantiam animae post mortem corporis intelligit. Si anima Abrahami omnino nihil esset post mortem, cur deus diceret se deum Abrahami? Deus non est deus eorum qui penitus intereunt, sed eorum qui etiamnunc vivunt, et illorum est unicus deus. Subinde captiosis quaestionibus Christum irretire cupiunt, quum interim videri velint hac mente interrogasse, ut meliores evadant. At dominus capit eos in astutia sua, et os eorum ut nihil mutire audeant obturat ac obstruit. *Νομικὸς* iurisperitus, legisperitus; legem autem Hebraei pro omni scriptura ponunt. *Μεγάλη* magnum praeceptum pro maximo. Saepe Christus interrogatus alia interrogatione eos eludit, non mani-

feste dicens quod petunt. Ut supra quum interrogarent si liceret censum Caesari dare, dicit ipse: Cuius haec superscriptio? quumque dicerent, Caesaris, subdit: Date ergo quae sunt Caesaris Caesari. Quasi diceret: Vos ipsi fatemini vos esse sub Caesaris imperio. Reddite ergo ei quod suum est. Discimus hic non cedendum semper hostibus aut adversariis quod petunt, maxime cum dolum subesse animadvertimus, sed ars arte fallenda et clavus clavo repellendus.

Quid vobis videtur de Christo?) Ad hanc quaestionem obstupescere Pharisaeos necesse fuit, quum eum purum hominem esse dicebant. Innuit ergo se aliquid excellentius esse, ut in cognitionem sui inducat. Dicitis Messiam Davidis esse filium; sed dicite cur dominum eum David adpellat? An non hoc ipso intelligitis quod Messias non homo duntaxat futurus sit, sed filius dei?

CAPUT XXIII.

In cathedra Mosis.) Per cathedram Mosis, doctrinam aut prophetiam intelligit. Nam sic ordinaverat deus in populo suo, ut semper esset prophetia, id est doctrina coelestis quae ex fide administraretur populo. Prophetia necessaria est ad rempublicam Christianam, magis quidem quam gladius, tametsi utrumque sit necessarium. Sic duo sunt praecepta dilectionis, videlicet dei et proximi; praecipuum autem est de dilectione dei. Sic prophetia magistratum antecellit: est enim doctrina fundamentum et sine quo ecclesia constare vix potest, utcunque necessarius sit gladius propter eos qui impudenter peccant. Veritatem cognoscere, veritatem docere, veritatemque tueri officium est prophetarum et magistratus. Tam necessaria est prophetia, ut etiam gentes, quae unum deum non coluerunt, in populo concionatores et oratores habuerint, qui admonerent et docerent populum. Hoc officium sacerdotes veteris testamenti corruperant falsa doctrina, et humanis traditionibus: docebant enim donum arae maius esse: nam ara parum illis utilitatis attulit, sed aurum. Quum ergo Christus dicit: Quae docent servate, non intelligit de his quae ex suis traditionibus docebant, sed de iis quae ex Mose et lege producerent. Quod ex sequentibus intelligi facile potest, quum eorum doctrinam quam praeter verbum dei docebant reiicit. Quum sua docebant, non sedebant in Mosis cathedra, sed in sede avaritiae suae et cupiditatis. Prophetia res est non solum utilissima, sed et perniciosissima: utilis quidem si cum fide administratur, noxia vero si mendaciis et nugis vitiatur et corrumpitur. An non perversissimus ac pestilentissimus esset, qui publicum omnium hominum fontem aut cibum veneno inficeret? Sic qui tenebras et mendacia pro verbo dei et veritatis luce ingerunt, quid illis potest esse nocentius? Sic factum est in Papatu, donec in meras tenebras inciderit mundus. Contra, sana doctrina (ut Paulus vocat) conscientias erigit, consolatur, tranquillat. Sed (proh pudor) pauci sunt qui iam veritatem sic mordicus tueri cupiant, ut in Papatu fecerunt patroni errorum. Multi vero sunt, qui et doctrinae veritatis resistunt, et impie vivunt. Quid vero in causa est? quod (ut Comicus ait) a labore ad libidinem omnes proclives sumus. Quisque mavult nummo regnum

coelorum emere, quam viam Papa indicat, quam sese abnegare et affectibus mori. Hic enim labor, hoc opus est. Christus doctrinam suam nulli rei extrariae alligat, cor petit, et excellentia quaedam requirit, a quibus caro nostra abhorret. In primis autem duo perpetuo inculcat Christus, amorem dei et proximi ut supra capite 22. patuit, et haec duo praecepta ostendunt nos omnes esse non solum peccatores, sed damnatos quoque. Quoties enim in haec respicimus, desperare nobis omnino necesse est. Ardua enim sunt carni et impossibilia. Iam vero quum Papa nummo haec omnia redimi posse docet, hanc doctrinam caro haud gravatim amplexatur; at conscientia interim tranquilla esse non potest. Papa in opera nostra nos dirigit, quae si omittimus aut negligimus, pecunia redimi permittit. At doctrina evangelica docet Christo fidere, et hunc sequi, abnegata omni impietate, et cruce in humeros sublata: quod si quid nobis hac parte deest (ut certe semper multum deest) gratia per Christum nobis succurrit et imbecillitatem nostram resarcit. Hoc inquam docet prophetia, si pure et sincere traditur. Ex hac doctrina multum utilitatis nascitur. Hoc inquam docet prophetia, si pure et sincere traditur. Ex hac doctrina multum utilitatis nascitur. Haec lux pudorem et timorem dei etiam nolentibus incutit. Si esset in domo aliqua familia impudens, quae pravis operibus et tenebris gauderet, et aliquis lucem nolentibus inferret, an non pudor ingens oboriretur omnibus?

Dicunt et non faciunt.) Non satis aliquem doctum esse, et multam habere cognitionem; nec sufficit quod ea quoque aliis tradere novit, si ipse prave et turpiter vivat, et non fidelis est. Longum est iter (ut inquit Seneca) per praecepta, breve et efficax per exempla. Unicum sanctae et inculpatae vitae exemplum plus permovet quam decem praecepta. Quandoquidem ergo nos omnes qui docemus homines sumus, et multis ac variis infirmitatibus obnoxii, opus est, ut in hanc veritatis lucem oculos defigant auditores: hoc enim ostendet, quid a praedicatoribus recipiendum, quid minus. Et hoc docet Christus praedictis verbis: Si quid ex veritate deprompserint, hoc arripite: si ex affectibus suis docuerint, nolite eos audire. Deinde nolite eorum vitam imitari quae prava et perversa est, utcunque bene doceant.

Alligant onera gravia.) Hoc Rabbini fecerunt, post eos Papa. Et de his videtur Petrus loqui Act. 15. Sic hodie multi sunt episcopi qui in minimis rebus maxime anxii sunt, et singulis suas leges ponunt, non considerantes quod legibus nemo fit melior, quin in praevaricandis minimis praeceptis maxima quoque discimus transgredi.

Omnia opera sua faciunt.) Omnes hypocrisi applaudimus et seducimur: hoc inde venit, quod nemo cor intuetur nisi solus deus. Externo habitu et professione contentos nos esse oportet, nec tamen interim hypocrita coram deo excusatus est. Sic omnes de uno pane in coena participamus, testantes hoc symbolo nos credere, corporis Christi sacrificio nos esse ab aeterna morte redemptos, et in corpus Christi iam compactos. Quod si qui accedunt qui hoc non credunt, hos deus cognoscit, utcunque nos fallamur. Neque hos vitare aut excludere possumus, donec manifestis flagitiis et contumacia se prodant. Hypo-

crisis ad tentationem pertinet quae a dextris est: honestatis enim et religionis speciem praefert, ut licet in omni falsa doctrina, non solum Catabaptistarum, cernere. Nam eorum omnia valde speciosa sunt. Quae a sinistris sunt per se sunt mala, a quibus boni omnes abhorrent, ut sunt fornicatio, adulterium, furtum et caetera crassa flagitia.

Dilatant phylacteria.) Deus praecepit in Deuteronomio, ut mandata et leges suas haberent in manibus et oculis. Per manus nimirum operationes, per oculos perspicaciam mentis intelligens. Hoc praecepto abusi pharisaei magna et lata phylacteria faciebant in capite et fimbriis vestimentorum, mandata dei circumferentes ad ostentationem. Spiritualem doctrinam carnaliter intelligebant. Et Hieronymus testatur hunc errorem etiam ad sua usque tempora manasse, quod quidam Christianorum collo gerebant evangelium Ioannis, seu frustum crucis, vel tale quidpiam. De phylacteriis et fimbriis vide in Numeris cap. 15.

Amant primos adcubitus.) Stultus et puerilis adfectus, quem reprimit Christus alibi in Luca 24. Graphice mores eorum describit, et quasi depictos ob oculos ponit. Ne ergo aegre feramus si aliquando a prophetis et episcopis vita nostra sic traducatur, ut omnes facile intelligant de quibus fiat sermo.

Vocari Rabbi.) Affectum damnat Christus, non appellationem. Non enim vetat quo minus praeceptores nostros magistros adpellemus, sed ambitionis et arrogantiae affectus reprimit. At quod ad coelestem doctrinam attinet, unicum magistrum agnoscamus Christum! hunc audire praecepit pater; is solus vere docere potest, cuius nos discipuli sumus. Ambitio ergo damnatur ne quis sibi huiusmodi titulos vane arroget. Alioqui suus cuique honor est exhibendus, ut docet Paulus, Rom. 13.

Ne vocetis patrem super terram.) Neque hic astorgos nos efficit erga parentes. Spiritus sunt verba Christi non litera; non ergo literae nudae mordicus et contentiose inhaerendum, sed spiritu litera est exponenda. In verbo dei omnia sunt sancta, divina, et honesta. Quomodo ergo vetaret benefactorem patriae, aut eum qui geniturae nostrae author esset, patrem vocare? Quin potius sectarum authores taxat, qui patres se haberi volunt. Pugnat ergo hic locus contra Catabaptistas qui maxime illo nituntur. Capita sectarum non debemus eligere. Loquitur enim hic de religione, non de republica: sermo enim eius contra sacerdotes, legisperitos, et pharisaeos institutus est. Cavet autem ne apostoli sui, qui succedebant veteris testamenti sacerdotibus, similes illis essent hypocrisi, ambitione, avaritia et factionibus. Non revocat praeceptum de honorandis parentibus; quomodo autem honore afficeremus patrem, si eum nominare non liceret? Ambitio ergo vetatur, nam nomina praeceptorum et maiorum habere oportet. Qui vero huiusmodi nomina ambit, is peccat. Honoris et dignitatis nomina nemo quaerere debet, nec ambire officia honoris et gloriae causa, quod in Papatu factum esse quis potest negare? Qui episcopatus ambiebant, in hoc nimirum ambiebant, ut opulenti, potentes, imo principes essent, ut voluptarentur, venarentur, scortarentur. Qui huiusmodi officia ambit, aut tam pravus est ut voluptari et malefacere velit, aut

tam stultus et socors ut non consideret qua fide, diligentia et cura officium sit gerendum. Numa imperium sibi a Romanis oblatum gravi et eleganti oratione recusavit.

Qui maior est.) Haec per Anthypophoram dicta sunt. Dicere enim potuissent: An tu omnem ordinem confundis? oportet ut in multitudine hominum unus aliquis praeeat ac praesit. Ad hanc obiectionem respondet Christus: Qui maior est, is non dominus est, sed omnium servus. Ordinis ergo gratia necesse est ut unus aliquis praeeat ac praesit, non ut caeteris praecellat aut eis dominetur. Sed ex hoc ordine Papatus factus est et imperium gravissimum. Quamvis vero haec Christi doctrina praecipue in apostolos quadret, omnia tamen officia format etiam ea quae sunt in republica. Sciat quicunque in officio est, se servum et ministrum esse. Qui officium duntaxat ambit, aut nomen, aut gloriam, aut lucrum, is non pio spiritu ducitur. Qui vero summa fide officium gerit ac administrat, summa charitate aliis ministrat: hunc si gloria et laus sequitur, nemo damnat, ipse vero gloriam ambire non debet.

Qui se exaltaverit.) Haec verba saepius repetita sunt a Christo, et maximi sunt ponderis. Quo maior quis est, hoc minus de se sentiat, hoc magis se humiliet ac deprimat. Gravior enim ex alto casus est et periculosior.

Vae vobis scribae.) Nomine scribarum legisperitos intelligit. Taxat autem his verbis falsam pharisaeorum ac sacerdotum doctrinam, quam tamen pro verbo dei populo obtrudebant; et hoc nihil aliud est quam claudere sibi aliisque regnum coelorum. Docebant quibusdam operibus a se confictis salutem parari. Hinc fiducia in opera et merita nascitur, non vitae puritas. Docebant legem, quemadmodum si quis vulnus cicatrice obducit et sarcit, pure et sanie adhuc intus manente. Sic in Papatu docti sumus omnia foris simulare, et speciem quandam sanctitatis externo habitu praeferre ante homines; intus vero coram deo conscientiae nostrae impurae erant et desperatae. Doctrinas hominum (ne dicam daemoniorum) pro Christi veritate recepimus. Non potest autem nisi ex verbo dei vera pietas percipi aut hauriri. Quid vero hoc aliud fuit, quam sibi et aliis regnum coelorum claudere? Quandoquidem enim nemo ascendit in coelum, quam is qui descendit Iesus Christus, oportebat docere omnem fiduciam in illum esse collocandam qui nostra est iustitia, et per quem coelorum regnum ingredi oportet. Qui enim in filium credit, vitam habet aeternam; qui filium non habet, ira dei manet super eum, nec vitam unquam videbit. Nemo enim iustus est, omnes egemus gratia dei. Doctrina ergo daemoniorum est, si quis docet quod per opera nostra iustitia comparetur et vita. Iustitia est ex fide in Christum, non ex operibus; tametsi nemo opera bona faciat, quam is qui per fidem in Christum renatus est.

Comeditis domos viduarum) Ac si diceret: Huiusmodi falsis doctrinis, hypocriticis et longis orationibus dementatis miseras et simplices viduas, ut in vos conferant domos suas, et caetera, quibus ipsae indigent. Hoc idem pontificii fecerunt murmuratione Psalmorum et precum, Missarum, Vigiliarum etc. donec totius mundi opes ad se rapuerint.

Propter hoc gravius puniemini.) Poenam minatur hypocritis, grave iudicium. Gravis poena vos manet o hypocritae, nec impune feretit hunc dolum.

Circumitis mare.) Et papistae magnum putant, si Iudaeos aut Turcas ad religionem Christianam vel invitos pertrahant, non tam curantes ut ecclesiam puram habeant quam amplam. Sic Iudaei advenas ex aliis religionibus in sua dogmata pelliciebant, magni aestimantes, si plures eorum legem carnaliter amplecterentur. Quos Christus taxat, dicens: Ad legem quidem eos pertrahitis, sed non docetis hanc conversionem ex deo esse et ex eius gratia; quin vobis adscribitis quod solius dei est, ut vos magni habeamini coram hominibus. Sic Papistae docent indulgentiis redimi peccata, quae nemo tollere potest, quam agnus dei Christus.

Vae vobis qui dicitis, Qui iurat.) Ad hunc locum facit caput Matth. 15. ubi sacerdotes docebant, maius esse donum quod templo infertur, quam pietatem in parentes. Semper vias invenit avaritia, quibus sua procuret. Missatores nihil melius et deo gratius dictitant quam offerre ad aras. Ara ergo aurum melius est et utilius. Eodem morbo laborant sacerdotes Iudaeorum et pontificii, nisi quod utrique diversis affectibus discrepant, ad unum tamen finem respicientes. Expendat quisque quo morbo aegrotet! suum quisque vitium habet. Omnes avaritiae student a maximo ad minimum usque, omnes inhiant lucro. Quum ergo verbo dei corripimur, non iudicemus aut censeamus alios, sed quisque in sese descendat, et sinum suum inspiciat, vitamque suam excutiat, ne et ipse talis, emendetque mores suos. In Papatu si quis per vulnera Christi deierasset, impune licebat; si per Antonii ignem, poena erat decreta. Cur hoc? Non sumus nominis et gloriae dei amantes, sed rerum: ab igne sacro metuebamus et Valentini casu. Habuimus Ioves et Veioves non minus quam gentes, quos coluimus, ut vel bona impetraremus, vel mala declinaremus. Avaritia igitur inter iuramenta aut adiurationes discernit, non pietas, quum tamen iuxta Christi doctrinam omnino iurare non liceat, et tam peccat qui per templum iurat, quam qui per dei nomen. Nam qui temere per creaturas iurant, non fecerunt hoc absque contumelia creatoris. Omnia enim dei sunt, nec fas est ulli hominum illis abuti.

Reliquistis quae graviora.) Ad praecipua legis connitendum vobis erat, ad innocentiam vitae, ad beneficentiam et charitatem. Pietas non sita est in istis minutiis. Continere os a maledicentia, a pravis cogitationibus, ab avaritia, ab odio, et radicem peccatorum exscindere, hoc opus, hic labor est. Ulcus (dum pus iam maturuit) aperire cuiuslibet est tonsoris; at dum mala constitutio est qualitatum, dum interna malis et noxiis humoribus vitiata sunt, et morbus letalis est, hoc tandem doctum et peritum medicum requirit. Neque ob id levia contemnenda sunt aut negligenda, sed ad summa ista magno conatu grassandum. Vos vero ex parvis iusti vobis videmini, et ab aliis videri vultis: quum interim misericordiam et charitatem negligatis, quae sunt maxima.

Purgatis exteriora etc.) Qui alienum hortum excolit, suum

negligit, stultus est: nam interim dum aliorum gerit curam, sua sinit sterilescere. Sic fere facimus omnes: aliena curamus, nostra negligimus: aliorum facta et dicta aestimamus, nostra minime. Christus autem semper dirigit homines, ut in sese descendant, ut interiorem hominem excolant. Hypocrisis enim altum et profundum malum est.

Intus autem sunt pleni.) Violenta est Alloeosis secundae personae in tertiam iuncta allegoriae. Hoc enim studebant pharisaei, ut foris etiam vasa niterent et pura essent omnia; animum negligebant plenum omni nequitia. Sic in monasteriis omnia nitebant et splendida erant, ut videri possent conscientias curare vel maxime, sed intus omnia erant plena avaritia et malis affectibus. Omnes plus laboris insumimus ut videamur innocentes quam ut simus. Sed hoc ipso testimonium ferimus innocentiae et iustitiae quod bonae sint. Contra nos vero testimonium ferimus quod merito damnati simus, quum bonum cognoscimus, malum facimus. Ad interiora ergo semper penetrat Christus, et conscientiam docet purgare: nam externam personam immutare facillimum est. Ultimum bonum in malo est erubescere et pudere malumque dissimulare, quod vitare omnino non licet. Dissimulare licet, simulare non item. Simulare est dum malus videri vult bonus. Dissimulatio vero cavet malum proximi et offensionem. Simulatio quaerit gloriam et laudem coram hominibus. Qui iustitiae coram hominibus sibi quaerunt opinionem, laudemque ex hac venantur, non recipiunt Christum veram iustitiam; ut ex superioribus auditum est, sacerdotes et pharisaeos Christum reiecisse, publicanos et meretrices eum obviis ulnis accepisse, eo quod pudore et dolore peccatorum suorum tacti, medicum quaererent. Illi vero iustitiae suae innitentes non solum morbum suum non agnoscunt, sed interim iustitiae sibi laudem arrogant, nec ferre possunt ut medicus ulcus tangat, manumque vomicae adhibeat. Kutten vnd platten nemmend Christum nit an, hoc est: fiducia in opera legis Christum et evangelium eius non recipit. Quandoquidem ergo omnes eodem laboramus morbo, nemoque sine vitiis vivit, debemus magis esse intenti ad hoc ut de peccatis nostris doleamus et erubescamus, quam ut nobis iustitiam arrogemus. Iustus enim primum accusator est sui, trabemque ex oculo suo studet eiicere, antequam id tentet in proximi festuca.

Sepulchris dealbatis similes.) Hypocrisim et falsam iustitiam elegantibus et commodis similitudinibus protrahit divina sapientia. Multam enim energiam habent hae comparationes. Quid enim (si foris spectes) sepulchris elegantius et splendidius? Quid rursus, si penitus introspicias, pestilentius? quid foedius? Sic hypocrisi et falsa iustitia nihil speciosius, nihil rursum nocentius. Monachatus omnis ex hypocrisi nascitur, nec tamen nos interim culpa caremus: debebat enim quisque per se ad veram iustitiam attentus esse, sed affectus nostri amant palpari, et ulcus nostrum non vult tangi. Hoc duntaxat quaerit ut sic tractetur ne doleat, aut ut in superficie obducatur, non ut pus eximatur. Libenter ergo doctrinam hypocritarum in Papatu admisimus, quod nostris sceleribus palparet. Praedixit hoc Paulus futurum, ut homines forent amantes sui, avari, fastuosi, superbi, maledici, parentibus

immorigeri, ingrati, impii, carentes affectu, nescii foederis etc. voluptatum amantes potius quam dei, habentes formam pietatis, sed qui vim eius abnegarint. Et isti quum sanam doctrinam non sustinent, iuxta concupiscentias suas coacervabunt sibi doctores hi quibus pruriunt aures, et a veritate quidem aures avertent, ad fabulas conversi. Pro eo ergo quod dilectionem veritatis non receperunt in hoc, ut salvi fierent, mittet illis deus efficacem illusionem, ut credant mendacio, ut iudicentur omnes qui non crediderunt veritati, sed adprobaverunt iniustitiam. Non ergo hi soli in culpa sunt qui falsas doctrinas seminarunt, sed nos ipsi, quod a veritate aures avertimus, attendentes spiritibus impostoribus, ac doctrinis daemoniorum, quae nostris adfectibus blandiebantur. Si veritatis amatores fuissemus, nunquam admisissemus doctrinam Papae et Monachorum: hoc est, si fuissemus ex ovibus Christi, vocem alienorum nunqnam audivissemus, sed solius pastoris nostri Iesu Christi voci obtemperavissemus. Gravatim audimus, si quis nos increpat, si affectibus nostris repugnat, si nostri abnegationem et vitae emendationem docet. Hoc vero gratissimum nobis est, si quis dicat: Da aliquid et redime Missis peccata tua; interim vero conscientia nostra tranquilla non est. Culpa ergo nostra est quod Papa regnat. Cur eum audimus? an non Christus et apostoli satis nos praemonuerunt? Cur non veritatem et vitae innocentiam toto pectore quaerimus? Quia non sumus amatores veritatis et iustitiae, digni ergo qui mendaciis circumagamur et pereamus. Olla si intus pura est et munda, non abhorremus a cibis qui in ea coquuntur utcunque foris nigra sit: sic omnis cura adhibenda erit nobis, ut intus per fidem purgati et mundi simus, non ut foris tantum niteamus. Hoc quum in omnibus rebus observandum est, in religione tamen potissimum. Ad hoc enim Christus sacramenta instituit, non ut in his iustitiam quaereremus, aut collocaremus, sed ut per haec admoniti et excitati ad veram cordis adeoque fidei iustitiam penetraremus. Signa enim externa non iustificant, ut quidam perhibent, sed iustificationis per fidem admonent, et ad vitae innocentiam excitant. Hinc Paulus a baptismate epichereimeta trahit fortissima, ad carnis mortificationem impellentia. Non ergo tanta cura adhibenda est, ut baptizemur, quanta ut pie et sancte vivamus, et adfectibus carnis mortui Christum imitantes crucem fortiter feramus. Quid ergo opus est contentiosis istis quaestionibus, quid et quantum possit baptismus? sitne corpus et sanguis in pane et vino? Quin potius curamus ut iustitiae simus defensores, ut benefaciamus proximis, ut feramus infracto pectore crucem post Christum, ut charitate ardeamus? Tanta res est vera pietas et iustitia, ut de hac suis viribus nemo gloriari possit. Operam ergo demus in primis ut agnoscamus morbos nostros, et de his doleamus, hos apud verum medicum curandos aperiamus. Deinde meditemur innocentiam et sanctimoniam vitae, studeamus innocentiae et charitati, et proponamus nobis Christi et doctrinam et vitam, eamque pro virili exprimamus: ibi reperiemus pulcherrimarum virtutem exemplaria. Studeamus prodesse omnibus, et nec rebus nec corpori parcamus, si quo modo gloriam dei et proximorum salutem promovere possumus. Haec enim religio vera est et immaculata, visi-

tare viduas et pupillos in necessitate, et immunem ac incontaminatum custodire se ab hoc saeculo. Sic Paulus vixit, qui modo in Arabia erat, modo in Graeciam proficiscebatur, modo in Italiam navigabat, ubique gravissimis periculis et mille mortibus obnoxius, modo gloriae dei non deesset, et saluti ecclesiarum. Huc ergo omnes nervos intendamus, ut conscientiae nostrae vera fide in Christum munitae sint, et ardenti charitate accensae. Hoc si effecerimus, statim concidet hypocrisis. Baptismus ergo signum est, quo ad novitatem vitae admonemur, et quod gratiae dei per Christum non simus ingrati, quandoquidem Christus nos sanguine suo lavit, ne nos rursus peccatis contaminemus. Baptismus non facit novos homines, sed admonet nos ut tales simus, aut saltem tales evadere studeamus.

Vae vobis qui aedificatis sepulchra.) Donec prophetia erat in pretio et verbum dei, non multum curae adhibebatur sepulturae prophetarum; plus intenti erant pii ad verba prophetarum, quam ut eis sepulchra splendida pararent. Temporibus vero Christi verbum dei reiectum erat a Iudaeis; caeterum sepulchris prophetarum multum impendebatur, quod taxat Christus, quum neque prophetarum neque Christi doctrinam digne aestimarent. Sic in Papatu magna fuit cura ut crux auro includeretur, aut gemmis ornaretur, ut corpora martyrum honorifice in tumbas exciperentur splendidiores. Interim verbum Christi et apostolorum nihili pensum est. Magnifice omnes de veritate et iustitia loquimur; sed quum ad rem ventum est, et scelera nostra damnantur, iam murmuramus et querimur. Clamamus omnes et pacem petimus, caeterum quae veram pacem conciliant, negligimus aut damnamus. Sic Pharisaei de prophetis tum loquebantur, ac si eos mortis prophetarum poeniteret, quum interim summi prophetae mortem meditentur, nec ferrent eum quum veterum prophetarum verba citaret. In hoc ergo mensuram patrum suorum impleverunt.

Serpentes viperarum progenies.) Pestilentes filii pessimorum parentum qui sanguinem prophetarum effuderant. Non ergo patrum iudicium effugietis.

Ecce ego mitto.) Hoc pertinet ad illud: Implebitis mensuram patrum: quod ipsi non fecerunt, vos perficietis. Semper misit dominus prophetas populo suo, qui excitarent et praemonerent populum, docerentque homines quanti essent, et ad quantam dignitatem eos deus destinasset. Rursum quam frivolum animal sit homo, quam miserum, quam variis affectibus obnoxium, hoc unico beatus, quod deus affinitatem et amicitiam cum eo contraxit, mittens filium suum etc. Deinde ut exscinderent quidquid contra deum erectum esset. Grave ergo et periculosissimum est officium prophetae.

Prophetas, sapientes, et scribas.) Differt sapientia ab astutia. Astutia enim frivolis rebus et vanis intenta est. Sapientia vera spectat, recta, solida, sancta, divina, coelestia. Partim necessarium et possibile, partim honestum et utile respicit. Exempli causa. Rex aliquis aut tyrannus minatur irruptionem et cladem. Iam sapiens cogitat quomodo ei sit obsistendum. Quo scilicet modo, an sit possibile, quibus mediis et viis. Iam multa occurrunt: alius tollere eum vult gladio, alius

proditione. Sed cogitandum contra, utile ne sit an honestum, hac via eum tollere. Nihil autem utile quod idem non sit honestum. Quaeritur iam, sit ne honestum resistere tyranno? Quid vero honestius esse potest? quid utilius quam veritatis hostibus repugnare, libertatem conscientiarum tueri, tum etiam a capitibus hominum malum depellere? Hoc enim officium est pii magistratus. Prophetae verbo tuentur veritatem et contra hostes doctrina pugnant et precibus; Magistratus gladio et manu. Nam dominus hic pollicetur se non prophetas solum, sed et sapientes missurum. Invenies aliquando prophetas doctos et pios, sed non sapientes. Rursus alios qui simul cum eruditione habent donum sapientiae, et isti praecellunt prioribus. Tertio quoque scribas mittit, hoc est, doctos et eruditos. Sunt enim sapientes quidam non docti: qui haec omnia simul iunxerit, omne tulit punctum. Sapiens qui doctus est, ei praecellit qui sapientiam habet sine eruditione; si addis doctrinam, consummasti sapientiam. Est aliquis chirurgus, qui simplicia quaedam novit, et experientia aliquid consequutus est. Huic longe praecellit physicus qui totius naturae ingenium perspectum habet. Quae deus mittit populo suo bona sunt et utilia. Prophetas sapientes et scribas mittit; ergo utiles sunt et boni. At rebus istis abuti possunt mali, ut si ingenia egregia deflectunt et prava fiunt. Ita potest fieri ex prophetia loquacitas noxia, ex sapientia astutia etc. Hoc dum fit aut emendemus et corrigamus quod degeneravit. Si non possumus, tollamus quod malum est et bonum sufficiamus. Veras virtutes plantemus et foveamus, et brevi reflorescet vera pietas et iustitia. De differentia apostolorum, prophetarum, episcoporum, in libro de officio praedicandi satis dixi. Hoc vero adiecerim, prophetiam rem esse sanctam et singulare donum dei. Magna ergo cum reverentia et sanctitate gerendum hoc officium, ne temere (quod faciunt quidam) in foro, in diversoriis, intempestive omnibus obganniamus, et sic margaritum ante porcos proiiciamus. Item ne temere quisque se ad propheticum et apostolicum munus intrudat, quod faciunt Catabaptistae, qui stiva et aratro, tum etiam uxoribus et liberis (quorum curam ex divino praecepto gerere debent) relictis, officium praedicandi sibi arrogant superbissime. Quandoquidem vero dona sua tam benigniter et largiter in nos effudit deus, excipiamus ea cum summa gratitudine. Audiamus prophetas, sapientibus obtemperemus, consilia eruditorum et praecepta ne reiiciamus. Nam deus mittit dona sua aut in testimonium gratiae et benevolentiae suae, siquidem vitam emendamus; aut in testimonium iustitiae et ultionis, si contempserimus. Iungenda est eruditio sapientiae, et rursus sapientia eruditioni: nam altera sine altera aut manca est, aut perniciosa. Eruditio veluti ancilla est herae sapientiae, quae scrutatur omnia vasa, omnem supellectilem, sed debet servire sapientiae, reginae. Sunt qui abutantur sua eruditione ad vanam gloriam, mancipia fiunt aurae popularis, ventris, gloriae, pecuniae. Hi non secus faciunt, quam si quis pro hera et legitima uxore ancillam accipiat, et cum ea adulteretur. Pessima res est et odiosissima, si ancilla hera fiat. Hanc eruditionem quidam negligunt, quidam vero perverse deamant. Eruditio pessimis rebus iungi potest, et ipsa fieri pessima, quasique

toxicum et venenum. At sapientia nunquam, non enim potest esse nisi optima. Eruditio et doctrina petitur ex historiis, ex philosophia, ex legibus. Haec est enim vera eruditio, quum homo ex divinis et humanis literis (nam et saecularis, ut vocant, eruditio ex deo est) quaerit ac investigat honesta, necessaria, utilia quaeque, quae in se derivet, et deinde utatur, in aliosque transfundat, ut et illos eruditos faciat. Sapientia vero est deum nosse summum bonum, sapientissimum, iustissimum, optimum, misericordissimum, cognitumque colere et amare. Quod in pectoribus nostris charitas dei friget, hinc est, quod mersi in carnem, nos et nostra amantes, deum non recte cognoscimus. Deinde si etiam divina quotidie docentur et inculcantur nobis, obsurduimus tamen plane, et excaecati rebus terrenis et carnalibus, plus praesentia quam aeterna, plus terrena quam coelestia ac divina curamus. Gryllus etiam fruge reperta, glandibus suis vesci maluit, neque ullo modo persuaderi potuit ut pane vesceretur. Quid stultius isto homine qui pecuinam quam humanam vitam vivere maluit? Quid vero amentius homine, qui rebus carnalibus obrutus coelestia aut contemnat aut nolit? At plane tales omnes sumus. Amor nostri nostrarumque rerum nos a deo avocat, ut quae dei sunt ne cogitemus quidem. Sapientia ergo vera cognitio est dei, legum divinarum, divinae voluntatis, rerumque aeternarum et coelestium.

Et ex illis occidetis.) Hoc est ingenium carnis ut veritati repugnet et obstet; facit hoc suggerente satana. Quicunque carni resistit et eius consilia damnat, hunc caro odit, et eius interitum machinatur: ad hoc instigat daemon.

Ut veniat super vos.) Iudaica gens peculiariter hoc scelere contaminata fuit ut funderet sanguinem sanctorum, prae caeteris ergo omnibus gravius punita est et demum funditus extirpata. Cain ingentem posteritatem post se reliquit, homicidas scilicet et sanguinarios. Ab Abel enim nemo venire potuit, quum esset a fratre interfectus. Abelum ergo terminum facit sanguinis: est enim synecdochica loquutio. Iudaei enim sanguinis Abelici non erant rei, quum ex Cain non essent. De Zacharia in libris Regum indicatur. Tametsi Iosephus de bello Iudaico de quodam Zacharia Barachiae filio mentionem faciat, qui in obsidione Hierosolymitana fuit interfectus, de quo Christus loqui videri possit. Est autem hyperocha, quasi diceret: Vos interficietis me authorem et summum prophetarum; qua re tantum committetis scelus ac si omnes iustos interfecissetis. Per generationem autem hanc Iudaicam gentem intelligit. Qui ex Abelo sunt, paci student et tranquillitati, sed ei paci qui ex deo est. Qui vero ex Caino originem trahunt, nihil quam bella et homicidia meditantur. Et haec duo genera hominum ad finem mundi usque perdurant. Plerique sunt qui ad propagationem ditionis, opum, gloriae, omnia sanguine miscent, ut est hodie in orbe Christiano (proh pudor) videre. Et huiusmodi tyranni sibi asciscunt homines non fidos, probos, et sapientes, sed audaces, astutos, et nequissimos. Illis se iungunt, cum illis foedera feriunt, ex quibus societatibus facile liquet, quid moliantur. Quod si amicitias iungerent cum sapientibus et vere piis hominibus, si diligerent et audi-

rent veros prophetas, spem de se praeberent meliorem. Et quum tyrannorum videamus et sentiamus consilia et facta, credere tamen nolumus. Videmus eorum necessitudines et societates, quae vergunt ad iustitiae et veritatis internecionem. Cur ergo tam sumus socordes in tuenda veritate? cur inter nos dissidemus, ut illis addamus animum? Quin potius et nos mutuis consiliis pro promovenda gloria dei nos ipsos adiuvamus et confortamus? Quod si fecerimus, non astutiae carnis sed spiritui dei adscribendum erit.

Quoties volui te congregare.) Hic discimus prophetas veros in hoc missos esse, ut congregent et colligant: ad hoc enim monet spiritus dei. Falsi ergo sunt prophetae et malo spiritu acti Catabaptistae, qui dissipant et dispergunt populum dei.

Donec dicatis.) Hoc in discipulis quidem post resurrectionem impletum est. At carnaliter in Iudaeis adhuc non est factum, donec Christus ad iudicium venerit.

CAPUT XXIV.

Et venerunt discipuli ut ostenderent ei.) Videmus hic in discipulis Christi fuisse nonnihil humanorum affectuum, ne dicam levitatis carnalis, quum in tam arduis negotiis, in tam serio certamine, quod Christo cum hostibus veritatis erat, imminente iam articulo passionis et mortis suae angustia, de tam frivolis et levibus rebus interrogationem instituunt. Haec non dicuntur ad elevationem gloriae et authoritatis apostolicae, sed ad ostendendam humanae infirmitatis et imbecillitatis miseriam, et oscitantiam humanae mentis, quum nos qui Christi sectatores sumus tam nugacibus et nihili rebus operam damus, quum magis bellandum esset, vigilandum et orandum, ne dominus nos induceret in tentationem, ne daemon arcem mentis nostrae iterum occuparet. Parvo momento impellimur ut, neglectis et omissis negotiis et officiis nostris utilibus et necessariis, vana et frivola sectemur: ad buccinae unius sonum abiectis colis et fusis mulieres et puellae per omne forum transcurrunt, visurae scilicet simias exoticas et ludos stultissimos. At Christus, levitate et puerilitate eorum abutens, animos eorum ad magna quaedam sublevat. Observemus rursus hic, modum esse in rebus, et media quadam via incedendum in via virtutis inter saevitiam et mollitiem. Simulamus saepe gravitatem et maturitatem, quam tamen non habemus, in qua non sumus exerciti. Cunei quibus nodos lignorum diffindimus praeduros esse oportet, et suo tempore paratos: tum enim omnia penetrant. Sic virtus exercitatione et longa adsuefactione adquiritur: ut callum quendam ducat, ut induret, longo tempore, multa exercitatione opus est. Arbores etiam feraces non primo secundove anno fructus ferunt, et praecocia poma non durant. Solida quaedam res est virtus, tenax et inviolabilis. Haec ideo dicuntur ut agnoscamus nostram imbecillitatem. Discipuli tanto tempore Christo familiariter sunt conversati, a Christo coelestem doctrinam hauserunt. Adhuc tamen tam sunt infirmi, pusillanimes, ignorantes et meticulosi, ut propter haec saepius a domino increpentur. Labuntur, diffidunt, fugiunt, negant. Demum tandem spiritu adveniente durantur et perficiuntur. Hic iam infracto pectore

prodeunt, et intrepide Christum praedicant. An ergo non temeritas est et superba arrogantia quod quidam ex Catabaptistis, mox ut in mentem venit, nondum exploratis lacertis, nihil ad hanc rem supellectilis habentes ad praedicandum exurgunt? qui ne legere quidem norunt, ilico libris contemptis prodeunt ad docendum, quae nunquam didicerunt; iactant spiritum, et patris coelestis mandatum, mox sine peccatis sunt et perfectissimi. Quae haec stultitia, imo quae insania? Dominus sinit electos suos homines esse, et homines manent dum hic vivunt; quin saepe eos ignorare quaedam et in gravissima peccata labi sinit, ut humiliet et altius evehat, in cognitionem sui ducat.

Nonne videtis haec omnia?) Quasi diceret: Inspicite haec diligenter et admiramini etiam, at omnia collabentur utcunque magnifica et splendida. Sic nos stulti admiramur corporalia et caduca in hoc mundo, quum tamen mutabilia sint omnia et transitura. Pudefacit dominus, quicunque alta cogitant in hoc mundo et rebus nihili adhaerent et confidunt. Alius gloriam quaerit, alius opes, alius voluptates carnis, alius splendidas et magnificas aedes. Quid vero hi, qui talia iactant aut ostentant, aliud faciunt, quam furibus et praedonibus assam dant, ut aliquando spolientur? Quis regum unquam tam fuit potens, ut in regno suo tutus et sine metu viveret? Virtutem ergo solidam et veram pro scopo sibi praefigere, hoc demum aeternum est. Stultam aiunt Senecam habuisse, quae propter aetatem caeca reddebatur, et cum ei ducem viae adhiberent, renuit, dictitans, domum esse obscuram et tenebricosam, se viam in domo nosse luce appetente. Ignorabat enim se caecam esse, tenebras domus accusabat. Sic nos caecitatem nostram non agnoscimus, domum in qua habitamus (mundum scilicet) incusantes. Alius dicit: Sic mos est in gente mea, in urbe mea, ut homines ludant, scortentur, perpotent, belligerent etc. Sic omnes mundum incusamus, quum tamen mundus ex nobis constet, et nos membra simus mundi. Nemo operam dat ut intus reformetur mens. Cur non vitam nostram sic instituimus? cur non sic adsuescimus ad virtutes, ad honesta, ut mundo conveniente purus sit mundus et sanctus? Nam nobis mutatis et renovatis, mundum mutari et renovari necesse est. Nos enim sumus mundus. Curemus ergo ut mundus sit mundus, id est ut nos intus mundi et puri simus, et erit etiam externa conversatio munda, pura, et honesta.

Quando haec fient?) Quae? Dixerat: A modo non videbitis me etc. Item: Haec omnia vastabuntur. Quae intelligentes discipuli: Primum quaerunt quando ista vastatio sit futura. Secundo, quando sit adventurus. Tertio de fine mundi: nam tum aderit Christus. Quae ergo sequuntur istis tribus quaestionibus respondent omnia; at ita permixtim posita sunt, ut diligenti observatione sit opus cui quodlibet sit adcommodandum.

Videte ne quis vos seducat.) *Βλέπετε* videte, id est cavete: nam sic utuntur Hebraei verbo videndi. Multi venient nomine meo, non quod miserim eos, sed se nomine meo venditabunt. Haec responsio ad secundum membrum pertinet, scilicet de adventu Christi. Quasi diceret: Adventus meus certus erit, sed exurgent quidam qui se pro me venditabunt, et advenisse me dicent. Sic et Paulus monet, ne putent

instare adventum Christi. Adparet ergo eam opinionem et seductionem tum praedicatam esse a quibusdam. Taedium praesentis vitae hoc facit. Neminem ergo recipiamus praeter unum Christum, qui servator est totius orbis, in quo credentibus omnis gratia parata et servata est.

Nec statim finis.) Mala quidem sic incipient, nec tamen mox aderit adventus meus.

Tunc tradent vos.) Ab amicis pati persequutionem grave est, et ab his in quos sperabamus. Tunc, id est, mox quum evangelium praedicare coeperitis. Quod et hodie fit. Quicunque enim innocentiae et veritati student, persequutionibus sunt obnoxii. Nec mirandum si multae tribulationes iustis et piis obveniant; hoc potius considerandum, quomodo has patienter feramus. Qui cogitur onus aliquod ferre, non cogitat quomodo non ferat, sed quo pacto commode ferre possit ac velit. Quandoquidem ergo Christus praedixit fore ut persequutiones incidant, certi simus id futurum. Stemus ergo fortiter et feramus constanter. Satan Papam et principes huius mundi contra evangelium armat, et hoc fiebat apostolorum tempore. Verum si nos in timore dei una. nimes et in fide fortes steterimus, non possunt nos superare. Si vero discordes fuerimus, facile in nos impetum facient et perdent.

Propter nomen meum.) Nomen Christi olim invisum erat gentibus et Iudaeis, iam etiam iis, qui Christiani vocantur. Quidam nomine Iesu ad sua flagitia abutuntur, ut pseudapostoli et Catabaptistae: nam nomen Iesu frequens in ore habent, quod tamen hypocrisi polluunt. Alii qui operibus suis fidunt, Iesu Christi nomen ne audire quidem dignantur, ut Papistae et monachi. Nomen Iesu odio habetur, partim quod vita nostra non respondet professioni: partim, quod virtus illius nominis ignoratur. Causa illorum omnium est, quod nostras iniquitates, deinde gratiam per Christum exhibitam non satis digne aestimamus. Dum enim nobis per carnem impossibile erat servari, misit deus filium suum in carnem, ut videremus deum se nobis totum dedisse, quum dedisset filium et omnia cum et in filio. Hoc maximum fuit, et maius, quam si deus sese nobis ostenderet, ut eum revelata facie videremus. Maius inquam est quod nostram infirmitatem assumpsit. Serva quae regi chara est, et grata, cui rex clementiam et magna beneficia ostendit, interim tamen non manumittitur, non tantum benignitatis accipit, ac si eam in filiam adoptaret et libertate donaret, imo uxoris loco eligeret. Sic deus carnem nostram adprehendit, sanctificavit et induit, sibique ita coniunxit, ut nunquam dimittat, imo ad dextram dei eam exaltaret. Quum membro aliquo pateris, cogita Christum deum et servatorem tuum quoque hoc eodem membro, eademque carne passum esse: magna est haec consolatio in omni adflictione. Quibus ergo Christus sordet, pretium incarnationis nondum recte perpenderunt. Quandoquidem igitur Christus rem tam eximiam fecit, dedit ei deus tam eximium nomen, quod omne nomen excellit. Philip. 2. Haec cogitata et fideli mente perpensa, tranquillum faciunt animum; illic spiritus dei regnat, ex quo pulcherrimi fructus prodeunt, pax, gaudium, patientia, mansuetudo, charitas, humilitas, modestia etc. Ubi talis spiritus non est, nihil est quam contentio, elatio, inanis gloria, philautia, hypocrisis:

hic vult praecurrere, alius vult cunctari: hic oriuntur contentiones et lites propter externa quaedam. Si vero externa nos filios dei efficerent, frustra Christus nostram carnem assumpsisset, frustra pro nobis mortuus fuisset.

Et tunc offendiculum patientur multi.) Hoc Christus, hoc Symeon praedixit. Facile offenduntur, qui solido fundamento non innituntur. Hac de causa dominus immittit varias calamitates, ut fides probetur, vera sit nec ne. Nam non omnium est fides, quantumvis omnes simulent.

Multi pseudoprophetae surgent.) Papistae nos tales vocant, nos Papistas. Is vero verus est propheta, qui spiritum Christi habet et summa cum fide praedicat verbum dei, qui demolitur et aedificat. Fidem solus deus dat. Verbum fidei praedicat propheta. Sed deus intus movet cor ut recipiat verbum praedicatum et credat. Spiritus probat et cognoscit prophetias; spiritus scilicet piorum qui spiritu dei illustratus et edoctus est, is inquam omnia cognoscit, ut inquit Paulus, et diiudicat. Mox enim intelliget quid ex deo sit, quid minus. Si propheta cognitionem et dilectionem dei ac proximi urget, si ad iustitiae et innocentiae studium omnis eius sermo hortatur, si adversus scelera virtutis amore clamat, si quidquid contra deum erectum est demolitur: certum est eum verum et fidelem prophetam esse. Contra si gloriam suam quaerit, si lucrum, si creaturas prae creatore diligere docet, si ad operum fiduciam ducit, si sceleribus palpat, falsus est propheta. Iudicium ergo discernendi falsos a veris prophetis, non pendet nisi a conscientia et spiritu fideli ac pio.

Quoniam iniquitas abundat.) Sensus est inversus: Quandoquidem charitas ita refriguit, omne scelus inundat. Deus charitas est; ubi deus est illic operatur, quemadmodum ignis sine operatione non est. Consceleratio ex defectu charitatis venit. Unde tot scelera, tot iniquitates, et totus Papatus? quod dei cognitio et dilectio non satis digne aestimatur in cordibus nostris. Ubi vero dilectio est dei, etiamsi non in totum absint peccata, quotidie tamen aliquid ex his minuitur. Charitatis enim flumen coeleste, vitiorum nostrorum aestum extinguit.

Qui perseveraverit in finem.) Constantia et perseverantia sal est quod conservat, et condit omnes virtutes. Coepisse parum proderit, nisi perseveres. Haec virtus quum in omnibus rebus requiratur, in pietate maxime. Nemo coronabitur, nisi is qui legitime certaverit. Quis nos separabit a charitate dei? In quibus verbis Pauli magnam constantiam vides. Hac si careas, ora deum, ut te firmet et fulciat. Considera deinde quanta pro te fecerit deus, quanti te aestimarit, quid pro te passus sit Christus, quid tui causa subierit; et vilescent omnia quae sunt in mundo. Arbitraberis omnia ut lutum, ut Christum lucrifacias, omnia propter deum facere et ferre poteris. Frivola sunt omnia, contendamus ergo ad summum et aeternum bonum. Omnia huius mundi contemnenda esse, adhaerendum coelestibus et aeternis scimus omnes, audimusque quotidie; virtus vero illa efficiendi a deo veniat oportet. Igne coelesti opus est, charitate scilicet dei. Qui ex lignis carbones facere volunt, non facient hoc sine igne: ita qui consumere vult ter-

renas cupiditates, ignem dilectionis dei habere oportet. Rogemus ergo deum ut hunc ignem in cordibus nostris accendat, omnemque rubiginem vitiorum exurat, et aquas adfectionum carnalium exiccet.

Evangelium praedicabitur.) Evangelium (si definitionem nominis quaeris) laetum est nuncium, quod deus filium suum misit servatorem mundi, Lucae. 2. At res ipsa, aut nominis significatio latius patet. Regnum dei hic pro doctrina capitur, vel evangelium regni, id est doctrina quae ducit ad regnum dei. Evangelium, inquit Paulus, virtus est dei omni credenti ad salutem. Liberat nos ex peccatis, e captivitate diaboli: conscientiae quae prius caecae erant, et tenebris ignorantiae ac vitiorum involutae, illustrantur cognitione dei. Est ergo evangelium, liberatio animi a tenebris, ab ignorantia, a peccatis. Evangelium docet cognoscere deum, atque ex cognitione dei omnia bona veniunt: discimus enim misericordiam bonitatem et sapientiam dei. Anima preciosiorem thesaurum maioremque sapientiam invenire non potest, quam dei cognitionem, quae ex evangelio percipitur. Natura omnes scire et beati esse desideramus. Etiam corpus tranquillitatem et salutem aliquam quaerit: animus vero perpetuam felicitatem exoptat. Quum ergo mens humana nec deum cognoscit, nec tantum innocentiae in se deprehendit, qua cum deo coniungi possit, desperet necesse est. Quum enim legem considerat, nil invenit nisi desperationem. Mente autem sic ex lege consternata et desperabunda, venit evangelium et consolatur eam, annuncians gratiam dei per Christum. Nam si deus proprio filio suo non pepercit, sed nobis eum dedit et cum eo omnia, quomodo non vehementer nos amaret? aut quid post hac negaret? Rom. 8.

Per universum orbem.) Hoc per apostolos fiebat, per quos maior pars orbis illustrata est praedicato evangelio. Antea quaeque gens suos deos habebat, Christus vero Iesus debuit omnibus gentibus manifestari. Hinc adparet eum esse, verum deum. Nam hoc nullus deorum unquam efficere potuit, ut nomen eius praedicaretur et reciperetur in toto orbe. Virtus ergo hic veri dei intelligitur.

In testimonium.) Hoc est, ad manifestationem, ut scilicet is deus, qui antea gentibus erat incognitus, ab omnibus cognosceretur. Hinc patet Christum non Iudaeis duntaxat, sed et gentibus missum esse. Adumbrat quod post resurrectionem clare dicit; Ite in orbem universum etc. Quasi diceret: Non solum Iudaeis praedicabitis evangelium, sed gentibus quoque.

Consummatio veniet.) Consummationem videtur hic accipere pro ea aetate post quam alia nulla veniet, ut Paulus dicit: in nos fines saeculorum devenisse. Non ergo loquitur de consummatione aut fine saeculi. A Christo ad ultimum usque diem sexta est aetas, a fine mundi septima, quae requiem aeternam nostris laboribus praebet. Sensus ergo verborum est: Quum evangelium sic (ut dixi) praedicabitur per orbem, durabit hoc idem ad finem usque mundi. Nullus veniet Moses, nullus alius Christus. Sic etiam Testamentum gratiae novum vocatur, non quod deus aliquid fecerit quod prius non ordinarit aut promiserit; sed quod illud erat permansurum et perduraturum

usque ad finem mundi. Mosis testamentum in multis defecit, in multis abolitum est. Novum nunquam abolebitur. Nullum aliud veniet, quod testamentum Iesu abolere aut infringere possit. Evangelium ergo docet deum cognoscere, amare, et colere, innocenter vivere, erigit et consolatur adflictas et consternatas conscientias. Evangelium regni dei est; et regnum dei est, quia e regno dei missum, homines in regnum dei transfert, et regni dei consortes facit. Quum vero nullus unquam deorum tantae potentiae fuit, ut verbum et doctrina eius per universum mundum praedicaretur, Christi autem evangelium per totum orbem praedicatum sit: colligitur evangelium Iesu Christi doctrinam esse veri, omnipotentis, et aeterni dei.

Quum videritis abominationem.) Daniel certum tempus adventus Christi clarius omnibus prophetis praefinit. Abominatio desolationis, Hebraismus est, quemadmodum vir fortitudinis, id est vir fortis: Germanice Die gruſame zerſtörung, horrenda et abominanda desolatio. Der tempel wirt gruſam zerſtört: quae horrenda desolatio durabit usque ad finem mundi. Praedixit ergo propheta cessaturas umbras veteris legis, idque ad finem usque mundi. Quum igitur haec desolatio ad finem mundi duratura sit, et Ierusalem a gentibus calcanda: stultum est propositum regum et principum Christianorum, qui sibi Ierusalem subiicere tentant, nisi et ipsi gentes sint futuri. Sic voluit deus ut vetus ille templi sacrificiorum et omnium ceremoniarum cultus aboleretur, et cessaret: ut discamus nulla in re externa iustitiam et salutem esse sitam, sed in sola fide in deum, in dilectione erga proximum, et vitae puritate. Praedicit ergo propheta devastandam urbem, devastandum templum, ne Iudaei perpetuo inhaererent istis rebus, avellerenturque animo ab illis. Quum enim is locus vastatur in quo a saeculo deus potentiam et gratiam suam ostendit, in quo filius dei natus homo, passus est, non possumus ulla re mundi quantumvis sancta fidere.

Stare in loco sancto.) Prosopopoeia est, So jr ſähen wärdend, das es alſo gruſamlich vmb den tempel ſtaat, tunc apparebit clare, quae praedico iam, lapidem non mansurum. Certum articulum adventus Christi nosse nemo debet, ut semper vigilemus et succincti stemus, quandoquidem ignoramus quando dominus sit venturus. Sic Christus hic non dixit: Post quadraginta annos urbs Hierosolyma vastabitur, sed praedixit eis id certo futurum, ut semper metuerent et vigilarent.

Qui haec legit intelligat.) Remittit ad prophetam, et ad diligentem lectionem hortatur. Quasi diceret: Revolvite prophetiam Danielis, nec eam contemnite.

Tunc fugient.) His verbis discipulos suos et omnes pios praemonet, ut cauti sint, et ocius fugiant, ne se misceant Iudaicis urbibus: perituras enim esse; fuga igitur sibi consulant. Nemo terrena curet dum haec tempestas ingruit, statim se paret ad fugam, fugaque vitae suae consulat. Iudaei quoniam Christi innoxium sanguinem fuderunt et huius sunt facti rei, peribunt: discipuli vero aliique pii quandoquidem Christi sanguine sunt redempti, servabuntur et eripientur.

De tecto descendere, aut agro reverti.) Hyperbolica loquutione, quae frequens est Iudaeis, dicitur. Significat autem magnam

festinationem, et velocissimam fugam. Quod autem dicit: Qui in Iudaea sunt, certissima nota est, historicum esse sermonem.

Vae lactentibus.) Hyperocha est, qua futurum malum ob oculos ponit, et hypotyposis quaedam malorum, quae tamen non leguntur in universum sic evenisse; potius itaque secundum nostrum affectum formata, quo incommoditates imbellis turbae depinguntur. Similiter quum dicit Hyeme. Quod vero Sabbato dicit, Iudaeis dixisse videtur, quibus non licebat sabbatum violare: vel etiam Christianis, qui tum sabbatum servabant adhuc. Aut potius ad exaggerationem rei, quemadmodum si quis praediceret urbem noctu capiendam esse ab hostibus: nox enim adgravat calamitatem. Subiungit enim nullam calamitatem maiorem unquam fuisse nec fore. De hoc vide Iosephum, quot millia ceciderint.

Nisi dies abbreviati.) Dies pro tempore adflictionis, in quo deus electis sive Christianis sive Iudaeis parsurus est, etiamsi malum hoc certo futurum erat, quod Christus in monte humano affectu deplorat. Festina fuga opus est (inquit). Rogate ergo deum, ne malum hoc eo tempore veniat, quo incommodum erit fugere.

Si quis vobis dixerit.) Christus diligentissime praemonuit, ut a pseudochristis nos caveremus, qui falsam salutem pollicentur. Sed surdo fabulam narravit: nam nihil apud nos sermonibus suis efficere potuit. Papatus enim hic et illic salutem, id est Christum, ostendit. Vias salutis et felicitatis indicare, res est ardua et magna. Avari igitur et ambitiosi etiam hoc titulo se venditant, indicantes vias varias salutis, suum interim negotium agentes. Magnum est dare salutare consilium, multo maximum viam salutis ostendere. Hoc ergo sancto titulo, hac re saluberrima omnes hypocritae nituntur, et sub hac sese ingerunt omnes falsi prophetae. Res est favorabilis et plausibilis. Atque hic splendidus titulus facit, ut multo plures sint falsi quam veri prophetae. Omnes volumus esse magistri et doctores. Quandoquidem omnes homines salutis et felicitatis avidi sunt, quisque huic cupiditati satisfacere conatur, ut doceat qua via salus adquiratur. Hoc cavere volens Christus, dicit: Quum dixerint: hic aut illic Christus, nolite credere. Catabaptistae docent operibus fidere, et vitae innocentia salutem ac vitam parari, et ita enervant Christi meritum. Nam si factis potuissemus iustificari, Christus frustra mortuus esset. Deus pater de coelo dicit: Hic est filius meus dilectus, in hoc placor et reconcilior. Christus solus est in quo pater reconciliatur. Hunc audite. Haec certa salutis via est, alia nulla. Per Christum ergo salutem intellige.

Regum dei non veniet cum observatione.) Sic praeter Matthaeum Lucas habet. Observatio autem in genere pro omni eo accipitur, in quod oculum coniicit homo et illo fidit extra Christum, ut locus, tempus, persona et quidquid est externarum rerum. Alius fidit peregrinationibus suis et votis, alius indulgentiis. Breviter nulla res est in coelo, nulla in terris, in quam spectet fidelis, ut per eam salutem, iustitiam, ac vitam quaerat. Sola regeneratio per spiritum fidei iustificat et salvat. Intra vos est, inquit, illic sentiatis eum oportet: hoc tum fit, dum spiritu eius obsignati, clamatis Abba pater. Quemadmodum sponsa de marito suo certa est quod suus sit, accepto annulo

ab ipso: ita anima fidelis certa est deum esse patrem suum, et se deo desponsatam, dum arrhabonem spiritus in corde accepit. Fidelis ergo nullam habet observationem, ne religio in superstitionem degeneret. Mox ut ex baptismo aut coena domini observationem facimus, superstitio est. Salus ex nulla re externa est, certitudo spiritus firmat pectus, sine qua nulla conscientia tranquillatur. Ubicunque ergo adhuc inquieta est conscientia, ibi fidem deesse, aut parvam esse certum est, nec recte deus cognoscitur.

Desiderabitis unum diem filii hominis.) Talis erit rerum confusio, tanta calamitas et angustia, ut optetis me vel unum diem habere vobiscum, dicentes: O si haberemus illum qui olim tam salutari doctrina nos aluit, tanta miracula inter nos fecit. O si iam adesset vel paululum! servare nos posset, auxilium nobis ferret. Tum multi Christi, multi servatores vobis ostendentur, sed ne credatis eis, praeter me nullus est. At corporaliter non adero ad salutem, sed ad iudicium. Ita me quidem absentem desiderabitis aliquando, quem iam praesentem contemnitis, nec tamen habere potestis. Nulli ergo rei quamlibet sanctae salus adscribenda est, quam purae et merae gratiae dei. Quod si in scripturis aliquando illis rebus quid tribuitur, fit hoc per loquutiones metalepticas aut synecdochicas. Dum scilicet signum pro signato, posterius pro priore capitur, aut dum posteriori tribuitur quod est prioris, ut dum operibus datur iustitia. Opera enim iustitiam sequuntur, non antecedunt, nec eam efficiunt. Quicunque donis dei abutuntur ad gloriam aut lucrum, nec in commune ponunt, illi se dicunt esse Christum. Tam ambitiosum animal homo est ut non vereatur se dicere esse Christum, id est, servatorem. O quot servatores in Papatu habuimus, Valentinum, Vitum, Erasmum, infinitos. Paulus in epistola priori ad Timotheum graphice depingit eos cap. 4. In novissimis, inquit, temporibus desciscent quidam a fide, id est, a tota religione et cultu veri dei ad quasdam observationes. Hi loquentur per simulationem: nam errorem suum non palam et planis verbis proponunt, sed sub specie pietatis obtrudunt, et verbis blandis foedam rem ornant, Deum et Christum semper in ore habentes. Sic Catabaptistarum doctrina oleo blandior est, quam recipiunt Papistae, foeneratores, adulteri, bellatores. Nam crimina non publice taxant sed palpant. Veri prophetae publice omnes in universum arguunt; ideo a veris prophetis omnes abhorrent, Catabaptistis adhaerent et se iungunt, a quibus videlicet non tam severe corripiuntur. Catabaptista de bellatore dicit: Gentilis est, hoc arridet bellatori. Latronem excommunicant et pro Ethnico eum habent, et hoc ipse ferre potest. Cauteriatam habent conscientiam, quantumvis foris simulent sanctitatem; tamen intus sentiunt se labe gravissima notatos, intus contaminatissimi sunt. Per falsos Christos vitae seductionem et hypocrisim, per falsos prophetas falsam doctrinam intelligit. Tam impudentes erunt aliqui, ut se prae aliis vitae sanctimonia iactitent, quasi ipsi non errarent, quin alii apud ipsos salutem quaerere debeant. Varias ostendunt vias salutis, sed in observationibus sitas. Falsi vero prophetae sunt, qui non recte docent, qui vel metu deterriti, vel blanditiis illecti, a veritate discedunt, aut veritatem tacent.

Dabunt signa et prodigia.) Ecce falsi prophetae magna signa edunt. Christus alicubi dicit, Ego signa facio quae alius nemo fecit. Item: Si non venissem et signa fecissem etc. Quae verba sic sonant, ac si signa fidem darent, quod tamen non est. Nam quis vidit maiora signa quam Pharao et Pharisaei? Quis vero minus credidit? quis contumacius veritati restitit? Sed hic nota, electos fuisse ante mundi constitutionem a deo quicunque salvi fiunt. Adulti autem se electos sciunt et norunt, dum fides et spiritus intus eos certos facit, arrabone scilicet dato et recepto. Fides ergo certissimum est argumentum quod aliquis est filius dei et electus. Salvum ergo fieri aut servari, electionis est liberae. Fidem vero habere et certitudinem spiritus, venit ex tractu patris et dono dei, Ioan. 1. Qui non ex sanguinibus etc. Ergo signa per se neminem fidelem reddunt, sed tantum dant fidei, quantum deus intus operatur et trahit. Quin potius fiunt ad manifestationem divinae virtutis et potentiae. Admiranda ergo sunt et omni reverentia excipienda, quandoquidem a deo fiunt. Et quod ad carnem attinet, compescitur quodamodo miraculis caro, ne veritati contumacius repugnet. Debet ergo verbum Christi (Ego feci signa quae nemo alius) sic intelligi: Feci signa, quibus meam virtutem ostendi, quibus potentiam et divinitatem exerui, ex quibus me filium dei, et a deo missum merito agnoscere possent et deberent. Nam feci haec, quae merito eorum carnem rebellantem compescerent. At quandoquidem non credunt, virtutique meae non cedunt, testantur se plane impios esse et merito damnatos. Signa ergo fiunt ad consolationem fidelium: nam qui electi sunt, agnoscunt in miraculis dei virtutem eius, quia credunt et reverentur deum, virtutemque eius agnoscunt. Ad haec, caro eorum (nam et in piis caro est) quae adhuc spiritui rebellabat, tranquillatur. Impiis nihilominus fiunt ad testimonium iustae condemnationis, quod virtutem dei vident atque agnoscunt, neque tamen credunt. Hinc adparet eos esse reiectos a deo, et damnatos. Pone iam duos esse, quorum uterque miracula operetur. Alter ex deo, ex daemone alter: sint miracula paria ex omni parte: quis iam certum facit simplices uter sit ex deo? Attende finem et causam quam quisque spectat. Nam si Papista aliquis, qui falsum docet, portenta faceret, fidelis interim in corde suo dicit: Non moror haec signa, unus solus est deus etc. Et hoc docet hic Christus: Si possibile esset (inquit) seducerentur electi, quia tanta portenta facient impii et falsi prophetae. At electi (teste Christo) signis falsis seduci non possunt: ratio, intus habent aliquid certius, quam ut mendacibus signis seduci possint. Interim non negamus multa etiam posse et momenti plurimum habere signa apud simplices et infirmos; apud firmas et bene institutas conscientias non item: habent enim deum in pectore habitantem, qui eos aberrare in totum non sinit. Etiamsi caro eorum ad primum insultum nonnihil cedat, mox agnoscit fucum et fraudem ex daemone esse. Quod si pius ad honorem dei miracula operatur, alter qui fidelis est, quia eundem spiritum habet, ex eodem spiritu agnoscit esse a deo. Nam quod foris fit, huic quod intus sentit, testimonium dat, et consonant omnia: veritas enim ubique

sui similis est. Simplices orychalchum ab auro non discernunt, quod aurifabri periti facile iudicant. Signa igitur fieri deus permittit ad probationem fidei et perfidiae. Pii et electi agnoscunt opera dei, delectantur illis: impii vero indurantur et seducuntur: pii credunt operibus dei et reverenti animo excipiunt, daemonis opera aversantur: impii contra veritatem et virtutem dei reiicientes operationem satanae probant. In hoc ergo probantur electi, cognoscuntur impii, et eam ob causam deus signa fieri permittit inter nos. Dum enim signa fiunt exerit se pietas, exerit se impietas. Qui prius fideles sunt, ad miracula fidem suam ostendunt et exerunt. Nam si miraculum ex deo est, non potest se continere pius quin erumpat et veritati consonet: si non ex deo est, abhorret ab eo pius, aversatur, damnat. Sic e diverso impius sua probat, reiicit quae dei sunt.

Ecce praedixi vobis.) Quam diligenter monet Christus, at nos non audimus. Amamus periculum, peribimus ergo in illo. Non credimus monitoribus bonis, donec periculum adest. Non obtemperamus praedicatoribus veritatis, audiemus ergo aliquando satanae ministros.

In penetralibus) Salus nulli loco alligata est. Dolus ergo est quum in Papatu quaedam loca prae aliis culta sunt, quod illic maior esset gratia. Sic qui Christum in sacramenta aut domunculas includunt.

Sicut enim fulgur.) Adventus Christi fulguri similis erit, illico aderit et subito veniet cum multa maiestate et claritate, ut nemo fulgorem eius effugere possit.

Ubi cadaver.) Similitudine ostendit suos secum fore: Ubicunque ego fuero, mei mecum colligentur. Christus diligenter monet ab omnibus iis quae nos seducere possunt, a pseudochristis, a falsis prophetis, id est, ab omnibus iis qui vel vitam suam vel doctrinam aliis tanquam salutarem obiiciunt et obtrudunt, ut illorum authoritate fidamus et nitamur. Item a miraculis et falsis signis. Lapis autem lydius probandi et prophetas, et signa, verbum dei est. Christus enim ad scripturas dirigit: quemadmodum ante eum Esaias. Quod si Christus se scripturis probari patitur, merito debet, quidquid infra Christum est, se scripturis sanctis examinandum et probandum subiicere. Si quis signum aliquod aut portentum faceret ad probationem purgatorii, fideles norunt hoc mendax et non ex deo esse. Nam scriptura de purgatorio nullam facit mentionem, cui plus quam omnibus signis est credendum. Falli possunt oculi nostri, falli possunt omnes sensus, fallere et falli potest omnis homo: Deus verbo et veritate sua fallere nunquam potest.

Statim post tribul.) Hoc Statim non debet referri ad destructionem Hierosolymorum, sed ita vult dicere Christus: Post tribulationem dierum, id est, totius temporis. Ut Dies hic significet totum tempus quod est post excidium urbis usque ad finem mundi. Tum enim veniet filius hominis. Nam quae hic dicuntur, proprie ad adventum Christi ultimum referenda sunt.

Sol non dabit.) Hyperbolae sunt et hyperochae frequentes Iudaeis, quibus tribulationem et angustiam sic exaggerant, ut sit maxima et vehementissima. Sic Germanice dicimus in magnis angustiis: Mir zündt kein ſtern, mir lüchtet kein Sonnen. Et sunt enallages, ut

dum quis occiditur dicimus: Dem ſchynt kein liecht mee. Nam lux nihilominus lucet, etiam illo occiso, sed ei non lucet, hoc est, ipse luce non fruitur. Apud prophetas huiusmodi loquutiones saepe occurrunt, praesertim apud Esaiam, dum de excidio Babylonico loquitur: nam neque tum sol cessavit, sed sunt hyperochae. Dum homines anxii sunt et magno timore exanimati, obstupescunt quasi nulla lux eis luceat, hoc est, nullam sentiunt consolationem. Loquitur ergo Christus prophetarum verbis et more scripturae veteris. Unus erat Christus, sub cuius adventum sol vere obscurandus erat, ut legitur factum in passione, et vere factum est. Quum ergo in evangelio scribitur, solem in morte Christi obscuratum esse, non est hyperocha, sed res gesta. Sed hic est hyperocha. In morte enim Christi sol vere est obscuratus; hic autem non fiet, quum sol (iuxta testimonium Esaiae et Petri) septies clarior erit post ultimum diem.

Virtutes coelorum.) Stellas vel angelos intelligo.

Signum filii hominis.) Loquutio est metaphorica. Periphrasis est accinctus vel adventus divinae profectionis. Solent duces primum signa erigere et exerere antequam exercitus proficiscatur. Et haec nota certa est Christum loqui de adventu suo ultimo. Er wirts baner oder zeichen vßſtecken, Ergo certissime veniet.

Plangent omnes tribus.) Synecdocha est, nam solum impii magno terrore et planctu corripientur, ubicunque terrarum fuerint. Et fieri denique posset, ut etiam pii et electi ad subitum domini adventum terrerentur; mox tamen fides consolatur et erigit eos, ne concidant, sed intra se dicant: Confide bonitati dei, summum bonum fallere non potest etc. Est igitur adventus Christi laetus et iucundus piis, impiis horrendus et plenus formidine.

Multa maiestate.) Iterum nota est Christum hic loqui de adventu ultimo. Sic enim coram pontifice Caiapha dicebat: Amodo videbitis filium hominis venientem etc. Qui in primo adventu humilis venerat, et coram iudice abiectissimus stetit, tum in gloria et magna maiestate veniet, Philip. 2.

Cum tubae voce magna.) Quemadmodum classico convocantur milites, sic per angelos suos deus omnes homines convocabit.

Congregabunt electos.) Synecdocha est. Nam et impii ad iudicium convocati in carcerem aeternae poenae colliguntur. Sed electos dixit, quod hi vere ad Christum congregabuntur. Sic omnes creaturae pro rationalibus duntaxat intelliguntur.

Ab arbore fici.) Hoc exemplum pertinet ad omnia superiora. Cum scilicet videritis pseudochristos, falsa et mendacia signa etc. scitote quod mala ista praedixerim, et quod iudicium extremum in foribus sit.

Non praeteribit generatio.) Generatio Iudaeorum et omnium hominum non peribit, priusquam omnia ista fiant.

Coelum et terra transibunt.) Comparatio est Hebraica, pro qua Latinus diceret: Coelum et terra citius peribit, quam verba mea, quemadmodum in Esaia annotatum est.

De hora autem et momento.) Marcus addit: Et filium nescire

hoc momentum, hoc est, Christum ipsum quatenus homo, Paulus admonet, non credendum esse his, qui adesse extremum diem certo affirmabant, literasque Pauli ad hoc allegabant. Nec mirum est Christum seipsum dividere in hominem et deum: nam et Paulus qui unus homo erat seipsum dividit, quum se aegrotum validiorem et fortiorem dicit, nimirum, secundum interiorem hominem. Haec tamen omnia δυνητικῶς dicuntur. Nam vere deus et homo unus est Christus: sicut homo exterior et interior unus Paulus. Voluit autem dominus, utcunque dies adventus sit certus, momentum diei nos ignorare, ut semper vigilemus, semper oremus, semper innocenter et inculpate vivamus. Discamus exemplo prioris saeculi sub Noe! quum enim socorditer ac turpiter viverent, subito venit aqua et obruit eos, quia admonitioni dei non credebant, nec ipsi Noe quidem fidem habebant, ut est in Petro. Nam Petrus docet eos satis fuisse admonitos a deo per Noe. Ante tempus ergo diluvii, admonitio longo tempore praecesserat. Cur ergo hic dicitur, quod non cognoverunt? Nescire hic vel non cognoscere, pro non velle scire capitur. Sunt enim qui ignorare, et scientes et volentes errare volunt. Sic hodie, audimus admonitionem prophetarum, increpationes, vaticinia, sed omnia nequicquam. Tanta est socordia, tanta negligentia, tanta contumacia et perversitas.

Duo in agro.) Apud has gentes in molis et pistrinis molebant homines servi et condemnati. Quasi dicat: Nemini parcet deus in adventu suo, nec summo, nec infimo: impari tamen ratione. Electi enim assumentur, damnati in carcerem detrudentur. Verba igitur ista electos consolantur, reprobos terrent. Tum (ut Petrus ait) videbunt et sentient impii quod olim credere recusarunt, admonente scilicet Noe, nec admonitioni obtemperarunt, nec promissioni divinae crediderunt, de filio scilicet suo et venturo Messia. Dum autem viderint per Christi mortem illos in coelos adsumi, inque vitam aeternam transduci, se vero reiici et damnari, nimirum tum credent ac sentient illos recte obtemperasse et credidisse voci divinae, sera et infructuosa poenitentia suam stultitiam et damnationem agnoscentes et deplorantes. Iudicium dei ad se colliget electos ac pios, impios a se detrudet. Bono ergo sitis animo o pii vosque discipuli mei, etiamsi impii nolint obtemperare. Admonet simul suos ad vigilantiam, quum de molentibus dicit et laborantibus in agro, et hoc in clausula adiecta notatur, Vigilate ergo etc.

Si sciret paterfamilias.) Χρεία est, simulque comparatio et epicherema.

Vigilate ergo.) Vigilare ad adventum Christi, non est otio indulgere, a labore cessare, ut solent qui in monasteriis delitescunt ac marcescunt, nec sibi nec aliis utiles. Non est idola facere; Missas celebrare, aras aedificare aut templa, luminaria accendere, sed cor ab omnibus terrenis avocare ad coelestia et vera bona, sese immunem custodire ab hoc saeculo et omni turpitudine, mori affectibus et desideriis carnis, sese abnegare, crucem tollere, Christum sequi, innocentiae studere et omnibus quae deus praecepit. Equidem, quod adventus Christi nos terret, et quod mortem tantopere horremus, fugimus, aversamur, nihil aliud in causa est, quam quod dediti sumus carnis

desideriis, diligimus plus aequo hanc vitam et mundum, immersi sumus vitiis, vivimus turpiter in omni scelere, ut neque spem neque amorem erga deum habeamus, propria conscientia nos condemnante, et in desperationem agente. Nihil divinum, nihil coeleste, nihil sanctum unquam cogitamus. Qui vero cor supra habet ubi Christus est, qui se incontaminatum servat a corruptione mundi, qui innocenter vivit, is semper vigilat. Nam semper praevidet hunc diem, animo suo semper obversatur adventus Christi. Diceret aliquis: Si dies domini veniet ut olim diluvium, quid ergo cum piis fiet? Huic quaestioni tacite Christus iis verbis occurrit.

Unus assumetur, alter relinquetur.) Quasi diceret: Deus novit suos, non deserentur electi, sed colligentur et recipientur ad Christum; etiamsi eos terror aliquis aut horror primum occupet subitaneus, statim tamen fides intervenit, et omnem metum pellit. Nam tanta erit calamitas ut etiam electi nonnihil turbentur, sed fides mox consolatur et erigit eos rursus.

Quis est fidelis servus et prudens?) Quandoquidem omnes semper vigilare debemus, specialem quendam episcopum et vigilem Christus hic in populo suo constituit, qui non solum ipse vigilet, sed et omnes alios ad vigilandum diligenter hortetur, caeterosque ad vitae innocentiam et pietatis studium excitet, malos increpatione a sceleribus deterreat, castigatione et disciplina coerceat. Hic ergo instituitur et inauguratur minister ecclesiae et praedicator veritatis. Interpres pro Quis commodius et significantius hoc in loco dixisset Quantus, more Hebraico, qui dicunt: Mi vel Ma, quod non solum quid aut quis, sed quantum et quantus significat. Quantus vero est fidelis servus et prudens! non quod plurimum sibi tribuat aut arroget, aut quod ex officio superbiat et efferatur, sed ut cogitet quantum onus humeris suis sit impositum, quam arduam ingressus sit provinciam, quantum curae, quantum laboris et sollicitudinis ipsum adhibere necesse sit. Sic de Manna dicebant non solum quid est hoc? sed quantum? per admirationem tantae rei quae coelitus dabatur. Praecipuum in pastore fides est: haec enim certissima nota est veri pastoris, si oves summa fide curet ac pascat, ad exemplum summi illius pastoris Christi, Ioan. 10. Sic Paulum sollicitat omnium ecclesiarum sollicitudo. Christus dum esset summus, pro nobis factus est infimus et humillimus: quum esset dominus omnium rex coeli et terrae, deiecit se infra omnes, ut nobis omnibus serviret: in mortem se tradidit, ut nos redimeret, et morte sua vitam nobis repararet. Formam et exemplar vitae nobis praetulit dum hic vixit, non solum doctrina, sed et vita. Deinde pro nobis moriens, ostendit quanti nos aestimet, quantum nos diligat. Primus ergo periculis caput obiectare debet pastor, pro omnibus laborare, ut omnes tranquille et secure vivant. Haec fides si desit, omnia reliqua frustra adsunt. Praecipuum ergo in ministro est, ut sit fidelis, ut docet Paulus 1. Corinth. 4. *ὃ δὲ λοιπόν*, quod ego verto: Praecipuum autem quod quaeri et observari debet in ministro est fides. Agnoscat se esse ministrum dei summi imperatoris. Quid vero maius vel cogitari potest? Domino ergo lucretur, illius gloriam quaerat, fidelis sit hero suo. Deinde et populo

prospiciat, vigilet pro omnibus. Haec fides et diligentia nimirum adiunctam habet dilectionem summam, ut paterno affectu oves complectatur. Qui vero tales sint, qui minus, spirituales facile diiudicant. Attamen et signa quaedam certa sunt, quibus vel simplices quique veros a falsis pastoribus facillime discernant. An enim hi non lupi potius dicendi sunt quam pastores qui impudenti ore talia verba effutiunt? Quid mihi de istis rusticis pessimis? diabolus auferat eos! nemo est qui peiores habeat rusticos quam ego, ego cupio mihi dari alios rusticos, ego non teruncio aestimo omnes rusticos, maledicti sunt omnes. Num haec vox est pastoris? num haec verba fidem et dilectionem prae se ferunt? Aut quomodo pro illis mortem oppeteret, qui eos satanae tam facile donat? At hi sermones, proh dolor, frequentes hodie sunt in ore fere omnium episcoporum. Dominus accendat corda eorum vera charitate et fide, ut alium animum erga oves suas gerant, et domini gloriam, populi salutem, non suam quaerant. Ad haec prudentia in pastore requiritur. Oculus est corporis, perspicacissimus ergo sit oportet. Non debet esse caecus, adsit doctrina, eruditio, experientia, exercitatio, usus etc. Haec parantur diligenti historiarum lectione. Prudentiae est, quod Paulus dicit: Modo opportune, modo importune corripere, proque cuiusque ingenio remediis uti, et sermonem attemperare.

Super omnia bona constituet.) Metaphora tracta a dominis qui servos fideles manumittunt, ut Abraham oeconomum suum. Magnum praemium promittit deus magno labori. Quandoquidem ergo maximum et laboriosissimum est officium episcopi, deinde etiam periculosissimum, magnum pollicetur ministro fideli praemium. Contra vero infideli poenam gravissimam minatur.

In partes secabit.) Haec poena est proditorum et perfidorum. Primum autem in duas partes scindebantur, ut patet de Metio. Iam atrocior est poena: secantur enim in quatuor partes hodie.

CAPUT XXV.

Simile fiet regnum coelorum decem.) Hac similitudine Christus ad vigilantiam (nam de hac pergit) adhortatur. Deinde, alienis meritis et operibus niti, vanum et irritum imo periculosum esse ostenditur. Tertio post hanc vitam locum non esse poenitentiae, aut operibus bonis docetur. Regnum coelorum praesentis vitae ecclesia dicitur, ut Gregorius in hac homilia recte et pie scribit. Verisimile est Christum hanc similitudinem a Iudaeorum consuetudine qua nuptias agunt traxisse. Quaeque enim gens in hisce rebus suos habet ritus, suas ceremonias. Apud nos talis mos non est, qui hic describitur: taedas ferebant illi sponso obviam. Si cui in numeris ludere placet, denarius numerus est perfectus, primus qui in monadem redit. Complectitur ergo hic numerus totam ecclesiam eorum omnium qui Christum confitentur. Inter hos non omnes pariter vivunt, quidam vigilant ad adventum sponsi, quidam socordes sunt in utramque aurem dormientes. Christus ergo docet, nos qui in ecclesiam recensiti sumus, et nomen Christo dedimus, vigilare et semper ad opera charitatis accinctos esse. Hebraei

similitudines suas sub rebus gestis, aut fictis argumentis exprimunt. Et sane multa est vis similitudinum et paroemiarum, si commode adhibentur. Fere tota Christi doctrina similitudinibus plena est: quod non videntes Catabaptistae furunt si quis commode et prudenter de re aliqua dicat, quum tamen Christus a re qualibet doctrinam decerpat. Lux splendor est operum charitatis quae ex vera fide erumpunt. Fieri interdum potest, ut splendor aliquis sit sed ex hypocrisi et sine fide. Hinc oleum habeat necesse est lux. Oleum ergo fides est quae fomentum dat operibus. Sumus populus sanctissimi et purissimi dei, simus ergo et nos sancti, iusti et puri. Excellentissimum est nomen Christianum, et res magnifica esse Christianum, hoc est, de populo hoc esse, qui deum verum pro suo deo agnoscat. Deus amans est iusti, veri et sancti; iusti ergo et sancti esse debent quicunque de huius sunt familia, quicunque tam sancto deo et domino gloriantur. Hoc si non fit, plus nocet dici Christianum, et probrum nomini sanctissimo dei obtrudit. Non laudantur hic opera absolute, sed quatenus ex fide profluunt, quod Paulus quoque docet 1. Cor. 13. Quin opera non sunt bona nisi ex fide ut radice prodeant. Vita ergo aeterna et salus non tribuitur absolute operibus, sed fidei operanti per charitatem, vel operibus ex fide prodeuntibus. At nos in cor introspicere non possumus; externa tantum opera spectamus, quae si bona sunt, adiudicamus tali homini vitam aeternam. Si quis fallit et ex hypocrisi operatur bonum (ut saepe fit) sine fide, deus id novit et iudicat. Ergo nos, quantum nobis iudicare licet, operibus bonis salutem tribuimus, quae tamen salus propriae electionis et gratiae divinae est. Quos vero elegit, hos et fide donat, fides autem obsignatio est electionis. Qui fidem habet, operatur bona assidue et sine intermissione. Fides ergo argumentum certissimum est hominem electum esse ad salutem, sed intus in mente hominis qui fidem habet. Opera vero bona, externa sunt testimonia aut argumenta, quae proximis ostendunt hominem esse fidelem. Opera signa sunt fidei, fides signum electionis. Iam ergo signo tribuitur quod signati est, quod frequens est in scripturis. Aliquando tribuitur iustificatio et salus fidei, quod improprie dicitur: nam solius electionis divinae sunt. Sic aliquando iustificatio et salus operibus tribuitur, quae tamen electionis propria sunt. Quum ergo dicitur. Opera iustificant, Opera salvant, verum quidem est, sed ad bonum sensum; hoc est: Quicunque opera fidei facit, is salvus est et filius dei. Caveamus ergo ab hypocrisi et simulata sanctitate. Lux enim est sine oleo, non diu durat, statim extinguitur. Sic foenerator dat obolum pauperi ex vana gloria, vult videri misericors. Alius nigra aut pulla veste induitur, vult videri sanctus; alius barbam promissam nutrit, et venditat se pro iusto. Studeat quisque verae et solidae virtuti, exerceat se in operibus charitatis quae ex radice fidei progerminant. Stoliditas, socordia, et oscitantia puellarum, typus est nostrae socordiae et negligentiae. In rebus enim arduis et gravissimis, ubi consiliis prudentissimis opus erat, tam socorditer agimus, ut adpareat nos divinae gloriae, veritatis, et iustitiae parum amantes esse.

Media nocte.) Hoc est, ea hora qua minime expectabatur.

Quum enim subito ingruit dies domini, misera et desperata conscientia terretur, quum nihil nisi nomen, et speciem operum quandam sine fide vera ostendere possit. Qui fide carent, facile aberrant, et ad omnem ventum nutant, ex quo demum nihil sequi potest quam desperatio. Quibus rebus enim nituntur Papistae? Missis, indulgentiis, alienisque operibus et meritis.

Ite ad vendentes.) Non docet Christus quod aliquis vel emere vel vendere bona opera possit, sed deliniat errorem. Et per hoc aliena merita negat et damnat. Nemo alii tum nec mutuo dare bona opera, nec operari potest, nemo alii mereri. Qui ergo alienis meritis fidunt, claudentur foris, nec unquam cum sponso Christo ad nuptias venire possunt: et hoc praecipue docet Christus.

Aperi nobis.) Haec querela damnatorum et exclusorum.

Nescio vos.) Hic abnegatur omnis salus, et concludit dominus: Vigilate itaque. Et haec exhortatio ad omnes fideles pertinet.

Sicut enim homo quidam peregre.) Argumentum summarium, ut fideles simus in donis dei omnes, maxime autem dispensatores verbi divini, post hos magistratus: quisque in sua sorte et vocatione; sive parum, sive multum acceperit. Quam quisque norit hanc exerceat artem. Sutor ne ultra crepidam. Ὥσπερ anantapoton est: non enim habet respondens, οὕτως etc. Quum vero dicit ἀποδημῶν, Christus nec intelligitur, qui corporaliter hic non est, reversurus ad extremum diem. Et hic locus probat Christum corporaliter in pane nequaquam esse. Ὄρυξεν ἐν τῇ γῇ, Otiosum adumbrat, et otium ignavum damnat ac vituperat. Inutilis servus, ficis et arboribus sterilibus similis est. Austerus, ad severam iustitiam dei refertur, ad quam impii desperant, pii autem sciunt infirmitatibus nostris ignosci, modo ne ultro et prorsus sint otiosi et ignavi, abstinentes ab omni opere bono, sicut hic servus inutilis.

Omni eo qui habet dabitur.) Hoc intellige, si cum eo quod habet a deo bona fide lucrum domino fecerit: reddetur enim eo ipso abundantior et ditior. Loquitur enim de iis, qui dona habent dei et operantur iuxta gratiam sibi datam, multum promovent. Aliis vero qui dona dei habent, et ea dissimulant aut non exercent, illis etiam id quod habent aufertur.

Cum autem venerit filius hominis.) Haec finalis est oratio, qua Christus respondet tribus quaestionibus discipulorum. Quod ad verba attinet, facilia sunt omnia. Filius hominis veniet. Hoc pertinet ad ea quae supra dixit, quod filius hominis in maiestate sit venturus. Nam repetit hoc, quasi dicat: Dixi vobis, quod filius hominis sit venturus; quum igitur venerit, iudicabit terram. Indicat autem his verbis iudicium fore universale, in quo omnia omnium facta, dicta et cogitata manifestanda et iudicanda sint. Prior parabola praeparatio quaedam est ad hunc adventum, seu hoc iudicium, nempe, quod in hoc iudicio non exigatur nostra iustitia ad amussim, nisi ea quae oritur ex fide in deum. Exequetur ergo hoc iudicium in iniustos, id est, in eos qui merito credidisse debuerant, non tamen crediderunt. Haec est nostra iustitia et iniustitia, propter quam aut salvamur aut damnamur.

Omnes angeli.) Hoc est, ministri divinae maiestatis.

Super sedem gloriae.) Hebraismus est, pro gloriosa et magnifica sede. Ille Christus qui olim in praesepi iacebat, qui iudicatus et contemptus fuit, ille inquam iam tanta maiestate et gloria ad iudicandum veniet.

Et separabit.) Hoc malis valde terribile est, quia nihil eum latet, omnia novit, omnium scelera in medium producet. Hoc admonere nos debet, ne quid committamus quod oculos maiestatis offendat, ne putemus nos posse latere, nihil tam occulte designamus quod latere possit eius iudicium.

Oves ad dexteram.) Non sine ratione haec dicuntur. Hoedi enim et capri lascivi sunt et foedi, oves frugi et utiles: Sic boni homines, qui oves sunt Christi, semper aliquid frugis proximo adferunt.

Tunc rex dicet.) Quem prius filium hominis dixerat, iam regem nominat.

Benedicti.) Sumptum hoc a more nationum, Quum enim aliquis praeclari et egregii quidpiam fecerat, evocabatur, et coram tota concione agebantur ei gratiae, praemiumque ei decernebatur.

Esurivi.) Pontificii ex istis sex quae hic enumerantur sex opera misericordiae fecerunt, quum tamen multo plura sint quam sex. Christus Hebraico more quaedam paucula eaque praecipua ex multis enumerat, sub quibus alia intelligenda relinquit. Quasi dicat: O vos servi mei, omnia facere et pati propter me potuistis, iubet ergo pater ut vos laudem, glorificem et aeterna haereditate donem etc. Hic iterum iustitiarii et hypocritae operibus mercedem vendicant. Sed meminisse oportet, quae iam toties praemisi superius, saepe tribui posteriori quod prioris est, operibus nempe quod est magis fidei, et rursus fidei quod propriissime et vere electionis est divinae. Nam quae hic dicuntur, non in hunc usum dicta sunt ut opera nostra tanti sint, ut praemium aut mercedem mereantur, nisi quatenus ex fide in Christum prodeunt, et sic fidei potius sunt signa, quam ut quid mereantur.

Visitastis me.) Sumptum ab iis gentibus, apud quas captivi publicis emendicationibus vivunt: apud nos non sic fit, aluntur apud nos e publico. Ne quis erret.

Tunc respondebunt iusti.) Qui iusti? illi qui ex operibus iusti erant? Minime, nam omnes peccatores sumus, omnes iniusti. Loquitur ergo de iustis qui per gratiam dei per fidem iusti facti sunt.

His fratribus meis.) Haec dicticως dicuntur ad eos qui ad dexteram iudicis statuti sunt. Magna autem dignatio, quod dei filius aeternus et summus rex fratres nos vocat.

In vitam aeternam.) Hic locus de vita aeterna et aeterno igne contra Catabaptistas pugnat. Nam aeternum hic non pro annorum numero aut longo tempore (ut alias saepe עולם) capitur, sed pro perpetuo et aeterno, quod finem nunquam est habiturum.

Discedite a me.) Hoc omnium est gravissimum, abiici e praesentia et conspectu summi boni, in cuius fruitione vita est aeterna. Tollatur (inquit Esaias) impius ne videat gloriam dei. Sed non tantum hoc eis intentatur, sed insuper aeternus cruciatus. Quomodo ergo quidam diabolo et impiis ad finem salutem pollicentur?

Diabolo et angelis eius.) Hic patet angelos superius pro ministris positos esse.

Et abibunt) Est prolepsis. Iam mox dividit, alii illuc, alii isthuc. Hic evangelium Matthaei finivimus, quemadmodum deus mundum iudicio finiet. Nam quae sequuntur ad passionem Christi attinent et ad resurrectionem, quae suo tempore audientur.

ADDITAMENTA
AD ZUINGLII COMMENTARIUM
IN EVANGELIUM MATTHAEI A LEONE IUDAE EDITUM.

Leo Iudae anno 1539 precibus multorum amicorum commotus ea, quae diversis temporibus e Zuinglii exegeticis scholis et concionibus, libros N. T. tractantibus, collegerat, disposuit et latine vertit, quum *Casparus Megander* et *Wernerus Steinerus* sua quoque excerpta ad rem augendam ipsi tradidissent. Sed operam alicuius Anonymi reliquam habemus, quae modo plus quid, modo minus continet quam sylloge Leonis, in toto tamen nonnihil brevior, pretiumque libri eo maius videtur, quod Zuinglii propriam dictionem vernaculam, praesertim ex homiliis exceptam, reddit, mixtam cum iis, quae in collegio eruditorum latine disseruerat. Annotationes a Leone vulgatae usque ad caput 24. pertinent; historia enim passionis e quadrijugo evangelio cum animadversionibus Zuinglii conflata est. Hic autem annotationes continuantur ad umbilicum usque huius evangelii. Liber manuscriptus nonaginta foliis constat, mense Aprili anni MDXXXV absolutus, e schedulis quoque sine dubio consarcinatus, quippe quum propemodum nullae correcturae, multa vero sphalmata scripturae atque etiam loquendi vitia deprehendantur. Manifesto apparet illiteratum hominem hunc laborem obiisse, graece, ut videtur, nescientem: nam ne unum quidem verbulum graecum ullo litterarum genere consignatum extat. Ceterum idonea facultas ad percipiendum, quae audiret, in nostro homine apparet. Latina versio verborum textualium saepe aliter habet quam apud Leonem, apud quem dictio plerumque rectior et elegantior est; apud illum vocem potius resonat auditam. Quod etiam in annotationibus deprehenditur, ubi Leo Iudae saepe Zuinglii verba per paraphrasin quandam renuntiat; manuscripti auctor saepenumero accuratius, quod ore fuderat Zuinglius, sed impolitius et abruptius tradit. Frequens est vocula *Nota*, ibique ut plurimum, ubi Zuinglius exegeticis scholis, quibus eruditos impertiebat, in practicum usum textus animos advertere voluit. Sic Manuscriptum fideliter admodum prodit sermonem Zuinglii et in collegio litteratorum et pro concione plebis habitum.

Nos editores quidquid ad rem pertinet communicantes ea modo praetermittimus, quae latina cum Leonis editione congruunt, itemque nonnulla, quae Manuscriptum promiscuis locutionibus latinis, vernaculis, ita consignat, ut vernacule dicta ad verbum conversa subsequantur; verumtamen huiusmodi plura conservavimus, ut satis exemplorum promiscui detur sermonis; praecipue ea omnia, in quibus aliquam diversitatem percipiendi observare licet.

CAPUT PRIMUM.

Liber generationis.) Titulus est hebraico more. Liber hic est, hoc est historia catalogi Christi; historia haec prosapiae Christi, wie er von einem Vatter an den anderen geborn sye, das gschlecht Christi.

David filius.) Hac ratione Christum appellat filium David quod Davidis promissio recentior erat Abrahami; utrique enim magnae promissiones facta sunt.

Congressi.) Et fidei nostrae articulus est: Christum in uterum Mariae conceptum non humano more, sed spiritu sancto.

Infamare.) Scholia Erasmica vide — eam promulgare, exemplum ponere; noluit ut occideretur iuxta legem Deut. c. 27. Hic loquendum de adulterio, lascivia puellarumque impudicitia.

In somno.) Nota: Hic poteris ostendere, quae et quales sint visiones divinae seu aperitio suae mentis et voluntatis quae clarissimae nobis fiunt (ut supra) Dei luce. [1]

Nomen eius Iesus.) Item quare nomen eius appellatum sit Iesus, causam ipse Evangelista subnectit, quum dicit: Salvum enim faciet etc. vide excerpta Marc. cap. 12. [2] Iesus enim salvator et fortis Dei est, qui ideo ad nos venit, non ut novis legibus premat, sed ut legis tirannide salvaret, id quod latius ex sequentibus.

Emmanuel.) Nota: Quomodo Christus nostra salus et expiatio factus sit, id ethymologia nominis eius indicat.

Non cognovit.) Iterum periphrasis maritalis congressus honesta.

Donec peperit.) Helvidii contentio carnis et vanae gloriae fructus est.

Donec.) Itaque primo errant cum Helvidio in verbo „donec," qui dicunt, Iosephum post primogenitum Christum Mariam uxorem cognovisse, quod non intelligunt, „donec" et futura et sequentia complecti.

Primogenitum.) Item Primogenitum Hebraei non appellant eum qui primus inter multos natus est, sed qui vulvam aperit matris, ut Exod. c. 13 — ubi eum primogenitum appellat qui vulvam aperit, non quia primus inter multos est.

CAPUT SECUNDUM.

Stellam.) Mirandam visionem et apparitionem: ein seltzen ungehört Gstirn hat er inen erzeygt erschinen lassen. Nam ut ipsi erant astrorum peritissimi, non tamen potuerunt huiusmodi astrum nosse. Hinc foris adducti, intus nimirum illustrati aestimarunt magnae alicuius rei hoc signum esse indicium, nempe alicuius magni partus qui in Iudaea sit factus, ducebant, idque partim e stella metiuntur, partim vera Deo docente pervident. Nota: Qui primus magicas artes invenerit motumque syderum diligentissime spectarit, docet Justin. L. 2. et plures alii.

---

[1]) In Leonis editione notantur Catabaptistae; quod hic non fit, quamquam res in istos recta deferat. Unde gravissimum fere argumentum capere licet, calamo haec excepta esse uno anno fere ante ortum eius sectae.

[2]) Hinc apparet nostrum excerpta habuisse ex ore Zinglii Marcum commentati, quum rescriberet ista.

Tota Hierosolyma.) Nota: Ita hodie nostri nolunt placere Tyrannis crudelibus atque eorum violentiae non resistere, unde apparet eos pessimos quoque esse, (qui) pessimorum conatibus malis non resistunt, ac merito Tirannorum Tirannide premuntur.

Adorem eum.) Nota: Hic invehendum in insidiosos ac pessimos istos nebulones, qui ore aliud loquuntur, corde vero aliud machinantur, meditantur. — — Nota: Hic iuxta condignum avarorum stultitiam attrectare poteris, sunt enim stulti ut pueri, dum varii coloris lapillos legunt, quibus nomina indunt, ita cupidi et voluptuosi alius aurum admiratur, alius crapulam probat s. magnifacit, alius luxum sectatur, oportet animum ab hisce rebus avellere, hancque stellam aspicere atque sequi.

Aurum, Thus). Vide prophetiam apud Esai. c. 60 ubi praedicitur gentes ad Christum venturas atque optima quaeque i. e. se ipsos et adfectus suos animales oblaturas. (Excerpta vide). [1] Nota: Per aurum et argentum suprema et summa quae in nobis sunt intelligi, nempe charitatem in Deum et proximum. Nota: Munera haec prae se ferunt regem summum et immortalem qui sua morte nobis immortalitatem paraturus.

Fugit in Egyptum.) Hic consolandi locus est eos qui propter Christum domus et patriam suam relinquunt, et quod centuplum accepturi sint.

Tum Herodes.) Nota: Quomodo hodie furunt Tyranni, omnemque crudelitatem exercent adversus prophetas et fideles.

Rachel plorans.) Nota: Evangelista locum hunc torquet ad Christum et dixit adimpleta esse, non quod de Christo praedixerit ista propheta, sed ita impletum esse, quia hoc quod prius in Israel factum est, per Herodem iterum factum et iteratum est. Nam factum hoc, re ipsa ut tempore captivitatis factum, ita huius quoque facti sub Herode puerorum mactandorum figura fuit, itaque figuram hanc iam adimpletam esse dicit Evangelista. — Aliud est prophetia et verum factum in figura, h. e., diversimode implentur. E. Gr. Esaias praedicit virginem concepturam et parituram; prophetia est, nam factum suo tempore quoque impletum est.

Nazarenus.) Christus Nazarenus i. e. eruditus et ad doctrinam educatus; vide dictionem et quantus literis Christus, Lucas scribit et quid fecerit anno 12. Nota — quod ante in prophetis, fit hoc saepe ut aliquis non citet locum certum, cum tamen sciat esse in aliquo prophetarum loco, nisi per synecdochen legem intelligi velis, id quod frequens apud Hebraeos, Christum quoque: In lege vestra scriptum est, dicit, cum non in lege sed prophetis scriptum sit, de quo Christus loquitur. Nota: Hic loquendum est de ritu singulari Iudaeorum, unde Nazaraei appellati sunt i. e. morigeri, mansuefacti, disciplinati, castigati, qui ritus figura et typus fuit Christi, quemadmodum Nazaraei sese dedebant domino, corporaque sua adfligebant. Ita Christus Nazaraeus

---

[1]) Itaque noster habebat excerpta in Vetus, sicut in Novum Testamentum.

ab omni macula alienus et omnino disciplinatus futurus erit, quasi diceret Matthaeus, ne mireris eum habitare Nazaret, ipse enim verus Nazarenus erit i. e. sanctus et religiosus. Nota: Si Christi sumus, Nazaraei quoque erimus.

CAPUT TERTIUM.

Nota: Poteris hic quoque commonstrare, eodem modo et hodie verbum suum mundo notificare per duros quosdam atque benignos i. e. oportune et importune, vulnus magnum levibus emplastris non curari. Igitur aliquando duriter taxandi sumus.

Regnum coelorum.) Hic commonstrandum, ob quam causam verbum Dei praedicetur, nempe ut isto doceamus, consolemur et increpemus ut Paulus in Ep. ad Tim. circa hunc igitur locum consulendus; Deum enim filium suum misisse ut per hunc ei reconciliemur — regnum Dei.

Parate viam.) Hic docendum, quae vita christiana deceat, nempe perpetua vitae renovatio suique ipsius displicentia, hanc omnem Ioannes et Christus praedicarunt poenitentiam perpetuam. Homo plenus est malorum, lacuna scelerum, igitur perpetuo abjicienda und leyd und ruwen daran haben. Omnes plus amamus res inutiles quam veritatem.

Indumentum.) Vitae eius descriptio est. Est enim exemplum vitae austerioris. Cibus in deliciis forte erant apud illos locustae. Nota: Hac occasione luxum tractare poteris non solum episcoporum, imo omnium nostrum.

Facite fructus.) Hic in hypocritas commode invehendum nacta occasione, quod ore quidem iactant Deum, verum operibus nihil minus. Offenditur veritate hypocrisis.

Ex lapidibus.) Dicticos — quos digito ostendit, et intelligit gentes duras quasdam, quas Iudaeis reiectis Deus elegit. Nota, quae causa auferendi a nobis evangelii regnique Dei.

Omnis arbor.) Ex ipso itaque fructu oportet resipiscentem fidem ostendere.

Spiritu et igni.) Q. d. ego baptismo meo neminem meliorem facio, neminem immuto, imo ad poenitentiam atque vitae emendationem voco. Is vero qui post me venit, quique ante me fuit, cuius non sum idoneus . . . (ausgelaſſen), is baptizabit vos spiritu sancto et igni i. e. conscientias laetas et tranquillas reddet i. e. fideles faciet. Nota: Hic de duplici i. e. externo et interno baptismo loquendum est. Nempe externum signum esse baptismum et sacramentum, quo in ecclesiam Dei externam suscipimur i. e. werdent uffgenommen in ein ſunders Volk. Iterum vero quo fideles reddimur ut eo fidamus, eo nitamur qui filius Dei est, qui nobis missus est, id quod per ignem et spiritum sanctum intelligit Evangelista. Nota, hoc loco Ioannes contra Anabaptistas pugnat si verborum ordinem spectas: dicunt atque contendunt baptismum praeire, quum tamen ordine Ioannis succedat h. e. dicunt hominem prius fidelem esse debere, quam aqua baptizari, quique vero a Ioanne baptizabantur, tantum aberat, ut in Christum crederent, ne illum norant quidem, imo Ioannem Christo praeferebant ut videre est Ioannis 3,

illic enim arguit Ioannes discipulos propter Christum, quos tamen baptizaverat, quare ut supra, anabaptistae hoc loco nihil efficiunt! ad poenitentiam non poenitentes, ad novam vitam aqua initiavit Ioannes. Nova vero vita non veniet donec Christus agnoscatur et recipiatur. Nota: de poenitentia hic loquendum, quur qui perdi nolunt resipiscant.

Ventilabrum.) Pulchra metaphora a ventilatoribus sumpta, docet vindictam et severitatem Dei contra impios, bonitatem vero in pios i. e. triticum et palea. Velut sit is sensus q. d. baptista, si verba baptistae sunt: facile omnes baptisamus aqua, quum in Christi ecclesiam suscipiamus, verum exitus ignis i. e. persecutio et ventilatio probabit, quid triticum quidve palea sit. Itaque videtur mihi is locus eiusdem esse sententiae cum eo qui Ioa. 12. habetur: Iudicium in mundum venit, et Luc. 2. Symeon dixit: positus est hic in resurrectionem multorum in Israel, et 1 Cor. 3. ignis probabit omnia. Nota: quemadmodum ignis probat aurum quidque argentum fuerit, ita persecutio et ventilatio i. e. wen uns Gott uff die ſchuffel nimpt, da wirt man ſehen quid triticum i. e. wer Chriſten, et quid palea sit. Et forte alludit ad hunc locum Ier. c. 4. ubi dicit: in tempore illo dicetur populo etc. Amplifica a circumstantiis quando ventilaturus est nos Deus persecutione aut poenitentia, vitae resipiscentia, et alteratione (?) pauci invenientur. Item possunt ad extremum referri quoque iudicium ista de piis et impiis.

Mihi opus est.) Tu es qui baptisas spiritu sancto i. e. du gibſt ſtarcken und waren Glauben, das ich noch mangle. Nota hic docendum, Christum esse sufficientiam atque veram perfectionem i. e. die gantze vollkomne. Nos vero utcunque fideles semper imperfecti et defectuosi sumus i. e. mangelhafft, atque qui opus habent ut a Christo baptisemur.

Omnem iustitiam.) Hic docendum baptismum Ioannis et Christi baptismum unum esse baptismum. Et quod iustitia ista i. e. ritus et institutum hoc et nostro quoque tempore servandum esse, nempe ut baptismo, qui velint de ecclesia Christi esse in ecclesiam suscipiantur, ut supra, atque isthic non esse respectum personae.

Mihi bene complacitum.) Das iſt der mann, der unß widerum einß machen wirt d. i. min geliepter ſun, in dem und ſunſt keinem anderen ich befridet wirt. — Hic docendum quomodo Christus pax nostra sit et per quem modum, humana scil. an divina natura.

CAPUT QUARTUM.

Ieiunans 40 dies.) Nota: Ieiunat Christus ut nobis vitae modestae et temperatae exemplum proferat. Christi nomen enim gerimus, profitentes eum; tales igitur simus, ut vita nostra appareat, nos vere Christum induisse, nam si impie vixerimus, nomen eius pudefacimus. Hic docendum, quid sit verum et christianum ieiunium, nempe ut Paulus Rom. 13 dicit: carnis curam ne faciamus iuxta concupiscentiam, et non omnia nobis facta imitanda, quae Christus fecit: sunt enim quaedam naturae divinae propria, ut est ieiunium 40 dierum, siccis pedibus ambulare super mare.

Iube ut lapis.) Wir tragen's all im Ermel die böſen Würzen und

Aderen. Diſer Anfechtungen hat Chriſtus nit in im gheyt; wir habend ſy aber in unß und darzu werdend wir vom Tüfel erſt auch triben.

Non tentabis dominum Deum.) Vide locos nostros communes in Matthaeum circa hunc locum.[1] Nota: Dominum tentamus, dum dicimus: si omnia facit Deus, ey ſo wil ich nütz thun, wils uff in laſſen, dum laborem, operam, industriam et media quaeque, quae Deus nobis dedit, abiicimus, und wend Gott laſſen walten. Hoc dicitur tentare Deum atque sic corpori nostro praeteximus providentiam Dei. Nota: Ubi divinus spiritus, ibi perpetuum studium et exercitium piarum rerum und furcht ymerdar, er hab zwenig gthan und ſin gſchir ſi ze lang ſtil gſtanden und nütz rechts gthan. Nota: Hic uterque et Christus et Satan scripturis sacris utitur, hic ad perniciem, ille vero ad salutem et gloriam Dei. Nota: Si hoc non potest negari quidni fiat? Namlich das einer das luter und war Gottes Wort in rechtem Verſtand braucht, der ander aber grad daſſelbig Wort wider in fürt, id quod nostro tempore saepissime visum est Ex. gr. in re Eucharistae, baptismo parvulorum, cultu sanctorum, purgatorio. Quid futurum putas apud eos, quibus tutum non erit, neque loqui licebit de aliquo, quod et si scriptura convinci possit, sed tamen verbotim scriptura non continetur — ſtat nit von (Wort) ze Wort in Gottes Wort. Expl. Missam abominationem Dei esse, scriptura sacra potest convinci, sed quia expressa verba scriptura haec non habet, igitur non licebit de hoc loqui? Item Christus unicus noster est intercessor apud Deum; igitur quia scriptura hoc non habet ad verbum: Mariam non intercedere, loqui non liceat ac Christianis technae, insidiae et fugae sunt; abhorrent collationem scripturarum. Haec contra Pagos quinque dicta sunt.

Ut adimpleretur.) Post captivitatem Ioannis prodiit Christus ad praedicandum. Hic docemur periculum officii praedicationis. Dum fidus vult esse propheta cogitur prosilire, audaxque facinus quodque argu.e et increpare, quod quidem difficile et arduum, imo periculo plenum. Sed plus valet amor Dei quam hominum apud fidum prophetam.

Resipiscite.) Hic docendum sermonem formandum secundum captum auditoris et exigentiam temporis. — Wo Glaub iſt, da tringt man hin uff beſſerung des Lebens. —

Piscatores hominum.) Dan ſo wirt das Evangelium recht prediget, ſo mans mit truwen prediget, das es im Herzen hafftet, das man früntlich lebt. Dan nieman wirt wys, der füß bſchwetzt wirt.

CAPUT QUINTUM.

Cum vidisset autem.) Hic accurate describit Evangelista sermonem Christi ex integro, non summam solum ut alias; docet autem Christus hic, quae vel ad interiorem vel quae ad exteriorem hominem pertinent. Der inner Menſch iſt der Menſch by im ſelbs heimlich, der trachtet, ſinnet, ratſchlaget; das iſt gar ein tief verborgen ding, ita ut nullus alius possit agnoscere 1 Cor. 2. Nemo novit quae, sunt hominis. Wenn man nun hie ſpricht: Der inner Menſch regt ſich ſelbs, reden wir

1) His locis communibus vero simile videtur etiam Leonem usum esse.

vom innern Menſchen wie er ſin ſolt. Alle Vatter hand lieb irre Kinder, et tamen sunt multi qui odiunt. Wir reden aber von einem Vater wie er ſin ſollt. Der uſſer Menſch, der ſich gegen eim mit Worten und Wercken erzeygt, und mit im handlet. Expl. wen man ſpräche: Der redt thür von der Fromkeit, aber mir iſt, es ſig im nit im Hertzen. Ecce hic habes duplicem hominem in uno homine. Der inner Menſch, wie er unß allen unbekannt iſt, alſo iſt er ſchwarlich zbringen in ein Erkantnuß ſin ſelbs. Wen er alſo vor Gott dem Liecht, das alle ding durchzündet, redt, und ſich ſelbs uffthut und bſicht, da findt er denn ein ſollichen Wuſt und Unflat, das einer ab im ſelbs erſchrickt, da findt er Hochmuth, gydt, nid, et quamvis occultus sit interior homo, et latere conetur, tamen coram piis et prudentibus sese certis quibusdam notis prodit, neque semper potest latere hypocrisis. Der inner Menſch iſt uns unmuglich ze erkennen, ſo doch unß der uſſer trügt. Interior autem bhalt ſich nit, er rügt ſich wie ein Krankheit, die heruß ſchwirt, als die Platteren ꝛc. Aber in allen Stücken zu bekennen iſt impossibile. Wenn aber der Menſch ſich bſicht an dem göttlichen Liecht, ſo findt er gnug Wuſt und Breſten, dan die Laſter mögen vor im nit bſtan, als wenig als das Für das Waſſer nit lydt, es ſpüwet uß. Alſo mag by dem luteren Für nit bliben das unrein iſt. Christus docet hic formare primum interiorem hominem, aliquando etiam exteriorem. Primum: pauperes spiritu, secundum: sic luceat lux vestra; vos estis sal terrae etc. Qui interiorem hominem docent, ad omnes ex aequo pertinent, quod filii Dei sunt. Quod ad exteriorem pertinet non ad omnes — nam diversa sunt officia.

Beati pauperes.) Geiſt für Gemüt, gſinnet ſin, eim underträchtig ſin. Man mag ein herlich dapfer Gemüt finden in allen Sachen ze handlen, das dennocht niderträchtig iſt, ut patet in David — Paulo etc. Aber der Adel ſpricht: Laß die Puren ze tod ſchlachen, erwürgen ꝛc. Dem iſt aber der Geiſt niderträchtig, ſo er in allen Dingen Gottes Ehr und Nuz ſeines Nächſten ſucht, wo das nicht iſt, da iſt Hochmuth, davor hät ſich jedermann vor Gott. So finden wir, daß vil uß Hochmut und nit uß thrüwen thundt. Si quis recte se examinat ad divinam lucernam semper invenit quod quaerit; capitur autem Truren für ein Züchtung Maß, das man nit in ein Geile ußbräch, als der Hochmut thut. Et luctus, de quo hic Christus, verum gaudium conscientia, ein zimliche meßige Dapferkeit, das einer nit pralle (?) und nit boche, ſich hüt vor Mutwillen.

Beati qui lugent.) Consolandi verbum est. Es iſt me ein Tröſten deren den Trurikeit ze Handen gat, dan das ein Gebot ſig trurig ze ſin. Nam se simulare lugentem est hypocrita esse.

Beati mites.) Mitis ſtupft iſt engegen gſetzt dem Frefel, Freche. Frefel iſt unverſchampt in allen dingen, kriegt, boldert, ſufft, friſſt ꝛc. Das heißt nun Senffte, die ſich gheins fräfflen Mutwillen halt noch frewt. Senffte bſchirmt kein Fräfel. Da man die Laſter ſtrafft und dem nit wert, da iſt Linde, Plütte (i. e. Weichlichkeit); wo fräfel gfalt, der hat nit milt ſenfft gemüt, ſonder ein fräfel tiranniſch gemüt. Der war ſenfft iſt, der mag kein fräfel für lon gan.

Quoniam ipsi haereditabunt.) Dieſe Mititas iſt nit gſeit den

Richtern, den Propheten, den die mußend etwann ruch interiorem hominem formare.

Beati mundo corde.) Das ſind reine Hertzen, quae purgata sunt fide, die ſich flißend fromme, ware, gerechte ding ze trachten, lutere fromme Hertzen, dero Mund nie unrein und frefel iſt gſin, ir That iſt alweg erbare, ir Gwerb nit ergerlich und wücheriſch. Tales debent eligi ad episcopale et ad publica officia.

Beati pacifici.) Dieſe Tügent ſtat wider das Verhetzen, wider Nid, Haß und alles das Zwitracht geben mag.

Beati qui persecutionem.) Sehent zu ir was Troſt Gott gibt dem ſchweren Ampt. Was Troſt? Persecutionem das iſt aller Frommen Lon.

Vos estis lux.) Der Prophet ſol das Liecht der göttlichen Warheit herfürtragen.

Non potest oppidum.) Uwer trüw Fromkeit und Ler ſol ſich laſſen anſehen und durchſehen; ir mögent die göttlich Warheit nit verſchwigen.

Sic luceat lux.) Läbent alſo das üwer Läben ein gut Biſpil ſig allen Menſchen; doch das ir Üch die Eer nit zuziechind ſunder Gott. — So ſi ſehent üwer Trüw und Unſchuld, werdent ſi Gott loben, der Üch inen gſent hat, ſie mit Üch begabet hat.

Ne putetis quod venerim.) Wen der Prophet in der gemein die Warheit nit ſol ſagen, ſo ſtel man ein Spielman mit der Pfiffen, oder Luten dar, das hören wir all gern und wirt nieman erzürnt. Es iſt aber nit gnug, das der Spilmann der Prophet die Warheit thun lert, es ſig den Sach, das wir ſi all nach ſiner meinung annemind, mit der That erfüllind, füſt iſts glich, als ſo man zu tantz pfiffet vor alten ſchwachen Lüten, die den Lib nit me lupfen mögent, ſo ſprechen ſi, das wer etwan gut gſin, do wir jung waren; die Jungen faren flux uff, einer da, der ander dort und dantzen alle. Das thunt wir nit, wir nementz nit ze Handen, wir hören wol, aber wir tantzen nit frutig am Reyen der Warheit und Unſchuld.

Minimus vocabitur.) Nihil est; er iſt nit werdt. Vocari pro esse in regno coelorum, ut est ecclesia Dei.

Nisi abundaverit.) Das was ir Fliß, das ſi vor den Menſchen erſchinindt frommer, dan ander lüt, inwendig warens aller Laſtern vol. Alſo wil Chriſtus, das ſiner Apoſtlen und aller Siner Frommkeit, nit in uſerlichem Schin ſtande, ſunder von innen uß in allen dingen gſtaltet ſin, das es von Hertzen herußgange. Jetz biſpilt er's mit der Anfechtung des Zorns.

Dictum est antiquis: Non occides.) Dempt jeman ſin Zorn allein darum, das man in für ein tugendhaftigen Mann hab est hypocrisis; dempt aber einer den Zorn darum, das er nieman ergre, jam bonum est. Sic de reliquis intellige: den der's dempt, das er Nieman ergre, der hat Glauben, und Mißval an ſim Zorn und Laſter.

Qui irascitur fratri suo.) Sunt comparationes. Racha — ein unwürſch Wort. Fatuus pro quacunque contumelia. Der vergat ſich als tieff vor Gott, als einer vor den Menſchen möcht verklagt werden oder gar tödt werden ꝛc. Alſo wil Chriſtus leren, obſchon ein Menſch

in Zorn sich vergangen hab, das er doch nit witer ußbreche und unverschampt sünde, d. i. das wir uns für und für vergaumindt der großen Lasteren. Da erkennt ouch Christus ünser Blodikeit, als wolt er sprechen: Nu wolan ich weiß wol, das nieman vor Zorn mag sin; aber so der Zorn üffwüscht, so hüt man sich, das er nit in Unwürsche ußbreche. Bricht er schon uß quibusdam notis, so hüt er, das er nit in Schmachred ußbreche und Lasteren. Per singula. Christus wil hie die rechten Brunaderen verstopfen der Lasteren, und uns leren in allen Lasteren die Anfäng vergoumen, damit man nit witer ußbreche. Er wil nit das die Apostel oder ander Christen Sunder fürindt in Glisnery, sunder das si den Lasteren in allen Dingen goumen, und in allen Dingen Maß haltindt. Dan sobald man unverschampt anfacht sin, so ist nit Glauben da, und wer unverschampt sundet, den sol man ußschließen und under dem Christenvolk nit dulden. Dahin reicht nun Christi Ler, nit das wir nur ußwendig glisind from sin, sunder das wir widerstandind durch täglich Goumen zu Unschuld des Hertzens zu komen und inen heruß from sigindt.

Habeto benevolentiam.) Da wil nun Gott, das wir in denen Anfechtungen Maß haltint, nit zwyt ußgangindt, fide regulante ut quisquis inter limites suos maneat. Nit bewegt werden in Anfechtungen ist unmöglich dem Menschen; aber die Anfechtungen zu maßen und tüschen (mäßigen und dämmen), daruf sol sich der Mensch flißen fortitudine fidei et metu Dei. Wird einß mit deim Widersecher. Hic docet Christus facile parere etc. sed simul docet: Si res tanti sit ut offensio ecclesiae hinc nascatur, eruendus est oculus, abscindenda manus. Quod cum Catabaptistae non vident omnia confundunt. Iam dicunt: Ecclesiam non posse gerere magistratum, iam neminem e medio malorum tollendum, quasi vero non melius sit, aliquem e medio tollere iure nocentem, quam Christ. populum talem in quo omnes violenti locum habuerint et quisquis ageret pro libidine sua. Allen Menschen verzihen und leren allen Menschen verzihen, wie unverschampt si sich sundint, were nüt anders den Mördery und alle Laster pflantzen. Nieman verzihen selb ouch nüt. Das sind die bede extrema et summa vitia. Medium ergo capessendum: Man muß verzihen, man muß straffen; hoc fides docebit. Es felt dick an dem Gericht, das der recht unrecht gwinnt. Dicit ergo Christus et absterret a contentionibus et a periculo litis, sed adducens argumenta.

Non committes adulterium.) Docet hic Christus, et adfectus esse peccata. Vor Gott vergat sich der, der nit me dan begert, dan er schon im Anfang der Sund. Da lert Christus, das du solliches dich nit rein schetzest, obschon du üßerlich nit Ee brochen hast. Si iam dicis, erumpam ergo. Minime etc.

Non peierabis.) Schwerer heißent indifferenter recht und ünrecht Schwerer auch Flucher. Hinc natus error Catabaptistarum. Non debet autem praestari (iusiurandum) in quavis levi causa, dumtaxat in ardnis et gravibus causis, do man nit witer kommen mag.

Quod ultra est a malo.) Wo nu rechter Glaub ist, und Liebe, und Inbrunst zu Warheit, da ist ouch großer Flys und Arbeit die Warheit wider inzesezen, Fromkeit ze üffnen. Warheit pringt dem Menschen ein

Urteil, ein Verſtand, das er auch an anderen Luginen kan erkennen, dan er hat all ſin Lebtag uff das war und recht geſehen.

Diliges proximum.) Das aber ünſer Onmacht und Preſthaffte wol erkent werde, ſtelt Gott ſin höchſtes Liecht harfür, daran ſöllen wir unß nun üben, etiam si nunquam attingamus.

CAPUT SEXTUM.

Attendite ne elemosinam.) Was vom Hertzen heruß ex fide gat, das iſt recht kennen, was allein in uſerem Glantz, iſt toub und leer. — Der Glaubig tringt allein uff das Werck das es truwlich beſchehe, der Gliſner verzert all ſin krafft in klugen Wörten und Pracht. Wie er wol bredt und gſchickt geachtet werde, iſt in palaestra, der ſich mer flist des Spiegelfechts, der macht ſich ſelbs wind ee er anfacht, und ſo er anß Werck tretten wil, ſo mag er nüt me, ſo es allernotteſt wer. Die göttlich Warheit lert ünß, das wir üff kein Schin und Glantz ſehind, dan wo man allein dem Menſchen will gfallen und geſehen werden, iſts als umſuſt. — Elemosina iſt ein Werck der Milte, nit allein der Erbermd. Nam opus der Erbermd iſt, ſo du allein gibſt das er arm iſt, er duret dich, ſin Not zwingt dich. Aber das Werck der Milte proprie elemosina est, ſo du inwendig milt, gneigt aus Barmhertzigkeit zu helfen den Armen. — Die üppig Eer und Gliſnery hangt allen guten Wercken an, glichwie das Gſider dem Boltz, fart immerdar mit im. In den groben Sünden kan jederman wol erkennen und ſprechen: Ey du ſolteſt nit alſo ſuffen, freſſen, mutwillen, aber in dieſen ſubtilen Laſteren kan man nit lichtlich kennen und huten. Sich was armes Thier iſt der Menſch, das die üppig Eer und Gliſnery in den göttlichen Tugenden anſicht und Wercken; dieſer Gliſner thut Werck um den Lon; ab dem zücht in Gott ab.

Nescia sinistra.) Die linck Hand iſt die Gliſnery, laufft ouch zu, wil ein Teil dran han; du aber verbirgs vor ir.

Et cum oraveris.) In dem Gbet der Kilchen fürt man wol ein wys; aber wir hand nit alle ein gliche Andacht. Da man aber recht bettet, da lugt man nit uff die Wys und Schin, ſünder allein uff Gott. Die Gliſnery aber im Gbet und Gſang zücht die Wort lang und groß, damit es vor den Menſchen groben Schin hab. Alſo felt hie alles Kilchenpler und Gſang und lang Murmlen, da man allein üff vorgeſchribne Ordnung ſicht.

Verum orantes ne sitis.) Hic docet Christus semper orandum fore ut tamen non omnino multis verbis formetur. Quo docemur quod Deus hoc solum respicit, si oratio procedat ex ore, ex fide vera, ut animus in solum Deum erectus sit. Ach Herr, das iſt mir angelegen; o Herr, du erkenſt min Gemüt. Alſo ſol das Gebet ſyber ſin, nit vil Murmlens und Wort daran hangen, zu glicher Wiß als einer wölte zehen Pfil mit einander ſchießen, ſo gatz nit, ſo ſchneltz nit frütig vom Armbrüſt zum Zweck, vonwegen der Burdi des Gſiders, als ſo einer ein Pfil ſchüßt: ſobald er abdruckt, ſo iſt der Pfil daußen bim Zyl. Alſo iſt es um das einvaltig recht Gebet. Den ſchießen aber wir mit rechtem Gebet zu Gott, ſo wir denken: das iſt mit Gott, und das wider Gott. Unſer Gbet ſol mit einvaltigem Gemüt und rechtem Glauben und Vertruwen an Gott

ghenckt werden, wir bittend joch was wir wellind; dan er weist was ünß ist not ee und wir künnen betten. So wir bittend um Verzichung der Sünd, so kumpt dan die glaubig Conscientz: Ach Herr, warum that ich das, ich wust doch wol, das ich dich erzürnt. Dan folget ein großer Rüw und Verzwifflung sin selbs, und fallend dan in die lutere Gnad und Barmhertzikeit Gottes. Solich Gbet gfalt Gott. Er last ouch etwan den Menschen fallen, damit er sich lern erkennen und sich allein an die Gnad Gottes hencken. Es weist ouch Gott wol, warum er das und das thut. Also muß unser Gemüt etwas me Krafft han, mit deren es das Fleysch mit sinem Mutwillen abrichte. Wo der Zuchtmeister nit ist, da wirt ouch das Gmüt vom Fleysch erwildet, das es nütz denn Eigennützigs trachtet. Die Gemeinschaft, die der Mensch begert mit Gott ze han, ist auch nit vom Fleysch. Nam carnalis homo non intelligit quae sunt spiritus. Si carni dicitur de fruitione Dei in patria, caro nihil curat imo contemnit. Quod si dicas de corporali quodam gaudio illic futuro mox aspirat, ut videmus in pueris ratione carentibus. Cognitio igitur numinis, quae ex fide, intelligit non unius esse sed omnium. Ideo dicit

Pater noster.) Patrem esse, und da rüfft man den an, von dem man alles Guts habe. Sic Iac. 1. omne donum optimum, also lauffend wir zu im, als zu dem, von welchem alle Clarheit und Warheit kumpt. Hoc non fit, nisi cor sit prius persuasum cognitione Dei. Wir kommen im Glouben hoch, so wir erkennent, das er unser Vatter und Schöpfer sig, aber ünser Gschlecht wyter herab, nam hoc non solius tui est sed omnium. Also verstands durch alle Gaben. Die Gaben sindt nit din, sunder der gantzen Kilchen; obschon dir Gott etwas Besunders geben hat, so ists nit din allein, sunder der gantzen Gmeind.

Nomen tuum.) Daß sin Herlikeit, Gnad und Krafft allenthalben erkennt werd. — Wenn die gantz Welt in fürchtet und vor im unschuldig lebt, das heist den Namen Gottes eeren.

Adveniat regnum.) Gottes Rich ist so volkomen, das es nit gmert wirt, sine Herlikeit wachst nüt; aber sin Rich kum by ünß, by ünß meret es sich, da vil zu Gott kumment und in erkennent, das wir in für ein Kunig handt.

Fiat voluntas tua.) Das wir ünß glichformig machend sinem göttlichen Willen.

Panem nostrum.) Er spist uns wesenlich und das täglich. — Da er schon ünß liblich gspist hat, das wir nit darum bstandind, sunder in das wesenlich trachtind d. h. wesenlich cum emphasi.

Remitte nobis.) Erst thut sich der Wi lGottes uff, wiewol es das Fleysch übel drückt, aber wir lernen daran, was wir thun sond, was Gott von unß fordere. So flyße sich also ein Mensch vergeblich sin, gnedig sin, nach der göttlichen Art ac iuxta regulam fidei ac charitatis. Man müß etwan verzichen, etwan ein Aug ußstechen; es müß einer ein Glid mit Schmertzen vom Lib hauwen.

Ne nos inducas.) Gib ünß keine Gedancken! Non rogamus, ne nos in tentationem inducat, sed ut in tentatione nos sua gratia roboret. Non coronabitur quis nisi legitime certaverit.

Libera nos a malo.) Nim uns ab die Anfechtung und den Täfel. i. e. malum.

Tu vero cum ieiunas.) War Faſten iſt nit anders den do der Menſch zimlich lebt und Meßigkeit vorgat, das damit das Fleyſch kein fomentum habe. — Wir müſſen nit thun was der Bruch begert und vermag. Auch nit wie der Täufer Joannes oder Chriſtus 40 Tag, ſünder Mittelmaß haben zwäſchen diſen beiden. — Die Meßikeit empfilcht uns Chriſtus alſo by unß ze bruchen, nit den Menſchen ze gfallen, als das bapſtum aber than hat.

Unge caput tuum.) Mos ille non est patrius nobis.

Ne reponatis vobis thesauros.) Hunderttuſend Man mögend nit ein Nakenden berauben, er beſorget ſich nit. Qui pauper est nihil timet, nihil potest perdere, sed spe bona sedet, nam sperat acquirere.

Lucerna corporis est oculus.) Der menſchlich Lib hat's Aug für ein Kertzen; der Lib iſt dunckel. Est hypallage i. e. er kan nit thun ſine wercken i. e. die Wirkungen ſind dunckel. Das Aug und Liecht ſind ware Erkantnuß Gottes und das iſt in allen unſeren Wirckungen wie das Aug dem Lib und allen menſchlichen Hendlen. Du wirſt nit Unmaß bruchen, wirſt nit ze vil druff legen; wo das Liecht des Glaubens iſt, ſicht die Seel und Gemüt uff Gott. An (ohne) das Liecht mag ſich einer in großer Armut verſünden, ungedultig ſin, murren, gitig ſin. Wo diß Liecht iſt, da übergat man die rechte Maß nitt, auch in den höchſten Richtagen. Wer das Liecht hat, der handlet alle Ding hell, non ambulat in tenebris, nusquam impingit, nusquam offendit. Si oculus tuus etc. Oculus per allegoriam fidem intelligit aut claritatem fidei. Indicat quid ante et prius de divitiis dixit.

Nemo potest duobus dominis.) Wie man zweyen Herren dienen mag — alſo mögend ir auch nit Gott dienen ac divitiis.

Ne sitis solliciti.) Ich red nit von zimlicher Sorg ſunder von ernſtlicher Sorg, dan wo die iſt, ſo iſt ſchon das Hertz von Gott abgeriſſen. Chriſtus wil nun Maß leren, das Mittel. Maß aber und Mittel mag nieman treffen in keinen dingen, noch Tugenden, on rechte Gotzforcht. Dan Sorg ſoll ſin wie das Aug am Lib, iſt dasſelb blind, ſo ſichſt du nüt. Das recht Aug wil von keinem Menſchen recht gleret werden, dan wie du's recht ſeiſt (ſagſt) ſo bringt er alweg etwas anders. Hat er ſchon 1000 Guldin, ſo ſpricht er: Ja, der hat aber me, kein Hauff macht vernügt und rich, und das man einen Richen recht lang lert, und ers Aug nit inwendig hat, ſo hilfftz nüt. Alſo in allen dingen, in der Kleidung, in eſſen und trincken. Alſo entſchulgen wir alle Laſter per comparationem: Ich thu nit wie der, ich bin nit rich als der ꝛc. Wer nun nit Maß wil halten, dan allein uß verglichtem, der wirt alweg fallen. Darum ſol man Gott bitten um ein recht Aug, das Liecht wirt dan alle Ding recht füren, da wirt dan ein jeder recht bruchen, er wirt recht ſprechen: Ee (He) das iſt ze vil, das zimt nit.

Nonne anima pluris.) Welcher hat die Seel gee? Gott. Wie kond denn er der Seel vergeſſen? Hat er Sorg für die Seel, wie kan denn er auch den Lib nit verſorgen? Hat er auch für den Vogel Sorg, den er gſchaffen hat, wie kan er dinen vergeſſen? Biſt du nit ein Geſchöfft

Gottes und vil höher denn der Vogel? Aber da ist Mangel, das wir die Gaben Gottes misbruchen. Der hat, es lebtind tusend druß, der ander wil nit wercken, von Wucher rich werden. Gott hat üch gschaffen, der wirt üch verwalten.

Nam omnia ista gentes.) Der Glaubig weist was Gott nit gfalt, das es im nit wirt. Obschon der Huffen nit da ist, so weist er doch, das in Gott erhalten und erneren wirt.

Quaerite primum regnum Dei.) Wan unser Aug luter und häll were, das wir allein daruff sähind, wie wir fromkeit und Unschuld, Trüw und Warheit üffnetind, dann durch die ding wirt das Rich Gottes geüffnet.

Ne solliciti sitis.) Curam ergo desperabilem prohibet piis, quam ethnici habent, die nit witer vertruwen, dann so vil als si mögendt, und in irrem Gwalt und Macht hand. Wo Glaub nit ist, da verzwyfflet man.

Crastinus dies curam.) Hic cura capitur pro his pro quibus curam gerimus q. d. wen der morderig Tag kumpt, wirt dir offenbar, das Gott Sorg für dich treit. Item der morderig Tag wirt mit im bringen die Ding, für die du sorgst. Dan Gott wirtz dir besseren.

CAPUT SEPTIMUM.

Nolite condemnare.) Haec ad interiorem hominem pertinent, da du einen Menschen in dir selbst bschetzt nach dinem Willen, auch in dinem Bresten, darin du bist, in denen wir all gmeinlich bhafft sind. In offentlichen schantlichen Lasteren kan man fürhalten, schirmen und mit Recht urteilen. — Wer es nit ein torechtig Ding, wen einer zu einem andern gieng, und im ein Aglen welt uß dem Aug nemen, so er doch ein großen Balcken darin hette. Wiltu einen andern von Sünden bringen, so thüs nit mit bschetzen, sunder mit Warnen und Vermanen et hoc ex charitate, alioquin hypocrita es.

Ne sanctum detis.) Den falschen, zagen Propheten sollent aber dise Wort kein Deckmantel machen aut suchen; wo Hoffnung ist des Gwinnes da straff man, leer man, obschon vil muß druß erliten werden und unglükt, man muß aber Gott treffenlich anruffen und trumlich.

Omnia quaecunque volueritis.) Das ist der Grund des natürlichen Gsatzes, also nemmens die Heiden. Gentes sic describunt legem naturae (nam ex stercoribus etiam gemmae colliguntur, et sunt apud gentes quae Dei sunt): Naturae vis est, non quod opinione, sed ex eo est quod nobis traditum est. vide Cic. Es kumpt nit uß eim Wan sunder uß einer anerbornen gmeinen Art oder Liecht, das dem Menschen inpflanzet ist; das Liecht, das ein jeder recht gschaffne Mensch erkennt war sin, ob er schon ein Schalck ist. Wenn schon ein Tyrann ist, der meint, alle Menschen sollint under im sin, so schryet doch das Liecht: Nein es ist nit billich, du bist ein Mensch wie ein ander Mensch, warum wolltest du alle Menschen beherschen. Der Teufer wil niemand ghorsam sin, wil kein Oberkeit. Intus clamat lex naturae: Ambo falluntur et errant, quia legem naturae non audiunt, nam lex naturae non vult, ut tu odio contempto regnes; iterum clamat, ut quandoquidem vis est et iniquitas, aliqui praesint qui moderentur res et puniant sontes, defendant parvos

Sequimini me.) Christum sequi, est sese abnegare, et omnia Christi gratia relinquere. Hic Catabaptistae literam non recte intelligentes docent parentes abiicere filios suos, uxores dimittere maritos etc. quum tamen Apostoli post hanc vocationem suorum curam habuerint. Christum ergo sequi, est se totum Christo devovere, credereque quod Christus sit filius dei et servator mundi. Cur simplices et idiotas vocarit Christus ad praedicationem evangelii, Paulus 1. Cor. 1. clare ostendit, ut virtus sit dei, non hominum. Hic etiam discimus omnem doctrinam frustra esse, nisi accedat spiritus dei qui intus trahat et illustret: nam plus tribus annis Christo familiariter convixerunt, quotidie ab eo audientes doctrinam veritatis, videntes virtutem deitatis; adhuc tamen in multis parum fuerunt intelligentes, donec a spiritu sancto illustrarentur. Nemo se ingerere debet in officium praedicandi

invocatus, nisi a deo aut corpore eius ecclesia vocetur et mittatur. Quare videmus quales illi sint qui sese ingerunt, et omnibus, etiam vetiti et coerciti, obtrudunt ecclesiis. Et quomodo possent tot Catabaptistae, qui iam in uno loco praedicant a deo esse vocati, quum Christus in renovatione totius orbis duodecim duntaxat elegit? Et illi quidem docti non sunt, sed mox post baptismum docendi munus arripiunt, quum Christi discipuli in quartum usque annum quantumvis a coelesti doctore docti et in schola eius exerciti rudes adhuc et ignari in multis fuerint.

Minor Iacobus.) Minor scilicet natu, nam alias minor non fuit, qui in Episcopum Hierosolymitanum ab Apostolis electus est. Minor ergo non significat Minder, sed Jünger.

Cum authoritate.) Hoc est potenter, et cum virtute quadam docuit Christus, ut cuius doctrina propria erat. Scribae enim non docebant cum tanta energia, deinde verbum dei adulterabant suis somniis et commentis. Is vero cum authoritate docet, qui sive severe sive blande loquitur, omnia ad gloriam dei loquitur. Facile est videre ubi sit ardens quoddam studium et zelus promovendae veritatis et gloriae dei: nam ubi hoc est, minister serio loquitur et spiritu quodam fertur, non frigide et tepide verba intonat, sed omnia sunt ardentia et vegeta, quia sitit salutem auditorum et gloriam dei. Quid vero praedicavimus in Papatu? Verbum unum aut alterum obiter ex evangelio, caetera erant de oblationibus, decimis, indulgentiis, vigiliis, missis, de divorum cultu. Ubi gloria dei erat urgenda, illic fuimus parci verbis: ubi vero nostrum lucrum periclitabatur, illic Stentore eramus clamosiores.

Novi qui sis.) Praesentia et virtus Christi urget et cogit daemones. Hoc providentia dei fit, ut et daemon filium suum agnoscat et exclamet. Sanctus dei, Hebraismus est. Nam quum volunt aliquid excellens et summum adpellare, dicunt Sanctum. Docet Christus in synagogis et expellit daemonia ab hominibus obsessis, quo nimirum ostenditur solum Christum Iesum filium dei eum esse, qui verbo et doctrina sua humanum genus a diaboli potestate liberet, et in regnum suum transferat: quod et ipsa daemonia confiteri coguntur: solus impius hoc neque credit neque confitetur. Si ergo veri Christiani sumus, ad hunc unum confugiamus. Sic Christi verbum nunquam frustra auditur, si cum fide suscipitur: dum enim auditur, et in corde vivificatur, diabolus expellitur. Mirum igitur non est eos a diabolo teneri et circumduci, qui verbum externum negligunt et contemnunt.

In domum Symonis.) Hic clari videmus Symonem et Andream non ita secutos fuisse dominum, ut interim non redirent ad uxores et domos suas, ut Catabaptistae nugantur.

Febricitans.) Germani febrim a frigore appellitant, das kalt wee. Latini et Graeci a fervore nominant. Ubi hoc discimus, quandocunque duo sunt in una aliqua re, alterum pro altero aliquando poni et nominari. Quandoquidem enim in febri intensus est calor, rursus frigus intensissimum, ab altera parte sortitur nomen. Sic evangelium duobus constat, resipiscentia et peccatorum remissione: quo fit, ut nonnunquam

alterum pro altero ponatur, et pars pro toto Synecdochicῶς, ut supra docuimus ex Actis. 5. et 11.

Tota civitas.) Synecdocha est, tota scilicet congregatio aegrotorum. Was für krancken in der statt was.

Sanavit multos.) Id est languentium multitudinem. Alle krancken macht er gsund.

Et non sinebat ea loqui.) Noverant daemonia eius virtutem, et quid per eius mortem erat futurum; ideo prodebant eum, ut alia fortassis morte interciperetur, seu ut passio eius impediretur. Quod omnes infirmitates et languores curavit, per Esaiam vaticinatum erat, quod Christus non modo interiores animi morbos, sed et exteriores corporis infirmitates curaret.

Oravit in desertis.) Multa fecit nobis Christus in exemplum. Docet enim nos non solum orare, sed commode orare, in locis videlicet privatis et secretis; deinde in templis etiam saepe et publicis oratoriis orationi intersimus. Quare nihil in templis fieri debet nisi ea ad quae facta sunt et sanctificata, hoc est, dedicata, docere scilicet, orare, verbum dei audire. Et in publicis concionibus tanta debet esse modestia in verbis, factis, vestibus, gestibus, tota denique conversatione, ut nemo devotus et pius impediri possit; ut sit coetus sanctus et deo dignus.

Si vis potes me mundare.) Maximam fidem habet hic leprosus. Quasi dicat: etiamsi cupiam fieri aut esse sanus, fortasse non erit utile; tuae ergo voluntati hoc totum commendo. Velle tuum operari est, quidquid vis hoc fit: nam voluntas tua perpetua quaedam operatio est. Sic Christus docet orare: Fiat voluntas tua. Et ipse Christus deprecando calicem dixit: Non mea voluntas, sed tua fiat. Multi si non statim ut clamant exaudiuntur, murmurant et impatientes sunt, sed hi fide et patientia carent. Per lepram quamlibet immunditiam mentis et vitae intellige: tales enim, licet corpore in ecclesia habitent, mente tamen sunt excommunicati. Hi currant ad Christum et sanitatem ac mundiciam petant. Solus enim Christus lepram cordis mundat, non impositio manuum quae fit a sacerdote, aut absolutionis pronunciatio. Statim ut verbum dei in corde auditur et fide recipitur, anima mundatur.

Vide ne cui dicas.) Vetat ei ne dicat, et docet fugere inanem gloriam, ne velimus in operibus bonis spectari et laudari ab hominibus. Si contigit ut opera sint publice facienda, ne velimus in his gloriam nostram quaerere. Si ab aliis citra votum nostrum enunciantur, nihil ad nos.

Abi et ostende te.) Mittit ad sacerdotes. Voluit enim legem servare in omnibus usque ad mortem suam. Noluit ergo ut alii legem violarent, ne sacerdotes queri possent se suo iure fraudatos esse per Christum.

Coepit praedicare multa.) *Πολλὰ.* Er hats träffenlich vßkündt. Hoc est, maxime celebravit hunc sermonem, id est, hanc rem, more Hebraico (Dabar) hoc factum: die thaat. Miracula quae Christus operatus est hic in terris, talia fuerunt quae ab omnibus viderentur et deprehenderentur. Omnes homines potuerunt videre hunc qui antea leprosus fuit, iam mundum esse. Vanum ergo est quod de miraculo

augantur quidam, corpus Christi invisibiliter et miraculose esse vel in pane, vel panem in corpus versum: nam hoc nullus sensus deprehendit.

Et veniebant ad eum.) Et praepositio, seu Vof Hebraicum, pro Etenim hic ponitur vel Nam.

CAPUT II.

Et protinus congregati sunt ad eum multi.) Et iterum hic pro Tunc capitur. Πολλοὶ multi, id est, ipsa multitudo: Die gantze menge.

Et veniunt ad eum ferentes par.) Sed quomodo veniunt ad Christum, quum statim sequatur eos non potuisse ad eum appropinquare? Ponit more Hebraico primum propositionem, deinde digerit et disponit. Et hoc omnibus fere linguis peculiare est, praesertim Germanicae. Veniebant ergo ad Christum, perforato tandem tecto. Sic dicimus: Ich gieng ins dorff ſchuld ynziehen, vnd mir ward nit ein haller. Ecce quid collegit quum nihil dabant? Schema ergo est. Hac causa hocque animo ferebant paralyticum ut ad Christum venirent et eum Christo curandum adducerent, quod et tandem contigit.

Fidem illorum.) Fides aliorum commodat coram deo et interpellat. Ideo Christus docet orare plurativo numero: Panem nostrum da, remitte nobis debita nostra etc. non meum aut mea.

Quis potest remittere peccata, nisi solus.) Solus deus, id est, unicus deus potest remittere peccata. Iudaei et Samaritae plus fidei habuerunt quam nos qui nomen Christi gerimus. Nam illi testantur solum deum esse qui peccata remittat, nos ubique terrarum apud divos, imo apud pessimos homines peccatorum remissionem quaesivimus. De vocatione Matthaei ad cap. 9. Matth. remittimus.

Et discipuli Ioannis.) Ioannes Baptista, ut supra docuimus, austeram duxit vitam, legi videlicet propior. Habuit ergo discipulos vitae suae et doctrinae nimirum imitatores, quos tamen demum ad Christum misit. Hi haud dubie severam et duram vitam egerunt, ut a Ioanne didicerant, more videlicet pharisaeorum. Quum ergo vident Christum discipulosque eius cum publicanis et peccatoribus manducantes et conversantes, adeunt eum, factumque eius nonnihil suggillant, interrogantes quare discipulos suos tam indulgenter tractet nimisque leniter instituat, quum tamen maiorem sanctitatem et authoritatem prae se ferat quam Ioannes. Sed in hoc errant, quod omnium est pharisaeorum, quod institiam ab externis operibus aestimant, non a fide et charitate. De hac aemulatione discipulorum Ioannis erga discipulos Christi, etiam est apud Ioan. 3.

Non possunt filii.) Similitudo tracta a sponsalibus. Ioannes cap. 3. Ioan. testatur Christum esse sponsum. Mutuat ergo responsionem suam Christus a testimonio Ioan. Quasi dicat: Tamen magister vester dixit me esse sponsum. An hoc estis obliti? Non possunt igitur filii sponsi lugere aut ieiunare, donec cum eis est sponsus. Vos qui deum externis colere et demereri vultis, anxii estis et tristes, qua ratione propitium vobis deum reddatis. Mei vero non secus habent,

quam ii qui nuptiis intersunt. In nuptiis non est locus tristitiae aut ieiuniis, omnia sunt laeta et iucunda. Damnat ergo Christus ieiunium hypocriticum, et vultus severitatem, et verum ieiunium docet ut Matth. 6. Quemadmodum qui in nuptiis sunt, non lugent nec dolent, sed cum sponso gaudent et exultant: ita qui in Christo sunt et per fidem Christo desponsati, spiritu Christi reguntur, et interno gaudio sunt perfusi, non anxii aut solliciti qualiter deum rebus externis sibi demereantur. Sciunt enim gratiam dei nullá re externa nec ieiuniis nec feriis adquiri posse, nec egent illis ut propitium sibi reddant deum, quem sciunt certissima fide sibi per Christum iam factum propitium et benignissimum patrem: gaudet ergo cor eorum semper in Christo, hoc unum curant, ut studeant voluntati patris sui.

Quum aufertur sponsus.) Perstat in metaphora. Finitis nuptiis, finitur et gaudium. Quum igitur Christus aufertur aut abest, hoc est, quum caro praevalet et damnatur, tunc tempus est lugendi, et dispiciendi unde cupiditas et libido carnis veniat, ut subtrahamus fomenta carni, et omnem ansam praecidamus ne ferociat. Hoc fit per verum ieiunium et castigationem carnis, ut mortificemus membra quae super terram sunt, ut vigilemus et oremus assidue.

Nemo assuit.) Novum est quod doceo; novum ergo vas requirit doctrina mea, in quod recipiatur: non enim fit sine iactura, si nova veteribus misceas. Hoc in pharisaeos iacit. Et consonat cum eo quod de regeneratione cum Nicodemo disserit Ioan. 3. Qui deo placere volunt, relictis veteribus ceremoniis veterique vita reiecta, novam ordiantur. Christianismus enim nova vita est.

CAPUT III.

Nemo veritati resistit pertinacius, quam qui mendaciis seducere adsuevit. Sic fit etiam hic. Sacerdotes et scribae populum falsis doctrinis et mendaciis seduxerant, mordicus defendebant ceremonias et suas traditiones ex quibus lucri plurimum accedebat: quare quum Christus veritatem in medium producit, hi claritatem et radios huius solis, et tenebrarum suarum abolitionem non ferentes, eum observant, et insidias tendunt. Quantumvis vero potens esset sacerdotum Iudaicorum pontificatus, expugnatus tamen est a Christo et verbo eius, etiamsi eum crucifixerunt.

Benefacere an malefacere?) *Κακοποιῆσαι*, ut videtur, hic significat Arbeytſame werck thůn. Nam *κακὸς* malum significat, et malum saepe ponitur pro molestia et adflictione. Sensus ergo esset: An sabbato laborare licet? Mag man ouch am ſabbath übelzyt haben? Vel (si cui vetus sententia placet) licet ne benefacere an malefacere? Quasi dicat: Vos malefacitis proximo, ego benefactor sum: salutem promoveo, vos tantum ut noceatis, ut corradatis opes. Ad hanc iam quaestionem exemplo respondet. Anima more Hebraico pro homine capitur. Sed quomodo Christus eum occidisset si non invisset? Sic sane, quandoquidem Christus medicus animarum venerat corporumque, potestatemque illius habet (quod quidem prius saepe ostenderat): si is non curasset, iam malefecisset:

si non servasset, occidisset. Sic ergo loquitur Christus: Si curo eum, adcusabitis me: si non curo, si salutem non praesto, occido et malefacio. Nam divina natura talis est, quae vult diffundi et ubique gratis distrahi. Hic discimus, quod si quidquam possumus vel ope vel opibus, et non iuvamus, quatenus in nobis est, occidimus. His verbis etiam taxatur invidia pharisaeorum, et omnium invidorum, qui quidquid bonum est et bonum fit, in contumeliam rapiunt, et invertunt. Nam quid mali fecerat Christus, quod manum aridam porrigere iusserat? quomodo vero hoc facto sabbatum violare potuit? Sed quod bene fit, ipsi male interpretantur: semper enim, etiam sabbatis, proximum iuvare, proximisque benefaeere licet.

Pharisaei cum Herodianis inibant consilium.) Sacerdotes pontifices et pharisaei cum potestate publica conveniunt, et quasi colludunt, quandocunque contra veritatem pugnandum est: sic hodie videmus. Obtinuerant iampridem episcopi ut ipsis solis in sacerdotes maleficos animadvertere liceret. Iam eos qui evangelium praedicant, potestatibus saecularibus permittunt plectendos, imo ipsi tradunt eos illis, ut misere excarnificentur et pereant.

Ut navicula deserviret.) Graece significantius est: Ut navem ei adhiberent, ut commode ex mari prope littus turbam docere posset.

Spiritus immundi.) Clamabant ex obsessis. At non vult Christus gloriam suam a daemonibus ebuccinari, sed ipse suo tempore vult praedicare, atque ab iis, quos ad hoc muneris elegit, evulgari.

Filii tonitrui.) Quod vehementer sonarent verbum dei: idque in Ioanne perfecte impletum est. Nam is prae aliis apostolis et evangelistis altius subvolat et intonat.

Ut haberent potestatem.) Potestas haec non erat eorum sed dei.

Ut manus iniicerent.) Aliquid obscuritatis habent haec verba et varie exponuntur. Quidam sic exponunt: Quasi discipuli aut consanguinei Christi ceperint Iesum docentem, seu alii quidam, quod scilicet tanta esset in docendo pertinacia, tanta severitas, tantus ardor, quod eum insanire putarent, quare vim ei intulerint. At hic sensus videtur indecorum aliquid Christo tribuere. Videtur ergo mihi iuxta Graecanica sic intelligendum. Quum turbae prius iuxta lacum in Christum irruissent, ita ut navem conscendere cogeretur, iam quum domum redit, tanta fuit multitudo populi, sicque eum obruit, ut neque ei neque apostolis edere integrum fuerit. Hac re moti apostoli exierunt et vi Christum abduxerunt, turbas autem tumultuantes his rationibus compescuerunt, dicentes, *ἐξίσταται*, id est, plus aequo laboravit, nimiumque fatigatus est: Es iſt zuil, es iſt über dmaaß, er tryßt ſin zuil: Er iſt ſchwach, im wirt ommächtig, im möchte gſchwinden ꝛc. His verbis rationem reddunt turbae, quare eum abducant. Graeci sic habent, *καὶ ἀκούσαντες οἱ παῤ αὐτοῦ, ἐξῆλθον κρατῆσαι αὐτόν. Ἔλεγον γὰρ, ὅτι ἐξέστατι.* Quae ego sic verterim: Qui ad eum attinebant, vel qui circa eum fuerunt, ut audirent, exierunt, vique eum abduxerunt, dicentes: Extra se venit (fatigatus scilicet nimio labore) hoc est, venire posset inque syncopim cadere.

CAPUT IV.

Christus semper a terrenis et corporalibus rebus ad coelestia et spiritualia abducit. Nam omnibus hisce similitudinibus huc tendit, ut opus suum, ad quod missus erat, mundo ostendat. Missum videlicet esse iam in mundum verbum dei, lucem, viam etc. Vide supra Matth. 13.

Et dicebat illis: Num lucerna.) Hoc (Et dicebat) praepositum, significat novam incipi sententiam, novam parabolam. Quod vero in Matthaeo sine interrogatione dicitur, hic per interrogationem effertur. Sermo autem per interrogationem formatus vehementior est. Ostendit autem se lucem esse mundi, veram scilicet et aeternam. Quasi dicat: Scitis vobis promissum esse Messiam et servatorem, quem me esse agnoscere debetis; videtis hoc ex splendore miraculorum quae divina virtute facio. Quandoquidem igitur lux sum, non possum abscondi, omnibus me offero, omnibus radios doctrinae meae et gratiae emitto, palam luceo in commune omnibus, idque propter vos, ut in hac luce id est, in doctrina mea illuminati ambuletis, et ad vitam perveniatis aeternam. Lux interim sunt quicunque verbum dei praedicant rite, illuminati ab hac summa et aeterna luce. Operam ergo dare debent, ut luceant et doctrina sana et vita innocenti. Radii eorum penetrent ut ignis, ne tepide praedicent et frigide, ne ignavi sint et socordes, ne adulentur et palpent, sed sordes et scelera populi protrahant, et continuum bellum cum vitiis gerant.

Nihil opertum quod non reveletur.) Non est parabola sed γνώμη, id est, sententia, quam tamen nomine parabolae dignatur. Ad hanc communem et tritam sententiam Christus alludit. Quasi dicat: Scitis vulgare esse proverbium, omnia tempore manifesta fieri, nihilque tam esse absconditum, quod non in lucem veniat tandem. Opus igitur est, ut et ego mundo innotescam.

Videtis quid audiatis, vel videte.) Potest hoc referri ad sequentia, Cogitatisne, perpenditisne quid quotidie audiatis, quid tritum habeat verbum? Qua mensura mensi fueritis etc. Vel potest legi sine interrogatione, idem tamen erit sensus. Quod si verbum auditis et semen excipitis, nihil tamen fructus fertis, neque fratres diligitis, sed laeditis eos, aut fallitis, certe eadem mensura deus remetietur vobis.

Adiicietur vobis qui auditis.) Audire hic pro obtemperare et obedire ponitur. Pertinent enim haec omnia ad hoc, quod non satis sit audire verbum dei, nisi benefaciamus proximis: nam si adiicimus eis, et nobis adiicietur a deo.

Qui habet dabitur ei.) Et haec communis est sententia, cuiusmodi libenter utitur Christus, quod vulgo notae essent et familiares. Germani huiusmodi multa habent: Die kleinen bäch rünnend in die groſſen, Man gibt nun den rychen. Ab illis ergo occasionem arripit Christus monendi, ut proximis benefaciant; sic enim fore, ut et ipse eis benefaciat. Si vero audito verbo, ignavi esse pergant et otiosi, tollendum ab eis esse quod datum erat. Qui verbum dei audiunt, et fide recondunt in corde, per charitatem proximo serviunt, et quotidie sese superare contendunt: hi divites in fide et operibus bonis evadunt,

et illis plus fidei gratiae et charitatis, plusque cognitionis in veritate conferet dominus. Magna haec est exhortatio, et vehementes stimulos habet. Si quum verbum dei audimus, nihil lucri fecerimus, auferetur et externum verbum a nobis.

Sic est regnum dei.) Alſo ſtadt es vmb das rych Gottes.

Dormiat atque exurgat.) Per duo extrema omne tempus omnemque actionem Hebraei eloquuntur: nam quae faciunt homines, aut interdiu faciunt, aut noctu. Quotidiana intelligit negotia. Regnum dei, id est, verbum dei. Repetit ex priori parabola, quartam seminis partem, illius scilicet, quod exceptum in terram bonum fructum fert, ostenditque quo pacto paulatim exurgat et adolescat. Nunquam enim cessat, etiamsi nemo animadvertat. Innuit autem iis verbis (licet tecte) Christus, deum solum esse, qui haec omnia faciat, qui incrementum det. Non ergo mirari debet praedicator verbi, si non statim omnes proficiunt, si multi verbum non audiunt, si plerique ex his qui audierunt recidant: non enim est in potestate eius facere quo minus haec vel fiant vel non fiant. Hoc unum sedulus curet, ne opus domini sua culpa cesset, ut in continuo cursu sit verbum dei, ne cesset ipse, sed negotium domini quantum in se est semper promoveat. Discimus et hoc, quemadmodum hic semen quod praecox est et cito maturescit, serotinum non despicit: sic qui in verbo profecerunt, non debent infirmiores contemnere, eo quod tarde incedunt, sed potius compati, condolere, et quantum fieri potest manum praebere, ut et ipsi proficiant.

Granum sinapis.) Hac parabola rursum docet ne stemus, neve sistamus gradum, sed ut proficiamus et promoveamus. Nam primo, evangelii verbum simplex est et parvum in speciem, at ingentem fert fructum si recte acceptum fuerit.

Volucres coeli.) Significat eos qui evangelii gratia exulant, qui pulsi sedibus persequutionem patiuntur propter iustitiam. Debet ergo evangelicum granum tantum in nobis promovisse, ut illi in ramis nostris nidos et protectionem inveniant.

Loquebatur eis sermonem.) Hoc est, negotium suum propter quod venerat proponebat illis, commodis parabolis. In hoc discimus, verbum a Christo praedicatum turbis aliud nihil fuisse, quam instrumentum et organon, quo commode eis hoc opus ob quod venerat proponeret. Videmus igitur verbum externum organum esse quo alliciuntur homines, ut eo libentius et clarius deum agnoscant.

CAPUT V.

Ex hac historia discimus spiritus immundos neque in homines, neque in pecora potestatem habere, nisi dominus hoc eis permittat. Quaerat aliquis, cur tantum damnum intulerit dominus huic populo? David in persona dei respondet: Meae sunt omnes ferae sylvarum etc. Omnia dei sunt; agit ergo cum suis pro bona sua voluntate, neque iniuriam cuiquam facit. Mittit luem, pestem, famem, tempora rursus felicia etc. Omnipotens est, sapiens, iustus, bonus, omnia iuste et sapienter agit, in eius manu cuncta sunt sita, occidit et vivificat, ad

inferos ducit et reducit. Hoc nos non possumus; ergo nobis non licet ut aliis damnum inferamus. Sic de furto filiorum Israel apud Aegyptios iudicandum. Quod filii Israel expulsis Chananaeis terram eorum possederunt, nemini videatur iniustum. Nam deus hoc iusserat, qui ante 400 annos Abrahamo id praenunciarat et promiserat. Terra omnis dei est, quare non vult eam perpetuo vendi. In hoc ergo aliisque insolitis miraculis agnoscamus dei potentiam, et quod nos et nostra omnia in potestate sumus dei, quos perdere, dum voluerit, possit. Alia omnia miracula divinae bonitatis sunt exempla, nam semper benefacit. Hoc uno miraculo suam potentiam et severitatem ostendit. Pronior autem est ad miserendum et servandum quam ad perdendum. Semel ergo perdit et laedit, cum mille interim beneficia contulisset. Monumenta in istis regionibus procul ab hominibus fuerunt extra urbes, in locis ubi nemo habitaret: sic etiam veteres Christiani coemeteria extra moenia habuerunt.

Extra regionem.) Vides hic locum, et spiritum esse loco circumscriptibilem. Solus deus est incircumscriptus et infinitus. Miramur tot porcos daemonibus obsessos in mare praecipitatos esse, et non miramur quotidie tot homines a daemonio possessos se ipsos praecipitare in animae periculum. Capitur et obsidetur quisque a sua concupiscentia: avarus rerum cupiditate, libidinosus carnis voluptate etc. Hominem obsessum ligamus catenisque vincimus, ne quem offendat: avarum nemo compescit, sed quanto plus auri colligit, tanto fit ferocior, tanto magis deprimit pauperes, tanto plus rapit, furatur, fraudat, circumvenit, et se ipsum gravioribus malis praecipitat. Vide insaniam nostram. Vere pii dum a satana corporaliter obsidentur, non fit hoc nisi dei permissione, neque illi iudicandi sunt a nobis, quum domino suo aut stent aut cadant. Sed scelerati illi et pessimi homines, obsessi magnis criminibus, daemonibus obnoxii, suis se sceleribus produnt, ut facile iudicari possint quinam sint. Nam a Christo sunt alieni, nihil eis cum Christo commune, sed debent clamare cum obsesso: Quid mihi et tibi Christe? tu humilis es, ego superbus: tu castus et purus, ego scortator et adulter. Discant ergo timere potentiam Christi, convertantur et redeant ad tantum benefactorem!

Princeps synagogae.) Hic intelligimus quemadmodum Paulus 1 Cor. 14. dicit: ad summum tres esse qui loquantur in concione publica, hi nimirum qui linguis docti essent, et prophetare possent, et illi archisynagogi erant. Illorum unus fuit hic Iairus. Iam infirmus autem fuit fide, ut praesentem dominum domi habere vellet. Contra centurioni tanta erat fides, ut venientem dominum prohiberet, satis sibi esse putans, si Christus verbulum duntaxat dicat, nempe qui omnia posset. Infirmitatem hanc fidei non contemnit Christus in Iairo, sed adcommodat se illius imbecillitati, et vadit cum eo. Argumentum hic forte est contra eos qui dicunt, se fide non posse firmos esse, nisi corpus et sanguinem Christi corporaliter in pane et vino edant. Nam si fides eorum tam est infirma, ut certi non sint, nisi corporaliter praesens sit Christus, adhuc Iudaei sunt. Cur non centurionem potius imitantur qui Christi praesentiam corporalem modeste repulit, in verbum

solum credens? Cur non attendunt quibus laudibus Christus fidem centurionis extollat? Quod si fides centurionis fide Reguli et Iairi potior est, cur non potior est illorum fides, qui in sacramento Eucharistiae corporalem praesentiam non admittunt, sed sola fide edi corpus Christi credunt ac docent? Maxime quum Christus dicat Ioan. 6. Qui me ederit non esuriet, et qui in me crediderit non sitiet in aeternum. Qui ergo adhuc esuriunt corpus et sanguinem domini corporalem, parum fideles esse constat. Nam si vere crederent in Christum, nihil esurirent amplius.

Mulier.) Sanguinis profluvio laborans, conscientiam hominis peccatis obnoxiam adumbrat, quae curari nunquam potest nisi fide Christum accedat, qui solus sanare potest. Vana sunt omnia quae absque Christo expendit. Tumultus a Christo et immodicus ploratus reiicitur: haec enim mortuis nihil proficiunt. Iussit dare cibum puellae, ut miraculum verum adpareat, ut videntes vere crederent et vere consolarentur.

CAPUT VI.

Historia, quae ab initio huius capitis ponitur, habetur etiam Matth. 13. et Luc. 4. Patriam Latini vocant ubi quis habitat, etiamsi non sit ibi genitus. Sic Cicero Romam patriam suam dicit. Patria ergo Christi Nazareth erat, quia illic habitabat.

Synagogis.) Conveniebant Iudaei sabbatis, legebaturque lex dei, ut in lege praeceptum erat. Quae vero Christus docuerit, Lucas quarto capite clarius explicat.

Spiritus domini super me.) Providentia dei factum est, ut is locus libro explicato occurreret. Quatenus homo erat Christus, unctus erat spiritu dei. Ex iis verbis autem docet Christus, se solum esse thesaurum animae, se solum remittere peccata, se esse qui illuminet etc.

Super me.) Ob mir, id est: In me, Graeco schemate. Quasi dicat: Ego sum cuius humanitas spiritu dei uncta est, ut scilicet evangelizem etc.

Annum acceptum.) Totum tempus gratiae puto intelligi usque ad diem ultimi iudicii. Quasi diceret: Ego sum ille qui omni tempore salvat omnes, qui quocunque tempore in me crediderunt.

Hodie completa est.) Quasi dicat: Hodie deus me manifestavit, et me vestris oculis conspiciendum proposuit.

Nonne hic est faber ille?) Emphasim habet pronomen *ille*. Mirabantur enim fabrum illum, qui non literis operam dedisset, tam esse doctum, ut prophetam intelligeret atque explicaret.

Et offendebantur in eo.) Cur ergo in Luca dicitur, eos Christo testimonium praebuisse? In turba varii varie adficiuntur et loquuntur. Quidam ergo admirabantur, testati veritatem esse quod Christus loquebatur. Quidam contra offensi calumniabantur sermones eius, ita ut fit in concionibus publicis. Ioannis enim 6. claret, quosdam fuisse qui verbum Christi intelligerent, quum diceret sibi credi debere. Nam alioqui non dixissent: Quod facis signum, ut tibi credamus? Et illi nimirum verbum Christi de fide intellexerunt. Interim tamen fuerunt qui verbum Christi non receperunt. Oportet ergo observare loquu-

tiones synecdochicas. Offendebantur ergo plerique in Christo, hoc est, vilitate Christi et eius paupertate offensi eum contemnebant, et filium Ioseph fabri putabant. Et haec est propria significatio illius dictionis Offendere. Hoc fore praedixit Simeon religiosus propheta. Item minus de Christo sentiebant, quod apud eos genitus esset et educatus: pro quo certe, si grati fuissent, magnas agere gratias debuissent, quod videlicet deus dedisset eis prae caeteris dilectum filium Messiam et salvatorem mundi, quod eos tanto munere dignatus esset. Sic et nos plerumque ingrati sumus, quum deus dat nobis doctos viros, sapientes, virtute praeditos etc.

Frater Iacobi.) Hebraei fratres vocant uterinos, consanguineos, denique omnem proximum.

Non est propheta contemptus.) Hanc communem sententiam Christus refricat, taxans Iudaeorum ingratitudinem. Quaerat quis, quid causae sit, quod propheta et doctus sine honore sit in patria sua? Si diligenter fuerimus scrutati, reperiemus philautiam in causa esse. Quisque se diligit et suos, et huiusmodi amor oculos nobis perstringit, ut vitia eorum minus animadvertamus, indulgentiusque tractemus, et si quid naevi deprehendimus, dissimulamus et palpamus. Hinc fit ut otio eos et socordia marcessere sinamus. Quod si quispiam interim filium habet virtute et moribus ornatum, pietate et eruditione praeditum, qui ob ingenii acumen singularesque virtutes est in pretio, ferre non possumus, ut hic honore et gloria clarus sit, ut praemium virtutis huic accedat. Mallemus ignavos nostros suspici et in admiratione esse, Hinc odia erga eum qui aliqua in re nobis praestat, qui nos anteceſſit. Sequitur enim gloriam invidia. Nec odimus solum tales, sed omnia eorum elevamus et calumniamur, persequimur eos et expellimus, quos summo honore, summis praemiis afficere deberemus. Exempla plurima sunt tum apud Ethnicos, tum apud sacros scriptores, de Furio Camillo, Scipione, Cicerone, Aristide, Socrate. De Davide quid dicam quantum sit adflictus a suis, qui immortali gloria celebrandus erat, cuius omne studium huc tendit, ut suis quam maxime prodesset. Helvetii olim, plus armis quam literis clari, paucos habebant eruditione insignes: iam quum et apud ipsos egregia et praeclara ingenia floreant, tribuunt tantum donum daemoni: tantum abest ut gratias agant deo, ut maleficium hoc satanae interpretentur. Quidquid ingruit malorum, quidquid infortunii, hoc totum eruditioni, literis, pietati restitutaeque religioni adscribunt, optant sibi restitui ignavos fucos, et impostores indoctos, quorum dolis in tantam caecitatem et conscelerationem sensim sunt prolapsi.

Non potuit multam virtutem.) Non potuit, id est, noluit, quod in scripturis sacris, et Germanica non infrequens est, der mocht mir den dienſt nit thün, der mocht mir das gelt nit lyhen: Id est, non voluit. Quid enim prohibuisset hunc quo minus pecuniam postulanti daret mutuo si voluisset? Facultas non defuit Christo, nec potentia eius diminuta erat, sed non voluit. Neque hic putes Christum malevolentia quadam aut affectu quosdam reiecisse, quos curare noluerit.

Non enim iniustus est dominus nec invidus, ut bonitatem suam neget aut contineat, sed indigni erant quibus benefaceret Christus, nempe invidi erga Christum, ingrati, infideles: paucos infirmos ad Christum adducebant, paucos ergo sanavit, imo nec optabant salutem a Christo quem reiecerant animo. Causa ergo non in Christo fuit, sed in ipsis, qui non credebant, nihil ab eo petebant, nullos adferebant. Recessit ergo ab eis in vicos circumiacentes, digni quos desereret servator, quem tanta contumelia et iniuria affecerant.

Emisit duodecim.) Haec est prima missio discipulorum in Iudaeam duntaxat. Voluit enim fidem suam declarare deus, et praestare quod patribus pollicitus erat, ne excusationi esset locus.

Dedit eis potestatem.) Potestas ergo miracula faciendi et expellendi daemones non erat illorum, sed dei, quam tamen ipsis communicat. Tribuit enim membris suis aliquando caput, quod ipsius solius est. Haec ita dicta sint ad ostendendam dignitatem membrorum Christi, ut tamen interim meminerimus, quo discrimine nobis et Christo talia communicentur et tribuantur.

Nisi virgam duntaxat.) Matthaeus etiam virga interdicit, et tamen non dissentit a Marco. Christi sententia est, ut imparati et tenues eant, et se ad hanc profectionem parent. Nam baculus paupertatis symbolum est, ut Germani dicunt: An bättelſtab kommen, ſich an ſtab vfgeben, hoc est, ad extremam paupertatem venire. Sic Iacob baculo transiverat Iordanem, id est, tenuis, pauper, nihil habens. Quod si quis nec baculum habet, is multo pauperrimus nimirum est. Utriusque ergo evangelistae eadem est sententia.

Ne induerentur binis tunicis.) Ne onerentur vestimentis vetat, non numerum vestium definit. Et pertinet hoc praeceptum ad solos apostolos, et in hac quidem profectione, ad quam nullo apparatu opus fuit illis, quibus omnia abunde suppeditare voluit dominus. Vult ergo dominus, ne diu circumspectent quid sibi ad iter parent, sed se solo nitantur. Et bona quidem fide praestitit eis quod pollicebatur, ut patet Lucae 22. cap. Illic enim quaerit eos: Num aliquid defuerit eis, quando eos amandasset sine pera et sacco? Ubi respondent, Nihil. Quum vero iam alia essent tempora, et evangelium latissime iam per apostolos sparsum, ordinavit Paulus ut in singulis ecclesiis pastores essent et episcopi, qui apostoli non erant, ad quos neque hoc praeceptum domini attinebat. Sunt enim officia distincta, Ephes. 4. cap. Plura in libro de officio praedicandi. Nec scripturis sanctis probari potest, quod semper debeant esse apostoli. Posteaquam enim universus orbis conversus est ad Christum, satis fuit singulis locis doctores et episcopos praefici. At ab initio, antequam evangelium disseminatum esset in orbem, necessarium fuit ut mitterentur apostoli, et hoc a Christo factum est.

Donec inde exirent.) Hoc Donec non ad domum, sed ad civitatem referendum est.

Excutite pulverem.) Hoc factum est Antiochiae Pisidiae, ut habetur Act. 13.

Resipiscite.) Haec est summa praedicationis apostolicae, quam pluribus verbis exornarunt et proposuerunt.

Oleo ungebant.) Christus non iussit apostolos ut infirmos oleo inungerent, sed ut eos curarent. Curabant ergo eos apostoli iuxta praeceptum domini, quosdam quidem sine oleo, quosdam vero cum oleo, et hoc propter eorum imbecillitatem. Erant enim qui factum apostolorum, nisi oleo unxissent, daemoni attribuerent aut maleficis artibus. Accipiunt ergo interdum oleum infirmosque inungunt. Sic Christus lutum sputo commixtum super oculos posuit, non quod lutum hoc sanaret aut sputum, sed propter caecum nimirum, aut astantes hoc fecit. Alicubi deinde legimus Christum absque sputo et luto caecis oculos aperuisse, tantumque dixisse: Respice. Sic oleum non sanavit homines aegrotos, sed virtus Christi, adhibuerunt autem oleum aliquando propter homines. Hic autem locus Marci non est idem cum doctrina Iacobi. Nam Iacobus sic dicit: Infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros (nam solent iuniores leves esse, et cachinnis obturbare infirmos) id est senes graves etc. In ecclesia, id est, in congregatione fidelium. Et orent super eum, deprecentur pro eo, ungantque eum oleo in nomine domini. Solet Christus ipse adeoque et apostoli eius a visibilibus ad invisibilia, a corporalibus ad spiritualia mentes sublevare; hoc facit hic Iacobus. Quasi dicat: Quidam oleo ungunt infirmos, nempe medici corporis; vos ungite sancto oleo aegrotos. Quid est oleum sanctum? Misericordia et beneficia. Vos opera charitatis exhibete, consolamini eos, servite eis, ungite eos, et quidquid opus est facite illis. Interim oratio, id est, fidelis oratio, oratio quae ex fide prodit, servabit eum, hoc est, proderit ei, leviorem faciet aegritudinem, aut tollet: si in peccatis est, dominus fideli piorum prece invocatus remittet. Si fiet ut levius ferat morbum, et in conscientia fiat tranquillior. Nos ex oleo nescio quae fecimus, tantum non salutem et remissionem peccatorum ei tribuentes.

Virtutes agunt in illo.) Hoc ansam praebet Marco, ut totam historiam refricet de Ioanne, quomodo sit ab Herode captus et interfectus. Videtur Herodes suis verbis velle innuere, quod corpus Ioannis iam ex mortuis vivificatum maiores virtutes faceret quam prius, dum adhuc in carne viveret. Est ergo in ea opinione, quod anima sit immortalis, et quod resurrectio carnis sit. Habemus autem exemplum tyrannorum in Herode: libenter enim audiebat, et bene sentiebat de eo et doctrina eius. Sic hodie multi sunt principes, qui ab initio praedicationis evangelicae libenter audiebant verbum dei, sed iam ob quaestum aut alios affectus evangelium persequuntur. Ioscphus pluribus verbis historiam Herodis persequitur.

Alii Heliam.) Sic varie adficitur populus, et Christo varia dat nomina, quum ille multis nominibus praecellat.

Non licet tibi habere uxorem fratris.) Nam hoc lex vetat Levit. 18. Philippus enim adhuc vixerat, dum raperet ei Herodes uxorem, et filiam ex eo susceperat Herodias. Si constans fuisset vir Herodes, nihil blanditiis mulierum motus fuisset. Dedit deus mulierem viro, ut nonnihil virilem gravitatem ac severitatem remolliat et leniat.

Quod si vir sic fiat mollis, ut se totum sub imperium det mulieris, iam actum est. Debet quidem vir mulieri nonnihil indulgere, utpote fragiliori et infirmiori vasi, sed ne quid nimis.

Caput Ioannis.) Hoc agit invidia, quum das illis quae petunt, sanguinem scilicet sanctorum qui veritatem asserunt, et qui earum sceleribus obstant, prae auro et argento aestimant.

Requiescite pusillum.) Ergo et suis requiem aliquando praebet Christus.

Et discubuerunt divisi in viridaria centeni et quinquageni.) Zhunderten vnd zfünfftzigen, id est: Da hundert, da fünfftzig; vel: Fünfftzig vnd hundert in einer rott. Ioannes post cibationem scribit, quod voluerint Christum regem facere, ipsumque fugisse in montem. Hoc Marcus omittit, et duntaxat transitus in montem meminit. Facit hic populus, qui miraculum tantum viderat, quemadmodum omnes solemus. Nemo sua sorte ac conditione contentus est, quisque ad altiora suspirat. Magnum est, dum nobis annunciatur gratia dei per Christum, viaque facilis ad coelum ostenditur, nec opus esse tot pecuniis ut peccata redimas, non esse alligatas piorum conscientias ad ceremonias, exemptos esse a pontificis tyrannide: haec enim libenter audimus. Sed sunt interim qui huiusmodi libertate ad licentiam carnis abutantur, negantes debitoribus debita, census, tributa, excutiunt iugum magistratus, negant obedientiam, tumultuantur et turbas excitant, parum considerantes finem; hinc aliquando in animae et corporis periculum incidunt. Quum vero sua culpa haec patiuntur, omnem culpam in praedicatores evangelii reiiciunt. Sic faciunt hic Iudaei, quum vidissent et experti essent virtutem et beneficentiam Christi, sua tantum quaerunt, ventrem suum curantes, quod eis Christus Ioan. 6. obprobrat. Volunt ergo Christum regem facere, sic nimirum cogitantes: Is dignus est imperio, potest enim nos cibare, potest nos a Caesaris tributo liberos reddere. At Christus, cuius regnum de hoc mundo non erat, non ob hoc venerat, ut ius Caesari Romano infringeret; renuit ergo coronam et fugit. Neque tamen sic effugere calumnias impiorum potuit, quin denique laesae maiestatis Caesareae reus, negati tributi et seditionis author haberetur, hocque nomine crucifigeretur.

Coegit eos.) Nam inviti avellebantur a Christo. Emphasim ergo quandam hoc habet.

Transmisso mari.) Hoc non intelligendum est quod in ulteriorem ripam transmiserint, sed in eodem littore navigaverint. Nam eodem littore mons est in quo pavit, et Bethsaida.

Et quum dimisisset eos.) Hoc est, quum amandasset. Est enim ἀποτάττειν mandato aliquem amandare; et refertur ad discipulos, non ad turbam.

Oravit.) Christo non fuit necessarium ut oraret, neque quatenus deus, neque quatenus homo. Nobis oravit, docuitque omnia petenda esse a deo patre. Orare est colloqui cum deo, et quasi familiariter confabulari. Nam et caro Christi ex longis molestiis et laboribus fatigata requiem quaerit, hoc est intermissis istis voluit cum deo colloqui et refici. Sic oratio nobis summa requies animi est. Nec

enim est alia consolatio maior, nulla iucundior respiratio, nulla quies gratior animae fideli, quam cum deo familiariter colloqui, et ex vera fide et spe mentem in deum transferre. Quum mors adest, quum hostis persequitur, quum nos trucidat et sanguinem nostrum fundit, neque amici iuvare, nec potentia eripere, nec opes redimere aut consolari possunt (quin stimuli sunt huiusmodi omnia ad impatientiam et dolorem: nam dicunt, Iniuste tibi haec fiunt, cur tibi hanc iniuriam inferunt; atque his sermonibus non addunt sed adimunt animum), sola fides constans, et immota spes vere consolantur, erigunt, et fulciunt, ut nusquam labascas, nusquam concidas. Fides inquam, quae sese in unicum deum coniicit, certissima spe et vera obedientia, qua te ipsius voluntati totum commendes, dicasque: Sic tibi placet o pater, sic est voluntas ante te etc. Iam oboritur menti piae tranquillitas, pax et gaudium, ut facile omnia ferat. Observa hic duplicem esse orationem, hoc est, orationem bifariam posse considerari: est enim in oratione caro et spiritus. Prima orationis facies est, quum aliquid petimus a deo quo caremus, quod quidem caro petit. Ac in ista oratione semper cruciatus aliquis est, curaque irrequieta, ut quum dicimus: Ah domine, cur permittis ut sic vexer? cur tam duram crucem mihi imponis? cur impiis tantum in nos permittis? Alia vero facies in oratione (quae vera est oratio) fides est, quae in solum deum respicit, in eius bonitatem, sapientiam, iustitiam, voluntatem, et huic firmiter haeret. Ex prima tandem in hanc partem delabitur, ut post multas querulationes dicat: Fiat voluntas tua, o pater, sic enim tibi placet etc. Utramque hanc faciem in oratione Christi videre est, quum caro imminente passione diceret: Pater transfer a me calicem istum! horrebat mortem et supplicium; sed mox subiicit, quasi corrigens affectum carnis: Veruntamen non mea sed tua voluntas fiat. Et hic spiritus orationis est, haerere firmiter deo, seque totum in eius voluntatem, ut in fortissimam petram, coniicere et resignare. Cruce enim fidem suorum probat deus.

Omnes viderunt eum.) Posset et iuxta Graecanica sic exponi: Et omnes noverunt eum, iuxta speciem scilicet et formam; tamen quum sic transiret, putabant eum spectrum esse. Matthaeus scribit Petrum ex navi domino occurrisse super aquas, clamasseque dum coepisset mergi: Domine serva me. In quo hoc discimus, non esse virium nostrarum, si quid facimus, quemadmodum nec Petri fuit, quod super aquas incederet: neque enim alas habebat. Quod vero super mare ambulat, divinae virtutis est, quae eum suffulcit. Mox ut sibi in hoc placebat, mergi coepit, ostenditque ei deus, hoc non suarum fuisse virium. Sic plerumque nobis evenit, quum nostra prudentia, fortitudine, aut potentia fidimus, mox mergi nos sinit deus: quum vero toto pectore deo fidimus, sublimiter incedimus. Nisi Petrus invocasset auxilium domini, prorsus periisset: hoc est, si non confisus fuisset dominum adfore.

Non enim intellexerant de panibus.) Hoc est, obliti erant miraculi tanti, quod iam iam dominus perpetrarat, quum viginti quinque millia quinque panibus cibasset. Et reddit quasi rationem, cur supra modum intra se stupuerint discipuli. Ex quo discimus multorum fidem

tardam esse et valde tepidam. At passus est dominus discipulos suos in multis labi, ignorare, et infirmos esse, ne infirmi in ecclesia desperarent, quum videant summos Apostolos tantum infirmitatis habere. Sed haec duntaxat ad discipulos Christi pertinent, qui eius verbum audiunt, ei adhaerent, et eum sequuntur, non ad hos qui verbum eius non audiunt, aut qui verbum eius persequuntur. Sic ex miraculis corporalibus consolationem animis nostris capere possumus. Nam si deus eorum miseretur qui fame torquentur corporis, illisque cibum providet, si illorum gerit curam qui tempestate aguntur in mari: quanto magis cibum animae dabit esurientibus et famelicis, quanto magis succurret his qui affectibus carnis aguntur et periclitantur?

Circumferre.) *Περιφέρειν*, est undique ex circumiacentibus locis ferre ad Christum.

Quotquot tangebant eum salvi fiebant.) Hic audimus divinam virtutem in Christo. Et haec signa corporalia non solum sunt figurae rerum spiritualium (ut quidam solent omnia per Allegoriam exponere), sed sunt certae probationes, deum non minus posse nec velle in animabus, quam exhibuerit in corporibus, ipsumque esse servatorem et curatorem animarum, qui se medicum corporum tam benigne exhibuit. Fuerunt ex doctis, qui mirati sunt, quod tres evangelistae Matthaeus Marcus et Lucas plus operae impenderint in conscribendis miraculis Christi, quam in eius doctrina, solus Ioannes plus aliis doctrinae insistat. At hi rem non diligenter expenderunt. Nam quandoquidem Christus praecipue Iudaeis missus est (quae gens signis miraculorum plurimum tribuit): Christus plura miracula fecit in terra Iudaea, quae solus deus facere potuit, ut ostenderet se filium dei esse, et sibi inesse virtutem divinam. Huc respexerunt tres priores in tam accurata miraculorum conscriptione, quibus discereinus Christum agnoscere, et ipsum eum esse qui potestatem et virtutem divinam habeat. Nam ex his beneficiis colligitur Christum esse verum deum, et benefactorem. Ioannes vero qui longe post scripsit, urgentibus haud dubie haereticis, qui Christi divinitatem negabant, rem sic orditur: Describit summam doctrinam et cognitionem Christi, summam unitatem Christi cum patre, et dei cum anima fideli. Et ostendit quod is qui talia fecit miracula, multo mirabilius sit loquutus, et abstrusa quaedam in lucem protulerit, etiam cogitationes eorum; item quod saepe se clarissimis verbis filium dei esse certo affirmarit. Et nititur hoc argumento: Vos non vultis credere operatorem tot miraculorum Christum, esse deum et filium dei, quem priores descripserunt. Nunc tamen in hoc credite, quod is tanta mysteria revelavit, quod tam sancta docuit, tantaque cum authoritate, ut nemo possit inficias ire, eum esse deum. Ipse denique sese filium dei esse dixit. Iam si hoc non fuisset verum, aut si mentitus fuisset: certe deus per eum tanta miracula non fuisset operatus. Nam deus non est cooperator mendacii, nec scelerum patronus. Videmus ergo utrosque ad eundem scopum collimasse in suis scriptis, tametsi non eadem via. Sic Christus ipse dicit Iudaeis: Scrutamini scripturas. Quasi diceret, nihil aliud doceo, quam quod in scripturis vestris proditum est, et testatum de me. Quare ergo non creditis mihi? Item alibi: Si verbis

meis non creditis (quae tamen erroris aut mendacii insimulare non potestis), saltem operibus credite. Fuerunt quidem et in veteri testamento qui miracula facerent, qui et mortuos suscitarent et infirmos curarent, ut Helias, Helisaeus, sed quis tot infirmitates, tot morbos et languores curavit, quot Christus? Describunt ergo Evangelistae tanto studio, tanta diligentia omnia opera Christi, ut discamus et certo sciamus et credamus talia signa et miracula, non signa solum esse (ne quis umbram aut figuram putet, non veritatem) sed certissima quaedam sigilla (Bewährnuſſen, nit zeychen oder bedütnuſſen), quod Christus sit verus deus, et filius aeternus dei, qui in hunc mundum venerit, ut omnes morbos nostros curaret et tolleret, non corporis duntaxat, sed et animorum. Si filius est dei, deus sit necesse est. Si deus est, summum bonum est, ad quem in omni calamitate, in omni morbo et necessitate nobis est accurrendum, quem unicum invocare, in quem unum sperare debemus, a quo uno nobis omnia petenda et certa fide expectanda sunt. Si deus est, unica salus est et consolatio animae, robur, cibus, vita interioris hominis. Dico ergo, quod externa et corporalia miracula, quae Christus fecit, certa argumenta sunt et solida divinae virtutis et bonitatis. Nam si tanta fuit ei cura sanandi corpora, certissimum est eum verum esse medicum et servatorem animarum. Ad hunc ergo solum anima peccatis onerata accurrat, apud hunc onera sua deponat. Quin non solum vir sanctus est et divinus, prophetaque excellens, quales in veteri testamento aliquot fuerunt, sed deus ipse. Interim tamen non inficior, hoc adumbrari et veluti in typo depingi in operibus Christi, quod quemadmodum undique aegroti ad Christum allati sanitatem receperunt, sic omnes curari qui ad Christum vera cum fide accedunt. Quocunque Christus venit, illic salutaris fuit. Sic ubicunque Christus annunciatur et per fidem recipitur, non potest id fieri sine magna utilitate et fructu. Christus enim neque Graecus est neque Iudaeus, sed vult omnes homines salvos fieri. Quicunque eum per fidem attingunt, sanitatem corporis et animae accipiunt. Deinde et hoc figuratur, quum Christus omnem corporis morbum in populo tollit et sanat, quum omnem immunditiam purgat, vult ut populus simus purus et sanctus, qui veritati et innocentiae studeat, ne huiusmodi morbis et affectibus simus obnoxii, qui per corporales morbos adumbrantur. Ingens ergo discrimen est inter significationem aut figuram, et inter certa et solida argumenta. Figurae nihil pugnant nec probare possunt. Argumenta vero et certae probationes robur habent, et tela sunt quibus contra contumaces et impios uti possumus.

CAPUT VII.

Marcus licet epitomen Matthaei scripserit, quae tamen apud Matthaeum obscura sunt, hic clarius digerit et explanat.

Et conveniunt ad eum Pharisaei.) Liberat nos hic locus ex ore Christi ab humanis traditionibus et doctrinis, quae omissis imo contemptis dei praeceptis, ad vitam et animae salutem ab hypocritis excogitatae sunt. Scribas pro doctis aliquando Hebraei, aliquando pro his utuntur qui scriptum faciunt. Christus Matth. 23. taxat Pharisaeos,

quod id quod foris esset in poculis purificarent, intus ipsis immundis et impuris existentibus. Hisce verbis in proposita similitudine perstat, et cum hoc docet quod proponit. Similitudo talis est: Sicut stulti sunt qui pocula extra mundant et lavant, intus vero non lavant, ubi tamen cibus et potus continetur: sic et vos stultissime facitis, qui omnia per hypocrisim et simulationem facitis, foris speciosi et sanctuli apparentes, sed intus estis pleni rapina, furto, cupiditate etc. Videri vultis sanctissimi, iustissimi, deum timentes, sed nihil minus estis. At Christus non ita manifeste et expresse similitudinem proponit, sed artificiose primam similitudinis partem ponens, in secunda parte doctrinam, et id cuius gratia parabolam adsumpserat, infert, Purgatis poculi patinaeque partem, caeterum intus plena sunt rapina et intemperantia etc. Statim antequam finiat similitudinem, ostendit, quid proposita similitudine intendat. Sic Ioannis 6. Qui edit me non esuriet, et qui credit in me, non sitiet. Cur hic non dixit: Qui potabit me non sitiet? Quia statim in secunda parte iudicare voluit, quid per edere et potare velit intelligi. Sic mos est Hebraeis in similitudinibus, sic saepe apud Paulum invenies adsumptas similitudines; sed simul docent etiam spiritualia.

Frustra me colunt.) Si apud veteres Iudaeos, ubi deus haec externa iusserat, nihil valebant, et a deo reiiciebantur: quanto minus apudChristianos? Ad corvos igitur cum illis: frustra enim sunt.

Audite me omnes et intelligite.) Attentos facit his verbis. Quasi diceret: Hic sermo ad omnes pertinet; quare diligenter auscultate, non corporis auribus solum, sed et animi, ut quae audiatis etiam intelligatis.

Nihil extra hominem etc.) De natura loquitur ciborum, non de abusu.

De similitudine.) Evangelista similitudinem vocat, quod similitudo non est sed sententia, γνώμη, sed in genere similitudo omnia comprehendit.

Adeo et vos caretis intelligentia.) Consolatur hic locus infirmos. Notat discipulos aliquamdiu fuisse infirmos in fide, et non intellexisse omnia quae dicebantur. Quare si non illico omnia quae dicuntur intelligimus, ne despondeamus animum; modo maneamus discipuli Christi, ut praeter verbum eius nihil recipiamus.

Non intrat in cor.) A corde peccamus, non a membris. Cor fons est et causa peccati: homo non peccat nisi cor consentiat.

Neminem voluit scire.) Inanem gloriam fugere docet. Sunt autem quaedam opera quae latere non possunt, nec debent etiam; sed sinistra manus nesciat quid faciat dextera.

Graecis.) Ἕλλησις pro Ethnica saepe capitur. Sic Paulus utitur hac voce quum dicit: Non est Iudaeus, non est Graecus, id est, Ethnicus.

Proiicere catellis.) Canes vocat gentes, Iudaeos filios. Dicat quis: Cur tam atrociter loquitur Christus, maxime quum sit et gentium salus? Ethologia est, imitatur morem Iudaeorum qui gentes abiiciebant ut canes, se filios dei dicentes. Quasi diceret: Tu mulier scis Messiam

solis Iudaeis filiis promissum esse. In hoc experitur fidem mulieris huius, quidnam de ipso sentiat, an velit ex impatientia et diffidentia resilire et spem abiicere. Differt ergo dominus quod postulat ipsa, ut plana fiat fides mulieris et omnibus nota. Agnosco (inquit) o domine bonitatem tuam, agnosco te Messiam et servatorem non solum Iudaeorum, sed et gentium. Ergo me non reiicies, nihil negabis; certo scio te mihi daturum quae peto, neque interim Iudaeis filiis aliquid decedet, si micarum me participem feceris. Magna profecto fides est huius mulieris. Haec est certissima probatio, quod preces nostrae exaudiuntur, si cum fide fiant. Item quod Christus omnibus eum invocantibus sit salutaris. Iudaeis promissus erat Christus, gentibus ex pura gratia dantur micae de pane filiorum.

Ut illi manum imponat.) Quod dominus manum admovet et eum tangit, fit propter eorum imbecillitatem: putabant enim melius habiturum si Christus eum attingat: condescendit igitur Christus eorum infirmitati et eum attingit, qui tamen nutu omnia potuit et effecit. Sic fiamus omnia omnibus, neque contemnamus infirmos!

Ingemuit.) Ingentem fervorem Christi ostendit, affectumque super caecitate et infirmitate nostra: gravissimi enim sunt affectus nostri. Quum enim de corporali surditate huius hominis ingemiscit, intelligendum nobis relinquit, caecitatem et surditatem mentis plus eum movere. Obsurduimus enim ad omnem veritatem.

Bene omnia fecit.) Praeterita verba pro praesentibus. Non tardat dominus nec differt beneficia: non medicorum more longo tempore morbos curat Christus, sed mox et sine mora. Hinc istae voces: Omnia bene facit, omnia recte, nec est quod possit ei resistere: mutos facit loqui, et surdos audire.

CAPUT VIII.

Miraculum de septem panibus non admodum dissimile priori, licet aliud sit. Ex iis iterum discimus, et certo cognoscimus Christum esse filium dei. Nam haec corporalia certissima sunt signa et argumenta divinae potentiae in Christo, et quod multo potentior ac proinor sit ad cibandum et salvandum animas.

Benedixit.) Id est gratias egit. Qui mos Hebraeis familiaris est, posito scilicet pane gratias agere, atque recognoscere beneficentiam dei, rogandoque ne abutantur eius donis. Neque nos inferiores in hoc debemus esse Iudaeis.

Quaerentes ab eo signum.) Saepe signa petunt Iudaei a Christo, ob hoc tanta cum diligentia miracula scribunt tres Evangelistae, ad confutandam perfidiam Iudaeorum, qui semper signa quaerebant, ac si vellent eis credere, et tamen his, quae plurima fecit Christus, nunquam crediderunt, ut nulla sit eis excusatio reliqua. Alicubi Christus dicit: Signa et faciem coeli nostis, et signa temporum non nostis. Quasi diceret: Vos Iudaei si vere docti essetis in scripturis divinis, si non essetis contentiosi: iamdudum ex scripturis didicissetis, tempus iam impletum esse. Habetis prophetiam Iacob: Quod non sit auferendum sceptrum ex Iuda, donec schilo veniat. Iam estis sub Romanorum

ditione, et sub Tetrarchis etc. Quare Iudaeis signa (quae tam anxie expetunt) non desunt.

In corde terrae.) Tropus est, et significat mortuum esse et sepultum in terra. Sic Germanice dicimus: Ein kül erdtrich wäre dem gſund, significantes illis verbis mortem et sepulturam.

Amen dico vobis, si dabitur.) Forma est iurandi et affirmandi Hebraica frequens scripturis. Praeponunt autem iuramentum Hebraei, aut per aposiopesim subticent, quemadmodum Germani postponunt: dicimus enim kumpſt du mir ins huß, ſo ghälf mir Gott niemar. Hebraei vero sic, Iuravit dominus: Si introibunt in requiem meam. Verum sensus est, Iudaeis nullum signum dandum esse. Dicis: Tamen signum Ionae fuit eis datum, ut patet Matth. 16 et 12. Sed Christus sic loquitur: Non dabitur eis signum cui crediturі sint, hoc est, nihil proficitur apud eos signis. Sic Germanice dicimus: Du wirſt den niemer leeren; hoc est: Tu perdis oleum et operam, non enim recipiet doctrinam. Sic Iudaei signo Ionae, quod eis datum fuit, non crediderunt; perinde ergo fuit ac si nunquam fuisset eis datum.

Non sumpserunt panes.) Hic locus aperte docet Christum saepe ansam sumpsisse a rebus corporeis docendi de spiritualibus. Sic Ioan. 6. quum dicit: Operemini cibum qui non perit. Docet quis sit panis vivus, qui solus animam reficiat, nempe filius dei. Nam quid nos sumus, quam omnium malorum sentina? In omnibus operibus etiam peccamus; quia caro nunquam quiescit, omnia foedat ac contaminat. Abducit autem eos a cura rerum corporalium, dicens:

Attendite a fermento.) Fermentum farinae commiscetur; intelligit ergo per fermentum societatem, coniunctionem, hypocrisim pharisaeorum. Foris enim simulabant sanctitatem, intus erant pleni sceleribus. Omnis monachatus quid aliud est quam hypocrisis et fermentum pharisaeorum? Quid sibi vult vestis peculiaris, quam videri velle prae aliis? Non est hominibus Christianis pestis nocentior quam hypocrisis. Doctrinam nominat Iesus fermentum Matth. 16. Sed per doctrinam sectas eorum et traditiones eorum intelligit: Jr art, ir wyß, nempe hypocrisim ac fucum, simulatam sanctimoniam.

Herodis fermentum.) Quid vero hoc? Num hypocrita fuit Herodes? Minime. Sed sacerdotes et pharisaei cum Herode iam convenerant et conspirarant contra Christum, et manu saeculari (quod aiunt) se contra Christum armare et defendere moliebantur. Ferre enim doctrinam Christi non poterant, quae eorum doctrinae ex diametro repugnabat. Hypocrisis omnis vi se tueri conatur. Sic hodie pontifices et abbates faciunt, magna pecuniarum vi principes conducunt contra simplicem doctrinam Christi, et eis tanquam venaticis canibus utuntur.

Imponit manus.) Quod tam saepe manus caeco imponit, propter eorum imbecillitatem fit, qui tactui aliquid tribuebant, ut supra.

Quaerebat num videret?) Quaerit qui omnia scit, non sua, sed caeci et aliorum causa.

Velut arbores.) Schema est Hebraicum: Videor mihi videre ligna quaedam. Nam qui e longinquo aliquid aspiciunt, primum non distincte internoscunt quid sit: intelligunt substantiam esse, deinde quum accedunt

propius, magis distincte norunt etc. Forte prius viderat: nam alioqui arbores non nosse poterat, vel si antea nihil unquam viderat, proteron est hysteron, ut prius describatur quod postea vidit. Fidei imbecillitas hic significatur, quae indies magis magisque crescit. Sic Paulus (nimirum Christi exemplo edoctus) primum lac praebet, deinde solidum cibum. Potuit omnino Christus vel absque contactu primo congressu reddere huic visum clarissimum, sed habet initia sua fides, habet progressum et augmentum. Nemo repente summus evadit: adcommodat ergo se deus nostris infirmitatibus. Aliquando benefacit nobis per proximum, quum idem possit absque proximo; sed hoc ideo fit, ut agnoscamus neminem tam esse perfectum, qui non aliquando ope et opera proximi indigeat. Deinde ut pauper materiam habeat, unde gratias agat, quum diviti beneficium fert acceptum.

Quem me dicunt homines?) Christus non Petrum duntaxat interrogat, sed omnes, non ergo solus respondet Petrus, sed vice caeterorum omnium: ut quum senatus per unum āliquem respondet. Quod si non esset, alius nimirum sic, alius sic dixisset, quisque suam sententiam. Quod vero Petrus omnium nomine sit locutus, patet clare Ioan. 6. Nam quum illic omnes fuissent interrogati, Petrus dicit: Nos credimus et cognovimus, quod tu es Christus filius dei vivi. Sub Petro iam omnes fideles intelliguntur: quicunque istam fidem confitentur Petri sunt. Hoc denique clarius fit, si loca quaedam contulerimus. Ioan. 6. Christus solum Philippum interrogat, Andreas solus respondet. In Marco 6. cap. omnes respondent, nimirum per Andream, ut Ioannes scribit: neque enim singuli dicebant: Quinque panes. Sic dicimus: Senatus dedit nobis responsum; alius dicit: Sententia nobis dicta est per scribam, vel consulem, et tamen semper est idem sermo. Verum tamen concedimus, Petrum inter caeteros authoritate quadam praecelluisse: nam ubi plures sunt, unus aliquis praeeat necesse est, qui rem ordiatur etc. Sed interim cavet semper Christus, ne quis sibi hoc arroget, et ne quis hac in re cristas erigat. Sic filios Zebedaei tonitrui filios nuncupat, nimirum quod ceteros sono praedicationis antecellerent. Facit hic Christus quod fieri a ludimagistro solet, qui quum in puero aliquo indolem aliquem prae caeteris animadvertit, indit ei nomen quod videtur indoli tali competere. Sic Petrum vocat, qui Simon erat, ob fidei nimirum firmitatem. Nam Christus ipse petra erat, non Petrus. Nec se Petrus unquam petram esse iactavit, quod ex ipsius epistola satis fit apertum, ubi de Christo angulari lapide mentionem facit. Exemplum, quum dico: Du biſt ein Kißling, und von dem kißling wil ich ein fhür ſchlahen. In secundo enim membro, orationem non refero ad eum qui Silex vocatur, sed ad verum siliçem a quo ille nomen est sortitus.

Portae inferorum.) Quod Paulus alibi dicit Potestatem tenebrarum, Christus hic Portas inferorum vocat, omnis satanae potestatem: sunt enim in portis fortiora munimenta.

Quod oporteret filium hominis pati.) Frequenter passionem suam et mortem discipulis praedicit, ne postea morte eius scandalizentur. Fuerunt enim qui indignum putarent, et indecorum esse filio dei, ut moreretur. Quasi dicat Christus: Ita profecto est ut dicitis: sum filius

dei, et scio vos hoc de me sentire et credere, sed videbitis me contemni, tradi, atque crucifigi ab illis. Ne igitur offendamini dum talia in me fieri videritis.

Increpare coepit.) Uterque alterum increpat, id est, dure et severiter alloquitur.

Vade post me satan.) Satan adversarium significat, qui obstat, qui nobis offendiculo est. Caro horret et fugit crucem, et consiliis huiusmodi utitur, quibus Petrus hic, contra eos qui constantes se pro veritate et iustitia periculis obiiciunt. Quid tu hanc rem tentas? quid hoc ad te? cur non sinis alios periclitari? cur tu te tot malis, tot odiis exponis? annon potes esse Christianus et tacere? et caetera. Adversus haec carnis consilia spiritus Christi prosilit, et aliud suadet, compescitque tam impias voces, et dicit: Cur parcerem vitae meae, quam propediem amittere cogor? cur non pro gloria dei vitam meam exponerem? cur me non totum pro illo darem, qui filium suum pro me in mortem dedit? Sic Christus reiicit stuporem illum, et increpat formidulosum. Quasi dicat: Petre tu facis quemadmodum omnis caro: ea tantum cogitas quae grata sunt carni, quae iucunda, quae suavia, interim non cogitas consilium et voluntatem dei etc. Cede ergo cum isthoc tuo metu et carnis affectu! patris decretum impleatur necesse est. Annon alioqui sat est mihi impedimentorum, nisi et tu me retrahas? Caro mea per se horret mortem, ut non sit opus frigidam suffundere. Sed sic oportet fieri, ut patris mei voluntas perficiatur. Via satis dura est et ardua, sed hanc me ingredi patris decretum est, nec cessandum mihi erit donec perficiam opus a patre commissum; opus est ut hoc poculum ebibam. Nec ego solum crucem hanc feram et subibo, sed quicunque me sequi volunt, crucem suam ferant, et omnia huius mundi contemnant necesse est. Qui enim vitae suae parcere voluerit, is perdet; qui vero eam mea causa perdiderit, is eam inveniet. Iam vehemens epiphonema seu epicherema ponit, dicens: Quid enim proderit homini si universum lucretur mundum, animae vero detrimentum patiatur? Hoc epicheremate sublevat eorum imbecillitatem. Quasi dicat, Macte virtute o discipuli, confidite et constantes estote! si propter me vitam perdideritis, reposita vobis erit apud deum, nolite formidare. Nam hoc certo affirmare vobis ausim, si vos mei puduerit coram tam impia Iudaeorum gente, si metus absterruerit vos, quo minus me coram illis confiteamini: pudebit et me vestri, fietque ut nec ego confitear et agnoscam vos coram patre meo coelesti.

CAPUT IX.

Sunt quidam stantes.) Sunt qui inter vos stant: ἑστηκότων, id est, qui iam stant seu versantur inter vos, quibus etiamnum gloriam maiestatis meae revelabo, palamque conspiciendam dabo, gustum scilicet virtutis et maiestatis meae, quam olim apud patrem habiturus sum. Loquitur autem de ea claritate et gloria quam ostendit eis in monte, dum eis alia effigie adparuit quam quotidiana.

Helias et Moses conspecti.) Summi viri veteris testamenti. Moses dux populi ex Aegypto, vir constantissimus et fidissimus in domo

domini; Helias propheta sanctissimus, qui in tanta conscleratione sceleribus constantissime restitit, et idololatriam quae sub Achab erecta erat excidit, instauravit cultum veri uniusque dei, non veritus impiissimum regem. Per Mosen lex, per Heliam prophetae adumbrantur: utrique testimonium ferunt Christo. Nam in lege et prophetis praefiguratus, promissus et praedicatus est Christus.

Et respondens Petrus.) Et tamen nemo loquebatur ad Petrum. Hic discimus hunc esse Hebraismum, qui (ענה) respondere, aliquando utuntur, etiam dum nemo loquitur aut interrogat, sed ad factum respondetur. Dum videt tantam Christi claritatem, respondit. Germanice diceremus: Und uff das redt Petrus, quum tamen nulla oratio, sed factum duntaxat praecesserat.

Non noverat quid loqueretur.) Indicat hoc Evangelista, quod inconveniens nimirum videri debuit Petro (si praemeditato loquutus fuisset) Christum illic manere, et non redire ad discipulos: nam quid illic erat acturus? Sic solemus in magna admiratione, magnisque periculis, in vehementi gaudio aut metu, loqui et effutire quae parum sobria sunt; praecurrentes verbis animum, temere irrumpimus in quaedam minus exacte discussa et perpensa.

Ne cui dicerent.) Exemplum nobis proponitur, quod ea quae difficilia sunt, aut quae non cito a plebe percipi possunt, et in quibus simplices prima fronte offenduntur, differri possunt et taceri aliquamdiu, ne sanctum proiiciatur canibus.

Tenuerunt apud sese verbum.) Conferebant inter se quid esset resurgere a mortuis. Hic resurgere a mortuis aut resurrectio mortuorum, capitur pro ea vita quae continuo sequitur mortem. Quasi dicat: O quam iucunda est resurrectio, id est, vita qua mortui vivunt post mortem! Nam animo iam abiecerant discipuli cuncta huius vitae desiderabilia, et illic habitare optabant: tantum delectationis haec adparitio eis attulerat. Quod autem resurrectio mortuorum (more Hebraico קום) vitam post mortem significet, patet ad Hebraeos 11. ubi dicit Paulus de sanctis, qui ob veritatem passi erant, Haec omnia passi sunt, ut meliorem invenirent resurrectionem, id est, ut vitam hanc meliori commutarent. Item Ioan. 6. Ego resuscitabo eum in novissimo die. Qui credit in me, transiit a morte in vitam. Confer locos. Sic intelligendum est de Sadducaeis, quod negaverint resurrectionem, carnis scilicet, non animarum immortalitatem: neque enim in tam crasso et foedo errore erant.

Heliam venisse.) Quemadmodum Helias olim restituit cultum veri dei, et populum vindicavit ab idololatria, ita et Ioannes Baptista praecursor Christi populum praeparavit et restituit. Ergo Christus per Heliam Ioannem intelligit, etiam Malachias. Helias enim Thisbites amplius non veniet.

Pharisaeos disceptantes.) Ita fit dum Christus abest. Ubi enim Christus non est, disceptamus, contendimus, concidimus. Simulque absente Christo tentatio infidelitatis subrepit. Mirabilis enim tentatio hic ponitur. Emiserat discipulos suos Christus, et dum reversi essent, iactabant se tales quibus daemonia obedirent, adque verbum eorum

exirent. Christus vero huiusmodi iactantiam verbis compescuit, dicens: Nolite in hoc gloriari, hoc est, nihil arrogetis vobis hac in re etc. Iam non possunt hoc daemonium eiicere, et ob id mire tentantur: nam abfuerat Christus cum tribus in monte. Scribae saepius disceptarunt cum Christo, discipulis, et turba. Hoc faciunt qui non vere pii sunt: contendunt etiam in apertissimis et aliquando in abstrusissimis locis coram simplici plebecula, ut elevent authoritatem ministrorum verborum dei coram plebe.

Magister attuli ad te filium meum.) Non adduxerat ad Christum, sed ad discipulos, sed in sermone hoc propositum adferendi filium animadverti debet: proposuerat enim pater filium ad Christum adducere, at Christus non aderat. Loquitur ergo ad intentionem suam, ut si quis Germanice dicat (ut supra memini) ich gieng hinuß gelt zu samlen, cui tamen debitores nihil dederint.

Generatio incredula.) Haec increpatio praecipue ad apostolos pertinet: taxat enim infidelitatem ipsorum, et ex compassione loquitur, ut dum pius pater condolet de peccato filii, simul increpationem miscens. At interim hac discipulorum obiurgatione occulte simul taxat Iudaeorum incredulitatem et eorum pertinaciam. Sic cum laudat discipulos, quum potestatem dat, quum vitam pollicetur, non ipsis solis hoc facit, sed omnibus fidelibus. Sic hic omnes infideles perstringit.

Et interrogavit patrem illius quantum temp.) Quaerit qui omnia novit, qui est aeterna sapientia patris, sed propter turbam astantem, et ut infidelitas patris et miraculum magis palam fieret coram turba, ne quis dubitare posset de virtute Christi, ne quis praestigias interpretaretur, ne quis fraudem aut collusionem subesse suspicaretur.

Quo perderet eum.) Hoc loquitur pater, non quod re ipsa sic sit, sed quod ipse sic sentit. Nam revera diabolus nihil in hominem potest, nisi quantum deus promittit. Si enim posset, non parceret, quin uno momento omnes perderet, qui primo homini non pepercit. Sed quum deus permittit, ut daemon vexet homines et corpora possideat, fit hoc ad probationem et confirmationem fidei nostrae. Nam dum videmus extra hunc mundum esse daemones, videmus nimirum esse aliam vitam post hanc vitam; intelligimus etiam angelos et bonos daemones esse qui nostra salute gaudeant.

Si potes.) Hic notatur infidelitas patris, quum dicit: Si potes, dubitat enim adhuc de virtute Christi. Non habet tantam fidem, quantam centurio, qui dicebat: Dic duntaxat verbum, et sanabitur puer meus.

Illud si.) *Τὸ εἰ*, elegans obiectio, quae refellit et taxat infidelitatem patris, qui dixerat: Si potes aliquid. Iam iisdem verbis utitur Christus ad refellendum hoc: Si potes credere. Mirabilis sermo et interrogatio Christi: Potes tu credere? Quasi facultas credendi in nobis sita sit, quum nemo credat, nisi quem pater trahit. Observandum ergo, quod is, tametsi parum erat fidelis, agnoscit tamen infirmitatem fidei, et plane confitetur verbis suis, fidem non esse humanarum virium, quum dicit:

Adiuva infidelitatem meam.) His verbis testatur fidem a solo deo esse, quare invocat Christum, ut fidem sibi adaugeat. Vide quam

bonus et simplex sit ille vir, quantumvis infirmus. Sunt apud nos qui magnificis verbis de fide intonant, iactant se esse Christianos, qui nihil sunt minus, quod ex fructibus eorum facile dignoscitur. Vi volunt esse fideles qui infideles sunt, non confitentur infidelitatem suam, non petunt augeri sibi fidem, quum infidelitati etiam pii obnoxii sint. Et hoc videre est in apostolis qui quotidie cum Christo erant. Fides talis est thesaurus, si a quopiam invenitur, magna cum diligentia custoditur, ne iterum diffluat, ne amittatur. Anxius est homo fidelis, et timet deum, cavet a sceleribus, unice soli deo studet placere, et innocenter coram oculis eius vivere, cum timore et tremore salutem suam operans.

Ego tibi impero, Exi ab eo.) Omnia potenter et cum authoritate agit Christus, ut turbae ostendat se esse filium dei.

Multum discerpsisset.) In eiiciendo daemon collidit et discerpit hominem, neque sine negotio et absque ululatu exit. Sic fit ubicunque daemon eiici se sentit. Papatus et doctrina Antichristi magno labore, magnis periculis eiicitur: obstrepunt enim Papistae et miris se modis torquent, in omnes formas se vertentes, totumque regnum Antichristi concutitur et fremit, ut nos simus tanquam oves mactationi destinatae. Multi sunt hostes, qui tum maxime fremunt et frendent, dum se impeti vident.

Hoc daemonium non eiicitur nisi.) Hic hypocritae, qui iactant suas orationes et eleemosynas multum urgent. Sed Christus non loquitur de ieiunio Papistico, aut oratione hypocritica. Non enim oratio est, multa verba profundere sine spiritu et mente, sed mentem cum gemitu et devotione in deum elevare. Hoc fides duntaxat facit. Quare (ut ego quidem iudico) Christus his verbis transitum facit a visibilibus ad invisibilia, quod saepe solet. Loquutus erat de daemonio quod eiecerat, iam transit ad daemonium infidelitatis, et dicit, ut in Matthaeo liquet: Incredulitas vestra in causa fuit, quod hoc daemonium expellere non potuistis, quae incredulitas daemonium quoddam est, et quidem grave, quod eiici et pelli non potest, nisi fideli oratione et ieiunio, hoc est, elevatione mentis per fidem in deum, et sobrietate ac carnis mortificatione. Oratio enim fidelis est, dum mens in deum fide erigitur et petitur a deo. Ieiunium vero est carnis mortificatio. Quasi dicat dominus: Dum sentitis hoc daemonium, hanc tentationem infidelitatis, erigite corda vestra in deum, clamate ad eum pro augmento fidei, instate orationibus, ieiunate quoque, id est, repugnate desideriis carnis, crucifigite et domate carnem, subducite carni fomenta, temperanter et sobrie vivite. Sic in monte Oliveti ad orationem est hortatus: Vigilate et orate ne intretis in tentationem. Quod vero de Papistico ieiunio, de hypocritica oratione hic nihil dixerit Christus, patet ex cap. 9. et 6. Matth. Quaerat quis: Quum antea dedisset potestatem eiiciendi daemones, cur iam eam rursus adimit, et in infidelitatem cadere permittit? Responsio: Ne putarent se suis viribus id fecisse, ne sibi quid usurparent virtutis divinae, ut humiliarentur, ut in omnibus discerent pendere ab ipso, omnia ab ipso peterent.

Et digressus illinc.) Lucas et Marcus hoc loco consonant, diversis verbis licet. Lucas enim dicit: Erat facies eius euntis in

Ierusalem, hoc est: Er hatt ſich gewendt gen Jeruſalem zegon. Quod Marcus sic effert: Voluit occultus esse, aut non sciri: hoc est, sic transire voluit Galilaeam versus Hierosolymam, ne plures rescirent, et offerrent aegrotos ut antea. Sciebat enim instare iamiam tempus suae passionis, quam et discipulis iis verbis praedicit: Ecce, ascendimus Hierosolymam etc. Matth. 20. Qui locus idem est cum praesentibus.

Et non intellexerunt.) Quomodo (inquis) tam clara verba intelligere non poterant? Quia sciebant confessique erant Christum esse filium dei, ut est Ioan. 6. Matth. 16. Non ergo colligere poterant qua ratione fieret, ut filius dei pateretur: item quae essent illae gentes quae eum essent occisurae. Neque succurrit eis publica potestas Romana, quae tamen Hierosolymis rerum potiebatur: nec credere potuerunt illud fieri posse a Iudaeis: quibus tot beneficia contulerat, eos nunquam tam ingratos fore putabant. Pugnabant ergo illa in apostolis. Sed haec omnia ordinatione divina fiebant, qui sinit nos aliquando oberrare et capit oculos nostros, ne eum agnoscamus, Luc. 24. donec sibi visum fuerit. Multae sunt scripturae loci, quos sero didicimus intelligere, qui tamen clarissimi erant, donec deus intellectum horum daret. Sic quotidie fides proficit etc. voluntate eius qui fidem dat.

Quis esset maior.) Huic contentioni ansam dedit, quod Petrum dare didrachmum iussit Christus pro se et ipso: putabant enim Christum in hoc Petrum aliis praefecisse. Neque haec contentio absque odio et invidia fuit. Πρῶτος primus, der fordert. Propter ordinem enim primus fit unus aliquis necesse est, ne sit confusio: sed nemo hoc sibi arroget! Eligatur qui talis esse debet: dominus ultimum locum occupare iubet, ne detrudaris cum rubore.

Ex talibus pueris.) Fideles pueris debent esse similes, innocentes scilicet et humiles, qui facile remittant iniuriam, qui non alta petant, hoc enim puerorum est ingenium.

Ne prohibeatis.) Mitis responsio Christi conformis spiritui eius. Nam Christus pignus est gratiae et pacis, omnisque mansuetudinis exemplum. Ioannes Iudaico quodam spiritu praeditus erat, carnali scilicet, qui omnia iuxta literam intelligit, ad vivum omnia resecat, et corticem tantum spectat. Putat enim omnes debere relictis omnibus, quemadmodum ipsi, Christum sequi, quique hoc non fecerit, Christianum esse non debere. Is autem de quo Ioannes hic loquitur, viderat aliquando discipulos eiicere daemonia, voluit ergo et ipse tentare, er wolt ouch ein verſuch ſtuck thun, vnd es geriedt jm. Hoc est, invocato nomine Iesu ex obsessis daemones pellit. Neque vero hinc colligamus verba ipsa habere aliquid virtutis, quemadmodum malefici dicunt. Duo sunt hic spectanda, quod Christus ambulans in terris, etiam absens facit miracula, ut doceat se esse verum dei filium, qui etiam absens curare possit. Secundo, quod adolescens ille debebat discere virtutem Christi, et eum agnoscere esse deum, quum in nomine (id est, in virtute eius) eiiceret daemonia, cum tamen Christum non audisset. Merito sic cogitare debebat: Ecce tanta est vis et virtus eius, ut etiam absens sciat te invocasse nomen eius, et operatus est; certe alius non potest esse nisi deus. Sed infirmitas fidei hoc non cogitat. Nihilo tamen

minus est aliquis gradus fidei in isto adolescente, quare Christus dicit: Non potest male de me loqui. Cur? Quia videt virtutem meam, quam meum nomen invocando expertus est, et non fuit contra me, tametsi eius fides adhuc infirma satis sit. Non est medium inter cum Christo esse, et contra Christum esse. Licet ergo nondum firmiter inhaereat totus Christo, adhuc tamen plus stat a parte Christi quam a parte satanae. Discimus hic exemplo Christi infirmos in fide ferre patienter, donec adolescant. Nemo superbiat de fide sua, etiamsi aliquantum praecurrat, quin potius humiliet sese et non gravetur cunctantem aut tarde sequentem expectare, modo sit in itinere, utcunque parum promoveat. Qui talis est non potest cito male loqui de Christo, cum quantulamcunque cognitionem Christi habeat. Hic videmus quod Christus aliquando ad invocationem sui nominis etiam infimo gradu existentibus operatur, ad honorem et manifestationem sui nominis, ad gloriam suam, ut virtus eius innotescat, ut is qui sentit virtutem eius ipsum agnoscat, vel certe si non agnoscat, induretur et reprobetur. Talis autem fides miraculorum, seu tenuis potius opinio fidei in Christum, in incipientibus non reiicitur, nec tamen fides illa est salvificans et iustificans quae per charitatem operatur; ergo si non proficiat nihil proderit ei, ut patet 1. Cor. 13. Porro Ioannem, ut haec ad Christum diceret, movit, quod iamiam praecesserat, nempe quod Christus dixerat: Vos non potuistis hoc daemonium eiicere propter infidelitatem vestram. Cogitat ergo Ioannes: Ecce is non sequitur Christum, et omnino infidelis est. Quomodo ergo daemonium eiicere potest, nos non possumus? Docet ergo Christus hoc peculiare quoddam esse, quo deus (dum sibi visum fuerit) ad manifestationem suae gloriae utatur. Hoc ergo exemplo Christi docemur, neminem contemnere aut abiicere, quamlibet infirmum. Nam Christus linum fumigans non extinguit, nec calamum quassatum conterit, quin infirmos adeo non contemnit, ut potum aquae frigidae suis datum remuneraturum se polliceatur. Rursus ne quis se fingat ita infirmum esse et fidelem, atque hoc praetextu offendat, iubet dominus ut membra offendentia resecemus. Neque tamen de qualibet levi aut privata offensione loquitur (nam talis septuagies septies fratri remittenda est) sed de iis offensis, quae in corpore Christi ferri nequaquam possunt nec debent. Oculum itaque (in Matthaeo idem est sensus sed non tam clarus) id est episcopos, praefectos, vigiles, magistratus, qui sapientia doctrina et vita aliis praeesse debent, exscindere iubet, si offendant. Deinde manus quorum auxilio et protectione nitimur. Pedes quoque, hoc est, socios, cognatos, et coniunctissimos.

Vermis eorum.) Per vermem poenam intelligit et cruciatum eorum qui damnantur, das nagen, der yfer, fräſſen, jamer. Loquitur autem de poena quae finem non est habitura. Facit hic locus contra Catabaptistas, qui et damnatis vitam aliquando dari promittunt, et animas post mortem corporis dormire docent. Nam si damnatorum poena aeterna est, quod Christus hic clare pronuntiat, nimirum et gaudium electorum post mortem incipit et aeternum est.

Igne salietur.) Christus apostolos suos in Matthaeo sal terrae

pronuntiat, idque propter doctrinam veritatis. Nam veritas amara est carni. In se quidem non debet esse amara nec truculenta, neque piis aspera est, sed carni. Ministrorum verbi est pugnare contra vitia, contraque affectus carnis. Nam sale condire, est vitiis obstare, et a corruptione carnis servare. Hoc si ministri non faciunt, sal sunt infatuatus et inutilis. Igne vero salire (quod hic dicitur) est tentatione probari: nam et crux a vitiis servat. Ignis symbolum est tribulationis et persequutionis. [1]) Quasi dicat Christus, Praecepi, ut offendentia membra abscindatis et abiiciatis. Ne ergo vos huius rei pigeat! hic

---

[1]) Aus der Handschrift, aus welcher die obigen Zusätze zu Matthäus sind, geben wir folgendes: Es wirt ein jetlicher Mensch gsalzen mit dem Für. Per ignem hic intelligit persecutionem 1. Cor. 3. Nam Matth. 5. Vos estis Sal i. e. vos, quibus evangelium commissum est, sind nüt anders dann ein Saltz, die fürkon sind mit ir Rüche, Süre, Räßi, Bittere, das nüt fule i. e. Ir sind wider alle Laster räß, bitter, die fürzekon. Dann wenn ihr uffhören räß sin i. e. nit me wider die Laster stan, so sind ir unnütz worden; haran glich wie man zu Zibellen spricht: Sind nienar me zu gut, dann das man üch hinußwerff i. e. nit me an disem Ampt hab 2 Reg. 15. Saltzen nimpt er für vergoumen, für fürkon i. e. a putredine servare. Ignis est signum probationis i. e. Es wirt ein jetlicher vergbumt mit Durchechtung, Widerwertikeit, das er nit in große Sünd falle. Et alludit ad excommunicationem q. d. lond üch nit duren, das man ſi also ußschlüßt. Es wirt inen zu gutem dienen, dann ſi werdent ſich beſſeren und vor Uebel verwaren 1 Cor. 5. Die Schmach wirt ſie bringen zu einem Rüwen. Ita etiam hic. Ein jetlicher Christenmensch wirt angefochten; darum laß es die glich sin wie ein Saltz, das dich vor Uebel vergoumpt. Omnis victima sale etc. Levit. 2. Ob man ſi schon nit aß, so mußt man dennocht alwegen Saltz darmit bringen. Also ouch die nüt anders sindt dann ein Opfer Gotts Rom. 12. 2 Cor. 2. die müssend gsaltzen werden i. e. mit Widerwertikeit angefochten. Si insulsus i. e. wenn es zum Narren wirt, glichwie der Zibellen, womit kann man es widerum bringen, ut supra. Sind ir ein unnütz Saltz worden, also das ir üwer Ampt nit me mit Trüwen verſehend, ſo ſol man üch an dem Ampt nit me laſſen sin. Habete in vobis salem i. e. lugendt, das ir die Widerwertikeit dultiglich tragindt, und das die Leer niemar under üch dannen komme! das wirt üch Friden gebereen. Quod autem Christus dixit: Habete in vobis i. e. lugend das ir üch habind tales, qui doctrina Dei eruditi sint; christenliche Zucht pfleginb; wo das, wirt warer Frid der Conſcientz sin und auch in ußeren Dingen; wo das nit, so werdent alle Ding zertrennt. Et per salem hic intelligi vult Christus die Arbeit, den Flyß des, der da saltzen sol i. e. des, der vor Uebel, Sünd, Laster verhüten und wachen sol. Sic Ieremiae: Ecce dedi verba mea in ore tuo i. e. das du under beden Geschlechten Iudae et Israel alle Uebel, alle Abgötterey ußrütiſt, das Gut widerum harin pflanziſt. Sic quoque Esaias. Ita etiam hic Christus wil, das man das Saltz behalte, und wo ein Ding fulen und zu nüt werden wil, das man das Saltz daruff und darin werffe, Preſten und Füli fürzekon. Ita etiam Paulus 2 Tim. 2. Argue, increpa, opportune, importune. Nisi adsit sal istud non erit pax, laſſet dicere: Ee wir sind daß zefriden gsin, ee und dise Leer kam quam nunc. Respondit: Ob man schon in den Laſtren Frid hat, so wärt er doch nit lang, dann es wil under den Bösen auch ein jetlicher der Obreſt sin. Et quandoquidem non possunt hoc assequi, da kumpt denn Haß, Verbunſt, Unfrid. At ubi sal i. e. da man unß für und für unſer Laſter beſprengt, anzeigt, da wirt denn Frid, Demuth, Beßrung, Endrung. Hoc verum esse patet. Wie aber Chriſtus unß ermant, ut salem hunc teneamus, so wend wir sin gar nit, ja verderben den, der damit umgadt; das schafft der Eigennutz quia das Saltz frißt, bißt, ſtrafft die ſchantlichen Laſter, zeigt die Preſten an, und wenn man dasſelb in Füli wirfft, so schrient ſi dicentes: Er iſt Zwingliſch.

enim ignis saliet, hoc est, proderit haec temporaria poena, et servabit corpus et membra a corruptione vitiorum. Et hoc est quod Paulus dicit 1. Cor. 5. Satanae tradi ad interitum carnis, ut spiritus salvus fiat, idque factum est in fornicario illo. Magis anxie clamamus ad deum, dum tribulamur. Alludit autem ad id quod in Levitico praecipitur, sal adhibendum esse in omni sacrificio. Nos victima sumus dei. Christianus homo viva est victima: quotidie enim se domino sacrificat, et totum offert: nam mortuus est peccato, vivit deo, vide Rom. 12. Psal. 43. Rom. 8. Sal ergo doctrina est, castigatio et disciplina ecclesiastica, severitas illa eorum qui speculatores et oculi sunt in ecclesia. Illi enim clamare debent, et vocem in tubae morem intendere, annunciareque populo scelera eorum. Et haec quidem dura et aspera videntur carni. Hieremiae quoque praecipitur, ut dissipet et evellat etc. Nam, ut est hypocrisis, omnes latere volumus et pii videri, quum simus pessimi. Opus ergo est episcopis qui personam hanc nobis detrahant, et scelera quae dissimulamus traducant. Hoc opus fuit prophetarum in veteri, et apostolorum in novo testamento. Dicit ergo:

Habete in vobis salem.) Graecanicum verbum plus est quam Habete, potius est Servate, Bhebend, bhaltend: hoc est, huc incumbite, ut semper sit in vobis, id est in ecclesia, sal et ignis, hoc est, ne usquam cesset doctrina, castigatio, disciplina: nam si sal desit, aut si sal acrorem suum amiserit, qua re salietis? Hoc est, si inter vos nulli fuerint qui scelcribus obstent, aut si illi qui sal esse debent, episcopi socordes fuerint et oscitantes, negligentes, muti, scelerati, et adfectibus dediti, corruptio paulatim irrepet, et totum corpus perdet. Idem intelligendum est de magistratibus, qui et ipsi oculus sunt et salem adhibere debent: sunt enim viva iustitia. Item, curate ut ignis semper ardeat, nec unquam extinguatur, hoc est, ut crucem et tribulationes patienter feratis.

Et pacem habebitis.) Et pro Tum. Si doctrina, si vitiorum castigatio, si crux inter vos viguerit, tum pax, et concordia, salusque inter vos constare poterit. Pax mundi est, dum ad gratiam loquimur, ad emerendum favorem, ut solent ambitiosi, interim tamen aliud meditantur in corde, foris simulant se bonos, quum intus sint pessimi. Habent (ut Paulus ait) cauterio notatam conscientiam. Pacem ergo intus nullam habent, sed vermem conscientiae. Pax vero conscientiarum intus est in animo, in corde, quum interim foris persequutio furat, et crux urgeat. Nam omnes qui pie vivere volunt in Christo Iesu persequutionem patientur. Intus ergo pax est, gaudium, consolatio, requies, foris adflictio, pressura, persequutio. Sic Christus: in mundo pressuram, in me habebitis pacem. Quod si omnes hanc internam pacem haberemus, cresceret inter nos subinde et pax externa.

CAPUT X.

Licet ne viro etc.) In Matthaeo locus hic clarior est. Nam illic additum est, quacunque ex causa, quae nimirum ratio est quare Iudaei interrogarint. Causam habes Deut. 24. Caro quantumvis bonas

habeat leges, semper contemnit, odit, et alias quaerit, circumvenit legem. Ita fit ut legibus multiplicatis, res indies deteriores fiant. Ubi pietas est, fides, charitas, paucissimis opus est legibus. Quare quum Iudaei legem dei convellerent, coactus Moses libellum repudii permisit maritis. Primum autem haec lex a Mose sic nimirum lata est, ut ea in maximis et arduis causis uti possent. Deinde mali bonis legibus pessime abusi, coeperunt quacunque levi ex causa repudiare uxores. Sic facit universa caro, leges scrutatur curiose, et dispicit si quid venari possit quod sibi commodum fuerit. Ex abusu igitur legis bonae moti Iudaei quaerunt: Num liceat marito uxorem repudiare quacunque de causa. Quasi dicerent: Videtur nobis res indigna esse, quaeque multorum vitiorum causa sit futura, si quisque pergat, ut coeptum est, uxorem suam repudiare; veniet lex Mosis in contemptum etc. Sic quidem orationem suam formant hypocritae, ut videantur dolere de legis transgressione, et vindices esse iustitiae, osores iniquitatis, quum nihil sint minus. Quid vero voluerunt? Christum invidiosum reddere turbae, si contra abusum quid diceret, aut transgressorem legis, si legem Mosis damnaret. Hoc enim carnis ingenium est, ut eos oderimus qui nostris adfectibus obstant et reluctantur.

Et dixit: Dimittet homo.) Ego puto hoc Dixit ad deum esse referendum, ut sit mandatum domini, ne quis dimittat uxorem suam.

Sed una caro.) Una caro, id est, unum corpus. Nam Baschar Hebraeis non solum carnem, sed et corpus et hominem aliquando significat.

Ob stuprum.) Graece est πορνεία, quod significat omne id quod extra matrimonium committitur. Quid vero si causa adulterio gravior incideret? Leges debent ampliter et large intelligi. Qui ob stuprum aut adulterium permittit repudiare uxores, nimirum ob maiores causas non vetat. Qui vetat: Ne ducas filiam fratris tui; nimirum et vetat: Ne tuam ipsius filiam ducas.

Ab initio non fuit sic.) Nimirum dum adhuc pietas, charitas, timor dei vigebat inter homines, tempore videlicet Abrahae, Isaac et Iacob etc.

Non expedit nubere.) Quasi dicerent: Res ardua est, habere uxorem morosam, nec eam posse repudiare. Respondet Iesus: Verum est, ardua quidem res est, sed magis ardua res est, omnino absque uxore vivere, continueque uri. Atque hinc nimirum sumpsit Paulus, quod dicit: Melius est nubere quam uri. Dum duae res incidunt difficiles, una autem altera difficilior est, satius est minus difficilem amplecti. Carnis ustionem et pruritum semper sentire, et vivere absque remedio, res est longe difficilima. Amplectendum igitur quod minus incommodum est, utcumque et suam molestiam habeat, nempe, uxor ducenda quantumvis sit morosa. Molestum quidem est habere uxorem morosam, sed molestius est irrequietum semper esse affectibusque carnis obnoxium. Matrimonium coniunctio est maris est foeminae, foedus quoddam longe sanctissimum, non tamen sacramentum, quatenus vero sacramentum est, in Christo et ecclesia est sacramentum; ut Paulus testatur. Nam si deus corporibus nostris tanta cura providit, ut sociam viro et adiuto-

rium tribueret, quae virum leniret, et onus omne sublevaret, quanto magis animas nostras curabit? Si ustioni corporis succurrit et remedium ordinavit, quanto magis mentis et conscientiae ustioni? Sicut ergo ut adimeret nobis irrequietam ustionem corporis, viro uxorem copulavit: sic Christum filium suum virum animae nostrae copulat, ut mentis nostrae carnificinam tollat. Quid vero est quod conscientiam angit et cruciat? Peccatum, quod ex transgressione legis in nobis oritur. Sed hoc Christus sanguine suo tollit. Sicut ergo adultera est quae praeter maritum alium admittit: sic adulter est quicunque alium admittit patronum, qui apud alium quam apud unum Christum opem quaerit et angustias deponit. Quare a deo fornicari, in sacris literis idololatria vocatur. Non ergo matrimonium signum est coniunctionis ecclesiae cum Christo (nam significare aut typum esse, nimis tenue est nec satis vim exprimit), sed est sacramentum, augustius quiddam scilicet et altius quam signum. Argumentum certum est matrimonium, deum abstulisse ustionem nostrae mentis, quum corpori tantum remedium dederit.

Quod deus coniunxit.) Lege aut definitione in scripturis non constat matrimonium, sicut nec baptismus; hoc est, non exprimitur quibus verbis, quo tempore, qua aetate, quibus cum personis ineundum sit. Ex historiis ergo sacris haec discenda. Sampson invito patre aut saltem inconsulto Philistinam duxit, nec tamen legitur quod pater irritum fecerit matrimonium. Esau ex Ethaeis uxores duxit exosas parentibus, neque tamen legimus per ipsos diremptum esse matrimonium postea. Rursus quum audiret displicere hoc patri, gratificans ei, duxit Melech ex stirpe Ismaelis. Exempla haec nos docent. Dicat quis: Ergo pater semper cogitur ferre; si eo invito contrahit filius? Factum Esau non probatur a patre, ergo propter inobedientiam reiicitur a primogenitura, sicut Ruben a patre. Ex quo iam discimus filiis aut filiabus, qui adhuc sub ditione et tutela patris sunt, non licere ut matrimonio se iungant invitis parentibus; quod si fecerint, exhaeredari a patre possunt. Sic apostoli matrimonia non separarunt, etiamsi alter esset infidelis, modo infidelis fidelem ferret et ei cohabitare vellet 1. Cor. 7. Sed de contractis matrimoniis hoc intelligendum: nam alias non permittitur fideli ut infideli nubat. Tunc ergo coniungit deus coniuges, quum iuxta ordinationem et voluntatem dei, tum etiam iuxta ius aut gentium aut civile coit matrimonium. Humana ergo traditio est non divina, quum dicunt: Consensum nudum constituere matrimonium. Iura autem gentium aut civilia tum bona et honesta sunt, quum ad ius naturae quam proxime accedunt. Pontificum autem ius iuri civili et iuri naturae vim facit, quum ex temerario et stulto puerorum consensu filios aut filias parentibus adimit et abalienat. Rursus si pater violentiam iuri naturali aut civili fecerit, a ministris legis plectendus est, hoc est, si tempus nubendi nimium differt. Standum igitur est piis, legibus communibus quae cum pietate et naturali honestate non pugnant. Potest enim quaelibet gens in externis istis rebus cum deo facere, ut sibi fuerit visum. Qui igitur istis legibus conveniunt, hos deus copulavit. Qui contra leges contrahunt, aut quibus lege vetitum est, eos deus non coniungit. Nam quae per magistratum (qui minister est dei)

sanciuntur et ordinantur ad reipublicae tranquillitatem et pacem, per spiritum dei ordinantur et sanciuntur.

Et attulerunt ad illum puellos.) Nimirum ex fide, putantes salutare fore pueris si eos magnus ille propheta attigisset. Discipuli vero prohibent, indignum nimirum arbitrantes Christo, si pueris occuparetur, qui doctrinae nondum erant capaces. At Christus cum indignatione refellit eorum opinionem, iubetque ad se venire puellos, oblatosque amplexatur, illisque benedicit, hoc est, bona eis imprecatur, fausta, felicia. Tales nobis exemplar proponit dominus, monetque ut illorum fiamus (si modo regnum coelorum introire volumus) similes. Quod vero Catabaptistae hic argutantur *talium* dixisse, non *illorum*, ostendunt inscitiam suam. Nam si vult nos illorum esse similes, obque hanc morum et innocentiae ac simplicitatis similitudinem nobis regnum coelorum promittit, quanto magis illorum est regnum quos nobis proponit? Amplexatur autem eos, ad significandum, quod in benedicto isto semine Abrahae essent in testamento, foedere, et promissione populi dei.

Praeceptor bone quid.) Locus hic clarissimus est de formatione interni hominis: docet enim quomodo interior homo uti divitiis debeat. Sunt enim quidam re pauperes, animo avarissimi et elati; sunt rursus rebus divites, animo pauperrimi. Qui vera fide imbuti non sunt, quum rumorem aut famam de aliquo docto aut sancto viro audiunt spargi, mox ad eum se conferunt, audituri quomodo serventur. Sic olim ad Monachos fraterculos et eremitas accurrimus. Haec vero omnia fiunt, aut quod fide caremus, aut quod viam simplicem et planam declinantes, aliam quaerimus. Adolescens ille Hebraeus erat, peritus procul dubio in lege dei, aut certe legis non ignarus (quod ex responsione eius notari potest). Quid ergo quaerit? Dicit: Servavi haec omnia a iuventute. Si servavit, haud dubie scivit legem. At Iudaei observatione legis se salvari credunt. Quorsum ergo haec interrogatio? Quid vero de salute dubitat, qui sibi de observatione legis est conscius? Sed intus aliquid habet, quod eum urget, nempe divitiarum spinas; interim sperat se aliquid a Christo auditurum, peculiare (inquam) aliquid, quod lege sit facilius et levius, excellens quid, quod non sit omnibus notum et familiare, quemadmodum lex. Sic fere omnes facimus, non intendimus oculos et mentem in ea quae deus iubet, sed nova quaedam et peculiaria quaerimus; quasi vero illis quae dei sunt optime et perfectissime essemus defuncti, fastidimus vetera, recentia et insolita cupimus. Quid vero in causa est? Deprehendimus sentimusque intus in conscientia (utcunque foris dissimulemus), nos aut legem iuxta mentem dei nunquam praestitisse, aut certe legis observatione salutem parari, conscientiamque tranquillari non posse. Quaerimus ergo aliud quod sarciat hoc quo caremus. Sic aliquando fecimus in indulgentiis, missis, peregrinationibus, votis etc. Quum sumus avari, adulteri, bellatores, sanguinarii, non ignoramus legem dei quam servandam praecepit, sed mallemus audire qui diceret: Da mihi partem rapinae, caetera tibi serva, et ego te absolvam.

Nisi solus deus.) Non se negat deum Christus hac responsione,

sed format responsionem suam ad interrogationem, seu potius mentem adolescentis. Adolescens enim non credidit eum esse deum, sed purum hominem. Respondet ergo Christus in hunc sensum: Quum sis Iudaeus, non ignoras solum et unicum deum esse bonum: quandoquidem vero me non credis deum, cur ergo me bonum appellitas?

Praecepta nosti.) Quaerat quis: Quare Christus adolescentem ad legem remittit, quum opera legis neminem iustificent? cur non dicit, ut alias saepe: Qui in me credit, habet vitam aeternam? item: Crede in me, et servaberis etc. Sed semper respondet Iudaeo qui ex observatione legis salutem statuebat. Quasi diceret: Tu quum sis Iudaeus, nimirum non dubitas te lege servari. Scis quae sunt praecepta: quid igitur opus, ut ultra legem quidquam a me requiras?

Omnia servavi a iuventute.) Hypocrisis haec est, cui fere omnes sumus obnoxii, putamus nos servasse praecepta, et iudices sumus nostri ipsius. Mentitur adolescens, nam si primum praeceptum servasset, scilicet: Diliges deum ex toto corde etc. non fuisset moestus factus ex verbis Christi, facile ei fuisset omnia relinquere propter deum. Si deus unicus thesaurus est animae nostrae, non deseremus ipsum opum gratia. Quod si perfide a deo deficimus, signum certum est, plus apud nos valere divitiarum respectum quam dei amorem, adeoque convincimur deum non ex toto corde amare super omnia. Hoc noluit fateri adolescens. Si primum illud praeceptum non servamus, nec reliqua servare possumus: servato primo cetera omnia servantur. Si deus unicus est thesaurus, omnia propter eum et pati et facere parati sumus. De hoc thesauro Matth. 13. quem homo inventum abscondit, omniaque prae illo contemnit et descrit. Hoc est quod Paulus dicit: Quidquid non ex fide est, peccatum est; ergo quidquid ex fide profluit, bonum est, tantoque melius et deo acceptius quanto magis ex fide, vel quanto maiori ex fide. Sic Samuel aiebat ad Saul: Fac quaecunque invenerit manus tua, quia dominus tecum est. 1. Reg. 10. Dixerat autem antea, Spiritus domini in te insiliet, et mutaberis in virum alterum. Rursus, si hic thesaurus non unice a nobis amatur, sed divitiae, honores, voluptates huius mundi, iam posthabito deo talia sequimur. Sic videmus adolescentem istum hypocritam fuisse: satis esse duxit, quod utcunque praecepta servasset, iudexque in causa sua fuit. Sed non sic fieri oportet fratres, sed iudicium domino committendum est, etiamsi omnia exacte praestiterimus, quae ipse praecepit. Ipse sit censor nostrorum operum, qui sapientissimus et optimus est, et qui falli nequit. Coram eius iudicio omnia opera nostra quantumcunque speciosa et bona, impura et immunda reperientur. Accipiamus unam eleemosynam, et percurramus eam, et innumera vitia inveniemus, quae opus, alioqui bonum, perdunt et impurant. Aliquando non datur in nomine domini, ab illis videlicet, qui non dei amore, sed ut se ab inferorum poenis redimant, dant. Alii venantur adplausum vulgi et gloriam. Dant quidam sed tristes, pigetque dare, atque nisi calumnias metuerent nihil darent: sed hilarem datorem requirit et diligit deus, et animum spontaneum. Vel non ea mensura dant qua sibi dari vellent: Omnia enim (dicit Christus) quae vultis vobis fieri, et vos aliis facite. Quidam

dant contemptim et neglectim; maledictus autem qui facit opus domini negligenter. Quidam dant miseria et calamitate victi accipientis, non ex dei proximique dilectione. Quomodo charitas dei est in illis? 1. Ioannis 3. Quis non dat ut potiora sibi servet? aut quis non dat ut dedisse videatur? aut non videatur non dedisse? Tot igitur vitia imminent huic indubie bono operi, ut nemini sperandum sit id ipsum digne posse efficere. Quo igitur pacto gloriari possumus servasse nos mandata dei, aut quomodo iustitiae dei satisfaciemus, si tam pium opus sic a nullis fit, ut mercede dignum aestimari possit ab aequo pioque iudice? Sic percurre omnia quae facimus, et non minora, imo maiora videbis in quaedam incidere vitia. Oramus multi, ut orare videamur, Matth. 6. Oramus commodi nostri causa, divitias petentes, delicias, uxorem bene dotatam, honores, imperia, regna, ut sancti habeamur ac dii, imo prorsus ignoramus quid petamus Rom. 8. Ieiunamus aliquando propter parsimoniam; pallore et macie sanctimoniam simulamus, vel ut iciunantibus bellaria opiparique cibi praeparentur: vel ex sorditie ut penui parcamus: vel ex superstitione, et ut opus deinde nostro arbitrio aestimemus. Quum ergo in ipsis operibus bonis sic iacemus, sic frigemus, sic distrahimur, quomodo gloriari ex operibus possumus? Opera bona sunt quae deus praecipit, sed eatenus sunt bona, quatenus ea acceptat deus et grata habet. Quod ad nos attinet, bona non sunt, nec illa. Nam nos aut imperfecte, aut tarde, aut neglectim facimus quaecunque facimus, miscemus nostros affectus, impuramus ea nostro stercore. Igitur Esaias dicit, omnes iustitias nostras esse, ut pannum menstruatae. Et David: Non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Et Christus ipse pronunciat: Quum feceritis omnia quae sunt vobis praecepta, dicite: Inutiles servi sumus. Nihil ergo operibus nostris aliud meremur quam maledictionem: Nam maledictus qui facit opus dei negligenter. Quis vero negligentiae erit immunis? Opera ergo dei quum fecerimus, dicamus: Pater remitte nobis debita nostra; et: Non intres in iudicium cum servo, verebar omnia opera mea, Servi inutiles sumus etc. Nec dicamus, Servavimus haec a iuventute nostra, ne hypocriseos adcusemur, ne aestimemus opera nostra, ne praemium postulemus, ne velimus esse iusti hisce operibus: deus est qui iudicat et aestimat. Nihil rectum, nihil bonum, nihil deo dignum unquam ordiemur, nisi in vite, hoc est in Christo simus: hinc enim succum roburque nisi hauserimus, arescemus, et in ignem mittemur. At in deo non manet, qui succum ex se ipso trahit ex quo fructum prodat. Quae enim ex nobis sunt, carnalia sunt; quae autem carnalia nostratiaque sunt, deo sunt inimica. Rom. 8. In deo ergo solo manet mens pia, eius verbum unice audit, eo solo fidit. Solus enim deus bonus est, ergo non aliunde bonum petendum, imo nec sperandum est, quam a solo deo. Nos enim tam alieni sumus, ab omni bono, ut Christus suos discipulos et quicunque eum in vitam sequi volunt, iubeat, ut sese abnegent totos. Neque enim hoc uni aut alteri dictum est, sed in universum singulatimque omnibus. Nihil ergo aliunde recti bonique, quam a solo deo sperandum est. Solus ergo audiendus, a quo solo quidquam usquam est boni proficiscitur. Is voce de coelo lapsa monet, ut Christum filium eius audiamus eique

credamus. Et Christus dicit: Qui in me credit habet vitam aeternam. Sic Christianus habet quotidie quod speret, nempe se salutem et vitam habere apud deum per Christum, imo se in Christo iam vivere et salvum esse. Habet autem nihilominus etiam quod metuat, quod defleat, nempe carnis affectus qui spiritui reluctantur. Athleta ergo est, qui in continua pugna hostem excipit: non est quod dormiat in utramque aurem securus, sed stare eum oportet semper in statione, vigilare et orare, ne dominus sinat eum incidere in tentationes: semper est ei clamandum ad dominum pro ope, pro auxilio: Domine adauge nobis fidem, Confirma hoc deus, quod operatus es in nobis, et caetera.

Iesus autem intuitus eum.) ἠγάπησεν αὐτόν. Hoc est, non excepit eum durius, nec increpavit, sed amice compellans humaniter respondit. Potuisset non iniuria dicere Christus: o hypocrita, quare gloriaris te servasse, quae servare nemo nisi per fidem potest? Sed nihil tale loquitur, blande ac mansuete erudit dicens: Unum tibi deest. Sic Marthae Lucae 10. Unum est necessarium. Nam illic a corporali ministerio, hic a divitiis docendi ansam capit de coelesti et aeterno thesauro.

Abi quaecunque habes vende.) Praemisimus ab initio huius historiae, praecepta hic esse de formando interno homine; non ergo cortex horum verborum aspiciendus est, sed penetrandum ad spiritum et mentem Christi. Non ergo praeceptum est, quod iubeat ilico omnia abiicere, sed potius elenchus et probatio. Ostendere enim vult Christus adolescenti, quod non servaverit praecepta; falso igitur haec et temere factitasse. Hoc ergo indice probat ac protrahit adolescentem, ut sibi ipsi fiat notus, num scilicet deum sic super omnia diligat (nam hoc se fecisse gloriabatur) ut eius gratia cuncta huius mundi relinquere et contemnere paratus sit. Nam quod adolescens iste legem servarat, plus studium fuit placendi hominibus quam deo, quod ex eo certo colligi potest, quod moestus fit ex verbis Christi, et cum dolore abit. Hic ergo discimus, quid sit legem praestare externa quadam observatione; et quid sit toto corde et indivulse deo solo inhaerere, niti, et fidere. Hoc igitur indice probent se divites, num deum sincere et vere diligant super omnia, num scilicet illius amore omnia (quum sic gloria dei flagitaret) deserere et negligere possint. Hunc thesaurum si corde possident, si illum prae omnibus rebus creatis in pretio habent, primum servant praeceptum, non ergo erit eis difficile propter deum omnia amittere. Imo cum gaudio relinquent, parati ferre omnia vel mortem ipsam, ne hunc thesaurum amittant.

Abiit moestus.) Vides ut pudefactus et rubore suffusus adolescens discedit, quod signum est, conscientiam eius ex verbis Christi tactam esse et victam.

Et quum circumspexisset.) περιβλεψάμενος. Hoc cum magna emphasi dicitur: nam quid magni dixisset Evangelista, si dixisset dominum circumspexisse? saepe enim Christus circumspexit. Sed peculiarem usum habet hoc circumspexit. Quum enim dicimus quaedam quibus arguimus et castigamus, oculorum quoque nutu, et vultus ad caeteros versione indicamus, et quasi loquimur. Quasi diceret: Ecce qualis sit hypocrisis, quam difficile sit eos ingredi qui divitias possident.

Discipuli obstupefacti.) Ex admiratione nimirum, carnem verborum Christi duntaxat, non spiritum spectantes. Intellexerunt enim, quod qui sequi Christum, et vitam aeternam adipisci vellet, cogeretur omnia abiicere, et ob hoc admirantur. Hoc si voluisset Christus, durior esset gratia quam lex. Sed Christus his verbis interpretatur legem, non novam sancit, hoc est, docet nos esse impuros et peccatores, quantumvis opera legis faciamus, quod Christus mox sequentibus verbis clarius indicat, dicens:

Filii, quam difficile est eos qui fiduciam habent in pecuniis.) Quo dicto vehementius terrentur. Iam enim intelligunt, Christum de internis affectibus loqui, et urgere ut cordis desideria pura sint: supra modum enim admirantur, et ex ista admiratione dicunt:

Quis potest ergo salvus esse?) Si hoc postremum de abiectione divitiarum externa intellexissent, non de affectibus, non fuissent territi vehementer, quia nihil habebant amplius: omnia iam reliquerant, ut mox sequetur. Intelligunt ergo Christum loqui de interiori affectu, qui tam purus esse debet, ut nullo modo in divitiis haereat, et ob hanc causam quaerunt quis possit esse salvus.

Intuitus autem Iesus.) ἐμβλέψας iterum emphasim habet: loquitur enim et oculis Iesus.

Apud homines impos.) Hic ostendit Christus quod per ipsum solum sit aditus ad deum. Per solum Christum salus est et vita aeterna credentibus. Quod hic dicit: Qui fiduciam habent in divitiis, in Luca dicit: Vae vobis divitibus, qui habetis hic consolationem vestram. Contra, bene illis qui in divitiis non sperant etiamsi habeant, qui fiduciam nullam in iis ponunt, sed in deo vivente: vide 1. Timoth. 6. Nam raro fit, ut divitiis non insolescant homines; praecipit ergo Paulus ne elato sint animo. Animant divitiae et spiritum addunt, ſy blaaſend vf, ſy bläyend, ſy machend mut, aber hochmut. Item ne spem in illis incertis et fluxis rebus collocent, sed in deo vivente. Tertio, ut benefaciant caeteris, benefici sint.

Ecce nos reliquimus omnia.) Haec ad superiora sequuntur, iisque clarescet magis superior textus. Nam in superioribus Christus non loquutus est de certa summa divitiarum, sed generaliter de omnibus quantumvis parvis quae hominem possident. Si enim certum numerum divitiarum intelligere voluisset, posset se quilibet excusare, et dicere: Ego non sum tam dives quam ille. Rursus alius qui ditissimus fuerit, reiiceret maiores divitias in alium quempiam ditiorem. Quare Apostoli qui non multa reliquerant, dicunt se omnia reliquisse. Si videris divitem aliquem, non dic: ille haeret in divitiis, sed te ipsum inspice, et cogita quo tu erga tuas parvas opes sis animo adfectus.

Nullus est qui reliquit.) Pater et mater, relinquendi si obstent Christo: nam si propter uxorem derelinquendi sunt, quanto magis propter Christum? Quod si parentes infideles sunt, sinunt autem te esse fidelem, nec tibi Christum sequenti obstant: derelinquendi non sunt, quemadmodum Paulus de impari connubio docet. Idem intellige de uxore, liberis et caeteris omnibus. Nam qui suis non providet, infideli

deterior est. Evangelium equidem curam et amorem naturalem non evacuat aut exscindit, sed perficit potius.

Centuplum in hac vita.) Nam omnes Christiani unum sunt corpus; gaudet ergo quisque fidelis tantum de proximi possessione, quantum de sua. Ecce quot divitias possidet vere fidelis. Iam qui ob Christum unum fratrem perdit, infinitos eius loco adquirit: si domum aut agros, totam terram habebit possessionem. Sed hic diligenter perspiciendum, ne quae ob pertinaciam aut nostros affectus patimur, dicamus nos ob Christum passos. Nam transfigurat se satan in angelum lucis nonnunquam, atque non raro nostris affectibus Christum mire praeteximus. Oportet discernere inter fidei et spiritus constantiam, et inter carnis contumaciam et pertinaciam.

Erunt primi novissimi.) Haec ad vocationem gentium, et abiectionem Iudaeorum pertinent.

Ecce ascendimus Hierosolyma.) Saepe repetit se passurum Hierosolymis, sed subinde clarius; quare Apostoli admirantur et timent, qui tamen hoc idem saepe numero audierant. Ignoramus quid extorqueat nobis metus mortis dum adhuc a morte longius absumus, sed quum morti adpropinquamus, tum demum sentimus, quam infirma sit caro, ut videre est in Apostolis, imo in Christo ipso. Committere ergo nos totos debemus deo, sine quo nihil possumus, rogareque ardentissimis votis, ut is nos animet, fulciat, ac corroboret. Petendum sine intermissione, ne nos inducat in tentationem, ut manu praebita nos teneat, ne usquam succumbamus. Tum certe maxime tentamur, tum etiam labimur, dum nostris viribus aliquid tribuimus, aut dum nobis fidimus: tum enim gloriae Christi auferimus quod suum est, et nobis arrogamus. Quum vero nos tentat deus, erudit nos sub cruce, et vult nos erigere quia graviter cecidimus. Hoc vero certo nobis persuasum esse debet, deum semper nobis adesse. Quemadmodum enim deus non vult, ut brachio carnis usquam fidamus: ita non vult, ut brachium carnis timeamus, quo minus quae iusta et divina sunt exequamur.

Praeceptor volumus.) Id est, cupimus. Sic: Quid vultis, id est, quid cupitis? Quidquid petierimus des nobis. Imperio quodam utuntur, et sic petunt quasi fas non sit negare. Non intellexerant discipuli quod de resurrectione Christus dixerat, sed more Hebraico surgere pro incolumem aut firmum manere (Kum). Putabant tametsi Christus passurus esset, tamen in vita eum mansurum, et regnaturum in gloria, sed mundano more. Cupiunt ergo, ut et ipsi aliquid sint in isto regno.

Poculum.) Pro passione, sic etiam Baptismus. Cur ergo in verbis coenae non ita intelligimus? Filii Zebedaei per matrem petunt, ut patet ex Matthaeo, quod tamen ipsis attribuitur. Sed respondet Christus authoribus non matri.

Possumus.) Temeritas est carnis, dum sperat quod cupit se assecuturam. Sperabant Christum subiecturum: Sedebitis ergo unus ad dexteram, alter ad sinistram. Sic omnes temere et inconsiderate pollicemur magna, quae praestare minime valemus.

Poculum meum quidem bibetis.) Num et apostoli crucifixi sunt?

Num et eorum mors nobis profuit? Minime, sed de passione in genere loquitur Christus. Quasi dicat Christus: et vos passuri estis.

Non est meum.) Quod ad humanitatem attinet. Ad dexteram dei sedere mihi tanquam filio eius ordinavit deus, et deinde quibus ipse vult. Quandoquidem me non aliter quam purum hominem consideratis, scitote quod iuxta humanam naturam non est meum. Reliquerant omnia, iam rursus gloriam et honorem ambiunt. Quare arx fidei magna custodia servari et custodiri debet: nam redeunt affectus, quibus renunciavimus. Graviter hic impingunt et cadunt apostoli. Idem nobis omnibus evenit, si non immotis oculis in Christum respexerimus, si non instanter vigilaverimus et oraverimus dominum pro auxilio et gratia ne inducat in tentationes. O domine rursus cecidi, et tamen interim videri volui Christianus, adiuva domine, impetum in me fecit affectus, iterum deiecit me, caro vicit, redde mihi laetitiam cordis, innova spiritum, erige me et manum praebe. Christus dicebat apostolis: tempus vestrum semper est, meum non item. Nam Christi passio praedicta erat, definitum erat tempus, definitus locus, apostolorum non sic.

Dominium exercent.) *Κατακυριεύουσιν αὐτῶν.* Graecanica vox plus est quam regere vel dominari, plus ferociae et violentiae habet quam iuris et aequitatis. Nam tales fere plus per violentiam agunt quam iure et aequitate. Bewaltigen, herrſchen, ferocia quadam et violentia mixtum imperium. Atque hoc vos omnino non decet. Tametsi enim verbum suam habet authoritatem, nullam tamen habet violentiam. Quandoquidem vero hoc vitii cognatum est domino, nolim vos esse reges et principes mundi. Neque Christus hic vult dicere, quod in populo Christiano non sint, aut non esse debeant magistratus aut principes, egent enim huiusmodi moderatoribus respublicae, sed distinguit inter eos, qui super corpora regnant et dominantur, et inter eos qui verbo docent, consolantur, et erigunt adflictas conscientias. Hic bifariam peccatum est. Papa cum suis primum in conscientias violenter irrupit, deinde in corpora et res hominum: voluerunt enim et terreni principes esse. Contra, principes terreni violentiam in corpora et res exercent, deinde etiam conscientias stringunt et capiunt, prohibent praedicari verbum dei, et imperant multa facere contra conscientiam.

Qui voluerit esse magnus.) Si membrum in corpore cupit esse magnum, magna faciat, maiora beneficia aliis praestet, studeat prae caeteris iustitiae et innocentiae. Primus, id est, praecipuus.

Filius hominis non venit.) Se ipsum exemplar proponit. Sic Ioan. 13. Exemplum enim dedi vobis. Per communicationem idiomatum se filium dei intelligit. Nam magnum non esset, si homo purus homini ministret. Dicit ergo: Filius hominis, id est, ego, qui etiam sum filius dei, veni e coelo ut vobis ministrarem, quod permagnum est: in hoc enim formam servi accepi, Philip. 2. Hoc exemplum Christi omnes Christiani imitari debent.

Abiecto pallio.) Si is pallium excutit et abiicit ob visum corporalem: quid non abiicere debemus, ut lucem Christum recipere et tenere possimus? Pallium, omne illud est quod circa nos est.

CAPUT XI.

Et quum adpropinquant Hierosol.) Voluit Christus hoc facto inconstantiam carnis indicare. Nam quum inequitat, omnia patent, omnia honore eum excipiunt, statim eodem die incoenatus exire cogitur. Et qui iam Hoschiana canunt, vestes sternunt, laeti excipiunt, post paucos dies clamant, Crucifige, crucifige eum, Tolle hunc! Non hunc, sed Barrabam etc. Sic hodie fit per eos qui mendaciis veritatem extinguunt. Sciunt enim si vulgus audiret veritatem, mendaciis valedictis, veritatem reciperet. Docet ergo Christus brachio carnis non fidere.

Hoschiana.) Verbum est quod adclamatur regibus: Ach mach heyl; vel: ô biß ein heyland, bschirm vns, bhalt vns ꝛc. Quod nulli unquam regum magis proprie et vere convenit quàm Christo Iesu aeterno regi. Nam a salute nomen habet Iesus, Ioschua. Viderant enim Iudaei virtutem Christi ingentem, quod servasset et curasset multos aegrotos, imo omnes quotquot ei adducebantur.

Circumspexisset.) Et oculis et vultu terret eos, etiam visu indignationem suam ostendens.

Et non erat tempus ficuum.) Hoc adiicit Evangelista, ut intelligamus Christum accessisse ad arborem non edendi gratia, sed aliquid praefigurandi. Simulat ergo se esurientem, ut ab omnibus rebus docendi spiritualia ansam capiat. Arbore itaque folia tantum habente, non fructum, ficta fides et hypocrisis adumbratur. Voluit veram fidem plantare in apostolis, quae nunquam est sine bonis operibus. Nihil enim est, si dicas ore Dominum Iesum, si dicas Domine domine, si dicas Templum domini etc. nisi Christum induas, exprimas, vivas, innocentiaeque studeas, nisi templum sis vivum et sanctum domini, nisi hunc dominum metuas, ames, colas, praeceptaque eius serves, nisi intus sis fide et charitate ornatus, nisi in Christo maneas, et ipse ex te eluceat. Nihil pestilentius, nihil deo magis invisum quam hypocrisis.

Et eiecit vendentes.) Sacerdotes veteris testamenti plus curabant commodum suum, quam officium, non contenti decimis, primitiis, oblationibus etc. quotidie novi aliquid excogitabant quo populum degluberent, quod eis obiicit Christus Matthaei 15 et 23 cap. Officium eorum erat, expiare populum et ad deum adducere, hoc negligebant, et sua curabant. Sic a sacerdotibus novi testamenti factum est, qui quum gratuitam misericordiam dei per Christum poenitentibus praedicare debuerant, indulgentias, missas et caetera huiusmodi innumera commenti sunt, ut non a vivis tantum sed et a defunctis tributa exigerent.

Columbas.) Sic nos: Bläſi hüner, Appollinaris hüner ꝛc. Haec saepe redimebantur.

Domus mea.) Vocabitur domus orationis, id est, est. Sic filius altissimi vocabitur, id est, est filius dei. Omnibus gentibus. Synecdocham puto esse, nam et gentes illic adorarunt. Templum dei sanctum est, continens pro contento. Nam tunc templum sanctum est, quum nos, qui in templis convenimus, sancti sumus. Neque templum Hierosolymis sanctum erat, nisi quatenus Iudaei sancti erant. Nos templum dei vivum sumus, 1. Cor. 5.

Spelunca latronum.) Dicat quis: Quid officiebat quod columbas

vendebant in templo? num hoc latrocinium erat? Minime, sed istis rebus abducebant populum a vera pietate, a fide in solum deum ad opera externa, ut confiderent in ceremonias: hoc iam erat interficere animas, atque deo, vera vita, abducere. Videmus ergo Christo non tam templum externum curae esse, quam synagogam Iudaicam et animarum salutem.

Tota turba admirabatur.) Tota enim civitas commota erat in eius introitu. De consilio Iudaeorum contra Christum Ioannes clarius dicit. Causa erat quod turba libenter eius sermones audiebat, propter doctrinam ergo exosus fuit pharisaeis Iesus. Et hodie Antichristi ferre non possunt ut populo simplici verbum veritatis praedicetur; statim se ad eas artes convertunt, ad quas pharisaei et sacerdotes. Omnis carnis idem est ingenium. Dicat quis: Mirum est, quod tantum benefactorem Christum potuerunt odisse et interficere? Non cogitas quod qui minimum Christi laedit, ipsum laedit? Quis hodie non persequitur Christianos, et adhuc miraris Christum persequutum? Quod vero libenter Christum audiebat turba, non hinc colligendum, quod minister verbi debeat verbum formare, ut placeat plebi: nam et in plebe pessimi sunt. Sed si minister verbi verbum fideliter praedicaverit iuxta spiritum dei, erunt semper in plebe, qui libenter audient, eo quod non sunt impliciti malis artibus, quibus mundi potentes.

Ἔχετε πίστιν θεοῦ, habete fidem dei.) Schema est, pro eo quod nos dicimus: Confidite deo.

Huic monti.) Dicticῶς dicitur: forte ostendit aliquem montem, ut montem Olivarum vel alium. Sermo autem est hyperbolicus. Nam facilius videtur homini caecum illuminare, quam montem transferre. Per montem ardua quaeque intelligit. Quasi dicat: Nulla est res tam difficilis, quam (si vere creditis) efficere non possitis. Sic Germanice dicimus, de re difficili et ardua: Mir ligt ein ſchwärer berg vff dem halß. Et hoc loco *τούτῳ* est: demonstrat enim montem, tamen nihilominus sermo est hyperbolicus et tropicus. Nam non de monte duntaxat loquitur, sed de re qualibet impossibili, tametsi hunc montem demonstret. Sic intellige de verbis istis: Hoc est corpus meum. Difficile est Antichristi doctrinam tot saeculis inolitam aboleri, et multis etiam videtur impossibile; sed fideles per fidem certi sunt hoc fore, tametsi videant totum mundum saevire et insanire. Vide an hoc non sit montem transferre? Nolite ergo trepidi esse in oratione! confidite domino. Ex hac fidei doctrina iam exhortationem subiungit, ut hac fide constent in oratione.

Remittite.) Sic Matth. 18. et 6. Hac admonitione Christus vehementer voluit urgere nos ut remitteremus fratribus offensas. Tametsi sermo iste durus, et quasi impossibilis sit carni, tamen fidei nihil impossibile. Timorem autem nobis incutit, docetque quales nos simus. Sit quisque iudex sui ipsius, et inveniet se semper debitorem esse (nunquam enim satis remittit proximo) iniquumque iudicem. Quis enim ferre posset, ut deus non secus remitteret, quam ipse remittit proximo? Debet ergo hoc verbum Christi semper nobis ob oculos versari, quum nullum sit momentum in quo deum non offendamus, offensaeque remis-

sionem ab eo petamus. Adsuescamus ergo faciles esse in remittendis peccatis quae a proximis in nos fiunt: nam minor est culpa quae in nos committitur, quam ea quae nos adversus deum committimus. Quum vero deprehendimus nos nondum ex animo, quemadmodum deus exigit, remittere, solicitabit nos verbum praesens, ut ad dominum clamemus, Domine adauge nobis fidem. Nam ubi fides est, facile est remittere proximo. Voluit ergo nos dominus retinaculis quibusdam in orbita et timore retinere, ne aliquando superbiamus, quum quotidie miseriam nostram et imbecillitatem animadvertimus et experimur. Hoc enim cristas deprimit, et docet nos submissos et modestos esse, in timore domini ambulare, totosque ab ipso pendere, semper ad eum recurrere.

Qua authoritate haec facis?) Idem faciunt hodie Papistae, et quicunque vim verbo faciunt. Equidem speciem honestam hoc habet. Nam recte quaeritur in omni negotio et actione, qua potestate faciat quis aliquid. Exemplum: Capit quis aliquem, prima quaestio est, an iure id faciat, id est, an habeat potestatem illum capiendi: quam si non habet, irritum est factum et iniustum. Sic in omnibus actionibus humanis. At in Christo hoc nullum habet locum, qui missionem et doctrinam suam toties ostenderat et vindicaverat, cui tamen credere non sustinebant. Nam divina vocatio sacerdotem facit, non humana tantum. Exemplum est in filiis Heli, qui humana ordinatione et vocatione sacerdotes erant (erant enim ex tribu Levi) et in officio ministrabant: at quia vocatio dei non aderat, imo iam coram deo reiecti erant, sacerdotes veri non fuerunt. Sciebant ergo Iudaei, qui Iesum interficere quaerunt, ordinationem et vocationem sacerdotum suorum nihil esse, quum divina non accederet. Dei vocationem deesse, ex hoc poterant colligere: videbant sacerdotes suos, qui tum sacerdotio fungebantur, verbum dei adulterare, sua quaerere, populum suis traditionibus a lege dei abducere, Christum contra veritatem docere, detegereque sacerdotum dolum: annon aequum erat credere eos doctrinae Christi, audire doctrinam coelestem veramque? annon scire poterant ex doctrina et virtute Christum doctorem esse coelestem, et verum prophetam a deo missum et vocatum sacerdotem? Certe hoc Iudaeis non insolitum fuit, hoc saepe viderant: saepe enim factum erat, ut iuxta externum ordinem prophetarum et sacerdotum, quos ipsi rite elegerant, dominus alios sacerdotes et prophetas mitteret, qui istis suis, quum a via recta deflecterent, in faciem resisterent. Exemplis huiusmodi plena et scriptura. 3. Reg. 22. de Michaea. Item Amos fuit electus et vocatus a domino, quum tamen non esset de stirpe sacerdotali. Observare ergo Iudaei doctrinam Christi debuerant, intelligereque quod vera esset et coelestis, adeoque ipsum credere a deo missum, in hoc, ut dolos et imposturas pastorum seu luporum potius, per quos oves dispersae erant, detegeret et traduceret, agnoscereque ipsum et excipere ut verum pastorem, qui venisset oves dispersas colligere et sanare, qualem per Ezechielem dominus promiserat, Ezech. 34. Si quaeris, cur Christus non reddat rationem suae doctrinae, quod Petrus monet: respondeo (praeterquam quod hoc saepe alias fecit), non decuisse, ut margaritas ante porcos proiiciat: sciebat nihil profuturum, sciebat hanc

interrogationem non ex animo, qui discere cuperet, proficisci, sed ex invidia et odio pharisaico. Quoties vero se missum a deo evidentissimis rationibus ostendit? quoties doctrinam suam dei esse asseverat?

Baptismum.) Hic pro doctrina capi existimo, imo pro toto negotio et doctrinae et baptismi quod gerebat Ioannes.

Cur ergo non credidistis?) Ioannes non a Iudaeis electus et ordinatus in prophetam erat, sed a deo. Timent ergo Iudaei: vident enim se hoc dilemmate captos, utcunque respondeant, intra se cogitantes, Si dicimus, Ex deo missus fuit, dicet, Is me digito ostendit agnum esse dei qui tollam peccatum mundi: cur igitur huic testi divino non credidistis? cur me non recipitis, quum tamen Ioannes vos ad me direxerit? Si negamus a deo missum, lapidabit nos populus.

CAPUT XII.

Vineam.) Vocat synagogam et populum Israel per Hieremiam et Esaiam, quos circumsepsit, hoc est, limites eorum et fines definivit. Erant enim certi termini eorum. Lacus typus est verbi dei, quod ubertim fluxit apud istos prae aliis nationibus. Per speculas et turres, prophetas et episcopos adumbrat. Agricolae sacerdotes sunt, quibus vinea locata erat, ut hanc colerent, id est, docendo evellerent, eradicarent, plantarent. Servi typum habent prophetarum, quos Iudaica gens fere omnes trucidavit. Plures autem fuerunt prophetae, quam quorum nomina et libri apud nos hodie extent. Quot enim Iesabel occidit?

Verebuntur filium meum.) Pulchris similitudinibus utitur Christus, iisque utilissimis, quae plus habent in recessu, quam prima fronte promittant. Simplex pater rex, vineae dominus, ignarus quid possit affectus; existimat eos verituros filium, arbitratur adhuc homines bonos esse in terris. Sed hic ostenditur quantum possit carnis vinculum, quantum urgeant affectus, si quis sese illis dederit. Possunt haec (imo debent) non incommode aptari nostris temporibus, dum gravissima persequutione saeviant impii contra evangelium. Pensionarius aliquis corruptus largitionibus principum, dicit: Accipio, fateor, ab hoc principe tantum pecuniarum, sed nolim perfide agere in republica, nolim quemquam suo iure fraudatum per me. Qui hoc audiunt ex simplicioribus, idem sentiunt, et dicunt: Equidem virum bonum esse iudico, non credo eum quidquam talium committere; in ferendis sententiis, si quid reipublicae interest, incorruptum et fidum deprehendo. Falleris o frater, simulat. Fidus quidem est, tantisper dum nihil detrimenti parti suae accedit, dum nihil damni accipit is cui se devinxit; mox ut ille attingitur, experieris qualis sit. Huc inclinat, unde lucrum ei fluit, atque illius gratia non rempublicam solum et urbem, sed et uxorem et liberos negligere est paratus. Quid dico negligere? in mortem dare illos non veretur. Cognatio enim quae pecuniis confit, omnia vincit. Christus vero ad se parabolam adcommodans, non hoc dicit, deum patrem ignarum esse quod occisuri sint filium, sed sic: Scio quidem quod nec filio parcent, adhuc tamen mittam eum, ne habeant quod praetexant peccato suo, ut eorum pertinacia nota fiat, quamque iuste damnentur, adpareat.

Perdet agricolas.) Iudaeis repulsis alii eorum locum et regionem occupabunt. Deinde quod ad fidem et gratiam attinet, ipsis excisis alii inserentur.

Lapidem quem reprobaverunt.) Vos contemnitis me, reiicitis me, sed dico vobis: Ego lapis ille sum caput anguli; significatus per illum de quo David Psal. 117.

Licet censum dare.) Haec quaestio hinc nascitur, quod Iudaei iam erant sub Caesare Romano. Movent autem huiusmodi turbas qui ad tumultus proclives sunt, ut Iudas Galilaeus, et Theudas, alii. Praedictum erat non auferendum sceptrum de Iuda, donec veniret promissus ille Schilo. Sic factum est, ut domitum populum Iudaicum Pompeius subigeret Romano imperio, nullus tum fuit Caesar, Christi vero tempore Caesar fuit. Vulgus libertatem carnalem spectabat, persuadebatque sibi per Christum hoc iugum confringendum esse. Astute autem et ex insidiis quaerunt. Si enim pro Caesare respondisset, iam abalienasset a se animum vulgi: sciebant enim pharisaei et sacerdotes, qui haec subornarant, turbam proclivem esse a libertatem. Deinde si negasset, iam Caesariani ansam habebant eum capiendi atque occidendi propter perduellionem, criminis laesae maiestatis ipsum reum agentes.

Viam dei in veritate doces.) Hoc lingua quidem loquuntur, corde aliud sentiunt. Adulantur ergo, et ad gratiam loquuntur. Qui libertatis maxime cupidi sunt, atque omnem conantur excutere magistratum, magistratibus in primis egent. Qui vere Christi spiritum habent, non dedignantur omnibus hominibus propter Christum servire, hunc thesaurum animae tam pretiosum aestimant, ut prae illo omnia contemnere et deserere sint parati. Neque libertatem corporalem tanti aestimant, ut propter hanc turbas commovere unquam velint, aut publicam tranquillitatem conturbare. Quod si libertas absque offensione nominis et gloriae dei contingere potest, grato animo suscipiunt, non quaerunt sua cum aliorum dispendio.

Qui dicunt non esse resurrectionem.) Resurrectio (ut saepe iam dixi) bifariam in scripturis divinis intelligitur. Primum pro generali carnis resurrectione, quae fiet in ultimo die. Secundo pro vita immortali, quae sequitur hanc vitam. Primam (ut puto) negabant Sadducaei, non secundam. Neque enim inter primates populi Iudaici fuisse crediderim, qui tam crasso tenerentur errore, ut vitam post hanc superesse negarent.

Septem fuerunt fratres.) Quasi dicerent: Pone fuisse septem fratres. Ponunt enim (ut dicitur) casum in terminis. Ecce quomodo indicativa tropice capiuntur.

Annon erratis?) Christus responsione sua utramque resurrectionem complectitur, per virtutem videlicet dei, et scripturam. Virtus dei est, quod corporales affectus et necessitates cadunt, et erunt ut angeli dei etiam corpora nostra. Error ergo vester nascitur ex ignoratione virtutis dei: putatis enim corpora obnoxia fore affectibus, ut hic, sed in hoc fallimini.

De mortuis autem.) Iam indicat quomodo errent in lectione et

intelligentia scripturarum, imo quomodo scripturas ignorent. *Quod mortui resuscitentur*, id est, quod hi qui mortem corporalem obeunt, nihilominus vivant et in vita perenni perstent. Hoc enim potest vox Hebraica קוּם vfrecht, lâbendig blyben. Loquitur ergo hic de vita animae, dum adhuc dormit corpus: etiam mortuo corpore et sepulto, anima tamen vivit. Sic intelligit Paulus ad Corinthios 1 Corinth. 15. Si mortui non resurgunt, miserabiliores sumus omnibus hominibus, hoc est, si ex nobis post mortem nihil superesset et viveret. Nisi enim sic intelligit, miserabiles sunt, qui adhuc nondum corpore resurrexerunt, qui tamen vivunt et non sunt in miseria. Virtus ergo dei ad resurrectionem corporum pertinet, Scripturae testimonium ad vitam post hanc vitam.

Primum mandatum.) Id est, praecipuum, eximium: Das fürhereſt. Adparet hunc scribam doctum fuisse, quod non solum quae Christus diceret vera esse cognoscebat, sed et confitebatur. Nam caeteri et si scirent, tamen non agnoscebant, non fatebantur, non docebant illa, sed docebant sua figmenta, serviebant suis cupiditatibus.

Audi Israel.) Tametsi omnia verba dei pretiosa sint, et digna quae serventur: praecipue tamen ubi animum talibus verbis praeparat divina vox, Audi! Si quis aures habet audiendi, audiat etc.

Dominus deus tuus unus est.) Deus eam naturam significat, quae fons est omnis bonitatis. Quaecunque sunt, essentiam suam habent a deo. Fruendum se dat universis, idque gratis. Humana bona distrahi nolunt gratis: impura enim sunt, semper se admiscet adfectus commodi aut gloriae. Summum illud bonum tales naevos non habet, sed liberaliter et gratis distrahi cupit, ultro se offert omnibus. Fons est inexhaustus, qui fruendo non minuitur, exhauriri non potest, nunquam exiccatur, nunquam cessat. Hinc duo discimus. Primum, quod inexhaustus est, docet nos, quod adhuc misericors est. Nam Petro, latroni, caeterisque magnis peccatoribus misericors fuit, et adhuc talis est. Secundo, quod distrahi gratis cupit, docet nos et allicit, ut ad eum solum curramus, neque sit opus mediatore. Nam vocat, invitat, cogit, ut ad eum solum curramus. Quos nos advocatos seligimus, talis naturae non sunt, ut exhauriri non possint, nec gratis volunt frui. Latro magnam charitatem fidemque ostendit: nam in tantis tormentis, in tanta desperatione, non dubitavit Christum esse filium dei, qui esset dominus omnium. Ideo dicit: Memento mei domine. Domini vocabulum potentiam sonat iustitiamque, deus iniuste agere non potest. Terreni domini saepe peccant, iniusteque agunt, iam ex odio, iam ex favore. Sed immutabilis et aeterna iustitia falli aut perperam agere non potest, non iudicat ex affectibus. Cur vero domino non addit Tuus, quod deo cohaeret? Quia (ut supra attigi) domini appellatio durum quiddam et terribile sonat, non sic deus: est enim amoris nomen. Debet ergo hoc summum bonum diligi super omnia. Sed praecipue noster factus est per Christum, aut certe declaravit se nostrum esse hoc pretioso pignore. Iustitiae ergo dei immutabili, quae per hoc nomen Dominus significatur, satis fit per Christum. Nam ille purus est abque omni adfectu alienus. Quocunque pacto nos tandem satisfacere vellemus, sufficere non posset: esset

enim imbecille, impurum, pollutum. Iustitiae ergo dei nulla pura creatura satisfacere potuit. Oportet ergo nos omnes pudefieri et desperare de salute et vita, quia non iustificabitur in conspectu dei omnis vivens. Totus mundus in maligno positus est et plane mortuus coram deo. Christus vero, qui vita nostra et virtus est, moritur pro nobis iuxta carnem, et sua morte pro nostris peccatis satisfacit divinae iustitiae, fitque mors eius nostra vita. Debent ergo iustitia et misericordia dei simul iungi et permisceri in corde credentium. Iustitia debet nos admonere peccatorum et poenae, quam commeruimus, ut peccata nostra agnoscamus, et perpetuo poenitentes simus. Bonitas et misericordia dei erigit nos, et consolatur desperabundos, quum certa fide credimus deum filium suum pro nobis in mortem dedisse, ut peccatis mortui, iustitiae viveremus, et poenis aeternis exempti, aeternum cum eo regnaremus. Hunc deum diligere debemus super omnia, eumque solum. Dicis: An ergo proximus diligi non debet? Maxime, sed in deo et propter deum. Cor debet esse dei. Hic iam vehementer peccamus et perverso ac praepostero ordine diligimus: omnes enim nos ipsos plus diligimus quam deum, in quo et iustitiae dei non satisfacimus. Deus enim qui summum est bonum summaque iustitia, nihil facit sui commodi causa, sed aliorum: nos omnia nostri commodi gratia facimus: omnes enim quaerunt quae sua sunt. Hic iam cadunt omnia merita nostra, omnes satisfactiones, omnium operum praesumptio. Omnia enim opera nostra impura sunt, adfectibusque carnis vitiata. Nemo assequitur mensuram charitatis, qua nos dilexit Christus, et quam nobis praescripsit: Hoc est, inquit praeceptum meum ut diligatis invicem, quemadmodum ego dilexi vos. Et tametsi caro eius absque peccato fuit, adhuc tamen mortem horrens, dicit: Pater transfer a me calicem; sed hoc fit, ut ostenderet se verum hominem esse, veram se carnem habere, tamen absque peccato. Duo ergo haec praecepta, in quibus caetera omnia summatim comprehensa sunt, nos reos agunt coram divina iustitia, damnatosque merito ostendunt. Hic verus et gratissimus est cultus dei, fidere deo et studere charitati dei et proximi. In hoc tota vita occupati esse debemus, et quum omnia perfecerimus, dicere: Peccatores sumus et inutiles servi. Miserere nostri deus, et remitte nobis debita nostra.

Non longe abes a regno dei.) Quum eadem verba, quae Christus, percenset et affirmat, cur non totus in regno dei esse dicitur? Regnum dei capitur hic pro evangelio, pro notitia dei per Christum. Deum nosse et illi fidere per Christum, est esse in regno dei. Habebat quidem scriba hic fidem quandam et cognitionem rerum, deinde et mentem quae consentiebat veritati, quam profitebatur et agnoscebat. Unum tamen adhuc maxime necessarium deerat, nempe notitia, Christum esse, per quem unum omnia haec praestantur, eundem esse filium dei vivi, unctum domini. Hoc ignorabat scriba. Nam adstabat cum caeteris qui Christum tentandi gratia interrogabant, ut patet Matthaei vigesimo secundo capite.

Respondit Iesus.) Quid ab eis sit dictum ad quod responderit

Iesus, ex Matthaeo 22. cap. discitur. Tametsi hoc Respondit more Hebraico saepe pro Locutus est, poni soleat.

Christum esse filium David.) Christus Hebraice Meschiah vocatur unctus. Iuxta naturam humanam mortuus est Christus; attamen si non simul deus fuisset, mors eius non fuisset salutaris toti mundo. Sic nomen eius Iesus est servator. Christus vero officii est nomen et dignitatis. De unctione sacerdotali in Exodo est et Levit. Nemo inungebatur hoc unguento, nisi summus sacerdos et reges. Sacerdotis officium erat placare deum populo, pro toto populo sacrificare, vota et oblationes populi deo offerre, et intercedere pro populo, orare. Ideo portabat nomina filiorum Israel in lapidibus insculpta. Sacerdotes non vindicabant gladio iustitiam, sed iudices. Nam Moses Aaronis deus fuit, id est, princeps. At in his quae erga deum transigenda erant Aaron praefuit. Reperimus nihilominus mixtum fuisse aliquando officium iudicis et sacerdotis, ut tempore Samuelis; sed hoc singulare quiddam fuit, permissum a deo pro illo tempore, non lex generalis. Quin et foeminam iudicasse populum legimus, sed haec rara sunt. Per officium iudicis adparet iustitia dei, per officium Aaronis seu sacerdotis (qui sanguine et pecudum mactatione carnem emundabat) bonitas dei. Dominus deus Christus est, ipse est summus sacerdos, qui semel introiit in sancta aeternamque redemptionem invenit. Ipse idem rex est et dominus dominantium, ideo ex tribu regia fuit, Davidis scilicet, cui pater omne iudicium dedit, Ioan. 5. Duplex Christi adventus, in carnem primus, ubi venit tanquam sacerdos et reconciliator populi, ut servet non iudicet (vult enim deus primum ex bonitate sua cognosci). Secundus adventus erit ad iudicium, in quo exeret iustitiam suam deus, ubi tanquam rex et iudex adparebit Christus. Quum vero Iudaei de Christo, cuius filius esset, interrogarentur, duo statim intellexerunt, quae hodierni Iudaei strenue negant. Primum, quod esset venturus Meschias aliquis in lege et prophetis promissus. Secundo, quod talis nasciturus esset ex stirpe Davidis. Et haec quidem ex scripturis didicerant. Promissio haec viritim facta est, et subinde refricata et renovata, Adae primum, deinde Abrahae, et sic deinceps. Quum vero interrogat Christus, cur David Christum filium suum dominum nominet, non negat se esse filium Davidis, sed eis hoc aenigma solvendum obiicit. Voluitque iis verbis indicare se esse deum, non purum hominem duntaxat. Quasi dicat: Verum dicitis Christum filium esse Davidis, idque iuxta carnem, sed simul hoc expendere oportuit, ipsum plus esse quam hominem nudum, idque colligere potestis ex hoc, quod David in spiritu Dominum eum appellat, quum publicus alioqui mos non habeat, ut pater filium Dominum nominet.

Donec ponam.) De *donec* notum est, quod refertur ad inimicorum abolitionem et subiectionem, non ad Christi sessionem. Hostes Christi scabellum fieri sub pedibus eius, schema est, et significat omnimodam subiectionem et depressionem. Quasi dicat: Messias filius Davidis dominus erit, et potenter regnabit etiam invitis et reclamantibus eius adversariis.

Non audebant interrogare.) Sic quidem faciunt, qui libenter

in tenebris ambulant, qui nescire quam cognoscere veritatem malunt. Nam si simplici animo, et studio discendi quaerere perrexissent, ex scripturis eos usque docuisset, donec eum agnovissent, sed invidia obcaecati nolunt quaerere, adeoque scire recusant.

Pleraque turba.) Quicunque vero libenter audiebant veritatem, adhaerebant illi. Per turbam autem non vilem duntaxat faecem populi intellige, sed simplices quosque qui recto erant animo: Der fromm gmeyn mann. Nam et hodie eiusmodi evangelio adhaerent, non fex plebis tumultuans, nec principes summi. Qua causa? Quod simplices non tantopere adfectibus carnis sunt obnoxii, quemadmodum illi. Neque tamen summi illi aut infimi, qui adfectibus toti immersi sunt, aperte dicunt: Is Christus nostris adfectibus repugnat; ideo nolumus eius doctrinam: arguit nostra vitia, taxat scelera, in ordinem nos cogere vult, et caetera. Huiusmodi (inquam) non dicunt, sed undecunque possunt venantur occasionem detrahendi doctrinae Christi eamque calumniandi. Alii dicunt: Faber est, non didicit literas; alii: Seducit turbas, amicus est peccatorum et publicanorum, negat tributa dari Caesari, filium dei se facit, nemo ei adhaeret nisi plebs illa maledicta. Vide quomodo praetexant gloriam dei suis affectibus. Sic hodie fit.

Cavete a scribis.) Locus hic in Matthaeo cap. 23. clarius traditur; dicam tamen et hic quaedam. *Cathedra Mosis*, quasi diceret Christus: Ordo doctorum vestrorum (scribas et pharisaeos intelligens) vehementer est corruptus, omnes enim huc incumbunt, ut doceant magnifica quaedam, operibus et vita parum aut nihil praestent. Quae ergo in hac cathedra docent, facite. Docebant enim qualicunque modo legem, tametsi depravate nonnihil et detorte. Quod verbum si ad se trahere volent pontificii, nihil efficient. Nam sacerdotes veteris testamenti ex deo erant ordinati et instituti, papatus ex daemone est: est enim contra verbum dei institutus. Christus docet eos, ne leviter et temere tumultuentur, sed donec sacerdotes et scribae legem dei et ceremonias a deo institutas doceant (frigide licet), auscultare illis debeant, ita tamen, ut secundum opera eorum ne faciant. Atque haec Christi verba, illi tempori adcommoda fuerunt, nostris non item: nam sunt in evangelicis literis quae temporibus illis data sunt et dicta. Quasi dicere vellet Christus: Habetis sacerdotes pravos et corruptos, iis admodum onerati estis, veniet mox tempus ut liberati illis gaudeatis. Tolerate eos tantisper, audiatisque eos, quandoquidem ex lege Mosis utcunque docent, sed vitam eorum cavete ne imitemini. Breve adhuc tempus est, quo legalia durabunt, dandum est aliquid ceremoniis et traditionibus quas vobis proponunt, ne ego vobiscum violatae legis adcusemur, et tanquam tumultus authores puniamur. Instat tempus ut his omnibus abolitis, novus et verus cultus succedat. Pertinet ergo hic sermo ad tempus illud, quo lex adhuc vigebat, non Papistis patrocinatur. Nam et ipse Christus et apostoli legalia omnia et ritus Iudaicos observarunt, donec per spiritum sanctum lumen fidei perfecte illucesceret, et umbras veteris testamenti discuteret ac propelleret. Quod in morte Christi factum est: nam non fuerunt data nisi ad tempus quo corrigerentur et emendarentur. Pontificii sacerdotibus veteris testamenti cor-

ruptis multo sunt peiores: nam illi legem dei licet depravatam tamen utcunque docebant; isti contrarium verbo dei statuentes, conscientias laqueis humanarum traditionum illaqueant et miris modis vexant.

E penuria sua.) Hic argumentum est firmum, Christum fuisse deum, nam sciebat quo corde vidua mitteret, et quod totam substantiam misisset. Respicit ergo deus cor. Saepe fit ut pauper aliquis ex corde gemens plus dat, etiamsi parum tribuit, quam dives aliquis qui centum aureos dat. Voluntatem respicit deus. Discimus etiam, in congregatione ac coetu fidelium neminem esse tam simplicem ac pauperculum, neminem tam abiectae sortis, qui non possit multa facere. Si non es dives, et multa dare non potes, displiceat tamen tibi iniustitia et impietas. Si commode taxare aut impedire non potes, ostende vultu quod scelera tibi displiceant. Si cares opibus, potes prodesse lingua, opere, studio.

CAPUT XIII.

Quales lapides qualesque substruct. etc.) Latina dictio *quales*, satis infirma est ad exprimendam vim Graecanicae dictionis ποταπαὶ. Significat enim magnitudinem, Germanice dici posset: Wölch ein gebüw, wölch groſſe ſtein.

Non relinquetur lapis.) Tametsi templum Hierosolymitanum a Chaldaeis diſutum erat et combustum, tamen ab Esdra et Nehemia fuit reaedificatum, priori quantum fieri potuit simile. Videtur Marcus sentire Christum antea nunquam fuisse Hierosolymis, nisi iam dum ostenderent ei structuram templi, hoc est, dum asino conscenso inequitasset.

Videtis has magnas structuras.) Quasi dicat: Nihil est tam magnificum sive in urbe sive in templo, quod vastandum non sit. Emphasim habent verba.

Cavete ne quis vos seducat.) Alio eos dirigit, nec respondet ad eorum interrogationem, sed utiliora et magis necessaria proponit. Quasi dicat: Non est vestrum haec nosse, nec est ut haec curetis. Hoc in primis curate, ne seducamini. Nam causa propter quam Iudaei devastabuntur et perdentur, est infidelitas et perfidia, quod scilicet in me non credunt: cavete ergo ne quis vos a me abducat. Nam si me deserueritis, si a me defeceritis, actum est de vobis, simili poena cum Iudaeis peribitis.

Dicent: Ego sum Christus.) Sensus est redditus, non verba. Ego sum, hoc est venditabunt se meo nomine, servatores se facient. Quasi diceret: Variae vobis viae salutis ostendentur ab illis.

Rumores bellorum.) Quasi diceret Christus: Tumultuabitur quidem Satan et fremet, sed ne metuatis, maior erit ostentatio quam fuerit periculum: huiusmodi ergo tumultus et rumores ne formidetis! consident repente, nihil vobis oberunt.

Insurget gens contra gentem.) Non dicit de magnis caedibus, sed de tumultibus. Sunt enim multi qui evangelio obsistunt. Sunt rursum haud parum multi, qui evangelio se simulant credere, interim sua quaerentes, sub Christi praetextu, et ii omnes tumultuantur. Deinde insurgunt impii contra pios. Iubet cavere, non nostra sapientia aut

virtute, sed vigilare debemus et instare orationibus, apud deum pura fide et certissima spe precantes, ut nos custodiat. Certissimum enim est, quod quemadmodum deus impios et falsos Christianos punit, ita et eos qui vere credunt custodiat et liberet. Iubet considerare terrae motus et signa. Nam haec terrent et ostendunt divinam iustitiam qui impietatem impune non abire permittit. Piis vero haec omnia in bonum cedunt. Magna ergo fide suscipienda sunt haec signa, qualia sunt fames, bellorum motus, terrae motiones etc. Rursus si haec non veniunt, sed deus dat multos proventus, opes, sanitatem etc. debent haec nos admonere divinae bonitatis et misericordiae, ne superbiamus, ne efferamur, ne libidinemur, sed cum modestia donis dei utamur et grati simus.

Haec initia dolorum.) Admonent haec dum fiunt, ne cessemus a bonis operibus; si vero mali sumus, resipiscamus. Si vere et ex animo resipimus, deus vertit sententiam suam, quam super nos destinarat: si non resipimus, non cessat manus domini. Interim nos oremus deum, nec in his omnibus unquam succumbamus, sed in vera fide perstemus. Nam haec initia sunt, nondumque finis. Semper erunt adflictiones. Ne ergo unquam committamus, ut fama illarum audita sic concidamus ac consternemur, ut a vera fide et deo deficiamus.

Cavete vobis ipsis.) Quid hoc? Num nobis moriendum est pro Christo? Maxime, sed in periculum nemo se temere iniiciat! deus ipse praeparabit horam nostram.

In testimonium illis.) Dum me praedicabitis, non ferent hoc reges et principes, ducent vos in concilia, statuent ante praesides. Haec ideo mea ordinatione fient, ut hac ratione evangelium meum notum fiat, et ut hi, vel inviti, audire cogantur, qui alioqui verbum meum nunquam audirent. Quod si manifestato per vos verbo credunt, erit eis in testimonium bonum, salutis scilicet: sic enim Christum discent et servantur. Si vero non crediderint, erit eis haec praedicatio in testimonium damnationis, quod scilicet merito damnentur, quum audierint et credere noluerint. Dicat quis: Quid opus hisce? num deus ignorat eos esse infideles? At haec omnia humano more fiunt. Apud homines qui se reos non fatentur, testibus convincendi sunt; ita Christus dicit: Si non venissem et locutus non fuissem, peccatum non haberent. Sic praedicatum verbum erit eis in testimonium: Es wirt ſi bzügen, überzügen, etiam si negare vellent, quum caeteris credentibus ipsi credere noluerint.

Oportet prius.) Hoc *prius* trifariam exponi potest. Ante diem illum destructionis Hierosolymitanae (nam de illa hic etiam dicit) praedicabitur evangelium ubique in tota terra Iudaica scilicet: nam saepe omnis terra pro terra Iudaica capitur. Secundo, antequam dies ille horribilis, finis scilicet mundi, veniet: in omni terra praedicabitur evangelium. Id et factum est et fit quotidie. Nec sequitur quod post praedicatum evangelium universo mundo statim finis adsit. Tertio, potest intelligi prius pro praecipue aut principaliter: Fürnämlich, fürderlich, ärnſtlich, praedicabitur evangelium strenue, etiam instantibus malis illis de quibus praedico. Ut sic Christus omne tempus intelligat

quod futurum sit porro ad finem mundi usque. Utcunque fremat mundus, utcunque grassentur impii, utcunque saeviant persequutiones adversus pios, attamen in mediis istis malis non cessabit evangelium, sed praedicabitur ad finem mundi. Quin et adversitatibus ac tempestatibus crescet vigebitque, quia semen verbi dei imbribus et procellis tentationum et crucis irrigatum fecundum erit: periculis enim ac persequutionibus, ut agri stercore, gaudet et laetum fit. Fuerunt omnibus saeculis qui in mediis malis de veritate testarentur, et veritatem intrepide praedicarent. Etiamsi mulier illa in desertum aliquando fugere cogitur, rursus tamen egreditur, ut est in Apocalypsi.

Ne praecogitetis.) Hoc est, ne sitis nimium anxii aut territi. Non enim vetat quo minus cogitemus de responsione, ut pecudes et inertes asini in pericula irruamus, sed nimiam istam et anxiam sollicitudinem qua plerumque torquemur vetat, ne plus linguae nostrae aut industriae, quam dei virtuti fidamus.

Tradet frater.) Christus venit mittere gladium et bellum, sed bonum. Quae in istis rebus peccantur et crudelia fiunt, ad impios referenda sunt: hi enim pios adfligent et tradent. Impietas, infidelitas, perfidia conabitur pios adfligere et mactare, haec enim est natura carnis. Vides ergo belli causam esse et discordiarum impietatem et infidelitatem, non pietatem aut verbum dei. Nam pii non persequuntur impios, sed contra impii pios. Ne ergo abiiciamus animum dum persequutiones et adflictiones irruunt: aut enim deus nos liberabit, ut incolumes et illaesi evadamus, aut sic animabit ut cum gaudio feramus, et victores simus.

Qui perseveraverit.) Perseverantia opus est fidelibus. De hac vide pulchram antistrophan in Ezechiele, ubi dixerunt quidam: Non est aequa via domini. Item Paulum ad Hebraeos: Impossibile est eos qui semel illuminati etc. Si in fine cadit et a vera fide ac deo deficit, certissimum est signum, eum nunquam vere fidelem fuisse, ex hypocrisi et vana gloria eum egisse, quaecunque fecerit. Constantia et perseverantia omne opus bonum consummat. Sed haec constantia a solo deo, non a nobis, petenda ergo ardentibus votis. Neque est alia precatio, qua minus errare possimus, quam si constantiam in bono opere et fide petamus. Dum petis divitias, honores etc. falli potes, sed hic falli non potes. Certissimus ergo esto, si petis constantiam fidei a deo, te exaudiri.

Quum videritis abominationem.) Christus pergit suis praedicere de Hierosolymorum vastatione. Res quasdam clare significat Christus, ut diem iudicii, destructionem urbis, sed circumstantias obscure proponit.

Abominationem desolationis.) Hebraismus est, id est abominabilem desolationem seu destructionem. Apostoli neque in epistolis, neque in Actis mentionem faciunt de Hierosolymorum eversione; quare verisimile est eos tum non amplius fuisse superstites. Credendum ergo hac in re caeteris historicis, ut Iosepho et Eusebio.

Tunc qui in Iudaea.) Quasi diceret: Nemo opem adflictis rebus ferre tentet, frustra erunt omnia. Quod Christiani in Pellam fugerint, Eusebius scribit, et quod voces sint auditae: Migremus ex his sedibus etc.

Ab initio precum tuarum exiit sermo.) Deus hoc statuebat perficere quae tu petis.

Vir desideriorum.) Potest exponi active et passive. Active: Qui tantum habes desiderium erga tuos, quod tam ardenter et ex intimis desideriis oras pro populo tuo. Passive, Tu es vir desiderabilis quem deus diligit.

Septuaginta septenarii abbreviati.) Sy ſind ſchon gſchnitten, id est definiti, destinati, certi. Tametsi enim futuri erat, tamen ut facta recensentur, quia apud deum haec iam facta erant.

Aedificabitur Ierusalem ad principem.) Non quod statim tempore Christi sit destructa urbs Ierusalem, sed quod prophetia in Christum spectat tanquam in causam destructionis, eo quod Christum crucifixerant. Significatur autem, eos qui volunt aedificare in opere domini, multa ferre oportere.

Et qui in agro.) Variis utitur locutionibus, quae tamen tum frequentes fuere in ore omnium. Sic nos Germanice dicimus: Wenn einer ſterben ſol, ſo gſchicht im als not, er möchte nit ein par ſchuch butzen. Vult autem Christus suos praemunire, ne in tanto periculo infidelibus se admisceant. Hoc ad literam. Si mysterium cupis, significat, quod nihil tam arduum esse debeat, quod te ab opere Christi deterreat. Non est respectandum in opere domini.

Ne fiat hyeme.) Nam celeri fuga opus erit; hyems impedit et tardat. In verbis Christi praeter literam nihilominus multa latent et profunda mysteria. Frigus tardos facit, ignis celeres. Hanc ob causam senes tardi sunt et frigidi; adolescentes calidi et ferventes, adeoque celeres. Docet ergo Christus fugam nostram a vitiis celerem esse debere. Vult nos non segnes esse, non socordes, non ignavos, sed alacres et strenuos.

Nisi abbreviasset.) Loquitur ac si iam esset factum, quod tamen vaticinatur in futurum. Quasi diceret: Erunt tamen inter Iudaeos, quos deus non vult delere, reliquiae scilicet, in finem salvandae, Rom. 9. Et illi tum fuerunt et adhuc hodie sunt, electi scilicet, quibus deus aliquando ad suam gloriam utetur. Servant Iudaei thesaurum scripturarum et oraculorum dei: nam si nullus superesset Iudaeus, dicerent impii vetus testamentum a nobis confictum esse.

Ac tum, si quis etc.) Dem nach, ad doctrinam non ad tempus refertur. Nam perstat in praemunitione discipulorum. Christus servator est et salus omnium credentium. Venient autem multi qui salutem in aliis rebus sitam docebunt. Cavete vos, ne usquam salutem quam in me quaeratis.

Ad seducendum si fieri posset electos.) Schema est. Nam per prodigia et signa deus nostram fidem tentat et probat, quae aliquando etiam per impios et daemones facit. Quaecunque nos diabolo tribuimus, providentia et ordinatione sapientissimi dei fiunt, ad fidei nostrae probationem. Et ob hoc docuit nos Christus orare: Ne inducas nos in tentationem. Non oramus ut omnino non tentet, quia tentationes magnopere nobis prosunt. Petimus autem, ne tentationibus obruti,

hosti cedamus. Petimus, ut non sinat nos tentari supra modum, aut supra id quod ferre possimus.

Sol obscurabitur.) Haec ad ultima tempora referuntur, tametsi nonnulli tropice haec intelligant. Nec enim semper haec fiunt corporaliter. Quae si fiunt, fiunt nimirum ut iusti exultent, infideles terreantur. Renovabitur mundus, novum erit coelum, nova terra.

Coelum et terra transibunt.) Hebraismus est. Quasi diceret: Facilius est ut coelum et terra transeant, quam unum e verbis dei. Facilius est ut ruat et coelum et terra, quam ut verbum meum irritum fiat.

De die illo nemo scit.) Momentum illud temporis ultimi nemo scire potest, ne filius quidem, iuxta naturam adsumptam scilicet. Reperimus nonnunquam, quae divinae naturae sunt propria, humanae in Christo tribui, ut Ioannis 3. Nemo ascendit in coelum nisi qui descendit filius hominis, qui est in coelo. Rursus quae humanae sunt propria et peculiaria, reperimus divinae naturae attributa esse, ut hic: Ne filius hominis quidem novit momentum hoc. Fit hoc propter communicationem idiomatum, quandoquidem ambae naturae in Christo ita sunt distinctae, quod quaelibet servat suam proprietatem, quae alteri non convenit; attamen unum saepe pro altero ponitur. Nam ille qui deus est, etiam homo est, et qui homo est, etiam verus deus est. Dicit ergo hic: Vos voluistis scire extremum illum diem, sed dico: is absconditus est, id est reservatus soli deo, nulli creaturae revelatus, etiam mihi quatenus homo sum; verum quatenus deus sum, pater omne iudicium dedit filio. Ex hoc loco tale potest colligi argumentum, a maiori: Si scire diem illum extremum abnegatum est homini Christo, multo magis ubique esse, vel simul in diversis locis, negatum est homini Christo. Nam ubique esse, simulque in pluribus locis, maius est et excellentius, quam scire plura. Facile reperies Geographum, qui totum orbem capite concipit et comprehendit, sed eum simul esse in omnibus istis locis impossibile est. Christi enim corpus uno in loco esse oportet. Dicuntur ista ad clariorem cognitionem, et pro nostro more. Nam Christus diem illum maxime cognovit.

Homo peregre profectus.) Fere omnia parabolis et fictis argumentis proponit et docet Christus; ratio additur a Christo Matth. 13. Negotium evangelicum, quod Apostolis suis commisit Christus, non secus habet, ac si quis praedives aliquis aut potens rex aliquo abiens, res regni committit servis dum redeat, singulis mandans quid faciant.

Vigilate igitur.) Multa sunt in scripturis, quae ita propria sunt quibusdam, ut tamen interim communia sint omnibus: ut hic vigilare iussi sunt Apostoli, ad quos hoc in primis pertinebat. Erant enim pastores et episcopi populorum, attamen nihilominus ita dicta sunt apostolis, ut fidelibus singulis conveniant, ergo in fine adiicit: Quod vobis dico, omnibus dico: Vigilate.

ANNOTATIONES HULDRICI ZUINGLII IN EVANGELIUM LUCAE.

Cognitio dei facit ut homo a beluis differat: caetera enim cum beluis communia habet. Iustitia inter homines non servatur, nisi metuatur deus. Et gentes metu numinis, iustitiam aliquam colebant, et deos utcunque metuebant. Cognitionem autem et metum dei late hic accipimus, sive sit unius deis, sive plurium, qualis apud gentes fuit. Ubi metus numinis abest, et impune sibi homines peccare licere putant: exulat omnis iustitia, et sensim homines in beluinam vitam degenerant. Retinaculum ergo iustitiae inter homines est metus dei. Atque haec propositam propositionem a nobis inductam probant, non superstitiosam gentium religionem, aut vanorum deorum cultum. Hinc factum est ut gentes non solum deos bonorum datores, sed et alexicacos, hoc est, malorum propulsores, quum peccassent, coluerint. Nec tamen satis est nosse deum esse (tametsi primus sit lapis qui in fundamento verae religionis ponitur), sed et nosse qualis et quis sit ille deus, quae sit eius natura, quod ingenium, quid velit ac probet, quid oderit et vetet, quibus rationibus ac officiis demereatur, quis sit ei gratissimus cultus, quae potissime a nobis requirat. Fuerunt quidem apud gentes qui huc penetrarunt, ut deum esse non ambigerent; hunc vero deum quem esse pronunciabant, haud magni aestimaverunt, nec cognitioni quam de eo habuerunt firmiter adhaeserunt; satis putantes esse quod agnovissent, atque hinc sibi placentes, vivere ad illius nutum contempserunt. Qua ingratitudine quid turpius et absurdius esse potuit, opificem scilicet deum ex creatis rebus cognoscere, et deinde ad creaturas delabi ac deflectere, desciscere ab eo qui vita et motus omnium rerum esse perspicitur, a deo inquam vivente et per se existente, ad fluxas, evanidas, et nihili res? An non aequum erat venerandum et tremendum illud numen suspicere, venerari et omnem vitam ad illius nutum componere? Hanc ingratitudinem Paulus in Epistola ad Romanos capite primo multis verbis insectatur. Quid vero sit Deus, caro et sanguis non revelat, sed adflatus patris coelestis. Non hauritur vera dei cognitio et salutaris ex humanae sapientiae lacunis, sed ex imbre divini spiritus infunditur. Haec est vera sapientia, qua qui caret eam a deo ardentissimis votis postulet, et non negabitur ei. Variis autem modis sese deus a rerum primordiis innotuit hominibus, multifariamque olim (ut Paulus ait) patribus, per angelos, per prophetas: extremis vero diebus, nobis per filium suum loquutus est. Sapientissimi quique et optimi inter gentes ad unius quidem dei notitiam pervenerunt (Inquit

enim Paulus: Notitia dei inter gentes manifestata est, nam deus illis manifestavit), sed hunc ut oportebat non coluerunt, atque horum fuerunt paucissimi. Alii vim ac potentiam humana augustiorem quum sensissent, deum agnoverunt eam esse, veruntamen unam ac solam non acceperunt, sed ad se conversi qualis nam deus esset imaginati sunt. Diviserunt ergo eum in plures, quod infinitam eius potentiam non caperent: mox quemlibet eorum propria inventione alia atque figura induerunt. Hinc idolorum daemonumque cultus, qui se callide eos faciebant, quos miseri mortales pro diis inauguraverant figurisque variis distinxerant. Gentes ergo deum quem agnoverunt, tarditate animi, et propriae sapientiae confidentia negligebant, deque eo quod placuisset sentiebant, ac eo quo voluissent modo colebant. Fideles autem et vere pii unum, verum, solum, omnipotentem deum esse credunt, eoque solo fidunt. Hoc vero fit virtute eius et gratia in quem credunt. Nobis enim, inquit Paulus, revelavit deus per spiritum suum. Quis enim hominum ea novit quae sunt hominis, nisi spiritus hominis qui in eo est? Sic et ea quae sunt dei, nemo novit nisi spiritus dei. Nos vero non spiritum mundi accepimus, sed spiritum qui ex deo est, ut sciamus quae a Christo donata sunt nobis. Deum nemo vidit unquam: filius dei, qui est in sinu patris, is nobis enarravit. Patrem nemo novit nisi filius et cui voluerit filius revelare. Ex thesauro sapientiae suae nobis revelavit deus per spiritum suum, lucemque cognitionis suae nobis infuit, ut sciamus quae sit bona et bene placens voluntas eius, agnoscamusque bonum, iustum et sanctum esse quidquid nobis praecipit ac praescribit. Deinde sic ingeniatus est deus optimus maximus, ut quae praescribit ipse prior praestet Iubet ut diligamus, ipse in primis diligit. Sancti, inquit, estote, quoniam ego sanctus sum. Estote misericordes, inquit Christus, quemadmodum pater vester misericors est. Diligite inimicos vestros, ut imitemini naturam patris vestri, qui solem suum oriri sinit super bonos et malos. Non est hypocrita aut iniustus, ut aliud dicat ac simulet, aliud corde gerat: non est duplici animo, sed simplex veritas. Lege promulgata! quum a lege homines desciscunt, mittit prophetas qui doceant, moneant, erigant, consolentur, revocent in viam errantes, poenam denuncient contumacibus et impiis. Conscientia electorum legi divinae consentit, impiorum desperata est. Nam utut omnes homines hanc legem: Dilige deum ex toto corde, et proximum tuum ut te ipsum, non assequantur, adhuc pius hanc legem probat et bonam ac sanctam esse pronunciat, ipso consensu scilicet. Et hac quidem confessione conscientiae nos ipsos damnamus et reos facimus, quod haec eadem non servamus, quae tamen aequa et recta cognoscimus et testamur. Loquimur autem hic de sanis et recte institutis ingeniis, quod legi dei consentiant, etiam inter gentes. Nam qui sic immersi sunt voluptatibus, ut sues potius adpellandi sint quam homines, legem dei bonam esse fortasse non confitentur. Neque enim haec eo tendunt, ut colligamus hinc: Homo cognoscit voluntatem dei et mentem eius; ergo implet eam ac perficit. Nam lex dei est perpetua et constans voluntas iusti et aequi, quam regulam nulla creatura assequi potest. Offendimus enim omnes ad legem dei, et nisi succurrat mise-

ricordia eius, sumus secundum iustitiam eius omnes damnati: quae utraque bonitatis sunt dei. Fur si in legem incidit, suspendio plectitur secundum iustitiam, nisi intercedat ac succurrat misericordia et gratia iudicum. Ad misericordiam ergo dei nobis miseris, et conscientia per legem damnatis, confugiendum est. Nam qui sese intus merito damnatos sentiunt, hocque ingenue fatentur, ad gratiam dei per Christum exhibitam confugiunt, quibus et salutaris est Iesus: intus sentiunt consolationem spiritus et pacem habent cum deo, iustificati scilicet illius gratia, et abluti per sanguinem Iesu Christi. Impii contra, quum intus damnatos sese merito intelligunt, ac pronunciant etiam foris, consolationem tamen nullam intus sentiunt desperati plane et omnino damnati. Misericordia dei a piis duntaxat sentitur et intelligitur. Quid vero est damnatum esse aliud, quam non fidere misericordia et clementia dei patris per Christum? Omnes autem mortales conscientiae suae testimonio desperare de se oportet, nihil enim in se inveniunt quod damnatione perpetua dignum non sit. De impiis probatione non eget, de piis probari potest. Quae enim nostra iustitia, nisi pannus menstruatae? Opera credentium quantumvis sancta, iusta, et ex fide facta, vitiata tamen sunt affectibus carnis. Hoc vero agnoscunt pii, et culpam deprecantur cum certa spe veniae. Impii quum in profundum peccatorum et scelerum descenderunt, contemnunt deum et omnem admonitionem. Hoc ergo deus omnibus saeculis agit ut homines in cognitionem sui per legem ducat, et ad resipiscentiam invitet, simul proponens misericordiam suam poenitentibus et iustitiam suam rebellibus. Sunt enim qui gratia alliciuntur et beneficiis: sunt rursus qui legis ac poenae metu a sceleribus absterrentur. De prophetis quid opus est ut probem, quum doctrina eorum omnibus sit cognita? De Christo et apostolis in novo testamento evidentissima sunt testimonia, quod legem primum, deinde gratiam proponant. Non enim solum gratiam per Christum praedicarunt (quamvis id potissimum), sed simul et lege terrent, et ad resipiscentiam hortantur. Nomen a veteribus diversum est, res et officium idem. Quibus vero praedicant servatorem? Iis nempe qui iustitiae suae diffisi et quasi desperabundi salutem et gratiam sitiunt, quam nisi in Christo non inveniunt. Frustra enim praedicatur Christus Iesus hypocritis et sanctulis illis, qui suis operibus fidunt, quum sint interim nebulones et pessimi homines. Praedicant tamen et dei iustitiam apostoli, et iram in sceleratos, si non resipuerint et Christum receperint homines. Haec praefationis loco, et quae faciant ad intelligentiam eorum quae sequuntur, praemissa sint.

PROLOGUS IN LUCAM.

Επειδήπερ πολλοί.) Exordium eruditum est satis. Nullus Evangelistarum praefatione usus est, excepto Luca. Summa illius est: Quandoquidem complures conati sunt Evangelia calamo perstringere ac persequi, idem mihi liceat initiis altius repetitis. Summa nostrae religionis est, fidere deo per Christum.

CAPUT PRIMUM.

Erat in diebus Herodis.) Temporis rationem, quod historicorum est, probe observat Lucas. Hunc Herodem magnum vocat Iosephus, quod regnum nondum erat divisum. Maior factus opibus et regia maiestate. Maximus postremo fuit maximis et turpissimis facinoribus.

Erant ambo iusti.) A sanctitate et iustitia prophetae parentes commendat, non a divitiis, potentia, aut huiusmodi, quibus gloriantur homines huius saeculi, quae hominem post mortem destituunt; a sanctitate et iustitia commendat, quae hominem et post mortem sequuntur et commendabilem ac gloriosum faciunt. Ab opibus commendare hominem, nihil secum adfert humanae menti vel desiderabile, vel imitabile. Virtus vero per se hominis animo commendabilis est, quam avide mens hominis desiderat, non secus, ac si voluptuario de deliciis praedices. Mox enim ut audit, accenditur desiderium. Virtus quidem per se augustior est quam ut a mente nostra perspici possit; at quum videmus eam in homine, iam commendabilior nobis fit. Plurimum igitur momenti habent exempla ad imitationem, si virtuti adhibeantur. Plus enim excitat fidei et mansuetudinis exemplum in Mose, quam si nude proponeretur. Plus movet ac docet unicum exemplum, quam mille verba, quae pulchra, bona, et honesta praeitores desiderant. Nihil fuerit opus deo, ut recenseretur, quam iustus fuerit Zacharias: illum enim nihil latet. Quod vero haec in verbo dei scripta reperiuntur, propter nos fit, nam alioqui coram deo nemo iustus esse potest, ut exempla habeamus quae sequamur. Ingenuitas, si vitae sanctimoniam, virtutem et iustitiam adiunctam habuerit, vera est et commendabilis.

Coram deo.) Torquent se hic multi quomodo coram deo iusti fuisse dicantur, quum coram eo nemo mortalium iustus esse possit. Quis enim habitare poterit in monte sancto, nisi innocens manibus et mundo corde? Quis vero cum igne ardente, qui omnem aquam, id est affectum, eiaculatur et expuit? Nemo ergo cum deo habitare aut manere potest, nisi dei sit similis. Hic nodus facile dissolvi potest, si simpliciter intelligamus Hebraicae loquutionis formulam, quae לפני אדני eos iustos dicit, qui metu dei et amore iustitiae, innocentiae et sanctitati student, qui bona conscientia et sincera, quasi in conspectu dei omnia videntis, versantur. Sic deus Abrahae dicit: Ambula coram me, et esto integer! Sic Henoch dicitur ambulasse, et Noe iustus fuisse coram domino, hoc est, metuentes et reverentes dei fuerunt. Coram deo ergo iustum esse, est timorem dei habere. Erant ambo iusti coram domino, id est, omnibus quae deus in lege sua praeceperat, diligenter et magnopere studebant, horrebant quidquid deus vetuerat, componebant vitam et mores ad normam divinae voluntatis, idque a teneris iam annis. Hoc et nos observemus, discamus a teneris portare iugum domini, adsuescamusque ad legem dei. Nam lex dei custos est, qui carnis contumaciam coercet, et eam spiritui subiicit. Qua lege servata, nihil est quod gloriemur, sed dicamus nihilominus: Servi inutiles sumus, neque iusti in iudicio domini. Sed est haec iustitia humana, componere se ad regulam divinae legis, et studere innocentiae et virtuti. Virtus vero pietas est, et omne quod honestum, pulchrum

et bouum est complectitur. Iustum ergo esse coram deo, est fidem in Christum coniicere, esurire et sitire iustitiam. Fide enim iustitia piorum constat.

Processissent in dies.) Hebraismus est, quare translatum est: Erant provectae aetatis. Hebraei dicunt: Ire in dies, vel venire in annos etc.

Coram deo.) Hoc est in templo, in loco sacro. Nam illic fiebant sacrificia et suffitus. Ara incensi erat extra sanctum sanctorum. Zacharias autem fuit in sancto sanctorum, populo foris expectante. Obscurus autem nonnihil est hic locus. Videtur autem quotidie incensum factum fuisse etiam intus in sancto sanctorum (tametsi semel in anno inferretur sanguis) et deinde incensum factum super aram.

Deprecatio tua exaudita.) Capitur hic oratio nimirum pro desiderio et querimonia cordis, haud dubie quod torquebatur ob sterilitatem, contemptus scilicet a Iudaeis; hinc quotidiana vota et suspiria ad deum pro prole.

Ioannes.) A gratia nomen habet, quod venisset gratiae praecursor et praeco. Iesus vero a salute nomen ducit, quia is solus est et medicus et salus animarum.

Magnus coram domino.) Hic iam tertio ponitur Coram domino, tamen aliter atque aliter. Hic coram domino est in ministerio et negotio domini. Neque enim in se magnus erat, sed ideo dicitur magnus, quod magnam rem nunciaret, quod magni domini et regis praecursor erat, quod magnum haberet officium, magnus vitae innocentia et sanctitate. In Ioanne typus austerae et gravis vitae praebetur mundo, ut est Matthaei undecimo et tertio cap. Quamlibet vero austerus et gravis fuerit, caeteros tamen populariter viventes nequaquam damnat, sed fert. Deinde agnoscit imbecillitatem suam, humilitatem et gratiam, se indignum profitetur qui vel corrigiam calceamentorum Christi solvat. Hoc exemplo discant Catabaptistae, caeteros etiamsi ipsi sint sanctissimi, non despicere, seque non minus peccatores esse, quam caeteros. Exemplo quidem argutae apis per omnes virtutum flores curramus, et e singulis excerpamus, quae vitae prosint Christianae. Vera enim pietas studium innocentiae est, et iustitiae, sed simul lux est, quae interim nobis ostendit quantum adhuc a lege dei absimus, quantumvis legis et iustitiae fuerimus observantes et studiosi. Ostendit enim lapsus et errata quibus etiam in ipsa legis observatione sumus obnoxii, ostendit iustitiam nostram esse pollutam et contaminatam, ut ita nemo suae iustitiae, nemo suae innocentiae fidere possit. Oportet ut agnoscamus nos esse peccatores, quibus ex pura gratia et misericordia dei conferatur iustitia et salus. Quae gratia nobis per Christum (qui pignus est gratiae) certo obsignata est.

Plenus spiritu sancto.) Hebraismus est. Hebraei enim implendi verbo utuntur pro dedicandi, sanctificandi ac consecrandi, ubi a profano usu res separatur ad cultum dei. Sic et Germani: Weyhen, separare ac segregare aliquid ad peculiarem usum. Segregatus ergo fuit Ioannes ab utero matris ad hoc officii, non ab hominibus quidem, sed a spiritu sancto, quod fides et sedulitas in officio comprobabat.

Trita sunt proverbia: Nihil feliciter invita Minerva tentari, poëtamque nasci oportere. Quanto id verius hic religiosiore sensu dici potest, prophetam nasci oportere, nihilque feliciter tentari absque numinis electione, vocatione, spiritusque sancti operatione? Hic enim magnus propheta imo prophetarum maximus, non a pontificibus Iudaicis ad tantum munus, sed a spiritu sancto inauguratur. Sic dum apostolos mittebat Christus, dixit: Accipite spiritum sanctum etc. iussitque expectare Hierosolymis donec virtute ex alto induerentur, reciperentque spiritum promissum. Ubi vero spiritus sit, fructibus declaratur, Gal. 5.

Multos convertet.) Qui scilicet aberrarunt et a via dei declinarunt. Hoc quidem praedicatione Ioannis factum est. Tametsi solo spiritu dei reducantur homines, hoc tamen praedicationi Ioannis hic tribuitur eo sensu, quo scriptura solet. Praemisit spiritum sanctum, cuius virtute hoc factum intelligamus; proprie ergo spiritus est, quod hic Ioanni tribuitur.

Praeibit faciem eius.) *Αὐτοῦ* emphasim habet, ante faciem eius, dei scilicet, qui iam homo factus est, coram Messia qui iam venturus est; praecurret autem fervido et vehementi spiritu, quemadmodum olim Helias.

Spiritu et virtute Heliae.) *Δυνάμει* habent Graeci, per quam ardens quoddam studium et fervor ad promovendam dei gloriam et iustitiam significatur, qualem in Helia fuisse, liber Regum testatur. Iam Ioannes clariore spiritu fuit donatus, cognitionem enim clariorem habuit de Christo. Comparatio ergo quaedam est, non aequiparatio, eo quod Ioannes longo intervallo Heliam post se relinquit. Quasi dicat angelus: Tam augustus erit Ioannes in oculis Iudaeorum, quam olim apud Iudaeos fuit Helias. Et Christus ipse Malachiam exponens dicit, Ioannem esse Heliam officio et virtute, non persona: ut quum Romani dicerent: Habemus alterum Iulium, significantes, quod is prioris vel crudelitatem vel arrogantiam sequeretur, aut superaret etiam.

Corda patrum.) Allegoriam esse, sensus ostendit: nam alias patres in liberos sunt propensi. Per patres igitur praepositos et praefectos intelligit. Hoc scilicet docebit, ut fidi sint erga sibi commissos, officio suo diligenter invigilent. Inter gravissima scelera recensetur, gravique poena plectetur a deo, si ii qui patres esse debent, et quorum fidei se committit populus, fallant ac mentiantur, quod flagitium tantum non hodie regnat.

Et inobedientes ad prudentiam iustorum.) *Καὶ ἀπειθεῖς ἐν φρονήσει δικαίων.* Expositio est: *ἀπειθεῖς* sunt impersuasibiles, contumaces, immorigeri, inobedientes, qui sanis rationibus et persuasionibus non obtemperant: Fräfler, rouwe lüt, die jnen nüt laſſend ſagen noch weeren. Huiusmodi hominibus persuadebit Ioannes ut aliter sentiant, ut resipiscant, ut aliam induant mentem, piam scilicet et dei metuentem. Nam in prudentia vel in sensu iustorum, Hebraismus est, pro in prudentiam iustorum, *ἐν* pro *εἰς*. Nam Beth *in* significat Hebraeis, quod et ablativo et accusativo iungi potest. Er wirdt ſy zu eintem frommen ſinn wenden vnd beteeren. Utuntur Hebraei persona pro re, nos autem

vertimus personam in rem. Hebraeus dicit: Der bringt den zu einem ſinn der frommen. Nos dicimus: Der bringt den vff einen, oder zu einem, oder in einen frommen ſinn.

Stans coram domino.) Stare coram domino schema est Hebraicum, pro ministrare. Quasi dicat: Minister sum dei, astans ad iussum eius. Gabriel, id est, fortitudo dei. Quasi dicat: Non fuit ex minimis ministris unus, sed ex fortibus illis et praecipuis. Ex his nunc observandum nobis venit, prophetam verum vocari et mitti a domino, consecrarique spiritu eius, qui sit virtute, spiritu et zelo quodam praeditus, qui possit avertere impios a via mala, convertere corda ad pietatem, qui neminem formidet, et paret domino plebem perfectam. Commendat itaque angelus domini Ioannem, non a divitiis, non a potentia, non a caeteris quae vulgus magnifacit, sed a virtute et fide atque officio. Haec igitur illa in prophetis spectanda maxime, ut haec strenue exequantur, utque officio suo nusquam desint. Et haec certissima sunt divinae benevolentiae signa, si nobis huiusmodi prophetas mittit. Hoc argumento certissime discimus deum nobis propitium fore, modo nos huiusmodi visitationem paternam ne negligamus.

In templo.) Ἐν τῷ ναῷ. Ita positum est, ut dubium sit quo referatur, potest enim ad utrumque, aut ad populum expectantem, vel ad ipsum verbum Moraretur. Quaeque res tempus suum habet, ut Salomon testatur: quod dum quisque in officio et actione sua servat, decorum nascitur; quod dum praetergreditur fit confusio et admiratio, aliquando etiam periculum et damnum. Hoc maxime observandum magistratibus: nam sine ordine nulla res publica constare potest.

Quod visionem vidisset in templo.) Hoc loco *templo* pro interiori parte templi, pro sancto scilicet sanctorum accipitur.

Καὶ αὐτὸς.) Et ipse. Καὶ pro Nam. Nam ipse innuebat etc.

Occultabat se.) Partim ex pudore, partim propter gratiarum actionem. Modestia est et pudor muliebris. Poterat enim gloriari cui datus erat foetus divinitus. Manere domi honestissimum est matronis. Sic prisci non abs re Veneri basim testudinem fecerunt.

Sic fecit mihi dominus.) Incertum est quo sit referendum, an ad pudorem, ad ad gratiarum actionem, sed potest ad utrumque referri.

In mense sexto.) Ad alia transit Evangelista, et diligenter observat temporum rationes, locorum, personarum. In lege praeceptum erat, ut ex sua quisque tribu uxorem sibi adsciscerent; idem facit hic Ioseph.

Gratiosa.) Κεχαριτωμένη cui scilicet dominus gratiam fecerat. Tribuere creaturae quod solius est creatoris, non caret impietate.

Dominus tecum.) Hebraismus est, et nos Germanice sic loquimur: Gott ſye mit üch.

Invenisti gratiam.) Hebraismus est in verbo invenisti, quod pro habere ponitur. Solent enim Hebraei invenire saepe pónere pro habere. Exempli causa: Dedit ei quidquid manus eius inveniebat, id est, quidquid habebat. Invenisti gratiam, id est, habes gratiam, dominus favet tibi. Alias Latinis invenire de re quaesita dicitur. Maria autem am-

bitiosa non fuit ut hanc praerogativam quaereret, quod superbiae suspicione non caruisset.

Vocabitur filius.) Id est, erit, Hebraico more.

Et dabit ei dominus sedem Davidis.) Quemadmodum David rex fuit in Israel, sic Christus rex regum fuit, et dominus dominantium.

Quomodo fiet istud?) Quaerit Zacharias et punitur; quaerit Maria, et non punitur. Sed Zachariae interrogatio ex dubitatione et curiositate nascitur, Mariae non item. Fit hoc providentia divina non temere, ut Maria interroget, et angelus respondeat, ut innocentia, puritas, et integritas virginis Mariae nota fiat. Rem ipsam credit Maria, de modo tantum interrogat, quod arguit eius integritatem. Nam hinc claret, virginem Mariam nulli unquam viro commixtam fuisse, et foetum ex spiritu sancto esse. Zacharias in re et modo dubitat.

Superveniet.) Ἐπελεύσεται: Von oben herab kommen (tantum valet ἐπὶ praepositio), mentem occupabit, et corpus possidebit et sibi vindicabit, quod Mariae prae caeteris contigit. Nam et caeteri sancti ita a spiritu absorbentur, ut mens sit in coelo, quamvis corpus in terra versetur. Quasi dicat: Non more humano et naturali fiet, sed virtus ipsa dei, et spiritus sanctus, deus ipse, novo quodam modo in te operabitur.

Et virtus altissimi obumbrabit tibi.) Obumbrabit, id est, defendet (umbra enim pro defensione ponitur) te, ut quemadmodum illibata iam es, ut illibata porro maneas, defendet te ab omni infamia, in omni tribulatione.

Sanctum.) Vocant Hebraei quidquid divinum est et maximum, quod effari non possunt. Vocabitur, id est, erit. Sanctum oportuit eum esse, qui sublaturus erat nostra peccata, qui nos omnes erat sanctificaturus. Et huius matrem sic sanctificavit et purificavit deus: nam decebat ut tam sanctus filius tam sanctam haberet matrem.

Et ecce Elizabeth.) Signum datur Mariae non petenti. Laboremus ergo ut fidem habeamus, et omnia bona sponte sequentur. Quod virgo salvatori Iesu eligitur, vetula Ioanni, mysterium habet et significationem. Synagoga vetus erat, proxima interitui et fini, sed fecunda tamen fit: nam salus est ex Iudaeis. Virgo nova gens est ex gentibus, quae tota coelestis est.

Quia non est impossibile.) Ut intelligas ac certo cognoscas (tantum enim valent haec verba) apud deum nihil esse impossibile etc. Sub hoc verbo plerique horrendos errores defendunt. Sed considerare illi deberent, potentiam dei simul et veram esse. Nam quidquid non est verum, corruptibile est et mutabile. Potentia ergo dei non fallit, et non nisi veritate cognoscitur. Si enim dissimilis sibi esset deus, non potentia sed impotentia potius dicenda esset. Si deus semel hoc statuit, et dixit, quod ipse solus peccata remittat: fieri nunquam potest, ut Papa peccata remittat, nisi deum dicamus non esse veracem. Quod semel ex labiis eius egressum est, non facit irritum. Christus dicit: Iam non sum in mundo. Ideo in pane corporaliter esse nunquam poterit: non enim haec potentia esset, sed impotentia. Ut nihil sit quod isti pro se dicunt: Deo sunt omnia possibilia. Nihil est deo possibile quod contra eius veritatem immutabilem pugnat.

Ecce ancilla.) Obsequentis est. Fides enim se in deum reiicit, et dicit: Domine fiat voluntas tua.

Abiit in montana.) Non ex infidelitate, aut quasi dubitans de verbis angeli, sed ex officio. Quod duae mulieres sese mutuo visitant, magnum non est, sed quod tantae, tantoque onere gravatae. Non ergo temere haec scribuntur ab Evangelista. Fides non est otiosa. Christus ad praecursorem, salus primum ad Iudaeos venit: omnia enim mysterium habent.

Impleta est spiritu sancto.) Id est, mens eius novo quodam modo illustrata et initiata est: hoc enim est impleri spiritu sancto.

Domini mei mater.) Hinc adparet Elizabetam spiritu cognovisse divinam virtutem in Christo. Nam Maria Ioannem non vocat dominum.

Beata quae credidisti.) Quasi dicat: Bene tibi quod credidisti! maritus meus quia non credidit, ideo mutus est effectus. In confabulatione ambarum multa latent mysteria, et venae fidei se produnt. Providentia divina, quae omnia in omnibus operatur magnifice, movet etiam ad canendum laudem suae potentiae bonitatique, et invitat Mariam ad gratiarum actionem. Et huiusmodi carmina laudant deum a potentia et bonitate, ut patet 1. Regum 2. Sunt enim quaedam in cantico Mariae quae illinc desumpta sunt.

Magnificat anima mea dominum.) Id est: Ego magnifice deum laudabo. Periphrasis est Hebraica cum emphasi, quum indicet hoc quod causa est laudis. Ex mente et animo gratias agam; ut si Latinus diceret: Quantus quantus sum laudo deum. Anima virtus est, quae dat esse et sentire in animali, in homine etiam orationem. Sed spiritus est superior portio mentis, dei capax. Primum opus spiritus est, quod exultat in deo, et haec est vera fides. Nec fit haec exultatio in carne, sed in deo servatore. Cernebat enim Maria quam abunde deus misericordiam suam mundo innotuerit iuxta promissiones suas, atque in hoc laetatur. Spiritus ergo piae mentis spiritu divino illustratus, in deum respicit, deo solo fidit. Haec lux e supernis accensa et infusa, per quam deus menti innotescit, dicitur spiritus.

Respexit humilitatem.) Ego puto esse antiphrasim. Quasi diceret: Non despexit me, non abhorruit a vilitate mea.

Qui potens est.) Emphasis est in potens: quidquid est usquam virium, quidquid potentiae, totum ex eo est, quin ipse solus potens est.

Sanctum nomen eius.) Id est, sacrosancta est eius maiestas.

Et misericordia eius.) In his quos punit, ostendit iustitiam suam simul et bonitatem; in his quorum miseretur, exerit suam bonitatem et misericordiam suam. Atque haec perpetuo durant, nunquam cessant. Etiam si punit aliquando, mox ut agnoscunt homines et resipiscunt, clemens est.

Fecit potentiam in brachio suo.) Pleonasmus est Hebraicus. Hoc est magnum quiddam fecit.

Deposuit potentes.) Morem et ingenium dei exacte describit. Qui ergo superbi sunt, non imitantur naturam dei: qui vero humiles sunt et modesti, sunt filii dei germani.

Esurientes implevit.) Beati enim qui esuriunt et sitiunt iustitiam,

ipsi enim saturabuntur. Qui fidem Abrahae non habuerunt, esurierunt autem et sitierunt iustitiam, ut gentes, hi abunde per praedicationem evangelii saturati sunt.

Divites dimisit inanes.) Ut pharisaeos, scribas, sacerdotes, monachos, et omnes iustitiarios qui iustitiae suae fidunt: nam hi omnes vacui sunt, utcunque sibi divites videantur. Qui in deo vivente atque solo sperant, saturantur, neque unquam deficiunt.

Suscepit Israel puerum.) *Κατ' ἀναγωγήν* Maria utitur hic Israele. Neque enim carnalem Israelem tantum intelligit, sed fidelem et spiritualem. Perfecit (inquit) quidquid unquam vero Israeli pollicitus est. Israel est quicunque vero deo fidit per semen Abrahae. Pollicitus est per Abrahae semen omnes gentes benedicendas esse: hoc iam affatim praestitit.

Sicut locutus est Abrahae.) Ad promissionem alludit Gen. 22. Nam omnes fideles filii sunt Abrahae, Rom. 4. Pater ergo noster est Abraham. Idcirco dicit: Ad patres nostros. Discimus in hoc cantico, omnia referri in deum, cum gratulationes et gratiarum actiones, tum universas laudes, dum se divina munificentia aperit mortalibus.

Et impleti sunt dies.) Revertitur Evangelista ad historiam, quam paulo intermiserat, interserta interim historia de conceptione Iesu Christi filii dei.

Et peperit filium.) Ostenditur oraculi certitudo, quod ad Zachariam ab angelo factum erat. Nam divinae promissiones dum implentur spirituale quoddam gaudium, insignemque gratulationem excitant, tametsi interim antequam sint impletae, fideles quoque illis quae non vident corde credunt.

Et gratulabantur ei.) Quemadmodum pii gratulantur in beneficiis dei, ita pessimi rumpuntur invidia. Monet Paulus, ut cum gaudentibus gaudeamus, flemus cum flentibus, sed ita, ne illorum affectibus a constantia abstrahamur aut dimoveamur. Si proximus dolet, doleamus cum eo, sed non sic, ut ei similes fiamus, quin potius fortes animo eum consolemur firmemusque, tangat nos dolor, loco non dimoveat. Non secus de gaudio intelligas. Servetur modus in omnibus! nam omnino sine his esse hominem impossibile est, quum huiusmodi ingenerati sint affectus. Potuisset quidem deus indolentem creare hominem, at non expediit: hominem enim creare voluit, non angelum, neque bestiam, non omnino affectibus liberum; nec omnino affectibus carnis immersum. Gaudium Christianorum non sit levitas, non luxuries quaedam, non insania. Dolor non in desperationem aut furorem exeat. Nam impii exultant in rebus pessimis, et laetantur quum malefecerint, gloriantes in malitia sua. In rebus honestis gaudere possumus, ut hic fit.

Misericordia usus.) Misericordia saepe pro beneficio ponitur, ut hic fit manifeste.

Vocabant eum.) Id est, vocare volebant eum nomine paterno. Qui servatorem expectabant, duo spectarunt, promissionem dei, et venturum Messiam. Hinc praecursor Ioannes vocatur, non Zacharias. Aderat enim iam, non expectabatur amplius Messias. Nihil ergo hic temere, nihil fortuito agebatur. Inauguratur ecclesiae dei infans Ioannes,

sanctus et spiritu sancto plenus, circumcisione et nominis impositione. Ubi discimus ecclesiae sacramenta et communionem non negligere aut contemnere.

Impletus spiritu sancto.) Hoc est, impulsus, accensus, illustratus.

Laudandus dominus.) Exemplo Zachariae post collata beneficia divinae bonitati gratias agamus, post tribulationes scilicet gaudio perfusi. Veri Israelitae atque deo gratissimi efficiemur, si omnes tribulationes constanti animo pertulerimus.

Fecit redemptionem.) Christus redemptio est pro peccato totius mundi. Oportebat autem eum, qui iustitiae dei satisfacturus erat, immunem esse ab omni labe peccati.

Et erexit cornu salutis.) Sermo est figuratus, pro eo quod diceret Latinus: Victores nos reddidit.

Per os omnium prophetarum qui a saeculo sunt.) Id est, ut semper, ita et nunc quoque, misericordiam suam nobis revelat.

Salutem ex inimicis.) Iam ostendit quid a saeculo promiserit per prophetas suos deus, nempe salutem. Ludit autem Evangelista in aliena lingua tropis, variegatione, et mira gravitate, elevato scilicet stilo, pro carminis ratione e mediocri ac humili ad magnificum et grande genus ascendendo. Ab initio semper pollicitus est, fore, ut serventur ab hostibus ii, qui sibi fidant, idque et nunc facit. Nec unquam passus est ab hostibus opprimi in se sperantes. Salus: Frist, schutz, schirm. Ab hostibus ergo defendere et vindicare solius dei est, cui tam facile servare a multis quam a paucis, et in paucis quam in multis. Sed nostra fiducia non debet esse nec in multos nec in paucos, sed in ipsum deum. Ut simus conformes divinae voluntati, ut ei pareamus, et ab ipso pendeamus. Non in fortitudine equi, dicit David. Domini est salus, domini est victoria. Studeamus ergo amici esse dei, et nihil erit nobis metuendum: non enim deserit suos.

Memor foederis sui.) Redit ad promissiones illas priscas, altiusque repetit vetera, ut mos est Hebraeis, ut ab ante actis probet deum non defore etiamnunc suis. Est enim immutabilis, semper servavit; ergo nunc quoque servabit, fidelis est, constans, et verax, nunquam fallet, firmae sunt eius promissiones.

Iusiurandum quod iuravit.) Abrahae in primis, ut est Genesis 22. per semet ipsum iuravit, ut firma esset promissio. Promiserat Abrahae terram Chanaan, ut expulsis hostibus Amorraeis posteri eius securi et tuti illic habitarent. Ad quid vero?

Ut viveremus sancte.) Et inculpate coram eo omnibus diebus vitae nostrae, tantisper dum hic vivimus. In hoc enim dominus terram aliquam incolendam nobis dat, praebetque alimenta et vitae necessaria, ut iusti et sancti homines simus: Das wir fromme lüt syginb. Qui ergo fidei salutem tribuunt, simul et opera charitatis docent, quum de fide, quae per charitatem operatur, loquantur, et fidem sine operibus mortuam esse monent. Non ergo dedocemus opera bona, sed fide in opera ducimus. Papistae vero opera sine fide docent.

Omnibus diebus. Καθ' ἡμέραν Täglich. Quotidie resipiscendum, quotidie studendum bonis operibus, quotidie innovare vitam oportet.

Coram ipso.) Vel: In conspectu eius; de quo supra multa diximus. Cogitemus nos semper versari coram deo, studeamus innocentiae, componamus vitam nostram ad eius voluntatem et legem. Omnia agamus ac si coram deus staremus, qui nusquam abest, qui omnia videt: omnia enim patent oculis eius, nec potest eum quidquam latere. Ne offendamus tam benignum patrem, cogitemus eum esse iustum et malorum vindicem etc. Hoc versari et vivere est coram deo.

Et tu puer propheta) Catastropha est ad recens natum puerum. Certissimum est argumentum divinae clementiae, quando deus prophetas ad aliquem populum mittit. Neque enim consistere populus potest sine prophetis: omnia enim diffluunt, omnia solvuntur et labascunt. Quod hodie videre licet in iis locis, in quibus evangelium non praedicatur. Nam licet illic sint plerique pii, quibus consceleratio tanta displiceat, nemo tamen sceleratis reclamare audet, nemo resistere. Ubi vero fidi sunt prophetae, prodeunt, et scelera protrahunt ac redarguunt, clamant, nec cessant, quasi tubam vocem exaltant, et annunciant populo scelera, simulque taxant ac damnant, ut nebulones saltem pudefiant agnoscanturque, metuque deterreantur, qui iustitiae amore benefacere nolunt. An vero non potuisset deus (qui omnia potest et cuius voluntati nemo resistit) hominum corda spiritu suo illustrare, ut venientem filium servatorem agnoscerent et reciperent? Sed hunc ordinem servat deus, praemittere prophetam, qui sua praedicatione pararet domino viam. Tam necessaria est prophetia, ut si nullus esset magistratus, verus propheta erigere ac constituere magistratum possit: ubi vero propheta nullus est, nihil efficiet magistratus, nec pius unquam erit populus. Congratulatur ergo pater infantulo iam recens edito, quod agnoscit officii sublimitatem, et quasi vaticinatur. Iuxta vulgi quidem iudicium non solum nihil boni puero suo, sed mali plurimum praedixisset, aut imprecatus fuisset. Quid enim, si carnem spectes, difficilius, gravius, ac periculosum magis, quam prophetam esse? At divina spiritu metienda sunt, non carnis iudicio, et spiritualia spiritualibus conferenda. Si propheta sentit se fidum esse, quaerereque gloriam dei, populique salutem, tranquillitatem publicam, totumque in hoc esse, ut iustitia, veritas, pax, et vitae innocentia augescat, certissimum habet testimonium se a deo missum esse, atque is magnus est coram domino, utcunque mundo sit exosus et contemptus.

Ad parandas vias eius.) Omnis caro corrupit viam suam, hoc est, eum vivendi modum, quem dominus praescripsit. Has corruptas vias reficit ac reparat propheta. Sic enim Ieremiae praecipit dominus, ut diruta instauret. Ego autem (quia προπορεύεσθαι hic est, quod praeire et ambulare significat) puto hunc esse genuinum sensum: Sic ambulabis, ut et caeteri videant quomodo et sibi sit ambulandum, praeibis caeteris ut dux viae. Remissionem peccatorum per Christum praedicat Ioannes, evangelium scilicet. Docebis, remissionem peccatorum ex mera gratia dei venire ac obtingere credentibus. Hoc Hebraei per viscera misericordiae exprimunt. Quasi diceret Germanice: Vß tieffe fenner erbärmbd, ex quibus visceribus, vel ex qua misericordia ac gratia dei, exoritur ac illucescit sol ac oriens Christus, ex alto. *Ανατολή* autem nomi-

naliter accipiendum est. Christus enim sol iustitiae est. Est igitur Catastrophe ad Ioannem simulque Christum: per hunc enim visitavit deus mundum. Christus autem non solum redemptor est, sed et lux mundi, per quam videremus viam qua nobis esset ad deum eundum.

Umbra mortis.) Pro mortifera aut mortali umbra, Hebraica loquutione: nam ignoratio dei et salutis per Christum tenebras et mortem adfert.

In viam pacis.) Pax pro securitate et salvo statu, Hebraico more, ut securi iremus in hac via.

Erat in desertis.) Quum iam adolevisset, subducitur puer a consortio hominum, ne contagio mundi inficiatur. Hic discamus pueros sic educare ne contaminentur.

CAPUT II.

Lucas Evangelista prae caeteris de exacta et propria temporis descriptione commendatur: hoc enim maxime ad historicum pertinet. Monarchia proprie est, ubi summa rerum penes unum duntaxat hominem est; at aliquando capitur pro magno et ingenti imperio, quale Romani iam in orbem obtinuerant fere universum. De quatuor monarchiis vaticinatus est Daniel, Babylonica, Persica, Macedonica, et Romana, quae ultima fuit, post quam nulla talis fuit. Iulius primus fuit Monarcha, Augustus, de quo hic mentio fit, secundus: nam antea Democratia fuit octingentis annis.

Ut censeretur totus orbis.) Hoc edictum ab Augusto exiit, testante Evangelista. Capitur autem οἰκουμένη orbis pro imperio Romano, vel ea parte orbis quae subiecta fuit Romanis. Sic Hebraei suum ארץ habent: Das gantz land vel das gantz reych. Nam quis unquam regum totum orbem censuit? Christum nasciturum in Bethleem Iuda, a prophetis praedictum est, ut videamus Mariam divina providentia desponsam fuisse Ioseph, non temere aut fortuito. Deinde ut tutata et defensa esset pudicitia, ne notam ei quis inurere posset: quod factum haud dubie fuisset, si gravida fuisset deprehensa, nec dum marito desponsa. Et hoc angelus Mariae futurum praedixerat: Obumbrabit te spiritus sanctus, hoc est, defendet te et tegetet.

Primogenitum.) Primogenitus Hebraeis dicitur non is solus qui ante alios primus natus est, sed qui solus. Primogenitus igitur hic pro unico dicitur, quod is solus esset haeres, et ius primogenitorum obtineat. Primogenitum enim esse apud istam gentem, peculiare quoddam privilegium fuit. Frustra igitur cavillatur hac in voce Helvidius.

Reclinavit eum in praesepe.) Nihil temere, divina providentia geruntur omnia; ut summam humilitatem in filio suo commendaret nobis deus. Omne genus adflictionis, paupertatis, et humilitatis in filio nobis amplexandum et imitandum proponitur. Nam si cum pompa (ut solent filii regum) natus fuisset, posset pauper et vilis dicere: Quomodo esset meus servator? quomodo me hominem curaret tam altus? Discant hic principes, et mundi potentes fastum ponere, sese demittere ad suorum utilitatem et salutem. Non enim ad homines solum se demittit Christus, sed ad iumenta usque. Humilitatem atque de-

iectionem huiusmodi Paulus graphice depingit Philip. 2. Quasi dicat Christus ad Iudaeos: An non satis vobis est, ut ad iumenta usque me demittam? Perstringit hoc facto Iudaeorum contumaciam, qui dum Christum, propter se natum et humiliatum adeo, non agnoscunt et recipiunt, iumentis et bestiis peiores merito iudicantur.

Astitit illis.) Ἐπέστη αὐτοῖς, venit ad eos vel accessit eis. Primum pastoribus notus fit servator: ipse enim pastor est verus, qui animam suam positurus erat pro ovibus suis, et qui errabundas ac dispersas in viam erat revocaturus. Ut sciamus prae omnibus pastores debere esse scientes dei et exprimentes Christum. Nam hi praefecti sunt, non solum autem verbi ministri, sed et magistratus. Pastores sunt quibuscunque oves commissae sunt, vel ad eruditionem vel ad tutelam et poenam. Ad huiusmodi ergo officia assumantur et eligantur qui cognitionem et timorem dei habeant. Christus totum se deiicit et quasi humi prosternit, ut vel a vilissimo et humillimo capi possit, adeo se nobis aperit, ut videre promptum sit quibusvis, quod noster velit esse totus. Ut hominibus omnis excusatio adimatur, qui dicunt: Non audeo eum accedere, nimis altus est, non possum eum contingere. Si rex aliquis excellentissimus diceret egeno: Si mihi scapulis insederis, dabo tibi haec. Humilis dicere posset: Rem difficilem et impossibilem mihi proponis: non possum ascendere; rex autem hoc audiens se humiliare et humi deiicere: Ut videas (inquiens) me totum quantus sum tuum esse, ecce descendo et me tibi calcandum et contrectandum praebeo. Utere et fruere me pro voto. An non ille iam certissimum amoris argumentum illi praeberet? Contemneris, et ipse propter te contemptus est; iniuriam pateris, et ipse tui causa hoc in se suscepit. Sic de reliquis cogita.

Nolite metuere.) Sic consolatur deus omnes qui simpliciter operi suo invigilant, quantumvis sint stupidi, indocti et imperiti, modo non in se, sed in deum fidant.

Evangelizo vobis.) Laeta nuncio quae non uni alicui, sed toti orbi salutaria contigerunt. Evangelium praedicatio est de Christo servatore, qui gaudium verum est animae. Opponitur autem laetum illud nuntium desperationi et anxietati animi, quae in omnibus hominibus est. Iam enim gaudium impletum erat. Christus filius dei factus erat caro, qui prius per prophetas erat promissus. Ore quidem hoc omnes volutamus; quid vero rei sit evangelii, perpauci sunt qui intelligunt. Qui consideratione scelerum suorum ad desperationem adactus est, et ex ista desperatione certam consolationem salutis accipit, is mox alacriter se ad vitae innovationem et innocentiam accingit. Quanto vero magis hoc intus gaudium sentit, tanto minus operibus suis tribuit, tantoque magis ad hanc gratiam se cum gratitudine et novitate vitae adcommodat, et tamen vitae huic sanctae, quam meditatur et anxie persequitur, nihil omnino fidit, sed soli gratiae et bonitati dei per Christum. Proinde nullis perinde iucundus et gratus est Christus ac illis, qui suam infirmitatem agnoscunt, et desperationem persentiscunt, quique gravitatem peccati recte aestimarunt, ut remedium multo gratius est iis, qui gravitate morbi sentiunt. Qui vero gravitatem peccatorum suorum ex-

pendunt, anxiique intus in conscientia sua sunt, nondum remedii pretium per Christum exhibiti aestimantes, in desperatione adhuc sunt. Qui vero supra sensum peccati etiam gratiam et consolationem in Christo persentiunt, iis est Christus salutaris et gratus. Ubi vero hic sensus misericordiae est, illic et studium est innocentiae et melioris vitae, emendatioque agniti erroris. Non potest piis peccatum ullo modo placere nec adlubescere.

Natus est hodie servator.) Iesus servator est, et is quidem qui vocatur Christus. Nullum ergo alium tibi unquam proponas! datus est tibi hic a deo, et filius est dei, quem ut audias pater praecipit. Et ipse ad se vocat omnes laborantes. Errant ergo perniciose omnes qui sibi alium servatorem constituunt, seu illum inter creaturas in terris, seu inter divos in coelis quaerant. In nulla enim creatura salus est, sed in sola gratia dei, quae nobis in Christo et per Christum est exhibita, ob oculos posita, in manus data, quin in conscientiam et pectus per spiritum infusa. De nullo unquam dictum est aut definitum a deo, qui sit servator, quam de illo. Et is hodie natus est (inquit angelus) nec antea unquam alius natus, nullusque postea nascetur, Christus, Messias, unctus rex. Hunc ut notum proponit angelus Iudaicae genti Messiam, regem a deo unctum et inauguratum legitime.

Digressio per gradationem, in qua ostenditur summa et tota Evangelii ratio.

Mortales omnes qui universum incolunt orbem, sive Iudaei sint illi sive gentes, qui spiritu dei et vera dei cognitione illustrati non sunt, cogitatione coelestium et futurarum rerum, ad altiora quaedam et perpetua adque aliam potiorem hac vitam se creatos ac conditos ostendunt et testantur. Quis enim est, qui beatitudinis et felicitatis cupiditate non teneatur? Da mihi latronem aliquem crudelissimum, aut impiissimum hominem! an non illi aliquando huiusmodi cogitatio animum subit: O si nulli essent inferi! o si nulla esset post hanc vita! Cur hoc? metu futurae poenae, et commeriti supplicii formidine tenetur, quae sibi futura cognoscit post mortem, atque id sua ipsius conscientia dictat. Adparet ergo universos homines futurorum cogitatione teneri, sive supera sint illa, sive infera. Quod si de terrenarum rerum cogitatione loqui velimus, inveniemus unum hominem animantia bruta ratione longe antecellere, mentisque dignitate praestare. Hic enim inter caeteras creaturas ad imaginem dei conditus divinioreque quadam natura donatus a deo est. Quorsum vero haec tam excellentia dona homini data essent, si simul cum hac mortali vita desinerent? Si haec in futuram vitam non prorogarentur, satis fuisset hominem iumentis similem esse, quum posset sine ratione non minus commode hic vivere. Argumentum ergo hoc est efficax et certum, homini rationem et mentem in hoc impressam esse a deo, ut sigillum quoddam futurorum habeat, alteriusque vitae pignus, nempe aeternae, sive hanc eandem in gaudio, sive in dolore ducat. Quaerantur vel universi iam vel singuli, vel ex his unus aliquis, qui sibi relicti fuerint, qua via vitam illam, in qua ipsis bene sit, adquirere ac parare velint, vel qua ratione ad illam grassentur? Re-

spondebit nimirum quispiam, virtute, bonis operibus, iustitia, innocentia, vitiorum fuga. Si hunc urgeo, quid virtutem censeat, dicet haud dubie, iustitiam, veritatem, fidem, continentiam. Sed pergo interrogare hunc, num apud se iustitiam hanc sentiat, num exacte iustitiae adhaeserit, num a vitiis et sceleribus continuerit, num sic ambulaverit, ut deus lege sua exigat dignumque sit aeterna vita? Hic si verum fateri velit nihilque dissimulare, cogetur dicere, se nulla unquam virtute recte praeditum fuisse. Nam quis adeo iustitiae et bonorum operum observans et studiosus unquam fuit, qui non interim in ipsis bonis operibus et iustitiae studio adfectus carnis persentisceret, qui se bonis operibus adiniscerent, et virtutem ipsam inficerent atque stercore suo foedarent? qui non semper plus vitiorum quam virtutum in se deprehenderet? Quid vero ex his omnibus evincere tandem volumus? vel quorsum haec tam alte repetita? Nempe, ut videamus nobis de nostra iustitia, virtute, merito, bono opere omnino desperandum esse, quum de beatitudine et vita aeterna agitur, quod omnes iustitiae nostrae, prophetae testimonio, panno menstruatae mulieris persimiles sint, et nemo mortalium sustinere iudicium exactissimi et iustissimi iudicis dei possit. Haec vera esse indubitatoque vera, quis nisi mentis impos, aut turpiter mentiri volens, negare audeat? In his ergo angustiis, in hac desperatione quum universum mortalium genus iacere adeoque perditum esse convincitur, unde auxilium aut consolatio speranda? Videt enim trepida et desperabunda conscientia et sibi vitam negatam, et poenam certam esse, quum merita nulla sint, commerita infinita. Hanc calamitatem humani generis misertus pater aliam ad vitam homini viam praeparavit, per quam sibi homines adiungeret, et salutis participes faceret. Mittit itaque filium suum unigenitum in mundum, qui nostra carne infirmitateque assumpta peccata nostra sanguine suo tolleret nosque cum deo reconciliaret, et vitam mercretur nobis aeternam. Hoc ergo laetum nuntium, hanc salutem orbi iam advenisse angelus nunciat. Ecce, inquit, annuncio vobis ingens gaudium, quod non uni homini, sed toti orbi datur: Natus est servator Iesus. Quicunque ergo propter peccata sua de salute et vita desperarunt, quicunque magnitudinem et gravitatem peccatorum suorum sentiunt et agnoscunt, poenamque aeternam formidant, hanc vocem angeli audiant! Quibuscunque haec verba deus per spiritum suum in eor loquitur et persuadet, hi iam veram consolationem, et verum animi gaudium habent, per quod omnis desperatio, metusque omnis absorbetur. Hoc ergo evangelium est, ubi peccator iuxta peccati sensum simul et gratiam ac remissionem per Christum intelligit ac credit.

Ut circumcideretur puer.) Quaeque religio ceremonias habet peculiares. Verum nihil sunt ceremoniae, si non praecellentius quiddam et divinius adumbrant et significant. Nam frivola et stulta res est circumcisio infideli, sic etiam baptismus: fidelibus vero et piis hominibus magna sunt et sacrosancta sacramenta, et divinae bonitatis symbola. Fides ergo et dei cognitio augusta facit externa quae adhibemus. Nequaquam ergo reiicienda sacramenta quae deus instituit, sed summa cum religione et veneratione tractanda. Verum his tribuere

quod solius est dei, non minus est impium. Ut enim haec negligere ac proculcare hominis est parum pii, sic contra divinam illis assignare virtutem, hominis est athei, et rerum divinarum parum periti. Fortius quidem et vehementius movent externa sacramenta promissionibus et verbis adhibita, quum non solum aures, sed et oculi percelluntur, idemque sentiunt quod verba loquuntur, neque unus duntaxat sensus, sed fere omnes habent, quod agant. Exemplum huius in Hieremia habetur, qui cum iussus esset ligneam catenam collo appendere, regibusque ostendere, multo significantius captivitatem denunciavit, quam si solum verbis hanc insonuisset. Denique plus metus illis incussit, quum non audirent solum, sed viderent etiam futuram poenam. Sic fit in Eucharistia, ubi non auditus solum verbis promissionum, sed et caeteri sensus omnes suo quodam modo afficiuntur, ut in alio libello satis indicavimus. Hinc iudices Areopagitae, quos incorruptissimos esse oportuit, neque rei, neque accusatoris personam oculis cernebant, ne affectu aliquo praesentium moverentur, aut ab integritate sententiae abducerentur. Obiecta praesentia sensus plus movent. Sic dum Rutilius Aegypti regem baculo circumscribebat, non solum vox sed et baculus loquebatur, adeoque fortius terrebat. Quim editari volunt, specularique subtilius, oculos fere claudunt, ut obiecta, quae mentem a proposito avocant, abarceant. Quod si externum obiectum id quoque agit et proponit, quod mens intus, plenior nimirum motio et actio fiet.

Dies purificationis.) Factus et Christus sub lege, qui tamen legi nihil debuit, ut nos, qui sub lege eramus, redimeret: in omnibus enim voluit fratribus assimilari. Sacrificia veteris testamenti peccata verius significarunt quam expurgarunt. Quemadmodum enim pecudes mactabantur, et sanguis eorum fundebatur, sic peccator sese hoc sacrificio declarabat vere et ex animo compunctum et quasi mortificatum esse planeque mortuum; hoc vero (nisi accessisset fides in semen promissum) nihil adferebat quam desperationem. Nec enim potuit hircorum et taurorum sanguis peccata expiare; idcirco quotidie iterabantur sacrificia. Deinde plerique inter Iudaeos erant, qui tametsi sacrificia offerrent foris, intus tamen minime erant compuncti; ergo non erant intus quod foris mactatione pecudis testabantur, quid ergo nisi hypocritae? Ad haec sacerdotum avaritia effecerat, ut bona pars hominum sacrificiis pecuinis expiationem peccatorum attribueret, quod omnium pessimum erat. Sic multa quae primum recte coepta et instituta sunt, tempore ipso abusu corrumpuntur et pessum eunt. Significabatur autem sacrificiis, venturum aliquem, cuius sanguine peccata expiarentur.

Iustus.) Iustum esse quid sit, superius est auditum, quod diligenter est imprimendum, ne quis suae iustitiae fidat.

Non visurum mortem.) Non videre mortem, Hebraica loquutione est, non mori. Fuit autem hoc multo maximum solatium Symeoni vetulo, responsum in provecta iam et ultima aetate accipere, se non prius moriturum, quam videat Christum domini, redemptorem Israelis.

Benedixit.) Id est, laudavit, gratias egit.

Et gloriam plebis.) Tametsi Christus exosus esset Iudaeis, nihilo tamen minus gloria fuit Israeliticae plebis.

Benedixit eis.) Id est, bona est eis et fausta imprecatus. Sic varie utuntur Hebraei suo בָּרַךְ, quod Latinus dicit Benedicere. Vaticinatus est de puero fausta et felicia: non enim alias potuit homo mortalis deum immortalem benedicere.

Signum cui contradicitur.) Metaphora sumpta a scopo in quem iacula diriguntur. Sic Christus contumeliis, calumniis, et convitiis Iudaeorum petitus est, ad extremum etiam crucifixus.

Tuam ipsius animam pertransibit gladius.) Quando scilicet eum traditum, captum, et execrabili mortis genere interemptum miserabunda adspicies.

Ut revelentur ex multis cordibus cogitat.) Multorum cogitationes et studia se exerunt, ubi praedicatur ac interimitur Christus, idque etiam hoc saeculo maxime est cernere.

Anna προφήτις.) Prophetae nomen varie accipitur in scripturis. Hic feminam significat, quae vel in lege et prophetis docta erat, vel quae prophetis et doctis diligenter auscultabat. Sic in Actis Philippus quatuor filias habebat prophetas. Prophetat mulier quum audit prophetas. Anna in virginitate caste vixit, in coniugio innocenter; vidua quum esset, tota divinis rebus occupata fuit et sacris lectionibus. Exempla ex historiis et gentilium literis petere multam habet utilitatem et eruditionem ad bene honesteque vivendum, si ad dei gloriam, et publicam iustitiam adhibeantur. Sacrae vero literae, quas dum versamus, deus nobiscum loquitur, nos cum deo confabulamur, et divinam sapientiam, potentiam, bonitatem discimus, numinisque naturam ac voluntatem contemplamur ac meditamur, illae demum cibus et consolatio sunt animi fidelis. His ergo rebus se dederat Anna iam vidua et annis decrepita. Legit diligenter scripta spiritus, in quibus audit deum loquentem sibi: Ego sum dominus deus tuus, ambula coram me integre. Audit deum promittentem, se patrem et protectorem fore; audit remissionem peccatorum et vitam aeternam ipsi pollicentem per Messiam. Quaecunque ergo anima Annam imitatur, ubicunque legit vel audit verbum dei, semper habet quod eam exhilaret et consoletur. Audit enim quod prius meditatur et quod in corde credit ac gestat, semperque novo gaudio novaque consolatione perfunditur, etiamsi interim verbi minister simplex sit, et in proponendo non usque adeo promptus. Qui musicis instrumentis et cantionibus delectatur, gaudet cum aliis ludere et canere plus quam si solus hoc faceret, exhilaratur dum alios audit canere. Sic fidelis sermones divinos adit, in hoc duntaxat, ut veritatem, cuius est cupidus, audiat; hanc si praedicator proponit, nihil aliud quaerit, quum ut illud inveniat, cuius gratia venerat, non curans si non usque adeo doctus et elegans sit verbis praedicator, modo veritatem summa fide praedicet. Qui dicunt: Non possum praedicatorem istum intelligere, curiosi sunt et veritatis parum amantes.

Ieiuniis et orationibus.) Ieiunabat ac orabat haec vidua, idque iugiter, non quidem more Papistico, sed eo more quem divinus spiritus in scripturis dictat. Orat fidelis, dum mente et spiritu ad deum adcurrit tanquam patrem in omnibus. Orare est cum deo tanquam cum benignissimo et fidelissimo patre colloqui, auxilium, consilium et consolatio-

nem ab ipso petere, eum invocare in omni necessitate, ei cuncta tribuere, gratiasque in omnibus agere. Sic mentem et cogitatum omnem in omnibus in deum elevare ac traiicere, orare est. Huic tam sedulae orationi intenta, sit vidua, quae petit vitae innocentiam servare. Ieiunare est corpus in obedientiam fidei subiicere, et quasi in ordinem cogere, et carnem per abstinentiam et continentiam castigare ac domare, ne spiritui reclamet. Oratio mentem deo, ieiunium corpus consecrat, ut purus et integer sit homo dei corpore et animo, templum nempe divini spiritus. Neque enim luxu verborum, levitate et spurcitia, cachinnis, intemperantiaque corporis et animae castimonia probe conservari poterit. Et Simeon et Anna uterque Christum agnoscit, quo significatur, vetus aboleri, novum iam auspicari. Item typus est, Christianam vitam novam esse vitam. Denique, quod Christus neque mas est neque femina, ut inquit Paulus.

Crescebat puer.) Ut caeteri scilicet homines: voluit enim in omnibus fratribus assimilari. Sapientia crescebat et spiritu. Spiritus ille ab aeterno perfectus, in homine Christo, magis magisque sese exerebat. Nam deus non fuit in Christo vice animae, sed animam creatam intellectualemque in corpore susceperat, quae indies profecit, quum ab initio non omnia nosset. Sic alibi dicit Christus: Filium hominis diem illum non nosse, ut homo scilicet verus, licet ut deus omnia sciret. Consul quaedam ut consul in senatu gesta novit, quae extra senatum, si interrogetur, ut privatus non novit, ut fingamus in uno homine duos, aut hominem eundem bifariam consideremus. Haec a nobis sic sunt accipienda, non quasi velimus naturas in Christo separare, deus enim et homo unus est Christus, sed quod cupimus inter utriusque naturae opera et proprietates rite distinguere, nec eas confundere.

Cum factus esset annorum duodecim.) Ter in anno Hierosolymis in templo adparebant ex lege. Haec de puero Christo quae scribuntur parva et humilia videntur, nequaquam tamen sine causa scripta sunt. Videmus enim hic parentes Iesu legis divinae studiosos fuisse. Iubet enim lex, ut pueri ad legis lectionem ducantur, et ut sub obedientia legis educentur. Discimus deinde nos legibus attemperare. Etiamsi nostra parte nihil sit necesse, facere tamen hoc debemus propter alios qui lege adhuc egent: propter infirmos adcommodemus nos legibus, nec eas contemnamus. Videmus enim Christum, qui legi nihil debet, hoc ubique facere. Qui ergo spiritum Christi habent, Christum imitantur. Si mysterium respicis, Christus in paschatis festo in templo adparet, ut ostendat se agnum illum esse, qui agno paschali sit significatus et praefiguratus, 1. Cor. 5.

Remansit puer Iesus Hierosolymis.) Literatores, qui cavillis omnia agunt, ex hoc loco ansam suae impietati facile arripere possent, ut probarent pueros duodecim annorum non esse amplius sub parentum imperio et obedientia, quod Christus invitis aut ignorantibus illis Hierosolymis remanserit. Sed in Christo et factis eius lux est et veritas divina, quum deus sit; nihil ergo quod carnem foveat, nihil quod contra legem dei pugnet, ex eius verbis et factis hauriri nec potest nec debet:

neque enim in hoc facta aut dicta sunt a Christo. Qui vero scripturae exempla suis adfectibus adcommodant, plane impii sunt: quemadmodum faciunt, qui negationem a Petro factam sic legunt, ut et ipsi imitentur et periuri fiant. Providentia ergo dei factum est, ut puer Iesus maneret Hierosolymis, non pueri contumacia, nec parentum negligentia. Nam quod ad Christum attinet, doctrina fuit, negligendos parentes esse, si negotium dei incidat et alio vocet. Exempla ergo scripturae in hoc prodita, divinaque providentia facta sunt, ut sapientia, bonitas et gloria dei manifesta fiant, et nostra omnia damnentur, non ut nos aliquid contra legem dei audeamus. De educatione puerorum hic locus est. Vineta et tenera quaeque, quae flagella et brachia habent, temere quaeque occurrentia adprehendunt, seque illis adcommodant et aptant, ut vitis palo. Arbor aut palus puerorum genuinus parens est. Studeant ergo parentes, ut pueri recte educentur. Diligentia quoque et sedulitas parentum notatur, quod cum triduo quaerunt.

Super intelligentia et responsis.) Qui enim temere et absque intelligentia quaerit aut respondet, aut multa loquitur, stultus est.

Quum vidissent eum.) Hoc ad parentes eius refertur, sed Hebraei, subiectum omittunt fere, ut saepe in prophetis.

An nesciebatis.) Quasi dicat: In hoc missus sum ut opus dei perficiam. Est autem et hoc opus patris mei, ut in tenera adhuc aetate pudefaciam doctos illos, ostendamque illis quod hypocritae sint, et falsum spiritum simulent.

Descendit cum illis subditusque illis.) Hac nota animadvertimus Christum non contumacia, sed divina dispensatione mansisse Hierosolymis.

CAPUT III.

Prophetarum omnium limes et finis est Ioannes Baptista, qui ante Christum tanquam aurora ante solem praecedit, digitoque eum praesentem monstrat, non porro futurum praedicit. Apostoli vero ut iam exhibitum praedicant, consummatis et absolutis iam omnibus. Ioannes fama et sanctitate praeclarus erat omnibus Iudaeis, qui tamen abiicit se infra Christum, ut videamus Christum in omnibus caput esse et primas tenere. Sic sanctissimus sanctissimo, imo plus quam sanctissimo et perfectissimo testimonium tulit, cui quum Iudaei non crediderunt, quam possunt habere excusationem? In Ioanne enim culpare nihil possunt, quum etiam ipsis testibus sit innocentissimus. De Herode et tetrarchis alii aliter loquuntur. Iosephus multa habet clarissima. Volaterranus libro Geograph. undecimo.

Factum est verbum domini.) Hebraica est loquutio, pro eo quod Latinus diceret: Manifestavit aut mandavit dominus verbum suum Ioanni, iussit Ioannem praedicare, revelavit Ioanni verbum suum, ut caeteris annunciaret, illustravit mentem Ioannis coelesti revelatione, inspiravit Ioanni verbum suum, animavitque eum ut palam id praedicaret.

Baptismum poenitentiae.) Hebraismus est. Ioannes praedicavit ut homines resipiscerent, ut vitam immutarent. Ad quid vero baptis-

mum addit, quum baptismus poenitentes non faciat? Loquutionibus huiusmodi scriptura uti solet. Sic Hieremias dicit: Circumcisio cordis. Satis enim fuisset dicere, Renovamini spiritu! nihil fuisset opus addere Circuncisionem ad cor. Assumunt autem externa sacramenta nomenclaturam earum rerum, quae per sacramenta significantur et proponuntur, et adduntur duo simul, externum scilicet et internum. Quandoquidem populus Christianus, populus sanctus, purus, et innocens esse debet, et baptismus populi huius purificati, purificandi aut purificationis ipsius signum est, fit ut circuncisio cordi adiungatur, quum non cor, sed praeputium genitalis membri circuncidatur. Ut aliquis sit in ecclesia et corpore Christi, non praecipue in hoc situm est, ut circumcisus sit aliquis aut baptizatus, sed ut deum verum pro deo et patre suo agnoscat, ei fidat, et innocenter coram eo vivat. Ob id signa externa aut sacramentalia mutata sunt, res sacramentorum non item. Sensus ergo verborum (Ioannes praedicavit baptismum poenitentiae) est: Ioannes praedicavit ut homines vitam innovarent ac immutarent, ut vita pristina relicta novam ordirentur, ut resipiscerent etc. simulque externo baptismatis symbolo hoc idem admonuit et significavit. Nam deus qui cordis puritatem requirit, externum quoque signum amat et requirit, quod admonitorium interni est. Non enim frustra huiusmodi signa instituit, nec vult ea a nobis contemni et negligi. Quum panis mensae apponitur, cultrum poscimus, non quod culter cibus sit, sed quod eo ad scindendum panem utimur. Dicimus exempli vice Germanice: Der hat ein Zürich ſchilt im hertzen, oder, Er hat kein Zürich ſchilt im hertzen. Significamus hisce loquutionibus hunc non solum externum civitatis signum gestare, sed intus quoque civem bonum, integrum et fidum esse, aut contra perfidum. Huiusmodi autem symbolici sermones, quum interna symbolis miscentur, fortius movent elegantiores sunt. Baptismus ergo iis datus est a Ioanne et apostolis, quibus praedicaverant, et qui se poenitere ac credere profitebantur; hoc certe nemo negat, et tum, nempe in primordiis, fieri necesse fuit. Quod vero illis duntaxat, non etiam infantibus Christianorum sit datum signum baptismi, ex scripturis nunquam probabunt Catabaptistae. Quomodo enim parentes Christiani iam facti infantes suos Christo baptismo non inscripsissent, praesertim iam filii Abrahae facti? an ignari fuissent promissionis: Ego sum deus tuus, et seminis tui? Pueri namque sub parentibus comprehenduntur et censentur. Abolita erat iam circuncisio. Quid ergo habuerunt quo infantes suos Christo et ecclesiae inaugurarent, si baptismum non habuerunt? Adparet ergo, ut Origenes testatur, baptismum ab apostolorum temporibus durasse, tametsi ab initio fuerint qui ei reclamarent contentiosi, ut est videre apud Irenaeum, idque usque ad Augustini tempora quadringentis fere annis. Non hoc dicitur, ut errori patrocinium temporis diuturnitate paremus, sed ut videamus, quantum negotii det error et contentio hominibus, si non summa diligentia omnibusque nervis obstemus.

In remissionem peccatorum.) Remissio peccatorum periphrasis est evangelii; alias Paulus iustificationem vocat more Hebraico pro absolutione et remissione peccatorum. Nemo enim iustus est, nisi qui

credit in Christum, et qui credit sibi per Christum remissa esse peccata, idem studebit se Christo conformare.

Vox clamantis.) Hebraismus est pro voce clamante, ut Vir iustitiae, id est, vir iustus.

Omnis mons humiliabitur.) Allegorici sunt sermones. Quae alta sunt apud se, et sibi fidunt, humiliabuntur, deiicientur; qui apud se humiles sunt, et desperati, consolabuntur, erigentur, ut omnis caro, id est, cuncti homines agnoscant per unicum Christum sibi aditum esse ad deum. Et hic Christus est communis omnibus, regi et mendico, et haec via est domini. Quidquid contra deum erectum est, deiicietur, eadem via erit omnibus, tolletur confusio, restituetur ordo. His verbis adgressus est Ioannes fastum pharisaicum, docens, ut posito supercilio venienti domino occurrant. Haec via est ad Christum, ut omne quod immodicum est, ponamus. Hodie proh dolor pauci aut nulli sunt Ioannes: praedicamus omnes evangelium suaviter, et quantum sine periculo vitae fieri potest; qui vero conscleratis pro dignitate resistant, pauci sunt, aut fere nulli. Evangelium enim plausibile est cunctis, at si non perpetuo lex simul inculcetur pessimi fiunt homines. Non recipiunt homines Christum, neque gratiam eius avide amplexantur, quin nec eis gratia praedicanda est, nisi prius morbos suos agnoscant, et peccatorum suorum agnitione quasi desperent. Tales enim avidi sunt gratiae, et sitientes iustitiae. Clamat ergo Ioannes: Poenitentiam agite, generatio viperarum, parate viam domino: non quod quisquam sine Christo aut gratia dei suopte possit parare viam dei, sed sunt ethologici sermones.

Progenies viperarum.) Summam tantum praedicationis Lucas ponit, quo usus est Ioannes contra pharisaeos et sacerdotes. Ex his enim verbis facile videmus acrem fuisse eius reprehensionem et severam increpationem.

Quis vobis submonstravit.) Quasi dicat: Quo pacto iram dei imminentem vobis declinabitis? qua via poenam effugietis? quum accedatis non amore veritatis, sed subdolo corde, et ex insidiis, non ut resipiscatis; interim tamen videri vultis veritatis et iustitiae avidi.

Facite fructus dignos poenitentia.) Communis haec regula est, quae omnibus piis praefigitur. Nam sic probatur fides an vera sit, si dignos fructus proferat. Tunc autem fidei fructus proferimus, si nos ad Christi exemplum et doctrinam composuerimus, qui interim mitis, interim severus fuit pro rei qualitate, semper autem humilis et charitate plenus. Invenimus in Christo exemplum severitatis et acris reprehensionis in sacerdotes et pharisaeos, rursus exempla mansuetudinis in peccatores. Hoc ergo discamus a Christo, ut neque duri simus neque inclementes, ubi parcendum est; neque rursus mansueti et molles, ubi severitate est opus. Nam alii morbi alia postulant remedia.

Patrem habemus Abraham.) Abrahae diserta facta est promissio, Adae obscura, quae successu temporis clarius est explicata, et saepius repetita. Nam demum in familiam Davidis definitur. Gloriantur ergo Iudaei patre Abraham, vero, optimo et innocentissimo, a cuius moribus et fide et pietate longissime absunt, quod eis obprobrat Ioannes.

Frustra autem iactamus parentum et maiorum insignes virtutes si eorum integritatem non fuerimus imitati. Si quis integre et innocenter coram deo ambulat, is est filius Abrahae. Sic docet Paulus ad Rom. et Galatas. Ex istis lapidibus, videtur legendum esse *δεικτικῶς*, alludit autem ad vocationem gentium.

Securis est admota radicibus.) Parabolicus est sermo, significans imminere Iudaeis extremum exeidium, extremam ultionem, quae eos sit radicitus evulsura.

Omnis enim arbor.) Veluti confirmatio est praedictorum, a generali sententia, quae semper et in universum vera est. Sunt enim quaedam sententiae in universum et semper verae adeoque generales, ut: Veritas odium parit etc. Aut mutanda arbor, aut exscindenda. Hoc ergo non tam Iudaeis dictum est, quam nobis omnibus.

Quid faciemus?) Haec vox omnium est, eorum etiam qui nihil resipiscentiae meditantur. Sic Ioan. 6. Quid faciemus ut operemur opera dei? Sic scriba: Quid faciendo vitam aeternam possidebo? Volunt omnes, vel pessimi, boni et iusti videri: ad opera sine fide respiciunt iustitiarii, operari volunt antequam cessent. Fides primum cessare docet a nostris operibus, quae cessatio deo grata est operatio, mori affectibus et sese abnegare ac in mortem domini sepultum esse, et demum resurgere cum Christo ad novam vitam: nam mox ut vivere in nobis Christus per fidem coeperit, otiosus in nobis non erit.

Qui habet duas tunicas.) Haec non intelligenda sunt de tunicis solis, sed de omni substantia, quod Ioannes Evangelista declarat, dicens: Qui habuerit substantiam huius mundi etc. Generalis ergo doctrina est ad omnes res, quibus proximorum necessitatibus subvenitur. Omnes facere aliquid volumus, et quaerimus: Quid facere debemus? Sed quum iubemur nosmet abnegare, quum nostra exponere, resilimus. Nec Christus, nec Ioannes cogit quenquam, ut sua abiiciat; nemini sua violenter adimunt. Novit Ioannes ingenium carnis, et quod cuncti mortales plus verbis consolari proximum volunt, quam rebus, et quod ad rem omnes sunt plus aequo intenti. Docet ergo, ut sese primum adgrediantur, utque de rebus suis caeteris largiantur; interim neminem cogit. Quasi dicat, Age, quaeritis quid vobis faciundum; ostendam ergo quibus operibus potissimum insistere debeatis, docebo quae opera in primis deo placeant, nempe, ut opem feratis pauperibus.

Ne quid amplius quam quod constitutum est exigatis.) Telonae etiam hodie graves sunt mundo monopoliis suis, in quos retulerit gravissime animadvertere. Docet autem hic locus modum servandum esse in omnibus rebus, necubi laedatur charitas. Quis enim in tot contractibus et negotiis certam regulam praescriberet? Nemo in hoc saeculo vitae perfectionem adquiret; omnem ergo legem Christus et apostoli charitate definiunt: Faciat quisque alii quod factum sibi velit. Hoc in censibus aut reditibus, in contractibus, in venditionibus, emptionibus, omnibus denique negotiis servet, et nusquam aberrabit.

Interrogabant et milites.) Bella suscipere, ut in pace et tranquillitate liceat vivere, Christianis etiam licet, quamlibet reclament

Catabaptistae. Neque vero faciet contra nos locus iste: Qui te percusserit; et: Ne resistatis malo! privatis enim hoc dicitur, ne quisque malo sibi irrogato resistat. Pii interim magistratus interest, ut a populo sibi commisso omnem iniuriam quantum poterit vel bello repellat, si alia ratione fieri non possit. Quae contra obiiciuntur ex capite quinto Matthaei: Ne resistatis malo! et: Qui tibi alapam impegerit, huic praebe alteram maxillam, Hyperochae sunt, quae optima exemplaria proponunt, interioremque hominem formant ac instituunt, ut auditum est illic. Interim nihil derogant officio magistratus, quem et apostoli, licet infidelem, adprobarunt, modo nihil praecipiat quo deo repugnet. Sine ordine magistratuum iustitia publica conservari nequaquam potest, nec ulla respublica tranquilla consistere. Magistratus enim a deo ordinati sunt, inquit Paulus, ut terrori sint male agentibus; ministri sunt dei in bonum bonis. Duabus autem rebus iusti tuentur, malique cohibentur, aut legibus bonis, aut poenis. Qui intra legis cancellos continentur, altero remedio nihil opus habent: qui careeres legis transiliunt, illis iam gladius imminet et mulcta. Non enim frustra gladium gestat, dei minister est, ultor ad iram ei, qui, quod malum est, fecerit. Quem gladium ni metueret impius, omnia pro libidine tentaret. At non unus impius sed infiniti, qui si coniurarint adversus rempublicam et ordinem publicum, quomodo defensa erit iustitia, si magistratui adimis gladium, o Catabaptista? Omnia ergo miscebuntur, et infirmiorem opprimet fortior, et audebit quisque omnia si nemo resistat; si resistere privatus velit, sine ordine et confusa omnia turbabuntur: caro enim sua in omnibus spectat. Ad repellendum ergo malum, et ut impii et perduelles compescantur, in tutoque sint pii et boni, opus est manu domini, omnipotentis regis et summi principis, qui ministris suis (nam vicem dei in terris gerunt magistratus) gladium praebet ad resecanda et comprimenda mala. Hic iam magistratus gladio utitur, sed per eos qui fidei suae commissi sunt, quibus si ferire praecipit et interficere sontes, quid hoc aliud erit quam bellum, sed iustum, legitimum, divinum? Qui hoc geri posse negat, simul omnem iustitiam pessumdat. Bellum ergo quaeritur, ut in pace et iustitia sine iniuria bonis vivere liceat. Habet ergo magistratus milites suos atque cohortes, quibus arma ferre, ferire hostes, adeoque defendere cives ex mandato magistratus licet, qui aliquando in praesidiis et regionibus ad cavendas seditiones, et comprimendos motus collocati publicam tuentur tranquillitatem. Quales hi fuerunt qui ad Ioannem discendi gratia venerunt, qui dum officio suo bona fide invigilant, non solum magistratibus, sed deo quoque serviunt. Est ergo bellum iustum, ubi iuxta leges et ordinem magistratus milites iussa exequuntur, ubi magistratus pro defensione suorum armis utitur in eos, qui vel religionem vel pietatem violare moliuntur, aut publicam labefactare tranquillitatem. Quod bellum scriptura sacra non solum probat, sed docet quoque, ut ex libris veteris testamenti manifeste colligi potest. Illic enim ordinationem magistratus, legum, bellorum, rerumpublicarum graphice depictam videre licet. Nec desunt exempla in Mose, Iosua, Ezechia, Iosaphat, Iosia etc. Iam vero quae a Catabaptistis obiici solent, brevibus repel-

lemus. Primum (inquiunt) regnum Christi de hoc mundo non est; ergo Christiano gerere magistratum non licet, multo minus bellum. Hoc argumentum contra se colligunt. Si enim regnum Christi de hoc mundo non est, ergo Christus de ordine reipublicae et magistratus, qui a patre olim institutus est, nihil immutat. Manent ergo inviolata iura magistratus, legum, bellorum, quae olim deus instituit, ut ex superioribus auditum est. Ob hoc et adolescenti dixit: Quis me hereditatum divisorem constituit? Ius ergo magistratuum et legum humanarum intactum relinquit. In primo enim adventu non venerat Christus ad hoc ut regnaret, aut iudex esset, sed ut humilitatem doceret, ut doceret cognitionem et voluntatem patris sui, venit salvos facere qui perierant, venit ut tolleret peccata nostra, et ut patri suo nos reconciliaret, et vitam aeternam donaret. Voluit ergo humilitatis caeterarumque virtutum nobis exemplar esse, non regnandi, voluit formare animos nostros. Hoc idem officium est apostolorum. At interim neque Christus, neque apostoli magistratum a deo ordinatum aboleverunt. Magistratus ergo, et bella iusta aliud nihil sunt, quam defensio viduarum et orphanorum, et eorum omnium qui vim patiuntur, per quae bella iustitia publica, veritas, religio, pietas, libertas conservantur. An non scriptura ubique et prophetae contra principes clamant, qui ius non dicunt, qui viduas et orphanos non defendunt, qui ad iustitiae defensionem non invigilant? Pro veritate ergo, pro pietate, religione, iustitia, patria, qui vitam suam bello exponunt, pii sunt, et laudem suam habent in scripturis. Oportet enim ut deo plus obediamus quam hominibus. Si quis ergo vel nobis vel fratribus nostris ac civibus extorquere velit iustitiam, veritatem, libertatem, religionem, hic magistratus est, ut illum repellat, et nos si magistratus iubet non solum arma contra illum tollere, sed et vitam nostram exponere, non gravabimur. Hoc quisquis facere recusat, non bonus civis est nec Christianus, sed nequam et impius, quum et fide in deum et charitate in proximum careat. Sanguinarios istos et mercenarios milites, qui lucri gratia castra sequuntur, et quibus hodie mundus scatet, et bella quae principes regnandi cupidine ducti hodie gerunt et omnia sanguine miscent, adeo non probamus, ut nihil magis impium et parricidale putemus usquam esse, ut potius latrones huiusmodi bellatores dicendi sint, quam Christiani. Iam ad alias authoritates transimus quibus contra nos nituntur Catabaptistae. Si quis te percusserit in maxillam, obverte ei alteram. Item: Vos autem non sic. Quis me constituit iudicem? nolite resistere malo! Ex huiusmodi scripturis probare conantur Christianum hominem nec magistratum nec bellum vel iustissimum gerere posse, quum omnes simus invicem membra unicus scilicet corporis et fratres, nemo debeat se praeferre aliis. Item Christus fugit, quum vellent eum regem facere etc. Ad ista omnia sic respondemus. Est in scripturis sacris nobis propositum exemplar vitae absolutissimum, quod si adsequi possemus, ad quod si vita nostra composita esset, neque magistratu neque legibus aliis aut bellis indigeremus, nec vanae essent illorum obiectiones. Quum vero ab hoc exemplari tam longe absimus omnes, sitque caro nostra corruptissima et depravatissima, sui

amans, lucri cupida et gloriae, contumax, voluptatibus inhians, ad omne malum denique incumbens, ut iustitiam dei nec aspicere possit ne dicam assequi, opus est ut legibus, magistratibus et poenis cohibeatur, ne pro libidine sua erumpat et omnia vastet, ut qui iustitiam non colunt, saltem poenarum metu a malis coerceantur. Qui ergo divinae iustitiae subditi esse non volunt, illis magistratus positus est, ut eos saltem intra leges humanae iustitiae (quae misera, imperfecta, et imbecillis est) contineat, ne bonos laedant ac iniuria afficiant, bonosque in pace ac tranquillitate servet. Qui ergo pius et vere Christianus est, is obedire magistratui nihil gravatur, quin potius gaudet magistratum esse, qui sontes plectat, bonos servet, iustitiam tueatur, conscelerationem exigat. Ponamus iam conscelerationem multorum sic abundare, ut periculum sit veritatem et omnem iustitiam extingui, religionem exagitari, superstitionem ingeri ab illis si nemo resistat, an non iam gloria dei charitatisque ratio exigit, ut etiam cum vitae periculo illis resistamus, et veritatem ac gloriam dei asseramus? Sed haec sine armis fieri non posse quis est qui ignoret? Hoc ergo bellum esse iustum, quo illud agitur, nemo puto pius negabit, utcunque aliter cadat belli eventus quam nos putaverimus: nam victoria in manu dei est, quam dat ipse cui voluerit. Requirit deus a nobis ut nebulones puniamus, iustitiam asseramus, etiamsi nobis in hoc negotio moriendum et cadendum sit. Exigit ergo humana iustitia ac necessitas, ut aliquando armis sit utendum propter impiorum nefarios conatus, ut vel poenis deterreantur. Poena requirit potestatem, potestati gladius est datus. Tolle poenas, tolle gladium, et omnem iustitiam sustulisti, et scelera, cuncta plantasti. Ubi ergo cessat magistratus, ipse dominus in sontes et in magistratum negligentem animadvertit, ut videre est in Pharaone, in filiis Israel, in rege Babylonio, et caeteris. Ultimum ergo remedium est bellum, quo non raro dominus tanquam virga et baculo negligentiam nostram punit. Sed instat Catabaptista, et dicit: Christus iubet alteram obvertere maxillam. Quaero ergo ab eo qui talia obiicit: Cur Christus ipse hoc coram pontifice non fecerit? Certe non fuit praecepti sui immemor, nec sui dissimilis, ut aliud doceret, aliud faceret, aut aliis mandaret quae ipse non praestaret. Nec est ut dicat: Noluit impedire mortem suam: semper enim non obvertisse maxillam praecepto repugnat. Si ergo Christum a mandati transgressione defendere (ut par est) volumus: cogimur fateri aliam verbis Christi sententiam subesse quam verba nuda prima fronte offerant. Debent ergo verba scripturae quae sibi repugnare videntur, fide et spiritu conciliari. Spiritus enim fidei sibi non dissidet. Christus iubet, Petrum septuagies septies fratri remittere, rursus post trinam admonitionem vitari: an haec non dissidere videntur? Expendatur ergo Christi verbum ad quos et de quibus dixerit, et conveniet utrumque. Quum toties remittere praecipit, de privatis personis loquitur: debemus enim semper parati et promti esse ad indulgentiam, ut remittamus facile quae in nos committuntur. Sed interim magistratus authoritas et ecclesiae iudicium inviolata persistunt. Iure ergo gladio utitur magistratus in sontes, quibus tu remittere debes. Iniuriae privatae non sunt vindicandae a privatis, a magistratibus illatae repellantur:

Quum offenderetur Christus ipse, obviam ivit persequutori; quum publica gloria patris laedebatur et veritatis ratio postulabat, severus et acer erat in pharisaeos. Quum ergo ratio veritatis agebatur coram pontifice, alteram maxillam non obvertit, licet primum ictum constanter excipiat. Nam obvertere tum alteram nihil faciebat ad gloriam dei, aut nebulonis illius emendationem, quum praeiudicatus iam esset ad mortem. Obstruxerant corda sua, ne veritatem reciperent. Quid ergo maxillae alterius obversio utilitatis adtulisset: Non erant proiiciendae margaritae ante porcos. Sic ergo Christus sua responsione nihil peccat, ut nec Paulus peccasse videtur, quum ad pontificem impium diceret: Percutiet te deus, paries dealbate. Summum enim sacerdotem officii sui admonet, qui eum contra leges passus est ferire, Act. 27. Nihil est opus patientiam ostendere, quum ad maiorem ferociam concitatur hostis; quin potius quum publica iustitia et veritas periclitatur, severitate utendum est contra impios. Neque Christus hanc patientiam praescribit aut docet, per quam iustitia, veritas ac gloria dei pessum eat. Quos ergo Ioannes suo tempore reperit milites defensores reipublicae et publicae ac legitimae potestatis ministros, officii sui admonet, et quae frequenter irrepunt huiusmodi hominibus vitia resecat et avertit, et quum meliores facere non potest, hoc saltem curat ut minus sint mali. Non probat eorum conditionem, sed quod malum est in ea, emendat et cavet. Ferenda sunt multa in republica et civili ordinatione, quae non magnopere probantur a piis.

DE PUBLICANIS.

Publicani sunt quicunque lucro turpi quaestum ac res suas augent, idque iactura proximi sui, ut sunt monopoli et propolae, et caeteri. Emunt quae deinde carius vendant, expilant cives et respublicas, ultra constitutum magistratus ac populi exigunt. Huiusmodi homines, aut fex potius hominum, semper odio habiti fuerunt omnibus gentibus, praecipue vero Iudaico populo, cui praeceptum erat ne esset in eo pauper: hoc est, cavere debebant Iudaei, ne quis ad paupertatem redigeretur inter eos, non ut pauperes si qui essent exturbarent. Quod si quis vel fortuna vel aliis ex causis ad inopiam adactus esset, curare debebant ut is aleretur, debebant ei adesse ope ac consilio. Deinde si quis alicui mutuo daret, tempus erat constitutum, quo illa redimerentur. Observandum igitur in praeceptis dei ordinem quendam esse. Quaedam enim sunt, quibus summa perfectio et absolutissima iuxta normam divinae voluntatis proponitur. Sunt rursus quaedam quae ad infirmitatem nostram sunt adcommodata, et in quibus deus sese ad imbecillitatem nostram demittit, quibusque cavet, ne libido nostra impudentius erumpat. In primo ordine sunt: Mutuum dantes, nihil inde sperantes; Dilige proximum tuum ut te ipsum. Haec enim perfectissima est regula, qua proxime ad divinam naturam accedere liceat. Quoniam vero perpauci sunt aut nulli qui hanc assequantur, descendit dominus in proximum gradum, et aliquid permittit, ut aliquid lucri de nostris rebus accipiamus, intra tamen modum aliquem hoc concludens, quem si transgrediamur, poenam lex constituit, cuius executor est magistratus

ut dei in terris vicarius. Quod si scelera sic inundant, ut populus quidquid libet audeat, et in hos magistratus non animadvertat, merito simul omnes a deo puniuntur. Sic Ioannes constitutum humanum transgredi a publicanis non vult. Modus autem hic a magistratu poni debet, prout viderit ad publicam tum salutem tum pacem conducere. Modus ergo a magistratu constitutus (modo cum lege dei et charitatis non pugnet) ab omnibus servandus est, in omnibus contractibus humanis, ut neque divites plebem exhauriant atque expilent, neque coloni et pauperes heros suos reditibus et vectigalibus suis fraudent. Hoc officium boni magistratus est ut caveat utrinque, ne dolus malus interveniat, aut ulla fraus, nisi tumultum in se concitari velit. Christus haec brevi regula comprehendit: Quae vultis ut faciant vobis homines, facite et illis. Et Paulus: Reddite omnibus quae debetis, cui tributum, tributum: cui honorem, honorem: cui vectigal, vectigal. Neque putare quisquam debet etiamsi iuxta hanc humanam constitutionem vixerit, sè iustum coram deo esse: nondum enim ad regulam divinae perfectionis pervenit. Quin potius deum roget ut peccatum suum ei remittat, concedatque, ut quotidie magis magisque ad perfectionem pervenire possit, tandemque eo evadat, ut mutuum proximo det sine lucri spe, quemadmodum docet Christus, ut ingenium patris coelestis imitetur, qui nobis omnia gratuito donat.

Expectante autem populo.) Concelebrata tum erat inter Iudaeos opinio de venturo Messia, qui expectabatur iuxta prophetarum vaticinia, licet non aeque ab omnibus. Quum ergo tantis virtutibus, tantaque vitae sanctitate inclaresceret Ioannes, eum ipsum Messiam esse putabant, plus tribuentes ei quam par erat. Sic solemus saepe iuxta affectus homines quos praestare videmus nimio plus efferre, alios rursus deiicere plus aequo quibus invidemus, in omnibusque modum transgredi. Errabant ex ignoratione scripturarum, quum Ioannes ex sacerdotali stirpe erat, Messias ex tribu Iuda promissus ac Davidis familia. In hoc tamen Papistis meliores et sagaciores, quod vitae sanctimonia et splendore virtutum moventur, quod Ioannem tantopere evehunt; illi vero publicos scortatores, aleatores, simoniacos et maximos hypocritas in summo precio habent, et antistites religionis faciunt, qui aliis vitae exemplo praeeant, imo qui sua sanctitate aliis vitam et gratiam impetrent. Atque illi ipsi se pro talibus venditant. Secus Ioannes, qui quum omnibus sanctis testimonio Christi sanctitate praestantior sit, se tamen infra omnes deiicit, honorem sibi oblatum summa fide respuit, et ne videatur talis, etiam id quod erat se esse negat. Sic faciunt quicunque sancti sunt: nihil sibi arrogant, nec oblatum ab aliis agnoscunt, sed soli deo omnem gloriam in solidum adscribunt.

Ego baptizo vos aqua.) Quasi diceret: Non sum is quem vos me esse existimatis, ego minister tantum sum externi signi et sacramenti, non gratiae et spiritus collator, aquam corpori duntaxat affundo, mentem et cor non immuto. Ego aqua externa corpus tingo, doctrina et verbo admoneo, intus vero spiritu illustrare, et confirmare non possum. Post me venit, qui spiritu baptizat, id est qui cor firmat, et aqua gratiae abluit ac purificat. Ministri ergo verbi et sacramentorum

foris ea adhibent ac administrant iuxta praeceptum domini, intus in animam nihil operantur. Et frustra quidem adhibetur verbum et sacramentum foris, nisi intus cor per spiritum trahatur et illustretur. Solus spiritus est qui scribit legem dei in corda hominum. Sacramenta signa sunt externa rerum invisibilium et spiritualium, non dant gratiam, non firmant fidem, imbecillitati carnis et sensuum serviunt in obsequium fidei. Duo in ecclesia Christi habemus sacramenta: Baptismum, quo in ecclesiam et populum Christi recipimur, et Eucharistiam, qua gratias domino pro morte eius agimus.

Cuius ventilabrum in manu eius.) Hic recte segregabit omnia. Sic Ioannis nono: Ego secernere veni, ut qui videant caeci fiant. Simile huic est quod Symeon vetulus ille et religiosus vates dixit, positum eum esse in ruinam et resurrectionem multorum in Israel. Quasi diceret Ioannes: Hic est verus dei filius, is segregabit homines, et cogitata eorum proferet, quae secreta sunt in lucem protrahet, pios ad se colliget (quos per triticum significat), impios et incredulos propellet ut paleas. Non potest illum latere hypocrisis utcunque abdita et personata, detrahet ille larvam: veritas mendacia eiiciet, ut ignis aquam eiaculatur. Parate ergo corda vestra, ut illum digne recipiatis! falli non potest. Accipitis quidem signum baptismatis a me externum, ego vos foris initio. Caeterum corda vestra non introspicio. Veniet autem post me qui corda inspicit: facite ergo dignos fructus poenitentia etc.

Multa quidem et alia.) Quasi dicat Evangelista: Summam duntaxat posui praedicationis Ioannis, totiusque negotii caput attigi. Ex his ergo discimus praedicationem externi verbi et sacramentorum praecedere: admonet enim deus per prophetas et apostolos, et quasi classicum canit; illustratio mentis et fides quae verbo et sacramentis habetur solius divinae virtutis est. Signum ergo divini favoris est, si praedicatio verbi dei ministris libera in aliquo populo permittitur. Ubi vero verbum exploditur, ministri dei eiiciuntur, signum est non procul abesse iram et vindictam domini.

Herodes autem.) Quum Herodes publice uxorem fratris sui penes se haberet, conscelerarum etiam populum fuisse apparet. Nisi enim populus fuisset corruptus, non fuisset rex Herodes ausus tam nefandum flagitium designare, nec impune tulisset. Totum populum non raro punit deus, ob scelera principum, idque non immerito, quum ipsis tyrannorum impietas placeat. Exemplum clarissimum est in Manasse, Pharaone, Herode, aliisque. Si flagitia principum populo non placerent, resisteret eorum conatibus. Quum vero illos libere grassari permittimus, et pro libidine ferocire, testamur hac indulgentia eosdem affectus in nobis esse, quibus illi indulgent. Si boni et pii essemus, displiceret nobis improbitas; si displiceret, puniremus eam cum in aliis tum in nobis. Cum vero eo est ventum, ut et rex et populus omnibus sceleribus immersi sint, cogitur propheta illis omnibus in faciem resistere, et palam scelera eorum redarguere. Omnes ergo operam dent, ne res eo deveniat, ut scelera pro sceleribus amplius non habeantur,

sed inter virtutes recenseantur, et nemo reclamare audeat. Si deus hos punit, quibus prophetas mittit quos non audiunt, quanto magis eos quibus prophetas adimit? Nam illic nemo est, qui vel obstet, vel puniat. Prophetia in medium proponit veritatem, iustitiam, ius et fas, ut omnium oculi velint nolint intueantur. Adolescentes formal, senes avocat et absterret, ut vel pudore suffundantur impii, qui dei metu carent. Ut sine sole nec dies, nec apud inferos gaudium esse potest, quippe ubi absit claritas divini vultus et splendor gloriae: ita nec pietas nec iustitia nec virtus plantari et crescere poterit, ubi non praedicatur verbum dei. Non dispellitur nox, nisi adventu lucis.

Factum est ut baptizaretur omnis.) Baptismum Ioannis et Christi seu discipulorum, unum eundemque esse, alias satis probavimus; poenitentiam denique capi pro Evangelio, per Synecdocham, quum poenitentia altera sit pars evangelii, altera remissio peccatorum. Nam utrunque complectitur evangelium. Nemo recipit evangelium, nisi peccatum suum agnoscat et iudicem metuat, nisi ob magnitudinem et multitudinem scelerum suorum desperet. Beati enim qui esuriunt et sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur. Qui sic consternati sunt a facie peccatorum suorum et humiliati, avidi ad gratiam Christi adcurrunt et remissionem peccatorum quaerunt. Papistae etiam magnifaciunt peccatum, et peccatorum metu gehennae et divini iudicii terrent, ac ad desperationem adigunt, sed in hoc tantum, ut ab eis peccata emptione indulgentiarum, et missarum nundinatione redimantur; desperationi mendaciis medentur, conscientiae tranquillitatem et pacem veram non docent, homines de pristina vita parum vel nihil emendant. Sic affectus non immutantur, quod fit dum vera fide Christus in cor recipitur. Summa omnium operum dei huc spectat, ut homo deum agnoscat creatorem suum et patrem, ex quo venit et in quem revertitur, et tota fiducia in illum rapiatur, hunc unum amet et colat, ut coram hoc clementissimo patre suo integre et innocenter ambulet, nempe iuxta voluntatem eius. In hoc pendent omnes prophetae, omnia sanctorum omnium scripta. Hoc urgent omnes sancti ab initio mundi. At considerata nostra imbecillitate et impotentia, deus filium suum nobis promisit et dedit, per quem delerentur peccata nostra. Summa ergo utriusque testamenti in hoc sita est, ut deum cognoscamus, amemus, fide et innocentia vitae colamus, ei toto pectore fidamus; ubi vero in his labi contingit, ut certi simus filium nobis datum et pro nobis in mortem expositum, expiationem nostram esse et reconciliationem coram deo. Hanc charitatem gratiam ac beneficentiam deus sensibus quoque nostris in sacramentis obiicit, ut quocunque vertamus oculos, obviam habeamus illius gratiam. Hinc baptizato Christo pater de coelis voce clara intonat: Hic est filius meus dilectus in quo mihi complacitum est; ut cognoscamus filium suum, quem promiserat, iam adesse propitiatorem totius orbis. Si Ioannis baptismus alius esset a baptismo Christi, caput totius corporis mystici alio baptismo esset baptisatum quam membra. Accessit ergo ad Ioannis baptisma, ut videremus eum totum nostrum esse. Unum ergo baptisma, una fides.

CAPUT IV.

Iesus plenus spiritu sancto.) Spiritus sancti symbolum fuit columbae adparitio. Ubi diligenter observandae sunt loquutiones symbolicae, quibus veteres aliquando usi sunt, ut quum dicunt: Spiritus sanctus datur in baptismo; nam huiusmodi loquutio non propria est, sed symbolica. Nam spiritus sanctus non est datus Christo in columba aut cum columba, sed ipse prius spiritu sancto plenus fuit. Quot putas mentes esse quas divinus spiritus (virtus dei omnibus praesens et omnia penetrans) illustret ac penetret, quae corporalem spiritus speciem nullam vident? patris vocem externam non audiunt? Spiritus ubi vult spirat et operatur in corde credentium, non res externae. Passio et mors Christi in omnium piorum cordibus est viva et efficax, qui deo per eum fidunt, non minus inquam viva et efficax, quam in illis qui coram viderunt Christum crucifigi. Operatio ipsa spiritus est, non rerum externarum. Quod si quae intus operatur deus, externis symbolis aliquando tribuuntur, fit hoc, ut augustiora sint nobis symbola, et maiori in pretio habeantur. Semel crucifixus est Christus, neque opus est ut amplius coram oculis fidelium crucifigatur: fides enim praesentem eum facit. Quod Paulus indicat, quum dicit Galatis Christum ante oculos eorum crucifixum. Quum ergo Augustinus dicit, spiritum sanctum ideo super Christum adparuisse, ut ostenderet dari baptizatis spiritum sanctum, loquutio est impropria et hyperbolica, debetque iuxta analogiam fidei et scripturae proprietatem et usum exponi et intelligi. Fides a solo dei spiritu datur. Qui baptizati sunt aut baptizantur, cogitent se filios dei esse, quorum sit iam innocenter vivere et naturam patris imitari, cavereque ne usquam spiritum offendant. Quum ergo Evangelista dicit, Iesus plenus spiritu sancto, debemus intelligere, Christum ipsum esse qui det spiritum, et haec dicta esse de eius humanitate.

Spiritu ductus.) Instrumentalis casus est Spiritu. Tametsi Graecus dicat, *ἐν τῷ πνεύματι.* Docet hoc, insitis Christo per baptismum nova vita esse ambulandum, moriendumque mundo. Solatium habent hic tentari. Virtus divina elucescit quum 40 dies et noctes durat sine cibo.

Si filius dei es.) Omittitur articulus *ὅ.* Nam aliquando sine articulo oratio est augustior, quam si articulus adderetur. De filio enim dei naturali intelligit.

Lapidi huic.) Genus est pro numero: Dic ut lapides isti panes fiant. Irritatio est, et quasi opprobratio quaedam. Quasi diceret: Venditas te pro filio dei, sed dubito an sis. Quod si is es quem te iactas, et quem te alii esse putant, cur esuris? cur fami non consulis?

Non in solo pane.) Vita hominis non consistit pane solo. Capitur autem Verbum pro imperio, iussu, potestate dei. Non consistit homo pane, sed potentia et virtute dei. Deus hominis est, et homo dei: qui huius promissione et virtute fidit, famem et mortem tolerare potest.

Subduxit illum.) Mirum non est si Christus se patiatur duci a Satana, quum patiatur et illum mundi principem et deum vocari. Ita et nos tentari patitur deus, ut fidem nostram probet et exerceat. Porro

daemon nihil nocere nobis poterit, si constanti in deum fiducia fortiter illum contempserimus.

Quia mihi tradita sunt.) Opera dei imitatur satan, sed ut a deo abducat. Deus creavit coelum, terram, et omnia quae in eis sunt, cunctaque illius nutu reguntur ac moderantur: daemon sibi haec tribuit. Si constanter deo haeserimus, nulla hypocrisis nos seducet.

Si provolutus adoraveris me.) Diabolus et mundus ingentia ac immensa pollicentur, spesque amplissimas ostentant, quo decipiant et seducant inque calamitates varias deiiciant.

Quia scriptum est.) Et daemon scriptura utitur, sed ut imponat ac seducat. Christus pro nobis tentatur, ut si quando nos tentemur, sciamus quibus armis repellendus sit hostis. Doctrinae suae vivum exemplar proponit. Doctrina et virtute miraculorum filius dei esse cognoscitur. Spiritu dei probatus et tentatus ad officium praedicandi ducitur. In quo exemplum proponitur et doctrina, inexpertos et inexercitatos ad officium praedicandi adsciscendos non esse. Qui vero sic allecti fuerint, hoc unum studeant, hoc imprimis spectent, ut deum hominibus et homines deo concilient. Omnis doctrina eorum huc tendat, ut cognitionem et amorem dei inter homines plantent, ut homines divinam vitam vivant, hominibus dissuadeant scelera, et a vitiis procul abducant. Qui talia efficere volunt inter homines, debent ipsi imprimis tales esse quibus divina placeant ac sapiant, scelera displiceant. Qui enim virtutes non amat, quomodo is eas aliis inseret? Qui ergo in se talis est, huc omnes nervos tendit ut homines meliores reddat, secumque trahit ac rapit homines, non secus ac si aestus aliquis aut torrens impetu vehatur. Qui vero tali animo praeditus non est, is ut multa loquitur, ita multa vana et inutilia verba effutit sine fructu, nec sibi nec aliis utilis. Christus ergo sese praedicatoribus exemplum proponit a quo discant: a baptismo statim in desertum a spiritu sancto ducitur, et variis tentationibus aliquot diebus exercetur; tricesimo tandem anno praedicare incepit. Sic Ioannes Baptista a teneris in desertis locis habitavit, donec instinctu spiritus ad praedicandum mitteretur. Apostoli plus tribus annis a domino docti sunt, cum eo quotidie familiariter conversati, et a praeceptore tot annis formati tandem spiritu confirmati ad praedicandum amandabantur. Iam et hoc praetereundum non est, quod plenus spiritu sancto baptisatur, atque e baptismo egreditur, a spiritu in desertum ducitur, spiritus virtute in Galilaeam revertitur, ut discamus nihil temere agere, sed spiritu impellente, quapropter et infra dicit ex propheta: Spiritus domini super me etc.

Et fama exiit in universam regionem de illo, et ipse docebat in synagogis.) Posterius Et pro Nam causali exponi debet: varie enim utuntur Hebraei suo ו, quod Latinus in Et vertit. Reddit enim causam cur fama Iesu tam gloriosa fuerit, nempe, quod in synagogis ubique doceret. Hinc factum est ut gloriosus haberetur ab omnibus. In synagogis, in ecclesiis et coetibus populi coepit Iesus praedicare. In quo discimus impostores esse eos, qui tantopere ab ecclesiis bene institutis abhorrent, et sese in silvas, speluncas et privatas domus

abdunt. Non frustra lucem suos apostolos dominus esse dixit, et mundi lucem. Debet enim praedicator non sese recipere in latebras aliquas, quia lux est, sed palam accendi, ut omnes sua doctrina et vitae splendore illustrentur. Debet ipse aliorum tenebras discutere, et mentes omnium verbo dei illustrare, affectus pravos domare et eradicare, e tenebris in lucem protrahere. An vero hoc fieri potest, si se ab aliis separat? Intelligimus interim quam grave quamque arduum sit hoc officium, a quo non immerito quisquis sapit abhorret. Qui vero temere et sine vocatione sese ad praedicandum ingerunt, et periculosissimum hoc munus ambiunt, aut nebulones esse aut stultos facile liquet. Nec palam praedicant in ecclesiis, ut Christus. Christi doctrina non metuit lucem. Christus enim suis dixit: Quae in aurem dico, praedicate super tecta. Nihil doli, nihil fraudis continet doctrina Christi; non ergo angulos quaerit ut lateat. Catabaptistae talia docent, quae affectus carnis sua sponte suggerunt, quum praedicatoris sit carnis affectus arcere et domare. Christus vero ingreditur coetus publicos et solennes in sabbatis, in diebus festis quandocunque populus frequens convenit.

Surrexit ut legeret, et traditus est.) Morem tum fuisse in ecclesiis eum, de quo Paulus 1. Cor. 14. hinc adparet. Nam ex hac lege licuit Christo in synagoga loqui. Traditus est ei liber a ministro, qui ex ordine copiam eis fecit loquendi; non hoc sibi temere sumpsit.

Propterea quod unxit me.) Ungere pro initiari, inaugurari ad aliquod officium. Spiritus domini sapientiam, potestatem et virtutem mihi dedit. Sacerdotes veteris testamenti ungebantur, quum ad officium externum inaugurabantur ac consecrabantur; ita ego sum a spiritu sancto ordinatus etc.

Ad evangelizandum pauperibus.) Ut laetum illud nuncium annunciem pauperibus, id est, adflictis et desperatis conscientiis. Qui enim dei iustitiam, deinde suam iniustitiam considerat, desperet necesse est. Huic desperationi succurritur per Christum. Christus salutem non solum praedicat ut prophetae, sed ipse est salus, et sese nobis dat. Prophetae e longinquo praenunciant, Apostoli ostendunt et testantur, sed dari neutri possunt, nec sunt quod praedicant.

Sanem contritos corde.) Idem sensus, alia licet verba. Nam gratia Christi medicina est et salus. Hinc nomen sortitus Iesus, id est, medicus et servator. A diversis rebus diversas et varias allegorias decerpit Christus. Quomodo vero homines de gratia et remissione peccatorum desperare possent, quum totius mundi infinita et gravissima peccata misericordiam dei prohibere aut cohibere non potuerint, quin filium suum unigenitum nobis daret? Aut quomodo quis existimaret sibi gratiam a deo negari, quum Christus, filius dei totius mundi peccata sustulit?

Annum domini.) Annus capitur pro die aut tempore, quo deus visitat nos aut per gratiam, aut per poenam. Quasi dicat: Ego sum ille qui hoc tempore revelari mundo debuit, ut gratiam praestem omnibus, ut omnibus peccata remittam. Iam tempus adest, quo per me homines apud deum gratiam inveniunt. Annus in quo per gratiam suam respicit deus mortales etc.

Et omnes testimonium illi dabant.) Synecdocha est: Omnes scilicet boni quibus recta et honesta placebant; nam erant multi, ut statim sequitur, qui eum contemnebant ut obscurum et ignobilem. Singulis ergo singula reddenda. Quibus placebat veritas, illi gratulabantur et adclamabant cum gaudio, testimonium veritati reddentes. Adparet ex his Christum pluribus verbis usum esse, quam hic ponantur, declarando sese esse eum de quo propheta ista vaticinatus olim esset. Nam quomodo alioqui in verbis tam obscuris prophetae omnes tam cito de ipso intellexissent, ut testimonium tantum darent? Praedicatoribus verbi dei tempore Christi, prophetarum et apostolorum, dum carperent scelera, non semper opus fuit addere istam exceptionem: Frommer mann nimm du dich deß nit an. Libere enim in ecclesiis loquebantur dum vitia taxarent, et increparent impios, modo laudantes, modo increpantes, importune, opportune. Iam sic sumus teneris auribus ad mordacem veritatem, ut saepius nobis hoc addendum sit: Frommer mann nimm dichs nit an.

Mirabantur super gratia sermonum.) Quod obscurus et idiota librum sibi sumeret et legeret, tamque docte dissereret, offendebanturque in eo, non quod ipse eis occasionem aliquam illis daret, aut quod aliquid dicéret ac faceret unde posset oriri offensio; sed ipsi bonum, simplicem, et innocentem contemnunt. Tam impii erant, ut et ei malum attribuere non verentur. Sic ego puto offensionem hic, et Matth. 19. accipi. Quis enim divina sapientia offendi possit, si scandalum pro eo capis, quod quis ita facit, ut merito alii offendantur? Neque hoc potuit esse in Christo. Mali vero et impii quaerunt et sumunt offensionem ubi plane nulla est. Et de hac offensione intelligit Christus, quum dicit: praestare ut mola asinaria suspendatur in collum eius qui pusillos suos offendit. Neque enim potest tam durus sermo intelligi de his qui ex infirmitate aut ignorantia labuntur et peccant. Nam et in illis quandoque offenduntur ii, qui merito condolerent et pro eo orare deberent, iisque septuagies septies est remittendum. Contra, qui impudenter et sine fronte peccaut, excludi ex ecclesia debent.

Medice cura teipsum.) Proverbialis est sermo in eos qui arti suae nimium fidunt, caeteros iuvant, sibi ipsis succurrere non valentes. Fit enim non raro, ut qui caeteros omnes aliquo morbo levant, ipsi eodem intereant, ut videant scilicet, maiorem vim esse, quam pharmacorum suorum et astrorum. Contingit interdum ut rite apponantur pharmaca et iuxta vires suas operentur; nihilo tamen minus aegrotus moriatur. Fit ut medicus omnes nervos suos intendat, omnem exerat artem, adhibeat omnia methodice, adspectus omnes sint boni, faveant astra omnia, adhuc tamen moritur aegrotus, ut discant superiorem esse virtutem, nempe dei.

Non est propheta.) Iterum proverbialis est sermo. Sunt qui ita suam spectant gloriam, sibique adeo placent, ut ferre nequaquam possint alios iuxta se attolli aut laudibus vehi. Sunt rursus quidam tam stupido iudicio, ut putent nemini notum aut pervium esse quod ipsi ignorant. Haec omnia ex superbiae fonte et philautiae nascuntur, tum ex immoderato zelo, aliquando ex invidia et inertia. Potius gra-

tulandum foret, si quem ex nostris videremus insigni aliqua eruditione aut pietate praeditum esse, siquidem reipublicae essemus amantes. Neque laudat Christus hunc prophetarum gentilium contemptum, sed opprobrat hoc eis, ingratitudinemque taxat. Nota ex toto contextu de ista offensione, quum quis sive ex malitia, sive ex odio et de industria aliquem vel laedit vel pudefacit, aut inhonesti aliquid et turpitudinis ei inurit, aut peccatum eius palam facit: pessimum enim hoc est scandali genus et nocentissimum. Ita fit ut plus saepe scandali ecclesiae demus lingua nostra, dum scelera aliorum praedicamus, quam ipsi dederint, qui ex infirmitate sunt lapsi. Paterfamilias carnes sale condit, materfamilias cibos, neque puerorum est aut eorum omnium qui in domo sunt. Sic in ecclesia Christi ministris verbi dictum est, quod sint sal terrae; illorum est taxare vitia, et graviter invehere in scelera, non cuiuslibet. Non ubique omnia fiunt, nec omnibus omnia: nam deus pro sua sapientia et voluntate singula disponit; quod duobus iam exemplis probat. Elias suppeditabat viduae cuidam tota fame necessaria, aliis viduis idem non fecit. Simile quid de Elisaeo legitur, qui Nahaman Syrum lepra percussum per domini mandatum mundavit, quum interim multi essent leprosi qui lepra non liberabantur. Hoc docet deum in donis suis liberum esse et cogi non posse, cuius liberalitate nos decet esse contentos, nec convenit ut ei modum praescribamus quantum et quibus facere aut dare debeat. Quasi dicat: Deus miracula quidem edit, qualia per me facta sunt in Capernao, sed non ob id ubique. Vilescunt apud vos dona dei assiduitate, nec miracula essent quae semper et omnibus fierent. Miracula certe ideo dicuntur quod rara sunt.

Irati omnes.) Hoc ex philautia generatur, si quis nobis adversatur, aut non facit quod cupimus: volumus enim in omnibus laudari, observari et coli, volumusque in omnibus magni esse et excellere. Per digressionem quaedam de tumultu interseruit hic. Plebem tumultuosam impetus et affectus, furor et insania ducit, non consilium, non ratio. Cavendum ergo magistratibus, ne quid committant, quo plebi dent occasionem tumultuandi. Nam si sapientes et metuentes dei fuerint, iustitiam et aequitatem servaverint magistratus, non permittit deus, ut plebs in eos furat: potentior enim plebe est deus, qui sibi fidentes et servientes non deserit. Plebes admonendae, ne se praecipites dent per tumultum. Fere per hos tumultus excitatur, qui vel honores vel divitias ambiunt.

Cum potestate erat coniunctus sermo ipsius.) Vim quandam habebat sermo eius, penetrabat in corda. Talis est omnis sermo qui ex fide fit.

Scio te qui sis.) Daemones testimonium dant Christo, et eum confitentur, sed eorum confessio sine spe est et fide. Sic Iudas desperabundus dicebat: Tradidi sanguinem iustum. Quemadmodum deus bonos angelos mittit ad salutem piorum et electorum, ita mittit malos ad puniendum et nocendum.

Et rogaverunt eum pro ea.) Graece est, καὶ ἠρώτησαν, indicarunt ei de ea: nam sic videntur uti hoc verbo Graeci.

Et astans super illam.) ἐπιστὰς ἐπάνω αὐτῆς: Er ſtund ob jren. Cum emphasi quadam hoc dicitur, et connotationem quandam auxilii habet: Er lupfft ſy vf, wie man den krancken pfligt zethun. Non solum ostendit virtutem divinam, sed etiam humanam infirmitatem in Christo, quum se sic ad nostram infirmitatem ac humilitatem demittit, ut ab infirmis ac aegrotis non abhorreat. Verbum standi seu astandi Hebraeis pro ministrandi usurpatur.

Increpavit febrem.) Graece est ἐπετίμησε, ego dicerem: Imperavit febri, praecepit.

Surgens ministrabat illis.) Hoc perfectam salutem indicat. Docet interim, ut post aegrotationem meliores reddamur, serviamusque proximis per charitatem. Quaeritur hic, liceatne morbos et contagia fugere? Hoc in primis curabunt pii, ut sic vivant ut morbos non sentiant, quod tum fit si cum deo in gratiam redeant. Saepe enim peccata causa sunt morbi. Quum vero malos punit deus, animadvertant hoc pii et sibi caveant, iram domini praevenientes. Licet piis quoque ut sibi aliquando fuga consulant, pestem aut alios morbos contagiosos declinantes; licet ut aegroti remedia quaerant, et mortem vel effugiant vel praecaveant, modo id fiat illaesa fide et charitate. Nam mox ut fides aut charitas laeditur, peccat is qui fugit. Hanc ergo regulam praefigamus in omnibus quae a nobis tentantur, et hanc quisque impressam in conscientia habet.

Singulis manus imponens san.) Tactus corporalis Christi qui fit infirmis non sanat eos, sed operans omnia virtus dei. Omnis virtus dei est; quod vero et tangit, ad demonstrationem humilitatis pertinet, ut videamus Christum verum deum non abhorrere a nostra infirmitate utcunque gravi. Tangit enim leprosos caeterosque aegrotos, a quibus humana superbia horrorem concipit et fastidium, ut discamus Christum verum esse servatorem, et clementissimum advocatum, qui nos non fastidiat aut ob infirmitatem nostram abiiciat; quin et ipse infirmitatum nostrarum per omnia fit particeps, ut fiduciam nostram in se confirmet. Quis iam non alacri et hilari mente ad tam benignum servatorem adcurret, qui nobis tam familiaris est? Sic in sacramentis quaedam externa adhibentur, ut sensus nostri percellantur et manuducantur. Quum daemones idem confitentur quod Petrus aliique apostoli, cur prohibentur a domino? Servis non convenit curiosis esse, in his quae agit herus, etiamsi rationes cur id fiat ignorent. Satis sit prohibuisse dominum. Quod si aliquando revelat deus causas factorum suorum, gaudendum nobis est et gratulandum; si celat, nihil dolendum, semper tamen obediendum eius praeceptis. Quum ergo facta sua Christus evulgari vetat, docet fugere inanem gloriam: non enim quaerenda est gloria in beneficiis, gloria dei et salus proximorum in omnibus spectanda est. Benefecisse satis sit nobis. Qui deum in omni actione spectant, semper alacres sunt: qui extra deum aliquid quaerunt, cito labascunt, impatientesque fiunt, dum non succedit quod cupiunt. Haec ergo causa esse videtur, quod Christus vetat daemonibus sui praedicationem. Nam vetuisse ne se proderent filium dei esse, non videtur probabile, quum id scire omnes referret plurimum. Et Christus ipse, ut ex Ioanne

patet, saepe integros sermones fecit, ut se filium dei esse ostenderet. Vetat autem daemonibus ne se laudent, quia vana fuit haec laus, non ex fide, non ex viva cordis radice: vanitatem autem odit deus, et quidquid sine fide fit.

Egressus ibat in desertum locum.) Secessus Christi et orationes eius nobis in exemplum fiunt: nam Christo his nihil opus fuit. Saepe secedere, et cum deo colloqui, vires et robur addit animo, reficit et recreat fatigatos ac lassos, firmat ac durat animum ne concidat, sed sese omnibus periculis intrepide obiectet.

CAPUP V.

Quum turba immineret Christo.) Hactenus venerunt philosophi quidam gentiles, ut agnoscerent omnes homines vitae aeternae et immortalis avidos esse. Et hinc animam immortalem esse probaverunt, argumentis non adeo ineptis. Quum ergo verbum dei ipsum in mundo loqueretur per Christum, adcurrerunt quicunque sana mente praediti erant, et qui aeternitatem sitiebant, agnoscebant vocem pastoris, et sese ad eum colligebant quemadmodum guttae aquae confluunt. Cupiditas ergo talis menti insita facit ut ad Christum adcurrant. Nihil est quod magis anxios in hac vita reddat homines, quam quid futurum sit ipsis post hanc vitam. Si quis iam certos eos vitae aeternae salutisque reddiderit, is omnem anxietatem et dolorem ex animis eorum eximit. Si chirurgus aliquis peritus in urbem venit, de quo praedicatur, quod omnia vulnera curare noverit, ad hunc nimirum quicunque vulneribus laborant adcurrunt. Sic ubicunque verbum dei praedicatur, avide adcurrunt, quotquot veritatis et salutis aeternae cupidi sunt, nec hi solum sed illi qui poenam aeternam metuunt. Iam ergo non omnes virtutis amore et sincero corde confluunt, sed sunt inter illos hypocritae multi, qui non minus se avidos virtutis et verae pietatis simulant, at in hoc duntaxat, ut boni videantur, aut ne pro impiis habeantur, aut ut laudem aliquam venentur. Talis erat nimirum qui Christum sequi volebat quocunque iret, quem Christus repulit. Cognoscebat enim animum eius quod non sincerus esset, et quod non gloriam dei, sed ut sibi bene esset, quaereret, quod Christus apud se reperiri negat. Sic hoc loco dicitur, multam turbam imminuisse Christo, ex quibus proculdubio multi postea clamaverunt: Tolle tolle crucifige eum! Non hunc sed Barrabam! In multiplicatione piscium ostendit se Christus maris quoque dominum esse.

Stupor enim circumdederat eum.) Ex magnitudine nempe miraculi ortus. Observat enim et agnoscit miraculum et beneficium dei. Hoc nos non facimus; incogitantes beneficiorum dei, ne tantillum quidem movemur, socordes et ignavi in vanum recipimus gratiam dei, nec grati sumus tanto dono. Quemadmodum filii Israel dum pressi erant in Aegypto, liberavit eos dominus, duxit eos in terram optimam et felicissimam, sed nesciverunt illi uti tantis bonis, quin sic deum irritarunt, ut funditus tandem perderentur. Sic et nos non agnoscimus quantum gratiae nobis per evangelium collatum sit, tumultuamur, luxu diffluimus, nostra duntaxat quaerimus. At dona dei cum magna grati-

tudine, timore et reverentia suscipi debent, quibus nos haudquaquam digni sumus, quod cum Petro agnoscere debemus.

Vir plenus lepra.) Lepra typus est eorum scelerum quae excommunicationem merentur: contagio enim est. Animadversio in sceleratos tam est necessaria vel gentibus, ut nulla respublica sine hac consistere possit. Quemadmodum ergo in hortis noxiae et inutiles plantae eradicantur, idque non sine magna diligentia, ne bonae laedantur; ita in suppliciis aut eradicatione sceleratorum fieri debet. Sunt quidem vitia quaedam, quae ad messem usque ferenda docet Christus, at interim ingentia flagitia poenis coercenda sunt. Errant ergo Catabaptistae qui interim dicunt, neminem esse plectendum, interim quemlibet vel ob levem culpam abiiciendum. Scopus in his talis spectetur, ut scelera sic eradicentur, ne bonum laedatur. Errant quoque in hoc miseri homines quod omnem tollunt magistratum inter Christianos, et rerum omnium communionem, ne dicam confusionem inducunt. Qui rerum communionem praesenti rerum statu cogitant, non secus faciunt, quam si quis diceret se domum, postquam dives fuerit factus, empturum aut aedificaturum. Nam is aedificium incipere non debet, nisi prius dives sit. Sic introducere rerum communionem nemo debet, donec omnium animi affectibus sint liberi, et huc sponte inclinent. Licet talia speculatione metaphysica imaginari, quemadmodum rempublicam Plato, efficere nunquam.

Et factum est quodam die.) Quaelibet res iuxta ingenium suum agit, quod se in universis exerit. Videmus in vere progerminare omnia, omnia florere: in aestate calor est, in hieme tempestuosum frigus: aliud agunt senes, aliud pueri et iuvenes, aguntur omnia pro ingenio suo. Sic in Christo exerit se ubique fides, dilectio, beneficentia: in pharisaeis invidia, hypocrisis. Intelligunt, hypocrisim suam et fucatam iustitiam iuxta fidem et ardens studium Christi consistere nullo modo posse: omnia enim agunt ex hypocrisi et philautia. Quare statim ab initio praedicationis incipiunt Christum contemnere et blasphemare. Ita enim natura comparatum videmus, ut ubicunque bona seruntur, mox noxia quaeque et inutilia succrescant. Hypocritis istis hodie plenus est orbis, qui veritatem nudam nec videre nec audire sustinent, atque hi semper habent quod causentur, quo minus audiant. Si hoc, inquiunt, non esset, libenter audirem. Contra vere piis summa voluptas est, si veritatem quam clarissime sibi audiant proponi, si suis coloribus et nominibus ornatam. Nam veritas undique se conspici et contrectari patitur, nihil foedum in ea, nihil turpe, nihil quod tegi aut celari debeat, nihil a quo bonus vir abhorreat merito. Et his qui gloriam quaerunt suam, si detur optio, inter omnes huius mundi res hoc unum optabunt, ut verum in quaque re ad liquidum et clarissime contueri liceat, ut omnium cordium abstrusa et cogitatus pervidere, omnium consilia cognoscere possint. Splendorem ergo huius lucis omnes cognoscere et habere cupiunt; quum vero ipsorum vitia hoc fulgore perstringi intelligunt, vellent veritatem non tam clare proponi; et illi isti hypocritae sunt, qui Christo ubique resistunt. Nam Christus veritas est, nec quisquam unquam veritatem dei tam clare enarravit.

A tanto ergo fulgore abhorrent et obstupescunt oculi pharisaeorum et hypocritarum, qui in omnibus rebus ansam quaerunt calumniandi et blasphemandi veritatem, illamque extinguendi. Hoc tamen manifeste non faciunt (quis enim ferret eum, qui diceret se veritatem impugnare?), sed zelo quodam dei, quem praetexunt. Dicunt sibi curae esse religionem, gloriam dei, ecclesiae unitatem. Hoc agentes, vestiunt veritatem nominibus mendaciorum: quod candidum est, atrum dicunt; quod sanctum, profanum. Hortantur ne ab ecclesia dissentiamus, ne Caesari resistamus: ecclesiam interim Papae, Episcoporum et sacrificorum conciliabulum, Caesarem tyrannum aliquem interpretantes. Opus est in istis omnibus acri iudicio spiritus, ne fallamur. Sic pharisaei dicunt: Violat sabbatum. Hanc notam dum inurunt Christo, quid sit feriari in sabbato aut non intelligunt, aut male interpretantur. Veritas autem semper vincit, modo diligentes simus in extirpandis mendaciis, in plantanda veritate. Qui enim tam sunt negligentes et ignavi, ut zizania et scelera crescere sinant, digni sunt, qui amittant veritatem et iustitiam, excaecentur, et in impietate sua pereant. Invincibilis est veritas in omnibus qui eam amant et sincere colunt.

Pharisaei sedentes.) Sedentes pro audientibus accipi hic puto, ut in 1. Cor. 14. Audiebant enim cum caeteris verbum dei, in locis tamen paulo editioribus.

Ad sanandum eos.) Non refertur ad pharisaeos personaliter, sed impersonaliter ad turbam. Quod sic docebat, et sanabat promiscue omnes, hoc in causa fuit, quod omnes undequaque concurrerent.

Utrum est facilius.) Certe si recte iudicare volueritis, utrumque aeque est difficile. Vos vero remissionem peccatorum miseris mortalibus pollicemini, sed falso, nempe per sacrificia vestra, per quae tamen neminem mundare potestis. Taxat in hoc eorum avaritiam et hypocrisim, qui se iustificatores aliorum simulabant: ut sacerdotes et pontificii faciunt, qui missis suis, quum ipsi sint impurissimi, aliis purificationem promittunt. Ut autem videatis me huius rei potestatem habere, alio aeque difficili discite, quum hunc subito solo iussu meo erexero, qui iam decumbit, et hunc ambulare fecero, quem alii huc tulerunt. Simulque haec dicens iussit hunc surgere.

Vidit publicanum nomine Levi.) Christus qui est pignus gratiae, ostendit factis suis se omnium esse salvatorem, nulli non salutarem. Publicanus Romanum nomen est, quod Germanice exprimere non possumus. Unde apparet olim in Germania publicanos nullos fuisse. Postquam autem crimen venit in Germaniam, simul et nomen venit, ut in vino et vase aliisque Romanis nominibus accidisse videmus. Publicani sunt, quicunque praeter ius et fas in negotiis proximum fraudant et expilant, lucrum suum augentes. Avaritia aut pleonexia non secus facit quam pecora quum pascunt: mox enim ut in alienis pratis laetius gramen vident, non contenta suis, sepes perfringunt, donec quod cupiunt assequantur, nisi sit qui flagris abarceat. Telones ergo et foeneratores legibus arcendi sunt, ne plebem deglubant, et in hoc vigilare magistratus debet. In universum autem omnibus sceleribus resistere debent,

ne quum increverint, corpus perdant. Luxus et voluptas Hannibalem et totum exercitum eius perdidit. Licet autem legibus prohiberi non satis possit, ut non sint vitia, ut non sint avari, modus tamen praescribi potest, ne affectus cum reipublicae et civium iactura nimium erumpant, vitiaque compescantur. In Matthaeo autem exemplum nobis proponitur, pessimis quibusque viam patere ad Christum, modo Matthaeum imitemur. Post Matthaeum Lucas Evangelium suum conscripsit. Levi ergo eum honoris gratia non Matthaeum nominat.

Relictis omnibus sequutus est eum.) Mox desertis omnibus Christum sequi, non voluntatis est humanae; non currentis, neque volentis, sed miserentis dei.

Et fecit ei convivium magnum.) Hoc hospitalitatis est et gratitudinis Christianae. Nos haec in pauperes propter Christum conferamus, quos abiens Christus in terris nobis reliquit.

Erat turba multa publicanorum.) Quod publicani adcurrunt simulque accumbunt, non temere fit, sed dei providentia, ut nota fiat hypocrisis et invidia pharisaeorum, et occasio detur Christo praedicandi evangelii.

Non egent qui sani sunt medico.) Iesus servator est et medicus: ad nomen ergo et officium suum alludit.

Quare cum publicanis et peccatoribus.) Christus quum sit splendor paternae gloriae, nullius peccatoris conversatione obscurari potest.

Non veni vocare iustos.) Solis peccatoribus adeoque peccatum suum agnoscentibus Christus missus est, unicus animarum ἰατρός, ad quem omnes conterritae et labefactatae conscientiae confugere debent. Porro quemadmodum in corporis conservanda valetudine optima medicinae pars est victus ratio: sic unica et optima est animarum nostrarum medicina, si statim nos a cunabulis ad vitae innocentiam et puritatem, atque adeo ad omnem virtutem adsuefecerimus. Quum Christus adhuc in terris esset, nemo sine crimine vixit, sicut nec hodie quidem, ideo omnium nostrum factus est servator et medicus.

Cur discipuli Ioannis frequenter ieiunant?) Pulchris parabolis et allegoriis mediocritatem summam (ut etiam philosophi testantur) virtutem docet Christus, sine qua caeterae virtutes vitia sunt non virtutes. Et inter philosophos veteres, Stoicos videlicet et Peripateticos, disputatio de his fuit. Stoici omne gaudium negant homini sapienti, et indolentem eum faciunt, ut hodie melancholici quidam et rerum humanarum inexpertes, omnes homines ad normam suam vivere cogunt. Et quod ipsi summam religionem putant ac virtutem, vitium quoddam potius est naturae, et misanthropia quaedam. Stoici potius definierunt virtutem in se quam existentem in subiecto. In subiecto enim nullam virtutem in summo reperias. Homo perfectus esse non potest: superat ergo Peripateticorum sententia, semina quaedam esse virtutum in nobis, quae tamen ad summum nunquam excrescunt. Deinde vitia ad plenum eradicari nunquam possunt, domari tantum quotidie, et minui. Cato constans fuit, sed indignitas rei eum superat, neque tam constans est, ut Caesari servire possit et mortem ab eo pati. Quod mortem

sibi ipsi conscivit Cato, infirmitatis est non constantiae. Et Seneca qui stoicissimus, ut ita dicam, fuit, sensit se aliquando vana gloria titillatum. Doctrina et virtute omnium philosophorum doctrinas et virtutes, tum etiam pharisaeorum sanctimoniam longe antecellit, valet ergo authoritate apud populum, quod ferre non possunt. Conquirunt ergo quidquid possunt, ut elevent famam et gloriam Christi. Adsumunt autem ad se discipulos Ioannis, ut suam hypocrisim tegant ac defendant, quum palam non audent dicere: Nos ieiunamus frequenter. Quum vitia defendere, et veritatem opprimere volumus, aliorum infirmitates et lapsus in hoc adsumimus, ut nostra simul asseramus, quum tamen vitia non eadem sint in omnibus. Meam ebrietatem alterius ebrietate excusare conor, qui fortasse non eandem causam mecum habet, adeoque minorem culpam. Sic pharisaei sibi adiungunt discipulos Ioannis, qui tametsi rudes adhuc essent, non tamen impii, ut pharisaei, nec ad ostentationem ieiunabant ut ipsi. Non autem simpliciter reiicit Christus ieiunium verum et orationem spiritualem, sed ea duntaxat quae iuxta hominum opiniones instituta erant, et ad gloriam fiebant superstitiose, quibus tamen bene utebantur discipuli Ioannis, probe scilicet a Ioanne instituti.

Tui vero discipuli edunt et bibunt) Hoc per emphasim quandam intelligendum est. Quasi dicat: Cur discipuli tui tam libere et promiscue omnibus diebus edunt? Cur non servant instituta patrum? cur non stata ieiunia, statas preces?

Num potestis facere.) Ubi deus mentem per fidem inhabitat, perpetuum et constans est gaudium, gaudium scilicet nuptiale, quum anima deo desponsa sit per fidem, perque arrhabonem spiritus obsignata. Illic iam universi se comunt et ornant variarum virtutum vestibus, imo vestem nuptialem induunt Christum scilicet per fidem et charitatem, exultant, iubilant in cordibus suis, innocentiae, sanctitati et puritati omnes student, quia sponsum in pectore praesentem habent, coram quo sancte et inculpate versari gestiunt. Hi immunes se servant ab omni labe, ut inquit Ioannes: habent enim intra se semen dei, quod conservat eos. Hi spiritu sancto, quem intus gerunt, agente ac impellente ieiunabunt et orabunt, neque tamen sese sub legem cogi patientur, quum nunquam sine lege vivant. Vivunt enim non iam ipsi, sed in eis Christus, et vivunt in fide filii dei. Spiritus ducit credentes, non hominum traditio. Aut quomodo Christus ignavus erit in credentibus, ut non oret ac ieiunet quantum satis est? Si hoc genus orationis et ieiunii, quod isti iactitant, caput religionis esset, Christus nihil aliud fecisset. Fides vero et spiritus docent pios ubi sit ieiunandum, ubi edendum, ubi orandum, ubi rursus ab oratione ad opera charitatis redeundum. Quod Paulus dicit: Non estis sub lege, sed sub gratia, idem est cum hoc dicto Christi. Qui ad nuptias vocantur, student se mundare et purificare, ut honesti adpareant: qui enim vestem nuptialem non habent. eiiciuntur. Cur ergo onus tam grave imponeremus super humeros piorum, quod nec nos, nec patres nostri portare potuerunt? In summa, adsueti estis o pharisaei ad vetera ista, nova vobis nihil sapiunt. Quo quisque est adsuetus, hoc difficile relinquit: vos videmini

vobis iusti esse ex operibus vestris externis et hypocrisi; meam ergo doctrinam non libenter admittitis, nempe novam et spiritualem.

CAPUT VI.

Subinde clarius elucescit quae vera quaeque falsa et hypocritica sit religio: sic pharisaei opera sua hypocritica magnificant supra modum, nec modum in his servare norunt. Christus non docet, ne sabbato ferientur, sed hypocrisim eorum damnat ac superstitionem, quum his externis nimium fisi, interna negligant. Docet ipse internae sanctitati studere, et hoc unum agere ut internus homo renovetur. Hominis vita exodio (processioni) similis est, in quo pessimi quique maxime sunt ornati, ut sacerdotes et monachi. Quisque videri vult mandatorum observantissimus, hic ceremoniis, iste quum multa et dulciter de Christo et evangelio garrit; at pauci sunt in quibus charitatem et veros fidei fructus conspici liceat. Sic pharisaei magnifica quaedam iactant, quum intus sint pleni sordibus. Sabbatum ergo quod ipse olim feriandum praeceperat, non docet violare Christus, sed falsas opiniones de sabbato ex corde hypocritarum evellit. Nos fere omnes similes sumus pharisaeis, videri enim volumus quales haudquaquam sumus. Si studeremus id esse quod videri volumus, plus esset religionis verae et solidae pietatis. Pharisaica, hypocritica, et superstitiosa religio est, quum plus nimio externis rebus tribuimus.

In sabbato secundo primo.) Sabbatum deuteroproton tum esse puto, quum duo festa sese contingunt, quorum alterum sabbatum est: quod tametsi ordine secundum est, proton tamen est, id est, praecipuum et summum. Nam sabbatum ante omnia praeceptum est a deo.

Vellebant discipuli eius spicas.) Parsimonia et frugalitas hic commendatur. Qui frugales sunt, multis se curis et inutilibus cogitationibus liberant. Hanc enim de rebus anxiam solicitudinem suis eximit Christus Matth. 6. Nolite, inquit, solliciti esse quid esuri sitis, bibituri, et quibus induamini. Frugalitas corpora durat, et animus ipse frugalitate liberior et alacrior fit.

Quid facitis.) Pharisaei vellicationem spicarum calumniantur, plus ob violatum sabbatum, quam ob violatam charitatem: non enim laesus erat proximus hac spicarum evulsione, quum damnum proximorum in primis caveri ab omnibus debeat. Hic discimus leges non restringendas esse sed laxandas: non enim tantum minutula, quantum magna vetant. Neque in lege vetitum erat, quin praeteriens vineam vel aristas posset ad esum quasdam decerpere. Nam nisi leges sic interpretandae essent, merito discipulos suos Christus ipse increpitasset, quod proximis incommodassent. Christus enim legislator est et interpres, qui legem probe intelligere et explicare potest.

Cum esurisset David.) Hic tecte ac subobscure innuit etiam discipulos suos esurivisse, compulsosque fame vulsisse spicas.

Ne hoc quidem legistis?) Sciebat Christus legisse quidem eos talia, sed indiligentiam eorum taxat, quod legendo nihil proficerent. Legebant legem in hoc tantum ut legissent, non quod rite intelligerent

ac vitam ad hanc componerent. Talium et hodie multi sunt qui quotidie legunt, ut plura legant, sed non ut meliores evadant, aut ut discant ac prosint aliis, sed ut opiniones suas ac contentiones asserant. Valde acerba igitur et vehemens est increpatio: Ne hoc quidem legistis? Quasi dicat: Quomodo vos legitis scripturas? nihil aliud quaeritis in scripturis, quam quo pacto contentionem vestram foveatis ac defendatis. Quin hinc discitis charitatem, beneficentiam ac commiserationem? Ubi ergo sanctitas vestra? ubi iustitia? Oportebat e scripturis discere, qua charitate necessitatibus inopum subvenire conveniat. Necessitas ergo sabbatum excusat, quod et de omnibus ceremoniis intelligendum erit, qualia apud nos sunt baptismus, eucharistia, auditio verbi externi. Modus in his servandus; tam noxium est illis nimium tribuere, quam illa contemnere.

Observabant eum.) Et verba et facta Christi quae vera erant utilia et salutaria pharisaei calumniantur in mortem usque, ex odio nempe et amaro zelo. Nullis argumentis neque parabolis, quas abunde adducit Christus, moventur. Hoc agit et hodie odium et invidia, semper enim sui similis est. Fascinum est invidia nocentissimum, oculum mentis fascinans et praestringens, quemadmodum si quis parietem album, aut gramen viride per vitrum rubeum contueatur: omnia enim tum rubra adparent. Caveat ergo quisque ab huiusmodi affectibus! non cessant nec decrescunt, donec id perficiant quod volunt. Examinet se quisque diligenter an in hisce cupiditatibus et morbis stet, procedat, aut minuatur; quemadmodum in morbis corporis prudens medicus diligenter statum morbi observat ac animadvertit. Si stare affectus deprehenditur, periculo non caret, ac crescere iudicatur. Quod si quotidie quid decedit, spes est salutis. Quandiu veritatis persequutores consistunt ac progrediuntur in errore et pertinacia sua, quandiu non cedunt, cavendi sunt, nec spes concipienda emendationis.

Licet sabbatis benefacere aut malefacere?) Quasi dicat: Nisi opem tulero, perdidero: necessario enim hoc consequitur.

Et circumspectis omnibus.) Marcus adiicit, μετ' ὀργῆς, cum iracundia aut commotione, quod proprie sic transferimus: Er hat ſie ernſtlich vnd mit einem yfer angeſähen.

Et restituta est manus.) Hoc ad declarationem virtutis et potentiae divinae in Christo pertinet.

Ipsi autem repleti sunt amentia.) Ubi deus sese aperit, fit ut credulus magnum animi robur concipiat, incredulis autem diversum plane accidit, replentur ira, furore, amentia.

Exiit in montem ad orandum.) Exemplum sedulae atque frequentis orationis nobis praefert Christus. Videt enim nobis id maxime necessarium esse, saepe alloqui deum, saepe cum eo colloqui ac confabulari, saepius proponere ei nostras infirmitates, et quidquid nobis accidit, in hunc modum: O domine, novi providentiam, sapientiam, potestatem ac bonitatem tuam, scio te nihil sine causa facere, nihil quod nobis non prosit magnopere. Dirige tu hoc negotium quod nobis arduum et gravissimum videtur. Sic dispensas omnia, ut quisque te, quacunque sit conditione, cognoscat, agnoscat-

que nihil se sine te, quamlibet potens sit, posse. Quicunque te deserit, pudefit, et graviter cadit, nemo subsistere potest te retrahente manum tuam. His et similibus verbis, suspiriis, votis, desideriis, querimoniis, deum interpellare, orare est. Neque enim de battologia loquimur. Qui non in omnibus vitae actionibus deum verae sapientiae largitorem, et praeitorem spectat, virtutis quidem speciem et umbram praefert, pietatem et virtutem solidam nequaquam habet, nec studet verae sapientiae. Fideles nihil inhonestum, nihil turpe, nihil vanum a deo sapientissimo et optimo poscere audent, qualia sunt divitiae, voluptas etc. Nam haec stulti et impii quaerunt. Erramus denique et nescimus aliquando quid petamus, ut in matre Zebedaeorum adparet, sed deus sapientior praestat quod magis convenit. Discamus in oratione omnia subiicere divinae voluntati, et nos ipsos totos resignare. Hoc fiet, si saepe cum deo collocuti fuerimus, si eum recte cognoverimus. Quod vero aliquando anxii sumus et cum deo quasi expostulamus, quod quaedam non facit quae nobis optima videntur, ex eo venit, quod deum non recte cognoscimus, naturamque eius non probe expendimus.

Et elegit duodecim quos apostolos nominat.) Quid opus (inquis) apostolis Christo, quum nemo credat, nisi ipse intus trahat? Sed deus scit ad quid quaque creatura utatur. Substantiae spirituales quae semper adsistunt deo, continueque deum vident, monitore non egent. Homo vero, qui carne circundatus est, admonitione subinde opus habet. Organa enim habet et sensus exteriores ad haec aptos et commodos. Stulta ergo quaestio est, cur deus sic vel sic faciat. Sufficere nobis debet voluntas dei, qui est sapientissimus, iustissimus, optimus: quandoquidem ergo videmus deum uti prophetis, Christum apostolis, debemus credere hoc non temere fieri. Cum homine humano more agit deus. Exercet hominem eo ordine quo eum creavit. Est ordo angelorum, est ordo hominum, est ordo beluarum: sic in caeteris creaturis considera! Apostolorum officium est, praedicare omnibus promiscue gratiam dei, quae nobis certa facta et obsignata est per Christum filium dei, quem mundo dedit pater pignori salutis.

Omnis turba quaerebat eum tangere.) Quisque Christum tangere volebat ac videre: tanta erat virtus, tanta authoritas, tanta et verborum et rerum maiestas. Evangelistae hoc unum curant, ut ex virtute et potentia miraculorum ostendant Christum esse deum. Natura mortalium in radice infecta et corrupta est, vitiis immerfa, et ab incunabulis intenta ad malum, perdidit omnem iustitiam, amisit veritatis lucem, tenebris ignorantiae obcaecata est. Quod si quis per gratiam dei expurgatus, et spiritu dei illustratus, in tanta mortalium caligine et conscleratione lumine veritatis sapientiae et iustitiae praelucet, et radiis suis tenebras discutit, tanquam ad solis fulgorem infirmae et lusciosae mentes obstupescunt. Et illi quidem qui electi sunt ad vitam, admiratione tantae lucis tantique splendoris trahuntur ad amorem et imitationem, quum scintilla quae in eis, parva licet, adhuc reliqua est, a coelesti igne reaccenditur, quo fit, quandoquidem avidi sunt iustitiae et veritatis, ut eos, qui singulari iustitia ac integritate pollent prae caeteris, aut qui iustitiam et veritatem colunt ac promovent, singulari

quodam amore colant ac prosequantur. Quoniam vero tales a deo missi sunt, tanquam lux e polo, fieri non potest, quin exosi sint omnibus impiis, et iis qui tenebras suas tam tenere deamant, ut non modo non dispelli sibi, sed ne tangi patiantur. Tenebriones ergo non solum lucis, veritatis, ac iustitiae cultores oderunt, sed ad internecionem usque persequuntur. Exemplorum ad utranque partem abunde satis est, in veteri atque novo testamento, ut in Abele, Abrahamo, Mose, Prophetis, Christo, Apostolis: tum in gentilium historiis, de Socrate, Camillo, Aristide, Scipione etc. Christus vero lux est totius mundi, quem misit pater ad illustrationem, ut quicunque illum sequerentur, non ambularent in tenebris, sed haberent lumen vitae. Impii non ferunt praedicationem iustitiae; deinde etiam infirmi et pigri, quibus nimis est durum quidquid dicitur: pii et famelici verbum veritatis plausibiliter excipiunt. Misit ergo pater filium suum in mundum ut veritatem et iustitiam orbi restitueret, qua re caeteros omnes qui vel ante vel post eum fuerunt antecellit. Nam licet sancti luminaria sint mundi et lux a domino vocentur, nemo tamen unquam fuit qui tanto ardore, tanta claritate, tantaque fide iustitiam et veritatem in mundo plantaret. Huic non satis fuit si mediocri homines praediti essent iustitia, sed summam et exactam a suis requirit. Pulcherrima et perfectissima exemplaria virtutis ac verae pietatis proponit, et pectus hominis repurgat, interioremque hominem reformat et instaurat. Hoc exemplum imitari debent, quicunque ministerium verbi habent, ut iustitiam veritatem et veram pietatem renovent, idque summa fide et *δυνάμει*. Philosophi multis ambagibus et blandis verbis adumbrant potius iustitiam quam docent, Pharisaei fucum quendam praetendunt, Christus vero efficaciter docet, et virtutem praebet ut vere iusti esse possimus. Christus ergo non in hoc duntaxat venit ut nos morte sua redimeret, sed ut totum hominem intus et extra renovaret ac sanctificaret, ut novae vitae exemplar in se proponeret. Conari igitur debemus ad optima quaeque et praestantissima; ubi vero quid deest, Christus hoc sarciet.

Attollens oculos in discipulos.) Tanquam ad eos quos praecipue alloqueretur, ut eos armaret ac confortaret. Haec enim verba arma sunt omnium eorum qui verbum dei praedicant, qui veluti pastores ante oves primi procedunt, et caput periculis obiectant.

Beati pauperes spiritu.) Deus lux est, et quemadmodum solis lux a nullo tolli potest, sic nemo potest tibi deum auferre: quem si in corde habes praesentem et inhabitantem, secure dicere potes: Tenui eum nec dimittam. Thesaurus est pretiosissimus, quo fraudare nemo potest. Nemo mutat aurum plumbo aut aere: sic qui deum possidet, nulla re mundi quantumvis pretiosa eum mutare velit. Et qui sic divites sunt, mundo pauperes iudicantur, et horum est regnum dei. Pulchra est antithesis, quasi dicat: Tametsi hic pauperes sitis coram mundo, aeternum divites eritis: regnum enim coeleste vobis paratum est. Haec tam pretiosa et coelestia parum curamus, non enim talia esurimus, terrena tantum quaerimus. Si esset in nobis aeternorum fames, regnum aeternum (si duntaxat mentio illius fieret) tam gratum nobis esset, quam famelico cibi mentio. Pleni sumus carne, et terrenis rebus; iis

oportet vacuari, si aeternorum et spiritualium volumus esse capaces. In fortunae ac corporis bonis, qualia sunt divitiae, voluptas et caetera, bifariam peccamus ac fallimur, sive quod iis abutimur, aut quod illa fastidimus: incerta sunt ista, vaga, inconstantia, magnis curis et laboribus comparantur, ingenti sollicitudine servantur, invidemus ea caeteris, adeoque torquemur, ut abusum interim taceam et amorem quo illis haeremus. Quum vero in iis omnibus, quae tantopere miseri cupimus et sectamur, nullam omnino requiem, nullam satietatem, nullam felicitatem, soliditatem nullam invenimus, cogit nos deus per haec, ut oculos ad aeterna et coelestia erigamus. Huc nos necessitas adigit, ut ad deum adcurramus, quum ista omnia nos fallant et deserant. Hinc rerum mundanarum contemptus, hinc coelestium amor, et desiderium dei.

Corpus et quidquid est corporeum, caveae simile est. Cur caveam pretiosam dicimus? propter avem nimirum quae in ea alitur, et canit. Anima avi similis est. Avis si evolat, abiicitur cavea in angulum aliquem et negligitur; at avis non negligitur, sed diligenter curatur. Stulti sunt qui plus laboris caveae quam avi impendunt. Stulti ergo qui corpus magis curant quam animum. Stultus est qui caveam auro obducit, aut variis ornat coloribus, Philomelam interim fame perire sinit. Socrates omnia contemnebat, interim omnia possidebat. Qui coelestia meditantur, terrena despiciunt aut negligunt, divites illi sunt, de quibus hic dicit Christus. Dives est qui sat habet, nihil desiderat. In hoc enim sunt divitiae ut desiderium sarciant. Qui nihil desiderat, ditissimus est, et omnia habet. Virtus, id est vera pietas, huius mundi omnia ex alto despicit et contemnit: altior enim est omnibus qui soli deo nititur, hunc solum supra se habet. Elevemus ergo oculos ad ea quae supra nos sunt, et facile contemnemus omnia quae sub nobis sunt. Regnum autem coelorum hic (ut puto) pro aeterno illo regno capitur, ubi regnant omnes beati, omnes pii. O quam iucundum est huius congregationis sanctae esse consortem, in istam aeternam panegyrim recipi et admitti. Gaudemus hic dum celebribus festis coetus conveniunt, quanto magis delectabit omnium sanctorum conventio? At nos sordibus, veluti sues, adsueti, volutamur in illis, et nihil quam terrena cogitamus. Hic requiem et voluptatem quaerimus, coelestia nihil meditamur, quum tamen omnia quae in mundo sunt gaudia sordes sint, comparata coelestibus.

Beati qui esuritis nunc,) Per hanc esuriem omnem inopiam et calamitatem intelligo, quae nobis hic accidit. Felix erit futurum convivium, ubi Christus pascet suos in regno patris sui.

Beati qui fletis.) Pressi nimirum et adflicti, aut iniuria affecti propter deum et iustitiam.

Beati eritis quum vos oderint homines propter filium hominis.) Hoc ultimum membrum debet omnibus superioribus adnecti. Non enim debemus pati propter culpam nostram, ut inquit Petrus. Non quaelibet crux ob Christum imponitur. Solent sibi quandoque homines mala sponte accersere.

Secundum haec faciebant prophetis.) Mundus suo more perget furere. Si prophetas trucidarunt, et vos trucidabunt.

Vae vobis divitibus.) De iis loquitur qui relicto deo et neglectis coelestibus, terrena sectantur, et fiduciam suam in illis ponunt. Divitiae enim exitio sunt quum illis non recte utimur.

Vae vobis qui saturati estis.) Ad illos pertinet, qui nullis in rebus modum servant ullum, cuncta luxu dilapidantes.

Vae vobis qui ridetis.) Allegoria est. Qui hic omnibus rebus pro libidine abundant, adeoque illis delectantur, alibi lugebunt ob inopiam.

Vae vobis quum laudaverint.) Quia mundus iudicio caret, minime probanda adprobat. Taxantur autem ἀνθρωπάρεσκοι. Estque μυθολογικὴ συνεκδοχή.

Sed vobis dico qui auditis.) Haec praecipue ad verbi ministros pertinent, quod si aliquando adfliguntur interficiunturque, extingui non possint, ut ministri et vasa dei etsi aliquando videntur extingui: deus enim qui in eis est non vinci potest. Exemplum: Dum venator canibus feras persequitur, canes quidem occidi possunt, sed deus qui venator est occidi non potest, ut patet in Christo et Iudaeis. Persequutio quae fit ab impiis veritatem extinguere non potest. Contra haec omnia armat Christus hic discipulos suos, format eorum animos, ut haec omnia superent, spe scilicet aeternae vitae omnia illius mundi negligant. Habet autem emphasim hoc: Dico vobis qui auditis. Quasi dicat: ob hoc dico ut audiatis, capiatis, servetis.

Diligite inimicos vestros.) Ut semper inveniuntur hostes evangelii, qui veritati reclamant et renituntur, ita illis semper est benefaciendum, etiam invitis et nolentibus. Quemadmodum mater reclamanti et nolenti puero benefacit, et curam illius agit semper, ne pereat: cupit enim eum salvum. Sic omnes qui verbum dei praedicant, salvos cupere debent eos, qui fidei suae sunt commissi, etiamsi renitantur. Sic magistratus salutem quaerat subditorum, et nolentibus etiam benefaciat. Rei enim publicae interest, ne quis re sua abutatur. Nemo qui sapit, patiatur se odio aut iniuria a benefaciendo abduci. Potius sic cogitabit, Ecce is, qui te odit, adfectibus iam obrutus est, aegrotat animo, furit, insanit, caecus est, et caetera; succurrendum ergo. Odium enim ex stultitia et caecitate mentis oritur. Sapientis vero est mederi aliorum infirmitatibus et morbis. Quandoquidem ergo apostoli sal erant terrae et lux mundi, officium eorum erat mederi stultis et aegrotis, ut huiusmodi affectibus liberarentur vereque sapientes fierent. Eorum ergo qui verbum dei praedicant officium est, ut errantes in viam reducant, stultos sapientes faciant, et a vitiis abducant. Si quid ergo isti ex adfectibus designant, si quid ex stultitia admittunt, cogitemus parcendum illis esse: parcimus enim pueris, quod stulte admittunt. Stultissima certe res est alieno malo tabescere, et stultis similem fieri. Qui alios virtutem docet, meminerit interim, quod et sese doceat. Qui ergo ex praecepto domini alios docent hostes diligere, nimirum in hoc docent, ut audientes ista faciant; nihilo tamen minus doctores id in primis praestare debent. Pertinet ergo haec doctrina praecipue ad discipulos et ad eos qui docent publice, sed non ad solos illos, verum etiam ad omnes pios. Maledictiones et blasphemiae quibus mutuo se

impetunt homines beluini, inter Christianos proh dolor frequentissimae et atrocissimae sunt, quorum tamen ora benedictionibus dedicata esse conveniebat. Et mirandum certe, undenam mala imprecari aliis re sanctissima et utilissima didicerint. Vulnera enim Christi, et stigmata sanctissimo corpori in morte impressa, non modo mala aut noxia non sunt, sed et summe salutaria. Quid enim morte filii dei salutarius? Quid vulneribus servatoris magis preciosum, unde scatent nobis salutares undae, quibus peccata totius mundi eluuntur? Quum ergo haec iustitiae dei satisfecerint, et nos deo reconciliarint, salutisque nostrae instrumenta, et remedia saluberrima fuerint, nos illa ad maledicendum et nocendum proximis arripimus, et turpissime abutimur. Similes nimirum sagis aut incantatoribus, qui verbis salutaribus rebusque bonis ad perniciem hominum abutuntur, idque odio aut stultitia, attribuentes verbis virtutem aliquam praeter significationem, pronunciantes quaedam certa verba, aut alligantes ea scripta aegrotis, ut morbum pellant. Alii e contra, quod hi ad salutem utuntur licet falso, ad noxam vertunt hostibus, utrique dei et hominum hostes.

Percutienti te in maxillam.) Hic virtutem veram describit Christus in se ipsa scilicet et propria specie, non in subiecto existentem, sed nudam. Quemadmodum de Platone dicitur, quod rempublicam finxerit aut laudarit, sed quae hactenus nondum sit visa existere. Christus itaque animos discipulorum format ad summam virtutem. Sapientiam, virtutem, et philosophiam discimus omnes, perdiscimus nulli. Christus vero hic docet mansuetudinem iuxta absolutissimam perfectionem, idque perfectissime. At qui in hac virtute sit absolutus, nullum mihi dabis. Cessabit ergo Christus docere perfectissima? Minime. Sic in scientiis fit, quae exhauriri nunquam possunt, nunquam perdisci. Quis enim se talem in aliqua scientia profiteri audeat, ut sibi nihil desit, accedere nihil possit? Adhuc tamen quicunque scientiis operam dant, perfectissima et absolutissima exemplaria sibi proponunt, quae tamen nunquam assequuntur. Sic certe omnibus, qui proficere volunt in aliqua re, faciundum est, ut imitentur optima quaeque, neque animum nunquam despondeant, utcunque videant se saepius labi, asseqni nunquam quae magnopere expetunt. Deus qui nobis per Christum filium suum perfectissimum virtutum emplar proponit, novit nostras infirmitates, novit quid et quantum cuique virium tribuerit, novit parcere sicubi labimur. Peccant in hoc Papistae et errant, quum haec consilia esse dicant, quae homo aut facere si libeat, aut si minus non facere possit. Quin Christus in hoc absolutissimam patris sui voluntatem proponit, ut eam faciamus. Contra Catabaptistae in hoc errant et peccant, quod omnes sine exceptione damnant, quotquot haec non ad unguem et perfectissime exprimant et praestent. Porro dum ipsi vim et iniuriam inferunt aliis, laesos et adfectos docent haec servare, quasi ad se nihil pertinerent. Qui praecepit laeso ut aliam maxillam laedenti obvertat, interim laedenti praecipit ne laedat quenquam. Observandum ergo diligenter leges dei quasdam esse, in quibus deus nobis perfectissimam suam voluntatem, summamque virtutem secundum absolutissimam perfectionem proponit, in hoc scilicet, ut vitam nostram ad illam formemus,

perfectique simus. Deinde alia esse praecepta, in quibus deus se nostris infirmitatibus nonnihil adcommodat. De priori genere sunt: Diliges deum ex toto corde, Diliges proximum tuum ut teipsum, Non concupisces etc. Posterioris generis sunt haec, Ne occidas, Ne fureris, Ne adulterium committas. Ultra has duplices leges, deus suppliciorum leges adiicit, iis scilicet qui priora septa transilierunt. Architecti qui aedificia magnifica lineis quibusdam adumbrant, graphice omnia et absolutissime exprimunt, exemplar scilicet futuri aedificii praeformantes, quod nec ipsi quidem in aedificio unquam perfecte assequuntur. Absoluto enim opere, multa imperfecta adhuc et archetypo parum respondentia collustrantes deprehendunt, utcunque omnem diligentiam adhibuerint. Sic virtus in se perfectissima quidem est, at in exhibendo (ut est omnium creaturarum vanitas et imperfectio) homines plurimum fallunt et peccant. Absolutissimum ergo exemplar divinae perfectionis Christus hoc loco suis proponit, ut scilicet discant, imitentur, et perfectionem divinam exprimant; ostendit qualiter haec tam absoluta perfectio deo placeat. Huic qui diligenter sunt intenti, si aliquando fallunt et errant, parcit deus per Christum, si quidem errorem agnoscunt et confitentur. Sic labimur omnes, et in multis offendimus quotidie: condonat hanc infirmitatem deus per clementiam suam. Quod si impudentius erumpimus, poenas adhibet malitiosis, qui non ex infirmitate delinquunt, sed ex destinata malitia praevaricantur. Meminerimus ergo nos coram divina iustitia sistendos esse, cui satisfactum oportuit, utcunque hominum iudicium fallamus. Agnoscamus ergo nos peccatores esse, implorantes misericordiam domini per Christum. Et quandoquidem perfectissimum virtutis exemplar assequi nunquam possumus, caveamus tamen ne contempto deo et lege eius impudentes fiamus. Diligentes semper simus ut promoveamus in his, in quae intendimus, et quae nobis a Christo proposita sunt: si quid deest, sarciet imperfectionem nostram Christus. Deus etiam malis et impiis benefacit, imo hostibus suis, adeo, ut saepe querantur prophetae felices esse impios et abundare omnibus bonis in terra, pios contra adversa pati et adfligi, ut quodammodo neglecti a domino videantur. Hunc patrem coelestem, ut benefaciendo imitemur, docet Christus. Ut in armentis et gregibus comparatum esse natura videmus, ut dux sit aliquis qui praeeat, in quem caetera animalia respiciant: ita inter homines priscos illos factum est, ut unum aliquem eligerent aetate provectum, adeoque (ut videbant) prudentia clarum, ad quem referrent omnia, et quem ut patrem filii revererentur ac suspicerent. Apes regem suum habent quem venerantur, propter virtutem nimirum aliquam, vel quod caeteras a vi defendit, aut iniuriam propulsat, vel quod lites exortas componit. Satis vero primis istis saeculis fuit, si praeses ille denunciaret, fieri hoc non debere: hoc enim simplici praecepto et voluntates et manus cohibebantur, tantum apud illos valebat iuris atque aequitatis ratio. Qui praeerant, modestia, summa mansuetudine, integritate omnibusque virtutibus pollebant, docebant alios, vim illatam aliis abarcebant. Leges tum nullae, nisi quas dictabat intus spiritus dei. Capiamus exempli causa Noam, cui scriptura iustitiae laudem tribuit inter suae aetatis homines, prae-

cellebat vitae sanctimonia, ad quam et caeteros invitabat, avocabat a sceleribus et vitiis quae tum vehementer inoleverant. Perduelliones et qui vim inferebant caeteris, eiiciebantur e terra, ut in Cain est videre: tanta erat integritatis et innocentiae respectus et amor, tantus scelerum horror. Postea vero quum crevit malitia mortalium, non tantum leges latae sunt, sed et poenae transgressoribus. Neque enim cessat dominus, quin errantes revocet, aut saltem comprimat. Visitat peccantes primum monitionibus, deinde si nihil proficit poenis. Sic primum saeculum diluvio, sequens igne perdidit. Ante legem ergo latam honestas pro lege erat hominibus, quum haberent intus scriptum, quod deinde tabulis fuit exaratum. Leges ergo necessitate feruntur: donec enim sic vivitur ut legibus opus non sit, ad quid leges conderentur? Donec innocenter vivunt homines, innocentia pro lege est, ad quam omnes respiciunt, et innocentes in pretio sunt. Crescente malitia, opus fuit legibus. Quae enim causa est, ut haec lex: Non furtum facias, ferretur, nisi quod fures esse in populo coeperunt, quos antea non fuisse constat? Vivebatur enim aliquando sine lege scripta, tametsi non sine lege. Haec innocentia pristina quae fuit ante legem latam in piis, in Christo reparatur et instauratur. Nam qui in Christo sunt, non sunt sub lege sed sub gratia, nempe, spiritu dei, ad id quod rectum est, ducti ab acti. Huc ergo doctrina Christi pertinet. Quasi dicat Christus: Quandoquidem vobis dedi omnia, volo, ut et vos benefici et misericordes sitis erga omnes, ut charitate inter vos communia sint omnia. Hoc videre est etiamnunc hodie in magnis familiis, ubi cohabitant viginti aut triginta homines simul in una domo sub uno patrefamilias, filii, filiae, nepotes, nurus etc. Donec inter illos charitas constat et obedientia, paucis legibus aut nullis est opus: quisque enim suo incumbit officio, prospera et adversa sunt communia omnibus. Mox ut inter eos quispiam sua quaerit, hinc contentio, hinc lis nascitur. Avaritia ergo et sui studium societates omnes inter homines disturbat. Charitas vero civitates et respublicas omnes connectit et servat. Imago ergo dei in homine, et divina iustitia est, omnibus expositum esse. Duplicem esse iustitiam, et alias saepe, et peculiari quodam libro tradidimus, divinam scilicet et humanam. Divina est, quae ad archetypum divinum data est, ut: Diliges deum super omnia, Diliges proximum ut te ipsum, Ne concupiscas, Ne irascaris, Diligite inimicos, Benefacite iis qui vos oderunt etc. Humana autem iustitia dicitur, non quae ab homine sit inventa aut dictata, sed ea qua se deus ad humanam infirmitatem attemperat, quae comprehendit istas leges: Non facias furtum, Ne occidas etc. Istae enim ad nostram imbecillitatem moderatae sunt. An enim non imperfectum et miserum est, dicere: Ne fureris, quum affectus adeo erupit, ut isto sit praecepto opus? Sed proh dolor vix hodie humanam iustitiam servamus: tam abest, ut divinae satisfaciamus. Utcunque vero corruptissimi sint homines, si unus aliquis esset, qui fide et charitate in caeteros polleret, sua non quaereret, vim ab oppressis abarceret, is omnino ab omnibus in summa veneratione haberetur. Interim tamen leges servare oportet, si volumus ut constet publica pax. Toto ergo coelo errant Catabaptistae, qui in tanta conscelerationc,

quae hodie tantum non regnat, abolitas volunt omnes leges, abolitum volunt magistratum. Si veterem possent restituere innocentiam, legibus quidem nihil opus esset: antequam vero illam restituunt, sinant nobis legis integras.

Mutuum dantes.) Et hunc locum torquent quidam contra sententiam Christi: dicunt enim eum non esse Christianum qui spe lucri mutuo det proximo. At in hoc maxime errant, at sic dicendum erat: Qui non gratis mutuo dat proximo, is non implet divinam iustitiam. Qui duas habet tunicas, peiorem vero dat pauperi, is quidem iuxta divinam iustitiam non est iustus; verum e numero Christianorum excludi ob hoc non potest. Quod vero iustus non sit ad exactam regulam iustitiae divinae, patet in hoc, quod proximum non ut sese amat: servat enim sibi meliorem tunicam, deteriorem dat pauperi. Christus ergo in omnibus docet summa, et perfectissimum exemplar divinae iustitiae proponit, ut sciamus quae maxime deo placeant, et quae potissimum a nobis requirat. Haec si minus praestamus, hunc typum si non assequimur, attemperat se nostrae imbecillitati et alias leges ponit. Quod si et has transgredimur, poenas adhibet. Hoc ergo quisque expendat, omnino nos stare ante tribunal Christi, et omnino satisfaciendum esse eius iustitiae; neque satis erit si humanae satisfecerimus. Si sic bona conscientia ante dominum semper steterimus, semper dolebimus de commissis aut omissis, semper veniam petemus: hoc ubi fit, fidem adesse certum est. Ubi vero fides est, ibi servat se homo ab omni impuritate et iniquitate, emendat quotidie vitam, purificat se ab omni inquinamento carnis, et plus cavet peccata, quam si mille legibus cohiberetur. Sic bona fiunt, et mala omittuntur amore et metu dei, amore iustitiae, non metu poenarum et legis.

Estote misericordes.) Ut saepius ante dixi, pertinent haec verba ad apostolos et verbi ministros, sic tamen ut ad caeteros Christianos omnes. Quidquid externum officium respicit, ad solos eos pertinet, qui hoc officio funguntur: quae vero ad interiorem spectant hominem, ad omnes ex aequo pertinent. Expositum hoc est in prima Epist. Corinth. 12. cap. Misericordia non muliebris quaedam mollities est, sed virtus divina et eximia. Habet duo vitia, austeritatem aut severam crudelitatem, et nimiam indulgentiam et mollitiem. Utrumque horum noxium et perniciosum. Sunt quidam nimium crudeles et omnia ad vivum resecant, nemini parcentes, nihil remittentes: sunt contra qui vel metu vel animi impotentia sic evirati sunt, ut putent ad omnia scelera dissimulandum esse. Sed misericordia media quadam via incedens, veniam dat lapsis, ubi locus et tempus postulat; ubi spem emendationis videt, conscelerates et deploratos punit. Bonitas dei includit in se misericordiam et iustitiam. Iustitia sal est, misericordia butyrum aut aqua: ex his duobus, si misceas, sapidus fit cibus: alterum si des, cibus non est, sed gustum laedit. Miscenda ergo utraque, et simul condienda. Misericordia sine iustitia esse non potest: nam si est sine iustitia, misericordia non est, sed mollities. Si iustitia est sine misericordia, non est iustitia, sed crudelitas et tyrannis. Summum enim ius summa est iniuria. Christus ergo hic non docet discipulos, ut neminem

corripiant, aut ad vitia dissimulent (nam et ipse Christus pharisaeos et hypocritas, Ioannes Herodem severiter increpitarunt, apostoli Iudaeos, prophetae populum Israel); sed docet ut sibi illata facile remittant, facilesque sint erga illos maxime qui ex infirmitate aut ignorantia labuntur. Christo nemo est mansuetior in publicanos et meretrices, severior nemo in impios hypocritas.

Nolite iudicare.) Loquitur hic de temerario iudicio cui fere omnes sumus obnoxii; non vetat interim quo minus iudicent qui a deo iudices sunt constituti, quo minus quae palam scelerate fiunt, non dicamus esse mala. Sumus omnes nostri plus aequo amantes, placemus nobis nimium. Hinc proximi nobis vilescunt, et eorum facta et dicta minus placent. Hinc iam temeraria et falsa iudicia, quibus fit, ut aliorum dicta et facta per calumniam in malam partem frequentius interpretemur. Alioqui nihil vetat, quo minus ex fructu arborem iudicemus, quemadmodum Christus pharisaeos coram plebe traduxit et eorum facta publice corripuit et damnavit.

Date et dabitur.) Hoc est, bene meremini de omnibus, et omnia vobis cum foenore rependet pater vester coelestis. Huc pertinet quod David alicubi dicit: Iunior fui et senui, et non vidi iustum derelictum etc.

Eadem quippe mensura.) Communis adeoque infallibilis est γνώμη, maxime quod Christus eius author sit.

Nunquid potest caecus.) Hoc ad apostolos maxime pertinet. Sensus autem est: Nisi vos integriores sitis mundo hoc quem docetis, utique caeci eritis. Quare operam date, ut vobis de doctrina fidei probe constetis, a me videlicet docendi exemplum sumendo, atque adeo, ut vita vestra doctrinae respondeat.

Quid autem vides festucam.) Summa, prohibemur, ne simus praepostere oculati.

Omnis enim arbor. Non est arbor etc.) Probatio est superiorum per simile, quo etiam ab officio docendi hypocritas deterret, qui suam, non gloriam dei quaerunt. Nam apostolos docens, omnem viam praecludit hypocrisi, et hoc conveniebat maxime, ut qui caeteros docere tentarent, ipsi nihil simularent, sed essent integri, et quidquid docerent, ipsi in primis praestarent. Deinde omnibus haec doctrina data est, ne quid per hypocrisim agant. Hoc quoque Stoici summo studio docuerunt, ut summam et solidam virtutem commendarent. Quasi dicat: Dolus est alios velle docere, quum tu sis pessimus; non potest esse arbor haec bona, quae malos et putres fructus edit. Radix enim corrupta et vitiata est. Quidam sunt eloquentes et facundi, qui ad officium praedicandi aut iudicandi eliguntur, quum interim mali sint et hypocritae, et sinunt se abduci et corrumpi muneribus, et isti magnum malum dant ecclesiis. Potius admonendi sunt boni et simplices homines, qui radicem charitatis in corde habent, et sunt bonae arbores, etiamsi non luxurient et splendeant foliis, hoc est, non sint tam facundi: nam illi nihil mali inferent ecclesiis. Non ergo abiiciendi simplices ministri, etiamsi sint ineloquentes, modo bona fide doceant. Omnino Christus suos docet, ut eum imitentur. Christus non est hypocrita, sed ex corde

bonus, fidus, et verax. Docet apostolos suos qui mittendi erant in orbem, ut vita praestarent quod verbo docerent, hoc est, ut vivam doctrinam docerent. Virtutem ex sapientia nasci oportere, philosophi docent. Christiani ex fide, et eadem est doctrina, Rom. 14. Quidquid non ex fide, peccatum est: Was nit vß glouben kumpt das iſt ein falſch vnnd ein fäl. Est aliquis fortis contra hostem, sed propter pecuniam tantum aut vanam gloriam: non virtus est, sed hypocrisis. Quod si quis ex amore dei et iustitiae iustus est et benefacit, hic veram virtutem habet. Si quis recte iudicat et sceleratos punit, in hoc duntaxat, quia scit hoc placere deo, et deum offendi, si non fiat, is vera virtute est praeditus. Fides nihil aliud est quam deum cognoscere et ei tota fiducia haerere, eum metuere, revereri, colere. Quaecunque ergo virtutes ex hac fide nascuntur et fiunt, verae et solidae sunt. Quod si ad opes ad gloriam spectatur, aut ad alias res, virtutes non merentur dici, neque diuturnae sunt, nec diutius durant, quam ea quae spectantur et quaeruntur. Causa in promptu est: non enim ex viva radice oriuntur; solidae ergo non sunt, sed inanes et vacuae. Quaeritur quid sit sapientia? Quidam dicunt celeritatem esse intelligendi et inveniendi, sed si sic definiatur sapientia, in feminis maxime esset. At dubium est num feminis sit attribuenda sapientia. Alii dicunt sapientiam esse scientiam rerum divinarum et humanarum. Vides quid philosophis defuerit? Altera scilicet pars fidei, nempe tota fiducia deo fidere, et illum amplecti. Nam duo complectitur fides, cognitionem vel scientiam dei, et illi indubitato fidere et haerere. Novit fidelis quod deus suis non deest, quod eos defendit et tuetur. Quum ergo quis opus dei facit, non solum deo hoc opere gratificatur, sed scit se in hoc opere a deo non derelinqui. Facit ergo hoc opus certa et indubitata fide nixus deo, nec minis deterritus nec blanditiis abductus. Scientiam habuerunt philosophi. Fides ex solo evangelio discitur. Hoc ergo docet Christus ut ex radice deo operemur omnia, non ex hypocrisi, idque arboris exemplo. Quasi dicat: Saepe videmus arborem speciosam foris, sed radicem habet putrem. Oportet ergo vel radicem ipsam, vel fructus, quales sint, penitus introspicere. Idem docet Paulus 1. Cor. 3. quum dicit: Dies domini declarabit, et ignis, quale sit cuiusque opus, qualiter quisque aedificaverit. Hoc est tentatio ipsa et persecutio. Quasi dicat: Non secus nobiscum agetur, quam si argentum, aurum, lignum, foenum et stipulae in ignem aliquem coniiciantur. Hic deprehenditur quid solidum sit, quid minus. Nam illic taxat hypocritas et qui se doctos iactitabant. Quod vitium hodie regnat, in primis inter doctos, deinde et inter eos qui illos audiunt. Nam hi praepostere iudicant de quibus nihil intelligunt, ex quo doctores fastu turgent et laude efferuntur. Cur tam temere pronunciamus quae non intelligimus? De argentarii rebus nihil iudicare possumus, et sumimus nobis iudicium de iis qui docent, uter doctior sit?

Ex fructibus eorum cognoscetis eos.) Quemadmodum fructus arborem, qualis sit, ostendunt, sic opera indicant qualis sit homo et an ex solida virtute operetur. Videtur autem hoc verbum Christi superioribus ubi dixit: Nolite iudicare, repugnare. Sed superius vetat

dominus temeritatem in iudicando. Hic vero sincero oculo docet fucum et hypocrisim cognoscere. Quasi dicat: Antea vetui ne temere iudicetis aliorum dicta et facta; hic vero ostendam ubi iudicare de eis liceat. Et in hoc eos quoque docet, qui aliis doctores praeficiuntur, ne quid per hypocrisim et fucum agant: non posse enim fucum latere, quin aliquando prodatur.

Nunquid colligunt.) Taxat pharisaeos, et docet ut caveant pii ab eis, in primis tamen format prophetiam, et munus docendi, idque ex ethologia. Quasi dicat: Pharisaei omnia ex hypocrisi agunt, vos autem mei discipuli, nolite sic facere; nolite eis esse similes, sed solidis virtutibus studete.

Bonus homo ex bono thesauro.) Thesaurum hic pro repositorio capit, more Hebraico, in quo reponitur aut servatur thesaurus. Quis ex arca vacua aliquid proferre potest? Quum ergo cor hominis metu dei et fide vacuum est, nihil boni prodire poterit. Quis vero thesaurus est piorum? pietas, fides, metus dei. Ubi hic thesaurus fuerit, boni fructus progerminant. Hinc virtutes verae, et opera vere bona. Ubi vero hic thesaurus in corde hominis non est, nihil recte agitur. Alius, qui formidolosus est et ignavus, dicit, non esse occidendum. Alius, miserendum esse. Alius, paci et tranquillitati studendum. Et haec quidem speciem quandam habent pietatis, quam hypocritae illi mira arte praetexunt, quum ipsi interim vera cordis pietate careant, nihilque aliud quam sua curent, metuant rebus suis, corpori, gloriae, quorum mancipia sunt vilissima.

Ex abundantia enim cordis.) Perpetua est γνώμη et infallibilis, cum qua et philosophorum doctrina consonat: dicunt enim orationem testem esse cordis.

Quid autem me vocatis.) Apud nos sic comparatum est, ut malimus opera habere quam verba. Qui enim blande nos alloquuntur, caeterum voluntati nostrae resistunt, hos illusores non amicos iudicamus. Si hoc apud homines, quanto magis apud deum?

Quisquis venit ad me.) Periphrasis est fidelium. Venire enim ad Christum, est ei cum fide et charitate adhaerere, eum amplecti et sequi. Qui evangelium vel docere, vel audire voluerit, qui sese Christi imitatorem aut discipulum iactat, nec vera fide in Christo fundatus est, is facile impingit et cadit. Qui Christo inhaerere volet, sic animatus esse debet, ut ei placeant quae Christus docet.

Similis est aedificanti.) Pulchra similitudine fidei firmitatem ob oculos ponit. Qui non paratus est vitam suam nedum res suas pro deo amittere, ostendit se nondum recte firmatum esse in deo, indicat deum non esse unicum cordis sui thesaurum, plus valere apud eum opes quam deum, terrena quam coelestia. Oportet ut homo se alte in deum inserat ac demittat, hic tutus, hic securus requiescet, hic consolationem et tranquillitatem inveniet. Abscondat se in deum, et ab omni tempestate servabitur. Idem vero est quum dicimus: Homo fundatus et firmatus est deo, et deus inserit se in cor hominis. Periphrasis est perfectae fidei. Qui sic deo inhaeret, qui sic verae petrae inaedificatus est, hunc nulla procella deturbare potest, Roma. octavo cap. Quando-

quidem vero plerique plus terrenis quam coelestibus inhiant, et pauci, imo nulli fere sint qui amore dei et iustitiae praesentia contemnant ac derelinquant, spoliat nos illis aliquando divina bonitas, et earum rerum quas maxime diligimus ablatione nos punit, ut bello, tempestatibus, fame, peste; cogitque nos hac ratione ut intelligamus deum esse, qui omnia pascit et in vita servat, ut abstracti ab omnibus ipsi soli ut vero fundamento nitamur. Nam quae ipse aedificat, nemo demoliri potest. Abripiamus ergo animum nostrum ab omnibus creaturis, et transferamus eum in unicum deum, qui est summum bonum, aut saltem per illas tanquam per scalas ascendamus in creatorem, qui omnia operatur et gubernat. Is ut terram creavit, ita et frugiferam eam facit. Quomodo vero voluntatem illius facere possumus, si eam ignoramus? quomodo vero naturam, ingenium et voluntatem eius scire possumus, quum verbum eius non praedicatur, aut nobis innotescit? In primis ergo allaborandum, ut verbum dei omnibus praedicetur: nam externi verbi praedicatio plantationis et rigationis vice est. Ubi nemo seminat, deus fructum nullum dat. Quid ergo fructus sperandum, ubi verbum dei non praedicatur? Quum vero Papistae se fideles et praedicatores verbi divini iactitant, et doctrinam suam probe fundatam affirmant, nos contra nostram doctrinam veram et super Christum firmatam asserimus: quis simplices certos reddit, uter vera dicat? Nimirum ii, qui veritatem, voluntatem et verbum dei sequuntur. Hoc se facere Pontificii affirmare cum veritate non possunt, quum doctrina eorum, ne dicam vita, cum doctrina Christi ex diametro pugnet. Aedificata ergo domus eorum est super arenam. Iactant enim Christum et verbum eius, quum illud in veritate persequantur, aut saltem praedicare non permittunt. Quis vero dubitat domum ruituram esse quae super arenam est aedificata? Nos vero nitimur veritate et verbo dei. Quicunque ergo plerophoriam fidei habet, is firmum iecit fundamentum, nec metuit ut domus eius cadat. Qui vero adhuc dubitat aut vacillat, non recte iecit fundamentum, non stat innixus petrae. Qui vero audiunt verbum dei et non faciunt, similes sunt his, qui in arenam aedificant: aedificant quidem: nam de deo loquuntur, praedicant, canunt, audiunt, vocantur Christiani et ecclesia dei, membra Christi. An non hoc speciosum et splendidum est aedificium? In speciem quidem, sed fundamento vero caret, sed quum minime speramus cadit. Sic hypocritae in adversitatibus cedunt et turpiter deficiunt, quos columnas aliquando putabas. Ruina quidem magna est, sed ita dominus manifestat qui sint fundati in eo, qui minus.

CAPUT VII.

Εις τὰς ἀκοὰς τῦ λαοῦ in auditionem populi. Hebraismus est, pro: Audiente populo. Ut in Psalmo: Auditui meo dabis gaudium et laetitiam, id est: Fac me audire laeta, remissionem scilicet peccatorum.

Carus.) *Ἔντιμος* pretiosus, carus etc. Discamus et nos servos et ministros in magno pretio habere, ubi taxantur quidam, qui iumentorum loco famulos habent, quum interim sibi videantur optimi Christiani,

sed revera Ethnico hoc peiores. Quantam enim diligentiam hic centurio adhibet? curat servum ut filium, non leves aut viles quosdam ad Christum mittit, sed summos Iudaeorum. Multa sunt exempla, ex quibus colligere licet, in gentibus quoque fuisse cognitionem unius et veri dei, qui Hierosolymis a Iudaeis colebatur, licet non tam claram et generalem. Ex hac cognitione amor quidam nascitur erga Iudaeos qui populus fuerunt illius dei peculiaris. Quod vero ipse Christum non adit, non fit quod Christum ipse, sed quod sese contemnit, et indignum putat, quae humilitas summa est. Sic Petrus a se reiicit Christum ex modestia, quum divinam experiretur virtutem in captura piscium. Exi, inquit, a me domine, quia peccator sum.

Sed tantum dic verbo.) Vel verbum. Per verbum virtutem dei intellige. Si verborum esset virtus (ut quidam temere docent): ubicunque proferrentur, operatio mox sequeretur necesse esset, sed hoc non fieri, re ipsa experimur. Virtus ergo non verborum est, sed Christi. Alias quandocunque diceremus ad leprosum: Mundus esto, esset mundus. Sic Luc. 5. In verbo tuo laxabo rete, id est, in tuo iussu, in tuo praecepto.

Ne in Israel quidem.) Quod centurio στρατηγός hic tantopere commendatur, non iustificat nec excusat nostros milites, qui sanguinem innoxium pro pecunia fundunt, et ex adfectibus bella sequuntur. Nam hic ὑπὸ ἐξουσίαν τασσόμενος ἦν. Multa diligentia usus est Lucas in conscribenda historia evangelica et in recensendis miraculis, quae operatus est Christus, quibus Christum probat fuisse filium dei. Nam miracula illa fuerunt facta virtute divina.

Cum appropinquaret portae.) Hoc facto discitur beneficia conferenda esse in tempore. Nam hic in tempore occurrit Christus desolatae et lachrimanti viduae. Nihil hic temere fit, sed omnia fiunt providentia divina.

Et discipuli eius multi.) Adparet non de duodecim tantum hoc dici, sed de aliis quoque qui in Christum crediderant. Nam hi primum coeperunt vocari Discipuli, non Christiani.

Misericordia motus.) Hic videmus curam pro nobis, et adfectum quem habet in eos qui adfliguntur.

Ne fleas.) Non scribitur quod fleverit vidua, sed ex verbis Christi satis intelligitur.

Accessit et tetigit loculum.) Hoc fit, non quod necesse sit, sed quod doceat et certum amoris indicium det, quod frater noster sit, compatiens nobis, nihil abhorrens a nostris miseriis, quodque ipse sit verus vivificator animarum et omnium mortuorum.

Propheta magnus surrexit.) Hoc signum est certum divinae misericordiae erga miseros mortales, dum prophetas eis dat; idcirco mirantur et gaudent: dum vero populum aliquem prophetis privat, signum est irae et ultionis divinae.

DIGRESSIO.

Quomodo, quando, et quibus benefaciendum, ut bene collocetur beneficium. Qui benefacere volunt, non se quaerant aut sua, sed tan-

tum ut benefaciant proximo, gaudeant benefactum esse proximo. Qui sua quaerunt, aut gloriam venantur, aut retributionem ab hominibus expectant, et harum rerum gratia benefaciunt, licet faciant quae deus iubet et quae per se bona et recta sunt: hypocritae tamen et dolosi operatores esse convincuntur coram deo, qui cor inspicit, quod Christus supra docet, quum inquit: Si benefeceritis illis qui vobis rependunt, quae gratia? an non hoc et peccatores et publicani faciunt? Item Matthaei 6. Receperunt mercedem, qui opera sua faciunt, ut spectentur ab hominibus, et sunt hypocritae; secus qui in abscondito coram patre coelesti omnia agunt. Pone vero quod hominibus ignota sit hypocrisis tua, et dolus cordis tui absconditus: tu tamen apud te cognoscis beneficium nullum esse quod sic impendis, quum non necessitatem illius et praeceptum dei, sed avaritiam tuam et vanam gloriam in benefaciendo spectas. Hic etiam obiter notandum, nihil posse opera nostra coram deo: nemo enim sine affectibus aliquid operatur, nisi is qui per fidem ex spiritu dei movetur. Opera ergo nostra quatenus nostra, nihil mereri possunt, contaminata enim sunt, quum in omnibus nos ipsos quaeramus. Qui aliquid emit, nihil gratiae debet venditori. Nos servi sumus et debitores dei, et eiusdem dispensatores, deinde omnia quae habemus illius sunt, ut non possimus dicere: Ego ista adquisivi, ego ista mihi paravi. Cur meis non uterer pro libito?

Exiit rumor.) Fama Iesus pervenit ad Ioannem quoque. Stulta et falsa aemulatio facit, ut saepe magistrorum ac praeceptorum vitia aemulemur, ac mordicus defendamus, deque rebus haudquaquam perspectis temere ac male iudicemus. Exemplar quidem absolutum et omnibus virtutibus ornatum in viro constantissimo ac sanctissimo Ioanne sibi proposuerant discipuli eius, qui merito magnus erat in oculis et existimatione eorum (talis enim vita perfectissimum quemque movere poterat). Tametsi vero ab eo multa de Christo audirent, Ioannes tamen semper augustior et maior fuit eis quam Christus, ita ut inter Christum et Ioannem iudicare auderent, Christum minus curare, ne dicam spernere, inciperent. Et haec est causa cur Ioannes miserit suos ad Christum, quod difficile vellent istum recipere. Discipuli fere effingunt et formant mores ad vitam praeceptorum. In omnibus errare et falli possumus et falso pronunciare, in hoc duntaxat non possumus errare, si deo toto corde synceriter inhaeserimus, si eum super omnia dilexerimus, si eum omnibus rebus anteferamus: quod quum discipuli Ioannis non faciunt, mittit eos Ioannes ad Christum, non sui quidem, sed discipulorum causa. Quasi dicat: Scitis deum promisisse nobis Messiam et servatorem. Ite ergo ad Christum, et eum ipsi interrogate, an ipse sit. Neque dubitat Christum ita tractaturum et docturum discipulos suos, ut sibi arctius posthac adhaereant. Neque tamen in hoc doctrina Ioannis contemnitur aut aboletur a Christo: nam Christus eum omnibus mortalibus praefert et sanctitate et doctrina omnibus prophetis. Non patitur Ioannes discipulos suos sibi tam contumaciter adhaerere, sed ad authorem eos mittit, nempe Christum. Videtur Ioannes ad dictum Mosis respexisse, quo dicebat: Mitte quem mittes, quum dicit: ἐρχόμενος.

A plagis.) Dicuntur flagella, adflictiones et aegritudines more Hebraico, quod corporis plagae sunt et flagella.

Pauperibus evangelium annunciatur.) Πτωχοὶ εὐαγγελίζονται. Hoc verbum apud Graecos medium est, potest ergo simul et active et passive exponi. Utuntur autem passivis pro mediis, et rursum mediis pro passivis. Active, Pauperes audiunt seu recipiunt evangelium. Passive, Pauperibus evangelium annunciatur. Et in idem recidit uterque sensus: Die armen werdend gevangeliget, Hoc est, consolationem per evangelium recipiunt. Pauperes enim pro adflictis ponuntur.

Et beatus qui non fuerit offensus.) Verecunde discipulos Ioannis taxat. Quasi dicat: Scio quid in cordibus vestris de me sentiatis. Potuisset aperte dicere: Vos offendimini in me, et hac causa misit vos ad me praeceptor vester. Conscientiae fideles et piae etiamsi aliquando in genere taxantur, mox ad se redeuntes resipiscunt, admonitionem ac reprehensionem recipiunt.

Coepit de Ioanne dicere.) Quod Christus Ioannem coram turba laudibus evehit, non in hoc tantum fit, ut Ioannem laudet, sed quod eximat e cordibus plebis suspicionem, quam ex verbis discipulorum concepisse poterant. Quasi dicat: Quod Ioannes discipulos suos ad me misit, interrogatum an sim ille qui venturus est, non ex dubitatione factum est. Nam non tam levis, mobilis aut inconstans vir est Ioannes, ut de me tam magnifica praedicarit, et iam vacillet et nutet.

Mollibus vestibus indutum.) A signo arguit, molles enim vestes mollem hominem arguunt.

Qui minor est in regno dei.) Hoc est, qui hominum opinione minor est, maior est ipso, Ioanne scilicet. Atque hinc veterum quoque theologorum sententias retulit in hunc locum; at haec genuina ei visa est.

Omnis populus.) De plebe promiscua loquitur, quae erat a Ioanne baptizata. Quum illa audiret commendationem Ioannis ex ore Christi, gaudio repleta, gratias egit deo, quod esset ab eo baptizata: gaudet, quod audit eum commendari ab eo, ad quem Ioannes eos miserat. *Ἐδικαίωσαν τὸν θεὸν*: Sy hand die höchſte gerechtigkeit Gottes vßkündt.

Βαπτισθέντες.) Non refertur ad futurum, sed ad praeteritum, scilicet omnis populus qui erat iamdudum a Ioanne baptizatus. Non vult dicere, quod post commendationem Ioannis baptizati sint tandem.

Baptismo Ioannis.) Sacramenta sive a Mose administrentur, sive a Ioanne, sive ab apostolis, aut quicunque tandem illi sint, hominum tamen non sunt, sed ipsius dei ac Christi. Sic circuncisio non est Mosis, sed dei. Baptismus dicitur Ioannis, sed est dei Matth. 21. Sic Paulus dicit: Evangelium meum, quum tamen non sit Pauli sed Christi. Hactenus tamen eius fuit, quia per ipsum administratum et praedicatum inter gentes. Sic evangelium Matthaei quod ipse conscripsit. Huc pertinet, quod Christus dicit Ioan. 17. Non pro eis tantum rogo, sed et pro iis, qui crediturі sunt per sermonem eorum in me, quum tamen paulo ante dixisset: Ego tradidi eis sermonem tuum, et sermo tuus veritas est. Sermo ergo dei est, et discipulorum: dei, ut authoris: ipsorum, ut ministrorum.

Pharisaei autem (Altera pars antitheseos) *consilium dei spreverunt.*) Consilium dei erat quod servaturus esset mundum per Christum filium suum, et hoc consilium per evangelii praedicationem mundo innotescebat. Quum Christus in medium sistitur, et recte cognoscitur, cadit quidquid est pharisaicae iustitiae, indulgentiarum et Missarum nundinae, et quidquid hypocritae ad quaestum excogitarunt. Et haec causa est, quod pharisaei et iustitiarii Christum non recipiunt, quia sua magnificiunt, et caro vendunt, nec ferre possunt ut haec aut contemnantur aut aboleantur. Exemplo hoc clarissime ostendemus. Conveniant in foro centum mercatores, et exposita merce clament facundissime: nemo vel tantillum ab eis emet, si e regione alius stat, qui ea omnia quae illi vendunt, gratis distrahit et donat, maxime, si illorum omnia vitiata et corrupta, huius autem omnia integra fuerint et optima. Non secus res habet cum Pontificiis et Christo. Christus ad se vocat omnes laborantes et pressos, ad se invitat sitientes, ubi inveniant animi refectionem, et fontem aquae vivae, ubi satientur pane coelesti etc. Pontificii rursus expositis indulgentiis et falsis promissis advocant. Horum omnia vana, frivola, falsa, Christi omnia divina et vera. Cur inquis? Sibi nituntur et sine vero fundamento aedificant, et eum tam falsas et adulterinas merces habent, adhuc tamen magno vendere audent, et omnibus obtrudere moliuntur, nugas suas pro veritate exponunt, quum tamen conscientiae eorum reclament. Qui vero fieri poterit, ut alterius iustitia aut operibus nitar aut fidam, de cuius integritate mihi nihil constat, imo quem impium et sceleratum esse agnosco? Hoc in Christo fieri non potest, qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore eius, qui iustus est, imo iustitia nostra. Qui sua quaerunt, aut vanam gloriam captant, legem dei vitiant, ac adulterant scripturas, quemadmodum faciebant qui tempestate Christi erant sacerdotes, pharisaei et legisperiti: tractabant quidem legem dei, sed illotis ac impuris manibus, impuris affectibus, impio corde, suam quaerebant gloriam non dei. Nec dissimiliter fecerunt Pontificii: aut enim omissa lege dei sua proposuerunt, aut legem dei quam (non vere) docuerunt, falsis interpretationibus depravarunt. Atque hi omnes doctrinam dei, consilium dei, veritatem ac lucem dei non recipiunt, idque contra se ipsos: nam malo suo hoc faciunt, quum Christo sua contumacia nocere nihil possint.

Homines generationis huius.) Periphrasis est cum synecdocha pharisaeorum, legisperitorum et omnium Iudaeorum, qui Christum non receperunt.

Similes sunt pueris.) Similitudine puerili arduа docet. Hinc discimus ab omnibus rebus docendo posse decerpi similitudines. Innuit autem Christus hac parabola pharisaeorum omnia esse puerilia quaedam, et ludum quendam. Sensus sic habet: Visitavit vos deus et duplicem vitam proposuit, in Ioanne unam, alteram in me, sed omnia nequicquam. Utraque vita in eundem scopum directa fuit, nempe ut deo adducaremini. Si offendimini mea vita, nempe communi et comi, cur ergo Ioanni non credidistis? Sic traducit Christus malitiam et hypocrisin eorum, et adimit eis omnem excusationem. Idem fere fit nostra tempestate. Reprehenduntur plerumque verbi ministri, et vita eorum taxatur,

carpuntur quae vel minutula in eis deprehenduntur. Sed quum deinde illorum loco inculpati et integri viri sufficiuntur, quorum simplicitas, sanctitas et innocentia calumniis aditum omnem praecludit, et de quibus fama mentiri veretur, nec illos audiunt. Hypocritae ergo esse deprehenduntur. Docet ergo his verbis Christus, ac si diceret: Si tibi quidam nimis leves videntur, alios audi graviores. Si tibi prophetae omnino non placent, publicanos, peccatores et meretrices attende, qui magno desiderio poenitentiam meditantur, et ad Christum currunt, deserentes peccata, vitam inchoant novam. Quid enim in his caussari potestis?

Neque edens.) Hoc est, abstinuit praeter morem aliorum hominum, usus est magna abstinentia.

Daemonium habet.) Sic loquimur, quum aliquem prae aliis aliqua virtute praecellere videmus, quum laudandus esset deus, qui talia dedisset.

Sapientia iustificata est a filiis.) Id est, absoluta et liberata est, ut sit excusabilis: nam iustificari est absolvi, ut patet in epistola ad Romanos. A filiis nempe nequam, de quibus Esaias dicit in persona domini: Filios enutrivi, ipsi autem spreverunt me. Mali erant filii Iudaei, qui sic sapientiam dei iudicabant falso, hi excusant deum, nec possunt unquam accusare, qui nihil non fecit, ut eos reduceret: omnem movit lapidem, ut eos ad poenitentiam et salutem invitaret.

Hic si propheta esset.) Typus hic habetur, qualem se hypocrisis erga dei misericordiam ostendat. Sanctitas et iustitia, qua nos deus donat ut prae aliis polleamus, perinde habet, ac si vestem mutuo quis accipiat, ut in nuptiis ornatior et comptior adpareat. Hic (si sapit) nihil insolescit, non gloriatur aliena benignitate, sed gratias agit ei, a quo vestem mutuo accepit, in hunc omnem gloriam derivat et transfert. Sic et nos etiamsi caeteris simus sanctiores, non debemus tamen peccatores contemnere, sed in timore domini gratias ei agere qui nobis gratiam talem dedit. Carnem gestamus omnes, quod nihil quam peccatum ebullit, et ad omne malum semper incumbit. Quod si a peccatis aliquibus servamur, debemus hoc divinae gratiae, quae si nos desereret, essemus aliis similes, aut forte peiores.

Quoniam peccatrix est.) Ἁμαρτωλὸς κατ' ἔμφασιν legendum, pro meretrice et impudica. Nam alioqui omnes homines peccatores sunt.

Stans ad pedes Iesu.) Hoc verecundiae est et humilitatis, ad pedes procumbit, multitudine peccatorum pudefacta, non ausa fastuose incedere. Sic fidem peccati pudet, at interim in peccato non desperat. Fides dolet de peccato, pudorem habet, lachrimas fundit, emendat et corrigit quod male commissum est, deflet praeterita, futura cavet etc.

Duo debitores.) Fictum est argumentum Hebraeorum more, qui similitudinem in rem gestam vertunt. Nos sic diceremus: Finge Simon, duos esse, qui tantum danistae debeant, et quum solvendo non sint, donat utrisque, quis illorum magis diligere deberet?

Ingressus sum in domum tuam.) Ac si diceret Christus: Tu videris tibi prae aliis sanctior, hanc meretricem aestimas; conferam ergo utriusque iustitiam. Non loquitur hoc Christus, ut Simoni hospiti

negligentiam exprobret, quasi non satis honoris exhibuerit, aut quod non satis humaniter exceperit, sed quod Pharisaicum tumorem reprimeret, et quod ostenderet ei, se vocatum ab eo ex insidiis, non sincero et candido corde, quum non exhiberet ea quae gentis huius erant et moris. Quasi diceret: Utcunque eam iudices ac damnes, hac tamen parte te longe superat, quum ea mihi exhibeat, quae tu merito mihi exhibere debebas. Sic in lucem protrahit nequissimum Pharisaei animum, ostendens quod non ex amicitia, sed dolo eum invitaverit.

Quoniam dilexit multum.) Ego puto dilectionem hic pro fide capi. Quod tantum mihi fidit, tantum peccatorum ei remittitur. Tu mihi nihil fidis, nec ullam fiduciam in me collocas etc. Nam postea dicit: Fides tua te salvam fecit. Peccata non remittuntur, quin intus sentias ac cognoscas: habes enim pacem et gaudium in corde tuo, securitatem, tranquillitatem in conscientia. Nam fides lux est clarissima quae ostendit haec cordi.

Fides tua te salvam fecit.) Hoc est, peccatis te liberavit, peccatis absolvit, ut posthac nunquam in te dominentur. Non manent peccata, id est, non regnant in homine, ubi vera fides fuerit, sed quotidie expelluntur et mortificantur.

CAPUT VIII.

Per singulas civitates.) Spiritus Christi omnibus utilis est, omnibus benefacit. Hoc Christus verbo et facto ostendit. Salutem enim, quae ipse erat, sic mundo proposuit, sic miraculis confirmavit, ut resistere nemo iuste posset, tametsi impietas et malitia Pharisaeorum omnia Christi calumniabatur. Omnium hominum lux a deo est, quemadmodum lunae lux ex sole. Qui fit ergo ut non omnia in ipsum solum dirigamus, atque ex ipso esse agnoscamus? Plerique adhuc reclamant evangelio, quod argumento est, eos nondum esse ex deo. In pectoribus eorum nullus veritatis amor, nullus iustitiae, coelestia nihil curant. Nam ubi studium est iustitiae, ibi gaudent homines, quum de iustitia fit mentio. Deus innotescit nobis per verbum suum, ingenium suum, voluntatem suam. An non haec magna gratia? Quid enim magis facere nobis posset deus, quam prodere nobis cor suum? Qui hoc negligit aut contemnit, hic ex deo non est. Simplici ergo allegoria hoc docet Christus, paucos esse, qui verbum dei et semen illud coeleste vere recipiant, ac fructum ferant. At nos tam elegantem paroemiam non consideramus, nec penetramus ut sensus eruatur. Quum audimus semen fructum non ferre, cogitare debemus rem inutilem esse sine fructu laborare, operamque dare, ut emendaremus quod inutiliter factum est. Qui videt in domo aliqua ruinosa rimas et rupturas, nec interim de instauranda domo aut casu cavendo cogitat aut consilium capit, is perdit omnem operam. Sic in vita nostra corrigere et emendare quae pessima sunt oportet.

Annuncians regnum dei.) Regnum dei aut coelorum, cognitio dei est et gratiae per Christum partae, nempe, quod per Christum salutem assequimur, quod totum se nobis in Christo donat, quod peccata remittit etc. Non possumus ex viribus nostris salutem et vitam assequi,

ad gratiam eius adcurramus oportet. Hanc nobis in Christo donat: nam pignus gratiae est Christus.

Mulieres quaedam.) Incertum est an mulieres etiam sequutae sint Christum, an tantum necessaria ei administraverint. Posterius videtur magis verisimile.

Daemonia septem.) Diabolum puto accipi pro omni malo, et omni corporali adflictione. Septenarius autem numerus in loco capitur pro maximo numero, ut in Ruth: Plus proderit quam septem filii. Item in Proverbiis, Sapientia excidit septem columnas: hoc est, sapientia firma est. Sic septem daemonia magnam nequitiam significant. Dominus liberavit eam a multis et maximis peccatis. Sic Matth. 12. Septem nequiores, id est, omnem vim suam admovet.

Ἐπίτροπος.) Procurator: Schaffner, hußhalter, hußverwalter, hofmeyſter, magister domus, quem Latini vocant praefectum praetorio. Discamus et nos nostra Christo impendere, sed in pauperibus, quo enim minus *ipsi* exhibemus, non dubitamus tamen ipsi in pauperibus exhiberi, hoc maior est et firmior nostra fides. Nam qui Christum praesentem corpore non habent, credunt tamen in pauperibus esse praesentem, plus credunt quam si haberent corpore praesentem.

Exiit qui sementem.) Quum deus verbum suum nobis mittit et annunciat, non secus facit quam qui seminat. Qui seminat, vult ut omnia semina quae proiicit, fructum ferant: quo minus hoc fiat, culpa non est in eo qui sementem facit, non in semine, sed in solo quod semen excipit. Fictum est argumentum.

Qui habet aures audiendi audiat.) Hebraeus sic loquitur, quum ad diligentem auscultationem adhortatur.

Vobis datum est.) Utpote quos studium quoddam tenet, et cura harum rerum indagandarum. Illis autem quibus ista non sunt curae, ac proinde de his nihil quaerunt, sufficit ista per parabolas audisse. Incredulis quidquid tandem dicatur, involucrum quoddam est καὶ παρόβλημα.

Ut videntes non videant.) Tanta est veritatis lux et claritas, ut nemo non eam cernere possit. Porro ii qui eam contueri et adprehendere nolunt, videntes dicuntur nihil videre.

Semen est verbum dei.) Quemadmodum semen in agrum seritur, sic verbum dei in corda hominum.

Venit diabolus.) Per diabolum divitias intellige, gloriam et quidquid obstaculo nobis esse potest, quo minus verbum domini dei nostri amplectentes, via recta ingrediamur.

In patientia.) Hic non intelligit vulgarem patientiam, sed constantissimam in tolerandis malis perseverantiam.

Nemo lucernam accendit.) Ad superiorem sententiam hoc pertinet, verbum dei non esse celandam aut obscurandum: neque tamen mox sequitur, id fieri debere promiscue ab omnibus sine ordine (nam haec ad discipulos, qui e plebe electi, et quibus datum erat nosse mysteria regni dei, dicta sunt) ac publice; privatim quisque suos docere potest. Sensus nativus est, quod discipuli ea non debent celare, quae a praeceptore Christo didicerant. Quasi dicat: Nihil est in doctrina

mea quod lucem vereatur aut metuat, omnia dici possunt et debent, quaeque tamen suo tempore. Qui lucernam accendit, non in hoc accendit, ut sub modium ponatur, sed ut omnibus in domo luceat. Quum ergo ego lux sim mundi, quam pater mundo accendit, quum sim aeterna veritas, quam vobis quoque proposui: volo ut et vos hanc a me acceptam mundo proponatis, ut tenebricosae hominum mentes fulgore huius lucis perstringantur ac illustrentur. Hoc ergo officii vestri fuerit, omnibus hanc lucem non proponere modo, sed etiam praeferre, ut filii lucis in ea ambulent, sic ut in die honeste. Cognitio dei lux est, ignorantia dei nox. Qui in nocte ambulat, facile impingit in omnibus. Ergo est quod dicit Paulus: Quidquid non est ex fide, peccatum est. Quidquid enim sine hac luce tentamus, perperam cadit, non secus ac si quis noctu sine luce operari tentet. Philosophi et gentes multa in speciem honestissime fecerunt, sed quia fide carebant, non erant eorum opera grata deo. In Papatu pleraque honestissimam speciem prae se tulerunt, sed deo non potuerunt placere, quia non ex luce dei fiebant. Sic David agnoscit dicens: Lucerna verbum tuum pedibus meis, et lumen semitis meis. In luce secus habent omnia: si quis in die erret, facile redire in viam potest. Ambulemus ergo in lumine fidei, proponamus nobis Christum in omnibus, solius dei gloriam quaeramus in omnibus; et si aliquando erremus aut cadamus, aderit dominus, et ostendet cum tentatione exitum. Si agis quae deus praecipit, quomodo dubitare potes te deo displicere? aut quomodo de eius defensione ac praesidio dubitare poteris? Si enim nollet verbum suum provehere, tibi hoc non revelasset, non praecepisset. Nihil frustra loquitur. Quum ergo loquitur, audiamus, obsequamur. Sic Christus lux est, at eam dedit discipulis suis et eam sic in eis accendit, ut et ipsi doctrina sua caeteros illuminent.

Ingredientes.) Εἰσπορευόμενοι: Die da härumb wandlend. Sic enim utuntur Hebraei Ingredi et Egredi: Die da zhandlen vnd zeſchaffen habend.

Nihil opertum.) Generali sententia Christus ad suum propositum utitur. Quasi diceret: Scitis hoc in proverbio tritum esse, Nihil esse tam opertum, quod non aliquando in lucem veniat. Vos ergo operam date, ut hoc quod vobis secreto dedi, secretum esse non sinatis. Christus ea revelat suis, quae necessaria sunt ad salutem, quae pater nos vult scire, eorum scilicet nihil celavit discipulos suos. Sic dicit in Ioanne: Omnia quaecunque audivi a patre meo, nota feci vobis, quantum scilicet vos scire convenit. Non revelat omnia omnibus, sed suis tantum revelat: neque tamen omnia singulis, sed iuxta modum qui sibi videtur: plus tamen illis, qui ad hoc vocati sunt, ut alios doceant. Retunditur hic error illorum qui corpus Christi corporaliter in pane esse dicunt, modo quodam miraculoso et ineffabili, quasi vero Christus sic coenam nobis instituisset, ut eam nesciremus. Hebraeis praecipit sic agnum paschalem celebrare, ut et filios de hoc docere possint, si interrogent; nobis eam rem sit abscondit, ut nesciamus de hac loqui nostris? Non sic facit Christus, ut aliquid proferat nobis, quod ignorare nos velit. Dicunt quidam: Nihil opus est, ut interroges: oportet

nudis et simplicibus verbis credere. Si modum praesentiae Christi in coena, quam ab omnibus piis frequentari in sui memoriam voluit, effari non possumus filiis nostris, quomodo ergo in luce sumus? Nihil ergo est in doctrina Christi, quod celari debeat, omnia proferri debent et proponi fidelibus. At in modo proponendi quidam errant. Nam Paulus primum lacte potat, deinde solidum cibum praebet: non omnibus conveniunt omnia. Docemur hic cavere ab hypocrisi. Nemo male agens putet se latere posse: dies domini omnia revelat, emicant interim signa hypocriseos, utcunque sese abstrudat. Quum deus in corde vivit, quidquid prodit vivum et verum est, verba et facta; ubi vero deus in pectore non vivit, quidquid de deo garriamus aut sonemus, vanum est et frivolum. Dicis: Non possum tam eleganter loqui ut ille. Quid dicis? An putas deum cor dedisse quod ipsum cognoscat, in quo vivat, linguam quae eloquatur non daturum? Absit, ut lucernulam succenderit quam promovere non velit. Si non potes compta et ornata oratione eloqui; eloquere simpliciter prout spiritus dederit. Utcunque enuncies veritatem, recte habet, modo ne celes lumen quod in te est: non enim frustra accensum est in corde tuo. Si nescis eloqui, adcurre ad deum, qui primum movit cor tuum! is et media ac consilia, tum etiam finem et exitum ostendet, et quidquid opus est ad eam rem conficiendam dabit. Qui cor inhabitat deus, et linguam dat et verba quae negotio conveniunt, quod per te vult effici, nec plus dabit sed quantum satis est. Hoc tu sis contentus.

Quisquis enim habet dabitur illi.) Iterum arguit a generali sententia, et a trito proverbio. Quasi diceret: Scitis hoc esse in ore omnium: Qui habet, dabitur illi. Sic et in meo negotio habet. Hanc parabolam a me in hoc accepistis, ut diligenter quaeratis, ut studium in vobis excitetur excutiendi veritatem. Quum ergo hoc habetis, locupletiore spiritu vos donabo. Alii ista nihil curant, quin potius quum audiunt etiam, negligunt, suae sapientiae innitentes, quam se habere putant: tolletur ergo ab eis quod non habent, sed habere videntur.

Cupientes te videre.) Graece est, ἰδεῖν σε θέλοντες. Hoc est cupiunt te alloqui. Ubi volendi verbum pro cupiendi, et videndi pro caeteris sensibus et actionibus more Hebraeorum poni existimo. Sic alibi Christus ad discipulos suos dicit: Iterum videbo vos, id est, colloquar, versabor, ero vobiscum. Nec enim mater visum tantum venerat Christum sed ut eum alloqueretur. Sic Germanice dicimus: Der wär gärn zu dir, non scilicet ut videat tantum, sed ut alloquatur et caetera expediat.

Qui sermonem dei audiunt.) Audire verbum dei elegantem similitudinem habet cum Christi nativitate ex virgine matre. Nam is ex spiritu sancto conceptus erat superne e coelo, nullo mortali semine. Sic fit in regeneratione spirituali. Spiritus dei cor illustrat simulque accendit ac fovet, non secus, ac dum ignis scintilla in fomitem excipitur. Ex aqua nemo ignem elicere poterit: sic fides non nisi ex spiritu dei concipitur. Deus esse non potest, quidquid sibi ipsi homo dat. Qui a spiritu dei impraegnatur, concipit et parit deum, imo a deo regeneratur, et nova fit creatura. Ordo vero talis est. Primum annunciatur Mariae

ab angelo, quod filium dei sit conceptura et paritura. Sic verbum externum primum homini annunciatur. Deinde venit spiritus sanctus, et praegnans facit cor. Quemadmodum angelus dixit: Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus altissimi obumbrabit tibi. Amicitia per quam deus hominem complectitur, facit, ut sese totum illi dedat, voluntatem suam illi manifestet, et omnia illi communicet. Rursus quod homo innocenter et integre coram deo ambulet, amicitia facit qua deum complectitur, et haec amicitia perpetua est inter deum et hominem. Differunt autem amor et amicitia. Amor ex affectibus, amicitia ex virtute nascitur. Amor aliquando flagrat, sed ad tempus tantum, amicitia constans et perpetua. Si quem tibi eligis amicum, opus est ut prius et mores et vitam eius sic explorata habeas, ut possis cum eo fortunas omnes, et consilia tua communicare. Omnis amicitia amor est, sed non omnis amor amicitia. Exempli gratia. Coitur coniugium inter adolescentem et puellam aliquando, amor est: mox defervescente amore odium intercedit. Cur hoc? Neuter alterius mores sapienter observavit, sed affectu quodam invenili in amorem mutuum rapti sunt. Amor saepe caecus est, amicitia sapientia nititur. Sic pax nunquam recte constabit nisi in vera amicitia: quae enim inter hostes confit pax, non est constans nec vera, quum animi non sint tranquilli. In amicitia primum animi coeunt, qui conciliari nisi in uno deo nunquam poterunt. Deus ergo principium et fundamentum est verae et perpetuae amicitiae. Si ergo vere convenire, si veram pacem habere inter nos volumus, audiamus verbum domini, colamus deum unanimi voto, idque iuxta verbum eius, quod nobis typus et forma sit omnium actionum nostrarum. Artifices nunquam eadem facient, nisi eisdem formis utantur, ut in figulo et sutore animadvertere licet.

In una dierum.) Id est, quodam tempore, aut articulo temporis. Die enim pro tempore utuntur Hebraei. Non ergo tempus, sed continuatio significatur.

Transeamus.) Transit de loco in locum, ut ubique divulgetur eius doctrina: adducit secum discipulos, ut testes omnium factorum et operum. Tentat eos, ut formet. Quidquid loquitur aut agit Christus, nobis doctrina est et confirmatio. Qui verbo dei et ecclesiis praesunt, magna fide praediti sint oportet, exercitî esse debent in periculis et tempestatibus variis, ut durentur et confirmentur, ne ingruentibus malis cedant ut possint et alios confortare, erigere, consolari. Christus praeest, apostoli ecclesiae imaginem gerunt. Quod ergo dormit dominus, non temere aut casu fit, sed consilio, ut terribilem faciem tempestatum eis ob oculos ponat. Sic ingeniati sumus omnes, ut magnifice de deo et verbo eius loquamur, sed plerumque ex affectibus fieri hoc deprehenditur. Hoc quum sciat deus, pericula obiicit, ut nostram vel fidem vel perfidiam protrahat. Infirmitatem ergo suam apostolis ob oculos ponit, quam non agnoscebant, donec ingruit tempestas, ut discant se nondum totos sic deditos esse Christo, ut omnia eius gratia relinquere possent.

Complebantur ac periclitabantur.) Hoc est, undis perfundebantur ac obruebantur, ita ut in magno essent periculo. Eo usque

pervenire sinit suos, sed in tempore adest. Etiam si nobis aliquando dormire videatur, videt tamen pugnam nostram, in quam nos pervenire permittit, ut videamus ab ipso esse auxilium.

Ubi est fides vestra?) Quasi dicat: Num putatis me oblitum esse vestri? cur mihi non fiditis?

Praeceptor perimus.) In necessitatibus ad deum accurrendum piis est: is enim fons est omnis boni, ille motus omnes componere et compescere potest. Quod si deus nobis per creaturas suas opem administrat, non debemus in illis haerere, sed ad datorem usque penetrare. Canes et ursi quidquid obieceris adprehendunt; illis non debemus esse similes, nec gentibus, quae in creaturis consistunt, adeoque solem, lunam, stellas adorant.

Ἐπετίμησε.) Increpavit, hoc est, imperavit vento: nam sic suo שלם, Schälten, utuntur Hebraei. Divina potentia tam potens est tamque praesens, ut omnia nutu solo conficiat, ut patet in Genesi: Dixit et facta sunt. Non sic humana potentia, quae saepe fallit et imbecillis est. Hoc agnoscere deberent huius mundi potentes, ne se contra potentiam dei (cui resistere non possunt) erigerent. Historiae ergo sacrae cum magna admiratione, et diligenti meditatione legi debent, quemadmodum si quis egregiam aliquam picturam contemplaretur, non tantum ut videat aut oculos pascat, sed ut artem observet ac admiretur. Hoc idem fiat in verbo dei, exacte singula expendantur! nihil enim in eo vanum, nihil leve, nihil frustra. Cogitent principes huius mundi potentiam suam nihil esse, frustra esse si deo obstrepant, ne glorientur viribus suis, cogitent se vasa et instrumenta esse dei. Congere in unum hominem omnem potentiam, omnes opes, omnem sapientiam, omne robur! adhuc tamen non author est, sed minister. Instrumenta propter usum sunt, non propter se, et nisi usui serviant, nihil sunt. Maximus malleus nihilo plus est quam minimus, nisi quatenus magis usui est caeteris; adhuc tamen nihil aliud est quam ferrum et instrumentum, quemadmodum minutissima quaeque. Hoc cogitent Caesares, reges, principes.

Ubi est fides vestra?) Fides est qua fortes et intrepidi stamus; ubi fides deest, concidimus et trepidamus. Tradunt philosophi eos partialia duntaxat docere, qui oeconomica aut politica docent; perfectionem vero quandam et absolutionem, qui Ethica. Haec enim humanorum morum et operum constitutionem cum sapientia tradit. Qui mentem bene formatam et recte institutam habet, facile domum, familiam, et res omnes gubernat ac disponit. In religione fides est quae mentem format, qua recte instituta, externa et interna, omnia recte cadunt, et si non potest perfectissime deo adproximare, hoc tamen studet ne deo repugnet usquam. Fides in omnibus deum spectat, immota ergo consistit in gravissimis periculis, quia videt ita deo placere. Fides lux quaedam est coelestis, quae cum menti illucet, omnia videt quae deo placent, et si non singula speciatim, omnia tamen in genere. In omni re dubia et perplexa fides discutit omnes tenebras quas offundit caro, docet quid in re quaque sit faciendum; quod hac nostra tempestate, ubi confusissima sunt omnia maxime esset observandum.

Occurrit illi vir quidam.) Deus dilexit mundum, et dedit filium suum, ut mundus vivat per eum. Haec perbrevis summa est evangelii. Voluit deus nos omnes in filio suo suscipere et in filios suos in unigenito suo adoptare. Si iam vitam in filio recipit mundus, adparet totum mundum fuisse mortuum, nihilque in eo fuisse quod posset eum vitae restituere. Hanc ineffabilem gratiam si expenderent homines, hoc fundamento in pectus nostrum iacto, plus dilectionis et fidei in nobis esset. An vero non maxima haec gratia est, quum creator filium suum donat creaturae? Nec donat solum, sed sic donat, ut carnem nostram fragilem adsumat, nobis per omnia (peccato excepto) similis fiat, nobiscum familiariter versetur, nos doceat, morbos omnes sanet. An non haec argumenta sunt evidentia summae charitatis? Neque hoc contentus, moritur pro nobis, et morte sua vitam nobis restituit, sanguine suo peccata nostra lavat. Quid vero amplius poscere auderemus? Adhuc tamen creaturis relicto creatore haereinus, adhuc de remissione peccatorum dubii, quum tamen cohaeredes nos filii sui constituerit. O si hunc tam benignum patrem recte cognosceremus, o si charitatem eius satis digne aestimaremus, quantum cresceret fides in eum? quantum accenderetur charitas? quantam daremus operam ut gloriam eius promoveremus? quam diligenter incumberemus verae pietati? quam arderet cor nostrum in proximos? quam constantes et fervidi essemus in promovenda religione, veritate, iustitia? Sed proh dolor, malo daemone et nocentissimo obsessi sumus. Nihil a nobis flagitat deus, quam innocentiam et integritatem. Qui deum recte cognoscit, hisce rebus studet: qui vero deum non recte cognoscit, is iniustitiae et sceleribus studet, iustitiam et innocentiam negligit. Miracula ab Evangelistis non frustra recensentur, sed ut discamus Christi potentiam et bonitatem. Ut apud se sic cogitet homo: Ecce tam potentem dominum habes, cui omnia cedunt. Si mare ingreditur mox sedatur tempestas; si in arida est, omnia ei obsequuntur, daemonis ferocia ei cedere cogitur. Haec ergo fides vera est, quae sic deum cognoscit, quae sic coram eo ambulare studet, voluntati eius obsequitur, eum amat, colit, observat, ei fidit ac firmiter adhaeret.

Qui habebat daemonium.) Noster unum daemoniacum numerat, alii plures, sed per synecdocham conciliantur. Permittit daemoni deus, ut homines vexet ac adfligat. Hoc vero pio pectori certissimum est, deum nihil sine causa facere, et quum optimus sit, omnia bona imo optima esse quaecunque facit, nobisque prodesse, etiamsi nos causas ignoremus. In tumultu, quem nuper concitarunt rustici contra nobilitatem, permisit deus ut rustici licentiam carnis suae et adfectuum libidinem in purissimum evangelium suum immiscerent, imo evangelium Christi suis affectibus praetexerent. Rursus permisit, quod crudeli tyrannide in eos saevirent principes et nobiles, ut utrorumque adfectus palam fiant. Datur puero papyrus et atramentum ut scribere discat, puer attramento omnia in domo contaminat; is poena iam dignus est. At si pater aut praeceptor ira immodica percitus puerum interficit, aut alios omnes quibus author ille fuit libros foedandi, gravissime peccatur. Sic in omnibus rebus quae in mundo fiunt, dei providentiam et opera-

tionem animadvertere debemus. Nam et per latrones aliquando bonum operatur, et per daemones, quibus permittit ut homines adfligant et vexent, ut potentiam suam ostendat. Pharaoni permittit ut contra populum suum saeviat, ut deinde potentiam suam exerat clarius. Divina sapientia temere et sine causa nihil agit. Divina bonitas omnia bene facit. Discamus ergo ex his! Primum cogitemus casum hominis miserrimum. Deinde concipiamus metum, ne et nobis hoc idem contingat, ne in eandem miseriam incidamus. Daemon corpus adfligit, in animam nihil iuris obtinet. Fit enim obsessus apostolus et praeco gloriae Christi: erat enim electus ante mundi constitutionem. Attamen sinit eum obsideri a daemone, idque eodem tempore, quo filius dei in terris obambulat, ut ab eo curetur et liberetur. Porro ostendit in illo dominus, quid sit furore et insanire affectibus. Quasi dicat: Videtis hunc hominem quomodo malo spiritu torqueatur: hoc vobis mirum videtur, hoc vos terret, at vos interim graviori insania laboratis, nempe affectibus pravis, et perfidia, infidelitate, odio etc. Is corpore vexatur, vos animo, quod multo est gravius ac periculosius. Anima enim corpore praestantior est, quae si a daemone agitatur, periculosissimum est. Annon insania est et furor, veritati evangelicae repugnare? Horum hominum mentes captivas ducit satan, et in omne scelus deiicit. Si iam daemones horretis, quanto magis convenit ut scelera horreatis? Quod ergo hominem, qui ratione praeditus est, et imagine dei donatus, deus permittit a daemone obsideri, sine causa non fit. Varios spiritus et ministros habet deus, quosdam iustitiae quosdam misericordiae suae exequutores. Si horribile est sic vexari a daemonibus, quanto horribilius est post mortem illis socium esse et cum illis aeternum puniri?

Procidit ante illum.) Non facit hoc ex devotione, sed divina virtute coactus. Sic faciunt plerumque impii, qui subinde deum in ore habent, invocant, confitentur, at non ex fide aut amore. Convincuntur manifesta veritate, ut contradicere nihil possint, apertam veritatem confiteantur; sed quod veritati consentiant, eam ament ac colant, nemo illis persuadere potest. Convicti assentiunt, at deum ut patrem non observant, voluntati eius non obtemperant, signa edunt subinde suae impietatis. Sic daemon clamat ex obsesso: Quid nobis tecum Christe? Sic impii subinde ad ingenium redeunt: nam virtute dei terrentur, non transformantur. Ne me punias, inquit, neve expellas. Sic impii et desperati homines, sciunt et agnoscunt se merito torqueri, convicti suis ipsorum conscientiis, quum vident poenam sibi imminere, quam commeruerant, interim tamen fidem in deum nullam habent, de eius misericordia desperantes, in potentiam duntaxat et virtutem dei respiciunt, cui tamen obsequi et subesse haud quaquam volunt, non ferunt in patientia et timore manum domini, sed resistere moliuntur, fremunt, murmurant, blasphemant. Pii agnoscunt deum, fidunt illi, misericordiam invocant, veniam sperant, et summa cum tolerantia sese deo subiiciunt.

At ille dixit: Legio.) Quaerit nomen qui omnia scit. Non autem interrogat de nomine obsessi, sed daemonis, nec respondet homo sed daemonium, propter commixtionem autem alterum pro altero saepe

ponitur. Sic idola et dii gentium daemones, aliquando idola nominantur in scripturis, quod in idolis daemones colebantur. De virtute et natura daemoniorum loqui nihil possumus, nisi quatenus scripturae sacrae nos docent, de astutia et vafricie daemonum exemplis doceri possumus. Consul aut scriba caeteris senatoribus aut civibus sapientior ac prudentior est. Cur hoc? quia scriba semper in senatu assidet, omnia annotat, omnia versat, caeteri saepe abeunt, mutantur temporibus, scriba perpetuo manet in officio. Ex longo ergo rerum usu et exercitatione assidua, ex causarum auditione et tractatione redditur exercitatissimus. Sic ab initio mundi in hunc usque diem artem suam exercuit satan, multa vidit, multa expertus est, ut sit iam exercitatissimus. Nos contra infirmi sumus, imbecilles, ignorantes. Discamus ergo a teneris asuescere rebus divinis, exerceamus mentes nostras in voluntate et lege dei, studeamus innocentiae, iustitiae et verae pietati, ut possimus tam astutissimo hosti obviam ire, ut eum possimus repellere. Nocere nobis nihil poterit, nisi in desperationem nos coniiciat. Hoc unum molitur, hoc unum agit, ut pudore posito sine fronte peccemus, et de venia desperantes animum totum sceleribus devoveamus.

Et permisit illis.) Quod sues perdit, in causa est, quod omnia sua sunt: nemini facit iniuriam si sua vel perdit vel repetit. Rerum proprietas ex perfidia et philautia originem habet. Creavit deus ut communia essent omnia, malitia humana et cupiditas propria fecit. Quandoquidem igitur philautia et cupiditas prava in omnibus est hominibus, nihil est quod de communione rerum loquamur. Fac ut omnia sint communia, in isto momento quisque de proprietate cogitabit. Exemplum est in Anania et Saphira; quod illi fecerunt, omnes faciunt. Hoc tantum caveamus ne latius nostra cupiditas evagetur. Cogitemus nos non dominos rerum nostrarum esse sed procuratores et administros, dei esse omnia quaecunque possidemus. Quod ergo miramur factum domini, indignumque nobis videtur quod Christus tot sues perdit, tantum damnum Gerasenis infert, hinc venit, quod putamus sues nostras esse, quum revera dei sint. Quum ergo bonis nos spoliat deus, agnoscamus hoc culpa nostra fieri: si nobis aliquid dat, suscipiamus hoc cum gaudio, agamus ei gratias, transcribamus hoc divinae bonitati. Maneamus interim in timore eius ne culpa nostra prodamus, quod eius gratia donatum erat. Si rursum adimit, cogitemus nos dei donis abusos esse, et iniquos fuisse procuratores.

Et rogaverunt eum ut discederet.) Damno accepto rogant eum ut abscedat, quod signum est eos nondum electos ut audiant veritatem: facit hoc incredulitas eorum. Impietas Christum reiicit, nec vult vel tantillum damni propter ipsum accipere, non expendit opera domini.

Redi in domum tuam, et narra.) Hic locus contra Catabaptistas pugnat, qui sua negligunt et relinquunt, et praedicatores fiunt. Non quoscunque fide donat, simul praedicatores facit, huic praecipit ut suis beneficia accepta narret, sed non vult ut praedicator publicus fiat.

Mulier quae obnoxia erat profluvio.) Nemo tam sanctus est, qui non egeat gratia dei. Quin quo sanctior et perfectior est quisque, hoc magis videt sibi nihil superesse quo fidat, nisi puram et meram dei

misericordiam. Nam si homo potuisset suis operibus et iustitiis servari, non fuisset opus, ut Christus adveniret. Quod si nullus suae iustitiae fidere potest, quanto minus alienae? Desperet ergo homo de sua iustitia necesse erit, et adcurrat ad Iesum Christum verum medicum. Hoc in muliere ista discimus, desperare de nostris remediis, et Christo niti. Solus contactus Christi sanat, hoc est, quum cor tangit per fidem Christum, quum sentit quam misericors et benignus sit dominus per Christum suum, hinc ascendit cor in deum. Nam deus se totum nobis donat in Christo.

Venit quidam a principe synagogae.) *Παρὰ τοῦ ἀρχισυναγώγου.* Quaerat aliquis, quomodo veniebat nuncius ab eo quum ipse esset cum Christo? Sed valet hoc (ab eo) ac si diceret: A domo eius; ut Latini dicunt: Eamus ad me, id est, ad domum meam. Alii dicunt legatos nomine Iairi fuisse apud Christum. Imperfecta fuit fides huius viri, adeoque dubitat. Sic dubitamus in multis, dum species contrariae occurrunt. At vera fides neque magnitudine neque difficultate aut impossibilitate rei terretur aut concidit, sed virtuti dei firmiter incumbit. Proinde dicit Christus, *μὴ φοβοῦ, μόνον πίστευε καὶ σωθήσεται*, noli timere, crede tantum, et salva erit: So iſt dſach vfrecht, ſo wirts wol ſton. Hoc enim valet שלם Hebraicum, quod Latini pacem dicunt. Hinc salutares hostiae dictae, quas gratulatorias appellare licet, quae offerebantur pro rebus bene gestis, quum res erant integrae ac salvae. Sic dicunt: Est ne pax pueris? id est, sunt ne pueri salvi? Stats wol vmm ſy? ſind ſy gſund vnd friſch? Ne ergo metuamus, committamus nos deo, bono fidamus illi, et recte habebunt res, salvae erunt, pax erit etc.

Nisi Petrum et Ioannem etc.) Tres tantum secum in conclave sumit, ubi notatur donorum diversitas et varietas, quas deus uni cuique ut sibi visum est dispensat. Discimus quoque res magnas paucis committendas esse, eligendosque optimos in ecclesiae negotiis. Quod in Papatu male observatum, multas perdidit ecclesias. Da enim episcopum, qui totius ecclesiae consensu, propter sanctitatem, fidem et eruditionem sit electus! fere malis artibus, simonia illuc penetrant nebulones et pessimi homines.

Sed dormit.) Mortem somnum appellat, at propter corpus, non propter animam. Anima enim dormire non potest. Quod lux in sensibilibus, hoc mens est in intellectualibus, entelechia perpetua, hoc est perpetua quaedam et iugis operatio ac motus. Ne per somnum quidem dormit anima in corpore, quanto minus quum liberatur hoc terreno carcere. Cur vero non dicit: Mortua est vere, maius enim fuisset et evidentius miraculum, ut eum qui manum aridam habebat statuit in medio, ut omnes viderent? Sed hoc desperationem attulisset parentibus summam; condescendit ergo Christus eorum imbecillitati. Qui vere eum irridebant, et vere sciebant eam esse mortuam, vere de morte eius testabantur, coacti vel inviti Christo testimonium ferre, et miraculo aecinere.

CAPUT IX.

Convocatis discipulis.) Tametsi Christus omnium gentium et

populorum esset servator, primum tamen discipulos suos ad Iudaeos tantum mittit, ut illis primum salus annunciaretur, utpote, quibus praecipue promissus erat Christus. Instruit autem eos ac format, imo perficit ad hoc munus.

Dedit illis potestatem.) Nulla creatura potest dei ordinem immutare suis viribus, nulla potest virtuti dei resistere. Quod ergo daemones eiiciunt apostoli, morbos pellunt etc. Dei est, non apostolorum. Dat ergo eis virtutem. Morbos sanare non hominis est, nec ullius creaturae, sed dei solius. Si herba sanat, habet hoc a deo qui dedit ei virtutem sanandi. Deus ergo per herbam sanat, et virtutem suam per herbam exerit. Dare virtutem aut potestatem apostolis, aliud nihil est, quam eos certos facere, quod ubicunque sint praedicaturi, ipse velit simul operari. Hunc esse sensum ex cap. ultimo Marci colligitur, ubi dicitur: Praedicarunt ubique, domino sermonem eorum confirmante sequentibus signis. Virtus ergo dei est, non apostolorum. Neque potest virtus dei ulli creaturae sic dari, ut sua sit, quod tam est impossibile, quam quod una natura in aliam mutetur. Ideo Christus iuxta humanam naturam dicit: Pater in me facit opera, id est, deus. Quasi dicat: Ego non facio opera quatenus homo, sed quatenus deus.

Praedicarent regnum dei.) Periphrasis est evangelii. Ubi enim gratia dei non praedicatur, homo beluinus est, totus affectibus deditus, ibi regnat satan, tenebrae, caro; ubi vero verbum dei praedicatur, ibi discimus affectus domare, discimus voluntatem ac legem dei, discimus gratiam eius ac misericordiam erga nos, incipiunt homini dulcescere divina, displicere terrena et carnalia. Hic iam regnat deus per spiritum suum, et vitam totam componit ad nutum summi imperatoris. Hic iam incipit regnum dei, regnum coelorum, regnum Christi. Tolle prophetiam e medio, tolle praedicationem verbi, tolle gladium, et nihil remanet quam beluina et diabolica vita. Nullus qui ex Adam genitus fuit, servari poterat; promisit ergo deus servatorem mundo, nempe filium suum. Quicunque ergo illum advenisse et servasse praedicant, evangelium annunciant, laetissimum illud nuntium quod deus cum mundo in gratiam redierit. Adparat et instruit Christus suos simplici quodam et parabili apparatu, non ut solent huius mundi potentes et divites, qui cum magna et splendida pompa se ad profectionem parant. Hac prima missione ad graviorem quandam profectionem eos format, nempe qua in totum orbem aliquando essent profecturi. Quod iam abiens docet, quum interrogat: Num eis aliquid defuerit, quum miserit eos sine pera? et ipsi respondent, Nihil. Quasi dicat: Antea in prima legatione nudos et inermes extrusi, et nihil vobis defuit, me suppeditante omnia: sic perpetuo fiet, nunquam deseram vos, semper curam vestri geram, etiam tum quum a vobis corpore abiero, quum vos in orbem amandavero; modo vos operam detis, ut duos gladios habeatis, cognitionem nempe veteris et novi testamenti. Deus solus est qui virtutem dat, interim apostoli et ministri cessare non debent, sed diligentissime officio suo invigilare: nec tamen plus fructus eveniet, quam

deo placet et quantum ipse volet, nullusque credet quam is quem deus traxerit.

Neque binas tunicas.) Duas tunicas vetat, sed ad praesentem profectionem tantum. Non ergo verba tantum, sed mens Christi potius expendenda fuerit, quum Christus ipse duas habuerit tunicas. Deinde iussit tunicam vendere et gladium emere. Quis iam nudos incedere eos crediderit?

Neque virgam.) Virga aut baculus Hebraeis robur aut potentiam significat, ut baculus panis: nulla potentia seculari freti ad iter accingimini.

Excutite pulverem.) Hoc verbum Christi meticulosi quidam adfectui suo praetexunt, et fugiunt ab ovibus. Sed Christus abeundum docet, ubi nulla est spes salutis propter contumaciam auditorum, aut dum speciali revelatione hoc quis a deo acceperit. Donec spes aliqua arridet fructus, abeundum plane non est, utcunque multa obiiciantur pericula. Qui metu fugiunt providentia dei fugiunt, sed ut imbecillitas et ignavia praeconis manifesta fiat, nec ipse in hoc excusatur. Aliquando enim deus tollit verbum suum ab ingratis, ut eos puniat. Omnia fiunt providentia dei, interim tamen perfidia nostra culpa et poena non caret, nec fides suo praemio.

In testimonium.) Ut scilicet audiant verbum (quod deus per vos illis voluit innotescere) quod non receperunt. Adgravat hoc eorum damnationem, excusationemque eis omnem adimit, ut sit et deus excusatus, qui eos vocavit per apostolos suos. Sic dicit in Ioanne: Si non venissem et loquutus eis fuissem.

Audivit Herodes.) Docet haec historia famam Christi sic percrebuisse, ut usque ad Herodem perveniret. Similes sunt hodie plerique principes Herodi, apud quos Christus parvi penditur, tametsi ad eos veniat, nempe per verbum, quod audiunt sed non credunt. Conantur vi et potentia sua verbum Christi extinguere. Sed stulti sic colligere deberent: Si Christus Hierosolymis fuit (ut negare nemo potest) et verbum eius ex Hierosolymis egrediens totum orbem pervagavit et occupavit, si nemo unquam summorum principum hoc impedire potuit, si hi qui monarchae fuerunt et summam rerum tenuerunt, tyrannide sua et atrocibus suppliciis extinguere hoc non potuerunt, quanto minus nos possumus? Sed Christus in tanta admiratione non est apud nostros principes, quanta apud Herodem, ut saltem eum libenter semel audirent, aut viderent qualisnam esset. Nihil de eo audire volunt, obturant aures ad veritatem aspidis instar, quae vocem incantatoris horret. Utcunque Herodes ex curiositate eum quaerebat, tamen aliquid est, et melius quam in totum negligere, contemnere et audire nolle. Qui ex curiositate Christi verbum audiunt, fide vera carent: hi cupiunt ut evangelium iuxta eorum adfectus praedicetur et formetur, blandiloquentia delectantur et chrestologia, vanas et subtiles quaestiones obiiciunt.

Turbae secutae sunt eum.) Plaerique magis affectu quam iudicio sincero. Sumus omnes novarum rerum studiosi et cupidi, umbras pro veritateam plectimur. Nihil solidum in orbe; mens igitur hominis taedio

vitae huius capitur. Sic enim a deo creata est, ut in nulla creatura requiescere possit, donec in creatorem suum se reiiciat. Animus hominis si firmus esset in deo, non pateretur se variis rebus a deo abduci. Qui uni rei adsuescis, alia parum curat: qui per omnia incertus vagatur, inconstantis et curiosi animi indicia prodit. Sic populus Iudaicus Christum pedibus sequitur, corde non sequitur, nam mox eo deserto clamant: Tolle, crucifige eum. Confirmandus ergo animus ne quolibet vento mutetur. Laude tamen sua non caret, quod Christum utcunque sequuntur, et verbum eius audiunt. Recipit ergo eos Christus utcunque imperfectos et ignorantes. Ubicunque homines verbum dei audiunt, spes est concipienda.

Loquebatur illis de regno dei.) Hoc est, de evangelio. Regnum dei est, ubi deus habitat in homine per gratiam et iustitiam. Traxit eos Christus e regno satanae in suum regnum, docuit eos voluntatem dei. Primum docet, deinde sanat. Ad curationem animarum pertinet verbum dei: nam fides ex auditu est, sed tamen ex solo spiritu datur intus.

Dimitte turbas.) Monent discipuli ut amandet populum ut edat. Sic nos orationibus nostris deum expergefacimus, et monemus ut nobis det necessaria. Non fit autem hoc, ut deus ignoret, quid nobis desit (scit enim pater coelestis antequam petamus quibus sit nobis opus), sed oratio argumentum est fidei nostrae in deum. An tu a vicino petis quod non habet? aut quod putas eum non daturum? Minime. Primum necesse est ut scias eum daturum esse quod poscis, ut confidas te assequuturum; deinde ut possit etiam dare. Eodem modo fieri oportet, si a deo aliquid petas. Non dubitabis deum omnia habere, deinde et velle tibi dare. Oratio testimonium est huius fidei, nempe quod deum pro tuo deo agnoscas, et quod confidas te omnia apud illum posse. Nec dat nisi bonum. Si opem apud creaturas quaeris, si divos invocas, infidelitatem tuam ac perfidiam prodis, et testaris te deo non fidere: tribuis enim creaturae, quod solius est creatoris. Quum ergo docet nos et iubet orare dominus, aperit nobis suam bonitatem, et attrahit ad se mentes nostras, ut discamus ei fidere, ut in ipsum solum respiciamus credamusque eum illum esse, qui et possit et velit dare nobis omnia, quemadmodum benignissimum patrem decet. Cura et sollicitudo pro populo, ne in via deficiat, laudabilis est, et charitatis indicium; attamen est aliqua in eis fidei imbecillitas. Sic nos semper debemus esse solliciti pro fratribus, curare, laborare, vigilare, et nihilo tamen minus deus omnia facit et providet; neque semper ea via quam nos proponimus. Nam Christus non dicit: Emite cibos, sed: Facite discumbere populum. Sic debemus nos mediis licitis et convenientibus uti, interim dominus agit pro bona sua voluntate.

Facite illos discumbere in singulo discubitu quinquagenos.) Facite quinquaginta discubitus, ut in singulis sint centum, vel facite ut sint in singulis discubitibus quinquaginta. Amphibolum enim est verbum *κατακλίνατε*, potest referri ad homines vel ad *κλισίας*. Videtur tamen magis ad *κλισίας* referendum esse.

Sublatis oculis in coelum.) Suspicit in coelum non ut dubitans

aut egens, sed ut doceat omnia nobis e coelo suppeditari, utque cogitemus cibum donum dei esse, eumque cum gratiarum actione sumamus et edamus, et modum in edendo atque bibendo servemus, temperantes ab omni luxu et immodestia.

Quum solus esset orans.) Significare vult eum extra tumultum populi fuisse, ac si diceret solitarius, non sic solum ut nemo cum eo fuerit: fuerunt enim discipuli eius cum eo. Praedicare, docere, benefacere, mederi, orare, haec sunt quae nobis Christus in vita sua praetulit, quem et nos imitemur. Partiamur dies nostros in horas, et singulis horis sua officia deputemus, ne per otium aliquid Christi, animo elabatur aut perfluat. Otiosi sibi ipsis fastidio sunt, tempus et omnia perdentes. Si tibi nihil est negotii cum rebus huius saeculi, accede ad deum et ora, beneficia eius expende, cogita eius miracula, refrica eius bonitatem quae in omnibus elucet. In deo nihil vile est, nihil turpe, hic omnia deliciis plena, hic robur et iucunditas animi fidelis. Expone tribulationes tuas deo patri tuo fidissimo. Quemadmodum fit in aestu carnis, ita etiam in aestu et affectibus spiritus. Aliquando intus tantum aestuamus et indignamur, aliquando in maledicta erumpimus. Sic fit quoque in orationibus. Aliquando mens intus in deo delectatur. Aliquando tanta est calamitas, ut homo in verba quaedam erumpat. Aliquando prae nimia anxietate non potest os dolorem satis exprimere. Si doctiores et meliores evadimus alicuius docti et boni hominis colloquio familiarique consuetudine, quanto magis si cum deo familiariter collocuti fuerimus? Haec lux omnia illustrat, nemo hanc accedet, qui non melior discedat. Nobis igitur orat, non sibi: sibi enim nihil opus fuit. Vera autem fides in solum creatorem respicit, in nullam creaturam.

Alii Heliam.) Quum Christum Ioannem esse aut Heliam putant, in hoc vel inviti testimonium ferunt, Christum fuisse bonum et sanctum virum. Hi enim apud omnes homines in magna existimatione fuerunt sanctitatis. Si ergo fuit magnus et sanctus propheta Christus, et ipse se dixit esse filium dei, nimirum mentiri non potuit. Nam si fuisset mendax, pessimus fuisset et non verus propheta.

Tu es Christus.) Christus unctum sonat, quo nomine fere reges appellabantur. David saepe Christus dicitur. Sed Christus per antonomasiam dicitur Messias, servator scilicet ille a deo promissus Iudaeis. Et dicitur unctus seu Christus dei, quem scilicet deus mundo promiserit ac dederit.

Comminatus praecepit ne dicerent.) Hac scilicet ratione, ne ipsi magnificarent praeceptorem suum ipso adhuc vivente, ne videretur res ex composito et collusione quadam fieri. Deinde Christus novit momentum et tempus, quo illud esset revelandum, post ascensionem scilicet. Nam utriusque naturae singula et certa tempora habuerunt. Esurit, alget, patitur, rursus miracula edit, singula suis temporibus et locis. Multum refert qua sit existimatione doctor in populo quem docet. Saepe ergo resciscat episcopus, quid plebs de vita et doctrina eius sentiat, non quidem ut inde superbiat, sed ut emendet si quid desit, aut perperam factum ab eo sit.

Oportet filium hominis multa pati.) Ac si dicat: Recte quidem vos. Ego sum ille Christus, at salus haec quae per me toti mundo obveniet, multis periculis et adflictionibus parabitur. Granum enim frumenti fructum non edit, nisi in terra emoriatur. Sed hoc quomodo fiat, quod sanctus ille servator totius orbis moriatur, apostoli difficile intelligunt, et gravatim recipiunt. Docet ergo mox Christus quomodo et nos ipsi commoriamur, ut fructum edamus et dicit:

Si quis vult post me venire.) Quasi dicat: Quum videtis me qui servator sum omnium tot et tanta pati, dignum imo necesse est, ut et vos sitis parati ad ferendam crucem, siquidem me voletis sequi. Hanc enim quam me videtis ire viam, ibunt quotquot me sequi voluerint. Ego enim sum via et dux. Argumentum est a maiori. Si mihi magistro et domino hoc contingit, cur vobis non contingeret? Quum ego vitam meam in hoc devoveo, ut voluntatem patris perficiam, debent hoc facere omnes qui discipuli mei esse volunt. Nemo vero melius Christo commoritur, quam qui assiduis precibus cum deo colloquitur, ut supra patuit. Nemo unquam virtutibus veris praeditus, aut perfectus esse in illis poterit, qui non se totum virtutum gratia devoverit. Quod et philosophi docent. Virtus est, dum mens in verum, honestum et rectum spectat et nititur, fugit quidquid est turpe et inhonestum, parata vitam amittere potius, quam virtutem deserere. Hinc proverbium natum est: Usque ad aras amicus, quo indicatur reverentiam numinis violandam non esse propter amicum: ibi enim cessat amicitia omnis, ubi contra ius et fas faciendum tibi est. Quid enim inviolatum aut integrum erit, si propter amicum aut parentes malefacere liceat? Nemo enim est, qui non amicos habeat. Hinc etiam apud gentes fuerunt qui propter virtutem et religionem contemptis et spretis omnibus se ipsos in mortem dederunt. Qui iustitiam deserit ut sibi bene sit, vir honestus non est. Veritas odium parit; qui iustitiam vindicat, periculo se exponit et persequutionibus obiicit. Dico ergo philosophos haec vidisse et docuisse, quod propter virtutem deserere deberet vir bonus omnia, etiam se ipsum. At Christus cuius doctrina perfectissima est, hoc magna authoritate absolvit et praestat etiam. Discipulis autem in primis haec doctrina (tametsi omnibus Christianis) est necessaria. Nemo enim gloriam domini provehere aptus erit qui non illius gratia se totum devoverit abnegaritque. Hoc calicis quoque symbolo indicavit Christus, quum dixit: Bibite ex eo omnes. Nos item unum sumus corpus cum capite Christo, quotquot de calice participamus, in memoriam fusi pro nobis sanguinis, quos paratos esse convenit pro gloria Christi, pro veritate, pro fratribus sanguinem nostrum fundere, si ita casus tulerit. Hic sermo (ut dixi) ad pastores maxime attinet, qui primi pro grege periculis caput obiectare debent; sed interim nihilominus ovibus quoque congruit, ut pastorem suum Christum per omnia pericula strenue sectentur, et dum opus est fidem non abnegent, sed in fidei confessione maneant. Potest quidem aliquis aliquando prudentia Christiana dissimulare, sed conscientia dictabit quid fides sit, quid timor. Paulus simulabat se votum facere, quum tonderetur, Act. 21. quum esset tamen maximus Christianae libertatis assertor et vindex, Iudaicarum ceremo-

niarum acerrimus hostis et extirpator; at fides et charitas tum suadebant. Titum circumcidere noluit, quum Timotheum antea circumcidisset: fugit aliquando, aliquando manet et verbera pátitur. Qui se totum deo obtulit, is sciet ubi loquendum, ubi silendum, ubi fugiendum, ubi manendum sit.

Quotidie.) *Καθ' ἡμέραν* more Hebraico hoc dicitur יום ביום, hoc est, de die in diem. Ein tag vnd alle tag, für vnd für wie Gott das crütz pflegt. Crux enim labor est quem cuique deus imponit, molestia, adflictio, onus. Crux Christi coepit a tenera aetate in mortem usque, sed quisque suam habet crucem iuxta vocationem suam: Ein arbeit, ampt, dienſt. Anima pro vita, Odisse pro contemnere et negligere. Perdere: Verſchetzen, verwägen, *κατὰ μείωσιν.*

Propter me.) Sunt enim qui perdunt vitam propter scelera, propter pertinaciam et vanam gloriam.

Salvam faciet illam.) Praestantior est vita quam Christus reddit pro hac vita quae sui gratia contemnitur aut amittitur, cuius specimen suis mox exhibuit in monte, gustum scilicet immortalitatis quendam.

Qui me erubuerit.) Similitudinem commodam trahit a tribunalibus et iudicibus, alludens ad tribunal Christi iudicis. Quasi dicat: Quam turpe est si quis me hic negat! quomodo ante deum consistere poterit? Non secus pudefiet, ac illi qui ob facinora sua vulgo fiunt fabula et spectaculum, quum mactandi ad supplicium ducuntur à tribunali.

Quid proderit homini si universum mundum lucretur.) Hoc verbum ex corde nostro nunquam excidat. Hoc inscribant parentes in corda puerorum, ne cum iactura animae ac salutis, imo dei, rem faciant, aut aliquid committant. Non solum autem ad divitias hoc referendum est, sed generaliter ad omnia pro quibus stulti homines deum negligunt ac deserunt.

Non gustabunt.) Periphrasis est mortis. Huc pertinet universa doctrina Christi, imo Christus ipse totus, ut doceat mentes nostras deo fidere. Fides enim in deum extincta erat prorsus, venit ergo Christus ut hanc reaccenderet, ob hoc dicit: Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut ardeat? Huc ergo pertinet omnis tum doctrina tum vita Christi, ut deum verum agnoscamus, illi fidamus, huic per innocentiam vitae serviamus. Christi doctrina tota in hoc est, ut mentes nostras deo uniat, adfigat, inserat, nostram fidem in illo obsignet ac firmet, ut ubicunque mundus et deus pugnent, illic nos relicto mundo deo adhaereamus. Qui hoc facit, inenarrabili gaudio et gloria perfundetur, cuius gustum aliquem eis hic praebet. Huc ducit nos Christus per omnia, ut quum dicit se esse panem qui de coelo descenderit, qui vitam det mundo, quum se aquam dicit quae mentes nostras refrigeret et reficiat, quum corporis et sanguinis sui symbola in pane et vino instituit, et nos mortis suae admonet, aeternique illius convivii. Nam circumferre panem et vinum per se quidem parvum esset, sed quum ea interim cogitantur et expenduntur quae Christus in corpore suo pro nobis gesserit, quomodo corpore et sanguine suo nobis salutem paravit, quid gesserit cum haec institueret, maxima certe sunt; ac si panis et vinum ad nos sic loquerentur: Ecce quemadmodum nos vobis offeri-

mur et damur in cibum et potum, sic Christus dedit se in cibum et refrigerium animorum vestrorum ut sit totus vester. Ecce quid aliud facit, quam mentes nostras ad se trahere, accendere, confirmare, consolari, erigere etc. Percurre sic totam vitam Christi, omnia opera eius, universam eius doctrinam. Hac vero visione paulo sublimius aliquid ostendit et clarius. Non ostendit omnem beatitudinem et claritatem, non totam felicitatem, sed eam tantum cuius capaces erant apostoli, homines scilicet mortales. Hac visione nihil aliud agit Christus quam sacramentis, licet clarius multo. Caeterum reliqui apostoli qui non adfuerunt, nihil minus habuerunt fidei, quam si corpore adfuissent. Fidem enim habebant, quae fides huc dirigit et ducit, quod externa tantum adumbrant. Fides dictat: Adhaere huic deo, et sempiterno gaudio perfectissime et clarissime perfrueris, quod illi tantum in aenigmate et umbra quadam conspicati sunt. In hisce tribus apostolis satis exempli habemus, deinde in Christo ipso, Mose et Helia. Hoc ergo facto dominus pectora nostra sursum trahit et deo adfigit, ostendens interim quanto gaudio sint perfruituri, qui contemptis omnibus, deo indivulsi adhaerent. Tale gaudium est ac tantum, ut mens perpetuo illo frui desideret, ut ex verbis Petri discimus, quum dicit: Bonum est nos hic esse, oblitus iam omnium quae in mundo cara habebat, uxoris, liberorum etc. In Mose denique et Helia typus habetur consortii omnium piorum, qui a condito mundo unquam fuerunt. Quasi dicat Christus: Quum vobis de coelestibus dicerem, alius sic, alius sic cogitare posset (nam hoc habet mens humana, ut mox quum de aliqua re audit, imagines quasdam huius rei et formas sibi fingat interim dum audit) sed in hoc omnes falluntur longissime. Age ergo speciem aliquam huius ineffabilis gaudii vobis in typo ostendam, ut gustetis quodammodo coelestes delicias. Tum tandem intelligetis quam vana quamque frivola sint omnia huius mundi gaudia, illecebrae, deliciae, et quam stultum ac turpe sit ea sequi, illisque inhaerere. Similis vita mundi huius lusui puerorum, qui frivolis et nugacibus rebus operam dant, quae tamen ab eis facile, dum adolescunt et viri fiunt, contemnuntur. Quae deus promittit et dat, coelestia sunt, aeterna, immortalia, hominesque beatos et immortales reddunt, tam pulchra, tam clara, tamque speciosa, ut huius mundi omnem pulchritudinem longe superent. Sensus ergo huius paradigmatis quod Christus ostendit est, ac si diceret: Nihil vani vobis promittam, carnales adhuc et ignorantes estis, ostendam ergo vobis typum aliquem, quem qui semel conspexerit et gustaverit omnium quae sunt in mundo obliviscitur, lumenque istud augustissimum sectatur, nempe faciem Christi splendidissimam. Hinc amor et desiderium nascitur, ut paratus sit homo illius gratia omnia deserere et abiicere, modo id assequatur.

Post octo dies.) In legibus ferendis clara debent esse verba, in caeteris vero loquutionibus recipiuntur tropi et schemata. Sic deus nobiscum loquens utitur nostris verbis et loquutionibus, quae tamen per spiritum sanctum explicantur. Noster dicit post octo dies hoc factum esse, alius post sex. Sed quoniam in his ratio fidei non pendet, nihil est contendendum. Summa rei est, factum hoc esse quod Petrus

testatur. Ordo rei gestae, non tam exacte describitur, ut mos est Hebraeis. Nam quum Christus oraret, interim discipuli dormiunt, mox Christi facies illustratur, demum apostoli evigilant, et vident tantam claritatem. Rem ipsam bona fide describit evangelista, de ordine parum sollicitus. Ego puto Mosen et Heliam non vere, sed in specie aliqua apparuisse, ut Samuelem olim Saulo, accidens fuisse non substantiam. Nam quidquid a nobis sensu percipitur, aut substantia est aut accidens. Vita humana legibus et legis custodibus ducitur, Moses legislator est, Helias legis custos. Magni semper sunt habiti apud omnes gentes legislatores: gloriantur Athenienses Solone, Pericle, Lacedaemonii Lycurgo, Iudaei Mose et prophetis. Illi ergo duo magni hic adparent, et Christo obsequuntur ac testimonium ferunt. Quasi dicat Christus: Si quis Mosi credit ac Heliae, is mihi credat necesse est: nam et illi de me testantur et mihi parent. Quidquid in mundo unquam clarum fuit aut est, mihi testimonium fert et paret. Ioannes Baptista sanctissimus fuit, tamen fert Christo testimonium. Omnes per Christum ad deum eant oportet. Nam in illo elegit nos ante mundi constitutionem. Quidquid fuit sub lege, sub prophetis, sub apostolis, totum hoc per Christum ad deum venit. In hoc ergo habet hic secum Mosen, Heliam, apostolos. Ipse autem omnes superat: dicit enim pater: Hunc audite! Ostenditur quoque hic veras esse prophetias, vera esse testimonia de Christo, ut ipsi praesentes apostolis quasi digito Christum monstrent, quem prius praedixerant, utque viderent apostoli, quod regnum Christi non terrenum non corporale esset, sed coeleste. Nam illi prius praedicunt mortem, deinde exaltationem in Ierusalem. Neque enim potest corporale aut temporale esse, quod post mortem tandem erigitur et perficitur, imo incipit. At super haec omnia discipuli obliviosi sunt, et rerum illarum ignorantes enim post resurrectionem. Et mirum est, omnes homines anxios esse et tenacissimos earum rerum, quae ad corpus pertinent (nam avarus dormire non potest, et somniat de rebus suis), paucos adeo esse, qui rerum futurarum et aeternarum sint studiosi, aut earum virtutum quae illuc ducunt.

Experrecti autem.) Magno sunt fulgore illustrati. Si vis allegoriam, dum a somno rerum mundanarum expergefimus, tum tandem rerum aeternarum splendorem speculamur. Nam immersum esse vitiis et rebus corporalibus, est aversum esse a deo. Tales enim obcaecati sunt, et alto somno ac lethargo depressi, donec spiritus dei eos expergefaciat. Caro somno tam noxio depressa, nec promissis nec minis excitari potest. Nihil iuvant admonitiones, nihil consolationes, nihil audit, nihil videt, donec oculi aperiantur, ut Christum videat. In Christo specimen omnium virtutum perfectissimum reperiet. Nam quidquid unquam magnum, perfectum, et virtuosum ab optimis gestum est, hoc in Christo perfectissime et absolutissime reperire licet. Quin tanta divinarum virtutum excellentia in Christo est, quae omnes omnium sanctorum virtutes incomparabiliter superet. Omnia in ore Christi condiuntur ut gratiora sint. Ut videmus etiam rem aliquam multo gratiorem esse et magis perspicacem, si ab hoc proferatur quam si ab illo. Sic quidquid deus unquam mundo loquutus est per sanctos, hoc

per os unigeniti filii sui perfectissime loquitur, in quo habitat divinitas corporaliter. Huc respicit Paulus Hebr. 1.

Faciamus hic tria tabernacula.) Omnia cadunt, dum mens in splendorem Christi et divinitatis rapitur: quemadmodum videmus pueros dum viri iam fiunt, ea contemnere, quae in prima aetate admirabantur. Dum inhiamus rebus corporeis, pueri sumus: dum haec contemnimus, signum est nos in Christo adolevisse. Voluptates huius saeculi tum demum voluptates sunt, quum afficiunt, quum delectant, aut quum illis homo fruitur. Quid enim mihi profuerit, si cibus alterum oblectet, me non oblectet? Sic aeternae istae voluptates tum demum verae sunt, quum mentes nostras occupant ac satiant. Cogitet ergo homo: Quid prosunt voluptates huius mundi? mentem nostram satiare ac reficere non possunt, veram tranquillitatem dare non possunt. Mens enim subinde mutatur, in nulla re haeret, iam illi, iam alii rei innititur, succedit voluptas voluptati, simul tamen omnes evanescunt et transeunt, nihil habent certi, nihil solidi: saepe nos hic destituunt et fallunt, in morte sane omnes nos deserunt, post mortem auxilio esse non possunt. Alia ergo quaerenda gaudia, nempe spiritualia, coelestia, aeterna. Qui hisce cogitationibus occupatur, facile despiciet quaecunque mundus admiratur, et convertet mentem suam in immortalia et aeterna, quae mentem perpetuo satiant. Numerus ternarius perfectissimus est, in hunc inscius Petrus rapitur.

Intrantibus illis in nubem.) Hypallage est, ac si diceres: Dum nubes eos obtexisset.

Hic est filius.) Haec verba ex Esaia desumpta sunt, ut videatur prophetia expleta. Quasi diceret deus pater: Annon audivistis quae per os prophetae Esaiae dixerim de filio meo? Hic est ille, ecce iam adest, de quo tum dicebam. Hic est de quo omnes prophetae per spiritum meum vaticinati sunt. In hoc totius mundi salus et vita sita est. Hoc uno nitor, hoc omnis salus nititur. Vide Hebraicum schaan, quod alias declarat: In quo ἐνδόκησα, in quo placor, quiesco etc. Non patior ut quis se medium interponat praeter illum unum, praeter hunc neminem audiam. Vos ergo illum audite.

Solus remansit Iesus.) Ne vox de alio quopiam intelligi posset. Visio haec tam amplifica, et gustus futurae gloriae non fit omnibus apostolis, nedum aliis hominibus; fabulae ergo sunt, quae de visionibus et apparitionibus suis Papistae nugantur. Christus sic mundo innotuit, ut in omnibus tum verbis tum operibus eius intelligere possimus, virtutem in eo divinam, ipsumque esse servatorem mundi; vita eius viva est virtus, et divina vita. Discamus et nos esse quod audimus, nempe Christiani.

Factum est sequenti die.) Facit Christus ac rex aliquis quum hostes debellat et conficit: daemonem expellit hostem humani generis. Populus non ascenderat in montem, sed in radice montis manet et expectat Christum. Mox Christo descendente quisque suam infirmitatem ei exponit, quam ipse sanat ac pellit. Qui ergo excellentioribus donis praediti sunt, spirituque vehementiore, considerent multos adhuc esse infra qui humi repunt, infirmos, aegrotos; illis compatiantur, illos

iuvent, hoc enim est ingenium Christi. Quicunque spiritum Christi habent, huc omnes vires et nervos intendent, ut quam plurimis prosint ac benefaciant, consolentur, moneant, idque fit ab eis opportune importune. Dum Christus Pharisaeos viperas nominat, non minus ad hoc tendit ut resipiscant, quam quum blande caeteros alloquitur. Pater aliquando blande compellat filium, aliquando severius increpat, omnia in idem recidunt.

Magister obsecro te.) Praeceptorem vocant Christum quidam in turba, qui in eum non credebant, vel qui oderant forte. Tanta est authoritas iustitiae, virtutis et sanctimoniae, ut etiam impii et scelerati eam venerentur ac metuant. Coguntur nequissimi homines vel inviti (dum regnat probitas) benefacere et probi esse. Nam cohibentur aut verecundia, aut metu. At dum res eo venit ut sceleratis liceat impune peccare, iam certum est conscelerata et conclamata esse omnia, nullamque amplius institiae esse rationem.

O natio infidelis.) Vehemens increpatio, qua perfidia discipulorum taxatur, quod quum prius daemones eiecissent, iam desperarent. Sed domesticum tantum (quod dicitur) bellum est, quemadmodum paterfamilias suos etsi quandoque increpet, semper tamen defendit, nutrit, tutatur. Quo magis daemon miserum discerpebat, hoc infirmiores reddebantur discipuli, et de eiectione desperabant: territi enim erant. Hoc ex verbis Christi colligitur, quum dicit: Propter infidelitatem vestram. Quum videmus satanam tam immaniter in quibusdam contra iustitiam et veritatem furere, terremur et quasi desperamus. Attendere igitur potentiam Christi debemus: is quum expellit daemonem, iterum resipiscunt infirmi, et gloriam dant deo. Semper cogitare debemus: maior est qui a nobis stat.

Omnes admirabantur.) Synecdochica est loquutio. Tametsi enim miracula et facta Christi talia sint, ut etiam hostes in admirationem raperentur merito, tamen calumniantur Pharisaei omnia dicta et facta Christi. Sed videmus (deo sint gratiae) utcunque furant impii, verbum dei et sacrosanctum evangelium indies crescere et promovere, adversariorum castra deficere et minui. Cur ergo metueremus? cur desperaremus? Expendamus semper opera dei, potentiam eius, quod nunquam suos deserat.

Ponite vos in aures vestras.) Symbolica locutio et Pleonasmus est Hebraicus. Aures enim canales sunt, per quos doctrina et disciplina in animum influit. Aures ergo pro memoria ponuntur. Quasi diceret: Ponite in cor vestrum, recondite haec in memoriam, nolite oblivisci, ne sinatis vobis haec excidere. Quid vero hoc erat, quod in aures debebant ponere apostoli? Hoc nimirum, quod plebs omnia opera Christi admirabatur, quae eum mox erat crucifixura: sic scilicet esse inconstantes animos plebis. Quemadmodum vero in Christo praecessit, ita et in discipulis erat futurum. Hoc mundi est ingenium. Nemo sic cogitet: Sic praedicabis evangelium, ut omnibus placeas, ne mundum offendas. Quasi diceret Christus: Quum omnia miracula facietis, ut etiam toti mundo sitis admirationi, ut omnes adplaudant: ne tamen

excidat, eosdem esse qui vos tandem persequentur. Vos ergo plausum mundi haudquaquam spectate, qui semper pessima optimis rependit.

Tradatur in manus hominum.) Id est in potestatem ac tyrannidem.

At illi ignorabant.) Non intelligunt apostoli, quomodo is, qui deus erat, subiturus esset mortem, potentiam tantum considerantes, non imbecillitatem in Christo, et cur illam assumpsisset.

Iesus videns cogitationem.) Διαλογισμὸς significat: Ein gegen red, do man mit ein ander redt, vnd einers wider den andern haltet. Significat deinde cogitationem. In medium statuere aut ponere, et e medio tollere, ex proprietate est Hebraici sermonis: Darſtellen, dennen thun. Cogitatio superba animos discipulorum subiit, qui audientes mortem praeceptoris, disputant quis maior sit inter eos futurus; nimirum sibi placentes quod tanti domini essent discipuli.

Adprehendit puerum.) Docet Christus suos modestiam exemplo pueri. Quasi diceret: Nihil est quod de primatu disputetis, nolite de fastu cogitare, sed de innocentia, iustitia, contemptu mundi, ut solent pueri. Quum illis similes eritis, tunc vos tutabor, tunc gratos vos mundo faciam, hoc est, piis qui sunt in mundo. Et illi vos meo nomine excipient. Haec modestia et humilitas vos non despicabiles faciet, sed authoritatem et sublimitatem conciliabit vobis.

DIGRESSIO.

Humana stultitia semper ad summa aspirat, et cupit esse excellentissima, non secus ac pueri, qui quum egregios et magnos equos vident, clamare non cessant donec eis imponantur. Mox ut equos conscenderint, clamant et descendere cupiunt. Sic faciunt omnes ambitiosi, volunt in omnibus excellere. Postquam vero ascenderunt, excellentia et altitudine deterriti descensum meditantur. Sic faciunt δημαγωγοὶ qui malis artibus et loquacitate conantur sibi populum conciliare, favoremque eius et plausum captare. Horum stoliditatem fovet stulta plebs, quae se spectatorem et admiratorem praebet huiusmodi fatuis, quum eos eligit et evehit ad summam rerum, aut saltem non resistit quo minus ascendant. Annon pater metu percelleretur, si videret puerum altissimam arborem conscendere? annon potius ei emere vellet cerasa? Aut si alienum puerum conscendere videret, annon cogitaret: Cavebis ne tuus hoc faciat? Qui humi repunt et cadunt, non tam periculose cadunt ac hi qui ex alto decidunt. Quum humana mens in naturam suam redit, recte res habet et bene ei est. Naturam cum Philosophis voco deum ipsum, principium a quo originem habent omnia, a quo esse coepit animus. Sic intelligamus quum de natura loquuntur, et quum dicunt ad se redire, aut in sese descendere. Quum igitur animus hominis cogitat ad quid sit creatus, discit sese cognoscere, dicitur ad sese redire. In hoc mundo vivere, debet fieri quemadmodum refectio corporis; qui in eadem sunt coena, alius alio plus edit, omnes tamen satiantur. Sit sua quisque sorte contentus. Cogita te non esse creatum, ut tantum, quantum ille, possideas: ut consul fias aut senator. Humiliter de se sentire, de quo Christus hic loquitur, nihil aliud est, quam in sese

descendere, ad se redire. Qui in edito sunt loco constituti, non possunt maculas suas et naevos abscondere, aut celare. Lucifer primus fuit, qui solium suum in summis ponere voluit; deiectus ergo fuit ab eo qui solus summus est.

Respondens autem Ioannes.) Ad verba Christi scilicet: Vidimus quendam. Sequi autem hic non solum pedibus sequi significat, sed adhaerere et corde sequi. Tentavit quod vel a Iesu antea, vel a discipulis eius viderat, et permisit dominus, ut is nomine suo daemones expelleret, tametsi non crederet, ut ostenderet quanta esset virtus nominis sui. Movit autem Ioannem, ut hoc interrogaret, verbum Christi quod dixerat, propter incredulitatem eos non potuisse daemonium expellere, quum tamen is, qui nec corpore nec corde ipsum sequeretur id posset. Quasi diceret: Tu, cur daemonium expellere non possimus, causam fuisse dixeras infidelitatem nostram. Cur ergo is expellit, qui omnino nullam habet fidem? quum nos fidem utcunque habeamus et te sequamur? Hinc discimus omnem virtutem dei esse, neque situm esse in nostra dignitate aut sanctitate. Nihil ergo creaturae, nihil nobis tribuamus. Quod apostoli infidelem prohibent, pia quaedam sedulitas est, qua cavent, ne indigni nomen dei assumant ac profanent. Quaeri hic posset, quum Paulus dicit neminem dicere dominum Iesum nisi in spiritu sancto: quomodo is qui infidelis est, dicit dominum Iesum, in cuius nomine daemones expulit? Synecdocha conciliat. Nemo dicit dominus Iesus, id est nemo agnoscit Iesum Christum esse suum servatorem, nisi in spiritu sancto. Sunt enim multi qui dominum ore nominant, qui tamen Christum non agnoscunt, Matth. 7. Si is qui invocato nomine Christi daemones expellit adeoque homini benefacit increpandus apostolis videtur, quid merentur qui nomine Christi ad maledicendum et blasphemandum abutuntur, et salutaria vulnera eius ad execrationem et ad nocendum?

Qui non est adversum nos, nobiscum est.) Haec verba videntur repugnare iis, quae loquitur Matthaei 12. Qui non est mecum contra me est. Sed in Matthaeo loquitur contra Pharisaeos et incredulos, qui visis miraculis Christi contemnebant ea, et daemoni adscribebant. Hoc ergo verbum, quod tum in eos iecit: Qui non est mecum contra me est, ad eos pertinet qui illorum sunt similes. Neque in universum est, quod qui non sit cum Christo Christo adversetur. Sunt enim qui ex ignorantia iam non sunt cum Christo, cum Christo tamen futuri aliquando, quum sint ab aeterno electi. Aut quomodo Christo adversari possent, quem nondum norunt? Verba vero haec quae hic loquitur, ad eas personas pertinent, qui ex ignorantia adhuc cum Christo non sunt, neque tamen adversantur. Circumstantiae ergo in divinis literis tanquam lucerna ad loca obscuriora adhibendae sunt.

Faciem suam obfirmaverat, ut iret Hierosol.) Firmare faciem ad aliquem locum, loquutio est Hebraica. Hoc est, paravit se ut iret Hierosolymam, statuit certo apud se ire Hierosolymam. Nam licet caro eius mortem horreat, tamen animus eius firmatus est, nec cedit. Sic pii debent firmare animum, ut in via domini progrediantur, ne unquam respectent. Videtur autem causam reddere, cur eum noluerint recipere,

Iudaeum nempe, qui velit ire Hierosolymam orandi gratia, ut patet Ioannis 4.

Iacobus et Ioannes.) Hos duos videtur praemisisse, ut pararent. Possunt ergo fideles res suas procurare, suisque providere: nec pugnat hoc cum verbis Christi, quum dicit: Nolite solliciti esse! nam illic de anxia et nimia sollicitudine loquitur Christus, quae venit ex diffidentia carnis.

Increpavit illos.) Zelum discipulorum amarum increpat dominus. Hoc vero non docet pessimis parcere, sontesque non plectere. Consideranda sunt tempora quibus vixit Helias: erat tunc extrema conscelerațio in Israele, idololatria, impietas, nec resipiscit filius etiam defuncto patre, etiam visis miraculis; clamat ergo Helias et perdit impios. At isti qui Christum recipere nolunt, tam perversi et pravi non sunt, adeoque nec tanta poena digni. Sunt ergo adhibendae circumstantiae temporum, personarum, locorum, ut puniantur conscelerati, parcatur quibus est parcendum. Ex ignorantia peccant Samaritae, nam nondum erat apud eos annunciatus Christus: apostolis enim prohibuerat ne illic praedicarent.

Nescitis cuius spiritus estis vos?) Quasi dicat Christus: Premite adfectus vestros, ne nimium indulgete carni. Discimus ergo hoc ex loco, nihil omnino faciendum esse ex affectibus.

Sequar te.) Motus hic verbis Ioannis, qui aegre tulerat alium non sequi Christum, vult Christum sequi affectu quodam, non expensis viribus. Sunt enim qui multa ab initio pollicentur, parum praestant, non satis explorata facultate. Sunt qui rerum novarum curiositate ducuntur, non considerato eventu aut fine. Hos reiicit Christus. Matthaeus scribam fuisse dicit. Ab initio magna fuit simplicitas inter homines, magna innocentia: repertis artibus et disciplinis, coeperunt homines degenerare a simplicitate, tales scilicet qui eruditione et literis abusi sunt ad quaestum et gloriam. Eruditio insignis et utilis res est, sed nocentissima si abutaris. Eruditio et artes non ex malitia ortum habent; sed posteaquam a simplicitate deficerent homines ad pravitatem, coeperunt boni excogitare disciplinas quibus malitiam reprimerent. Industria humana artes reperit propter malorum inventionem. Quum inciperent fures fores et seras ferro perfringere, coeperunt fabri varii generis seras effingere, ut furum malitiae obstarent. Non debet ergo ars culpari, sed abusus. Seneca pessimum tyrannum educavit, at culpa non erat in praeceptore, sed in Nerone, qui abusus est eruditione Senecae. Cogitabat nimirum hic scriba intra se: Si is qui Christum minime est secutus daemones expulit, quanto magis tu si fueris assecla eius? Quaestum ergo et gloriam spectat. Hoc eum spectasse Christi responsio (quae adfectum tangit) indicat. Praetextus ergo est, quem scriba cupiditati suae obducit, quum dicit: Sequar te. Sequi Christum praeclarum et magnum est, sed novit dominus dolum pectoris sui. Quandoquidem ergo malitia et dolus regnant, opus est magna cautione et sapientia, ut vel agnoscamus vel caveamus dolum, ut penetrare possimus in abstrusa pectoris quo sese recipiunt impii.

Ait autem ad alterum,) Haec duo exempla docent, nihil esse

quod nos a domino avellat et avocet. Neque enim Christus tam inhumanus est, ut insepultum et inhumatum patrem illius velit. Sensus ergo est: Apud omnes homines hoc receptum est, et honestum, sepelire parentes mortuos, adeoque necessarium, sed deo adhaerere indivulse magis necessarium. Si ergo ambo haec incidunt simul, alterum erit magis amplectendum, altero relicto. Docet ergo diligentiam in sequendo Christum et adhaerendo deo, dnm res postulat. Nam simul docet haec responsio apostolos suos, qui ad doctrinam vitae electi erant, quod officium perficiendum erat absque cunctatione et mora omni. Qui in ministerium verbi assumpti et electi sunt, non debent ulla re a veritate abduci.

CAPUT X.

Post haec autem designavit.) Typus huius praecessit in veteri testamento in duodecim fontibus et septuaginta palmis: diversae res, eadem utriusque significatio. Duodecim sunt qui ex iusto fonte Christo hauserunt cognitionem et spiritum, hinc effluxerunt in totum orbem. Dactyli foris dulces et molles, intus duri sunt. Sic evangelici doctores delectant et cibant, quum opus est robusti sunt et duri, disciplinam servantes; etiamsi populus aliquando ob imbecillitatem aliquid patitur, ipsi tamen cedere non debent. Tantum de allegoria.

De utilitate et necessitate apostolatus.

In philautia omnes sumus excaecati et immersi. Immodestia nostra et intemperantia omnes artes exercuit et acuit. Primum chirurgi duntaxat fuerunt: vivebant enim tum frugaliter homines, quercubus et glandibus vescentes. Hippocrates alicubi scribit, feminas non caluas fieri, nec podagricas: iam vero reperiuntur et caluae et podagra laborantes feminae. Mentitus ergo est Hippocrates? Mimine inquit Seneca. Sexus et natura feminae mutata non est, sed vitia accesserunt eis. Creverunt simul cum intemperantia morbi. Morbi omnes animorum ex ignorantia dei nascuntur. Nam quantumvis egregie quis de virtutibus loquatur, adfectus tamen superant. Nisi ergo iam dei metus, amor et cognitio accedat: omnia vana sunt. Aliud quidpiam sit necesse est, quod ipsum a vitiis abstrahat, praeter corporis incommodum, ut scilicet homo discat cognoscere dei potentiam, bonitatem, iustitiam, vindictam. Discat inquam cognoscere deum et se ipsum, ut deum glorificet et magnificiat, sese deiiciat ac contemnat, imbecillitatem suam et impotentiam agnoscat. Alexander Macedo nec fortis fuit nec magnanimus, utcunque diceretur Magnus, quia sese vincere, adfectibus gloriae, irae, cupiditatis imperare non potuit, et adfectibus magis fuit deditus, imo pluribus et magis noxiis, quam rusticus aliquis. Qui cognitionem dei non habet, in omnibus temere agit et peccat: pius vero qui dei cognitionem habet, omnia deo adscribit, et in omnibus deum prae oculis habet. Apostoli ergo illi sunt, qui cognitionem dei adferunt et proponunt hominibus, ex qua quidquid boni est originem habet. Haec affectibus imperat, nec sinit ut caro dominetur, utcunque impetu suo feratur. Ingerunt hanc cognitionem apostoli in conscleratum et vitiis

obrutum mundum, docent adhaerere creatori, contemnere terrena, amare coelestia, renovant imaginem dei in homine, restituunt collapsum, degenerem Christo inserunt. Ecce quam utile quamque necessarium officium apostolatus! An non magnifaceres eum qui vites nostras sic plantaret, ut Amineum aut Rhaeticum vinum proferrent? aut qui degeneres arbores suae naturae restitueret? Sic facit apostolus, profert lucem coelestem, in tenebrasque nostras ingerit, ut posthac non in tenebris, sed in luce Christi ambulemus, ut mundo contempto eum cum iactura corporis et rerum sequamur. Hoc officium si tollatur e medio, nihil manet reliquum quam scelera et extrema desperatio. Pastores si demas, mirum non est si lupi regnent et omnia mactent. Nemo enim est qui lupos abigat, aut qui contra eos clamet. Hinc fit ut non oves solum in pascuis adgrediantur, sed ut in ovilia quoque irruant, mox in domos et homines saeviant, ut nihil amplius tutum sit.

Messis magna.) Allegoricus est sermo capiturque messis pro semente. Sementis stat in agro, nec intelligit se maturam esse ad messemque aptam: messores vero hoc norunt qui eam demetunt et colligunt. Sic multi sunt qui ad vitam praeordinati et electi sunt, quum tamen ipsi hoc ignorent. Iam apostolorum officium est, ut illos Christo adducant. Ingens labor est in messe, ingens aestus ac sudor, et pauci sunt qui hunc non horreant, qui aestum et pondus totius diei ferre velint. Messis autem dominus non fert ignavos et laboris impatientes, pigros, socordes: strenuos et alacres amat. Sic dominus in opere suo non fert ignavos et socordes, sed alacres et diligentes. Adparat et armat corda suorum adversus metum. Nam et iudices huius mundi aliquando metu absterrentur, quo minus quod iustum est iuste persequantur. Debent ergo ad huiusmodi officium eligi viri fortes et magnanimi. Sic ad officium apostolatus fortis animi viri eligantur, qui non formident, non ad quemlibet impetum formident, eo quod longe excellentius veritatem et iustitiam asserunt quam iudices. Iudex si aliquando a iusto et vero deflectit, potest persuadere aliis, se id fecisse causa aliqua honesta; non sic propheta, qui deum latere non potest.

Ego mitto vos.) Non quemadmodum principes mundi suos legatos, cum magno scilicet et splendido apparatu: vos hoc in primis curate, ne sitis formidolosi, sed intrepido pectore et constanti animo. Thesaurus quem aliis adfertis, prius sit in corde vestro. Eritis enim quemadmodum agni inter lupos, non feret mundus doctrinam et admonitionem vestram, quae suis moribus adversatur. Hinc vos variis artibus adgredientur. Devovete ergo vitam vestram pro veritate.

Nolite portare sacculum.) Praecipuum officium apostolatus est docere, monere, contra scelera clamare. Hoc omisso aliis rebus vigilarunt Pontificii. Quin hoc depravarunt, adulterarunt, lucro et mercedi tantum inhiantes. Ad haec malis artibus pecuniam ex hominibus extorserunt, ut indulgentiis, missis aliisque nugis. Contra istos venerunt iam Catabaptistae, qui ex adversa parte evangelistis sinceris et fidis mercedem et cibum negant. Multis hyperochis et hyperbolis utitur dominus in hoc sermone, ut quum dicit: Neque calceos, in quibus loquutionibus plus sensus expendi debet quam verba. Dicimus aliquando:

Iste venit in hanc urbem, nec obolum habebat. Quis enim tam pauper est, qui ne obulum quidem habeat? Sic dicit: Neminem salutaveritis per viam. Ubi celeritatem maximam indicat et summam diligentiam, ut patet in libris Regum de servo Helisaei. Sic dicimus Germanice: Empfiel dir ein ding, hebs nit vf. Loquutiones sunt.

Pax huic domui.) Supra dixi שלום pacem Hebraeis non duntaxat esse tranquillitatem animi, sed omnem salutem, Wolſtand. Sic filius pacis vel salutis dicitur electus dei, quem deus ad salutem elegit. Salus in vos redundabit, quam ipsi reiiciunt. Facitis enim hanc imprecationem bono animo, quod novit et rependit deus.

Quae dantur ab illis.) *Τὰ παρ' αὐτῶν.* Hic non loquitur de genere ciborum, Eſſend das jren, id est, quae ab illis vobis dantur. Hoc dicit ad consolationem ne gravarentur quod de alieno labore ederent. Occupatio ergo est. Per mercedem intelligit praemium, cibum, honorem et quidquid est necessarium, et virtuti debetur.

Nolite transire.) Vagari de domo in domum vetat dominus, non quidem simpliciter, sed ne curiosi sint domuum perscrutatores.

Edite quae apponuntur vobis.) Docet apostolos, ut se eis conforment in cibis ad quos venerint. Sic apostoli permiserunt gentibus suos ritus et leges, quae contra dei leges non pugnarunt, ut patet in iudiciis et matrimoniis etc. Errant ergo Catabaptistae qui omnia abolent, magistratum et leges gentium, quum tamen apostoli ne matrimonium quidem in paganismo (qui tamen deum non agnoscebant) contractum dissolvunt. Hoc illi errones dissipant, et sanctissimum vinculum convellunt, abducunt uxores a viris, a pueris matres, idque contra naturae sensum. Nam nec ferae hoc faciunt. Item delectus ciborum per Christi verbum hic aboletur, qui in vetere lege praeceptus erat. Qui a carnibus certis diebus abstinent ut deo serviant in hoc, non secus faciunt, ac si quis in magna pluvia tectum subire domini causa nolit, quum tectum in hunc usum factum sit, ut defendantur homines ab imbribus. Secus si quem imber in patenti campo deprehendat: nam is tectum habere non potest.

Regnum dei.) Regnum dei (quod iam saepius diximus) cognitio est bonitatis et iustitiae dei, cognitio gratiae per Christum exhibitae. Nam lex dei per totum orbem diffusa est per Christum et apostolos suos, quod in veteri lege promissum erat. Haec ergo erat praedicatio apostolorum, advenisse iam regnum, id est, cognitionem dei, bonitatem scilicet eius diffundi per totum orbem, non in Iudaeos duntaxat sed et gentes, licet prius in Iudaeos. Mundum docere, deoque adducere, a vitiis avocare ad vitae emendationem, hoc regnum coelorum est ac regnum dei.

Exeuntes in plateas.) Hoc est foras, מחוץ Hebraico schemate.

Excutite pulverem.) Excutere pulverem e pedibus, symbolum est. Hoc sensu: Quemadmodum pulvis eiicitur et excutitur a pedibus, ita deus vos contemptores sui verbi abiicit. In hoc ostendebant apostoli contemptoribus verbi, quantum esset eorum peccatum.

In die illa.) Demonstrativum est, demonstrans illum magnum diem formidine plenum, quandocunque Christus advenerit. Deus suos

nunquam deseret, quomodo ergo de liberatione et praesidio eius unquam dubitare possumus? quum hic minetur contemptoribus poenam et interitum parem aut graviorem ea quae olim repensa est Sodomitis. Nam non eandem illis minatur sed similem. Quasi dicat: Non minus punientur quam illi olim, etiamsi non igne de coelo delapso exurantur. Audiant haec contemptores divini verbi quanta eos poena maneat, quantum supplicium. Virtutes non merentur dici quae non in finem usque perseverant. *Deficere* argumentum est nunquam fuisse virtutem. Sic in fide et Christiana vita colligendum nobis. Et hoc docet hic Christus, dum civitatibus ingratitudinem et ignaviam suam exprobrat, quae prae caeteris Christum audierant. Quod vobiscum sum versatus, quod vobis praedicavi, quod multa miracula apud vos feci, celebres vos fecit. Caeterum fidem in me nullam habetis, nec verbum meum recipitis, tantum commodum vestrum spectantes. Omnes volumus magni esse et gloriosi, sed in deo magni esse, et multa ac magna propter deum facere ac pati pauci volunt. Hypocritae ergo sumus, quia non studemus solidae virtuti.

Et tu Capernaum.) Hic pulchra est aposiopesis. Nam non addit: Si in te factae essent etc. quum tamen maiores virtutes essent factae, sed subintelligit, aut intelligendum relinquit. Capernaum etiam hodie per totum orbem celebris est, plusquam Roma, sed propter Christum.

Qui vos audit.) Et hunc locum pessime detorquent Pontificii, quum sensus etiam communis reclamet, servum scilicet tunc loco domini habendum, si diversa imo adversa domino suo loquatur ac faciat. Praeoccupat discipulos his verbis: poterant enim inter se dicere: Quomodo nos pauperes et simplices tam grande opus perficere possumus? Consolatur ergo eos Iesus, ut fortes et intrepidi sint, ne dubitent se perfecturos hoc opus, utcunque sint humiles: sic enim placere deo, ut per eos id fiat, ut cognoscat mundus, non esse humanarum virium aut sapientiae huius mundi, sed divinae operationis et virtutis.

Exultavit spiritu.) Iuxta divinam naturam omnia habuit praesentia Christus, omnia vidit. Nam caro lucem divinitatis obscurare non potuit. At iuxta humanam naturam profecit subinde, ut patet supra 2. cap. Exultare ergo ad humanam naturam pertinet. Per spiritum ergo hic spiritum creatum, id est animam, intelligo. Praedixit Esaias de Christo quod pauperibus esset evangelizaturus. Servat deus ordinem omnium rerum, eodem modo nascitur rex et pastor. Adfectus vero hunc ordinem dei pervertunt et vitiant. In usu dissimilitudo est, non in natura. Abutitur enim homo rebus a deo creatis. Interim deus non cessat hominem revocare ad mentem, et eos qui per ambitionem se extulerunt, ad humilitatem reducit. Hoc fit quum cognitio dei homini proponitur. Cognito deo, omnia quae sub deo sunt vilescunt: quantumvis sint magna in suo genere, tamen in comparatione illius summi et aeterni boni nihil sunt. Excidit sibi, quicunque deum recte expendit et cognoscit. Sese aliis comparare fere cristas erigit (tametsi hoc si rite fiat et vere, semper reperies, in quo ab aliis vincaris, et nemo est qui vel unum aliquem hominem superet); at sese respectu dei

perspicere modestos facit. Deus lux est et aeterna sapientia, homo vero scintillam quandam minutissimam huius lucis ac sapientiae participat, et quasi particulam quandam accepit. Sole, dum lucet, fruimur, et tantum quantum ipse se prodit et communicat: quo occumbente, nihil de eo habemus. Sic sol ille aeternus nobis illucet, quoties et quantum sibi visum est. Omnia precario a deo accipimus et vitam et lucem. Mutuum quum repetit creditor, quis aegre feret? Si vita non est in potestate nostra, nec intelligentia. Quid enim aliud est intelligentia, quam mentis a deo illustratio? ut dum ab igne candela accenditur. Quemadmodum sol in corporalibus rebus lucet, sic deus in omnibus mentibus. Hac ex causa dicit hic Christus:

Revelasti ea parvulis.) Quum homo in meditatione numinis eo usque ascendit, ut in sese parvus fiat, absque altitudine sua, in quam se extulerat, rursus descendat, tunc incipit exultare in spiritu, cogitans illud quod Paulus ait: Quid habes quod non accepisti? Si quis de donis dei ut suis gloriatur, non secus facit, ac si quis diceret, solem suum esse. Cognitionem ergo dei hominibus ingerere, aliud nihil est quam homines in sui ipsorum cognitionem inducere. Haec enim simul fiunt. Ubi deus non illucet, insaniunt homines, et in omnia scelera dilabuntur. Ubi sese abiicit homo, illic verae sunt virtutes, et dei cognitio: ubi vero philautia est, illic fastus est vitae, nec vera dei cognitio. Consequitur ex his, quod deus cognitionem suam per humiles et modestos homines mundo proponit. Hoc agnoscens Christus gratias agit patri. Confundit sapientes et magnos, non in hoc, ut eos aeterna ignominia notet, sed ut pudore suffundat, ut sese cognoscere, ut sese deiicere discant. Sapientissimi et potentissimi reges huius mundi, mox ut cogitatione in deum feruntur et rite eum cognoscunt, pudefiant necesse est, deterriti scilicet tanto fulgore aeterni luminis, faterique coguntur se omnino nihil esse. Exultat ergo Christus gratiasque agit patri, quod humilitas quae homini per cognitionem dei obtingit, iam in foribus fit, et toti orbi iamiam evulgetur, per apostolos nempe simplices et idiotas, ut per vasa ista fictilia et fragilia tantus thesaurus hominibus sit proponendus. Si Christus de profectu evangelii gaudet, quanto magis nobis gaudendum est?

Confiteor tibi.) Emphasim habet verbum confitendi, laudo te, magnifico te. Dominum laudare, aut laudem confiteri, est veritati cedere, hoc est, deum veracem agnoscere. Nam deus veritas est. Potens res est veritas, tantaque, ut etiam hi qui seducere volunt, veritatem suis mendaciis praetexant. Veritatem agnoscere, illique adhaerere, est deum laudare. Mox ut loquitur deus, homo audire et obtemperare debet, imo cedere veritati, et sinere ut veritas sit veritas. Qui vero deo loquente vel non audiunt, vel audientes reclamant ac repugnant, deum blasphemant, deum nec cognoscunt nec laudant. Confiteor tibi, id est, gratias ago tibi, laudo te.

Domine coeli et terrae.) Periphrasis est veri dei et omnipotentis creatoris, in quo fides nostra consistit. Qui enim creaturis nituntur, fideles non sunt. Creator coeli et terrae obiectum est fidei nostrae.

Parvulis.) Νήπιοι hic non stultos significat, sed parvulos et

humilis conditionis homines, non claro genere natos, nec humana sapientia turgidos. At hos perfecit et consummavit spiritus dei, et Christus aliquot annis eos exercuit. Nihil ergo agunt Catabaptistae, qui ad hoc muneris stultos et indoctos asciscunt, freti nimirum hoc loco, ac si spiritus sua dona horreret in hominibus, et non potius ea corrigeret, emendaret ac absolveret. Annon et Paulum doctissimum in lege hominem ad praedicandi munus de coelo vocavit, et summa sapientia, nempe Christi cognitione donavit? Sapientes et doctos esse oportet, quibus evangelium praedicandi munus datur, sive hanc eruditionem longo usu, sive una hora acceperint.

Quia sic complacitum est ante te.) Εὐδοκία hoc loco est, de qua voce saepe alias diximus: Alſo iſts dyns gfallens. Sic vis, sic tibi placet, ut per humiles cognitio tui hominibus proponatur, ut discant se homines abiicere, et te solum glorificare, ut nobis contemptis solus ipse in nobis regnet et exaltetur.

Omnia tradita sunt mihi.) Unius naturae, essentiae et potentiae est filius cum patre. Accendantur ab una lucerna mille, omnes sunt eiusdem naturae et operationis, attamen una generat, alia generatur. Sic pater generat filium, unius tamen sunt essentiae, eiusdem virtutis. In luce est splendor et calor. Ignis illuminat, calefacit, exiccat, tres sunt operationes et diversae, eiusdem tamen substantiae.

Filium nemo novit nisi pater.) Quasi dicat Christus: Placet quidem patri meo, ut per vos humiles gratia ipsius hominibus innotescat, et homines per vestram doctrinam in sui cognitionem inducantur. Illustrabit per vos pater meus mundum, attamen nemo credet nisi per patrem meum trahatur et illustretur; qui et vos illustravit, ut sermoni meo crederetis, et mihi adhaereretis. Non ergo vestrum est quod evangelium dei praedicatis, sed dei qui vos elegit, qui per vos operabitur.

Beati oculi.) Oculis ac visu symbolis utuntur Hebraei, etiam quum de mente et intellectu loquuntur. Sic etiam auribus, organo externo quo disciplina hauritur, pro intellectu. Auribus percipite, Germanus diceret: Faſſends zhertzen, merckends. Neque enim hic de externo sensu visus loquitur. Beati sunt, qui in istam cognitionem venerunt, quam vos percepistis. Nam mox praemisit: Nemo cognoscit patrem nisi filius, et cui voluerit filius revelare. Non invidet deus; quod faciunt miseri mortales. Qui plus aliis habent, aut in re aliqua excellunt, invident aliis: aut si tradunt, maligne et infideliter tradunt, quaedam a discipulis abscondunt, quaedam celant. Non sic Christus: quos enim in discipulos allegit, illis omnia revelat.

Conversus ad discipulos.) Non fit hoc invidentia aliqua, ut se a plebe vertat ad discipulos, quasi absconsurus aliqua, sed fit iudicio. Discipuli erant peculiariter ad hoc muneris selecti, ut caeteros docerent; hos iam vocat et illustrat prae caeteris. Quidam porro doctrinam spiritus non recipiunt, ab illis aliquando convertunt se ministri dei ad eos qui verbum libenter recipiunt. Deinde quibusdam lacte opus est, non solido cibo donec adolescant. Discipuli aliquo usque profecerant prae caeteris, magis doctrinae Christi capaces. O quanta feli-

citas est, quum deus se sic cognoscendum homini praebet, ut totus se in illum conjiciat et illo fidat.

Voluerunt.) Pro cupierunt more Hebraico. Prophetae obscure quidem de Christo salvatore mittendo cognoverunt, at non tam clare ut apostoli: illis pollicitus erat, his exhibitus. Intellige autem per Prophetas eos omnes qui doctrinae et verbo praefuerunt, per Reges eos qui populo praefuerunt. Veteres non tam clare tam distincte et diserte omnia pernoverunt, neque corporaliter ista fuerunt eis exhibita. Apostoli viderunt, et tetigerunt etiam. Neque idcirco vera beatitudo visui corporali datur; licet aliqua sit pars felicitatis. Nam Christus dicit: Beati qui non viderunt et crediderunt. Haec vox Beati Hebraicae voci Ascher respondet, sed latius hic patet: O wie iſt denen ſo wol, o wie glückhafft ſind ſy ꝛc. Qualiter veteres in promissionibus de Christo haeserint, per singula explicare longum fuerit. Eva de Cain dicebat: Possedi hominem per deum (a possidendo enim Cain nomen habet); eum scilicet virum iam possideo, de quo dominus dixit: Semen mulieris etc. Emphasis est in dictione Virum. At ipsa non erat illa mulier cuius semen contriturum erat serpentis caput. Descende sic per singulas generationes usque ad Simeonem, qui et ipse desiderio quodam tenebatur Christum videndi; at prioribus non contigit quod Simeoni et apostolis, ut praeter fidem et oculos mentis etiam corporalibus oculis Christum viderent, quod magnae cuiusdam felicitatis erat, ut patet hic testimonio Christi. Non ergo solum loquitur hic de eo, quod aliquis videat Christum, sed de hoc quod salus sit praestita, quam multi reges exoptarint. Neque ad solos dicta sunt haec apostolos, sed ad omnes qui post Christum sunt. Nam illis Christus exhibitus et praestitus est, et salus consummata.

Homo quidam descendebat.) Exemplum in hoc argumento ficto proponitur humanae curiositatis. Multa scimus, sed plura semper quaerimus, si quo modo facilius quiddam invenire liceat, negligentes interim maxime necessaria. Hinc fit ut vel eremitas aliquando, et errones interrogemus, quid nobis faciendum sit, ut vitam habeamus. Veram vitae viam, quam Christus toties repetit: Qui in me credit habet vitam aeternam, ambulare non volumus. Iubemur diligere proximum ut nos ipsos, sed malleus iste nimis gravis est nobis, ergo nemo vult eum in manus sumere. Haec nostra malitia et curiositas errori locum dedit in Papatu: avidius multo audivimus figmenta quam veritatem; merito ergo seducti sumus. Quis est qui non quotidie hoc audierit: Diliges proximum tuum ut te ipsum? Hoc vero noluimus audire. Quod si quis dixisset: Da mihi aureum, celebrabo tibi Missam, sacrificabo pro te, hoc mordicus amplexi sumus; interim tamen nos in vitiis et sceleribus computruimus. Sylla, Marius, Iulius nunquam in urbe tantam potuissent exercere tyrannidem, si caeteri omnes boni et constantes viri fuissent. Necesse fuit ut multi essent scelerati, qui suis affectibus capti caeteros etiam fovement. Cogitavit alius: Si iste imperium obtinuerit, tu es magnus apud illum futurus, admovebit te ad hoc officium. Nunquam fieri poterit, ut nebulo aliquis summam rerum occupet, nisi plures in populo sint nebulones qui eum evehant, aut qui

eum ascendere permittant, aut non resistant saltem, quibus consceleratio illius placeat.

Quid faciendo.) Quid quaerit hic legisperitus, quum ipse sit legis peritissimus? Quid faciam? Quasi vero in actione et non potius in passione sit sita salus, hoc est, ut nos subdamur manui dei, et patiamur quod ipse in nos agit. Qui deum et se ipsum cognoscit, huic non opus est, ut plura interroget, quid faciat. Mox ex cognitione sui ipsius discet, quantum sibi adhuc supersit, quantum adhuc agendum, quantum toto aevo absolvere nunquam possit. Uxor honesta quum primum in aedes mariti recipitur, nihil opus est ut quid faciat interroget: mox videbit quid sit faciendum, occurrent statim infinitae rerum species, quae ei vix somnum permittent. Nihil tam procul est dissitum, nihil tam alte repostum, imo nihil est in universa rerum natura, quod non investigemus, quod non adquirere satagamus, si nobis cordi est, si diligimus. Nihil vero amatur ab hominibus, nihil desideratur, quod bonum esse non cogitetur. Qui ergo fit ut deum non amemus? Propterea quod eum non cognoscimus. Tantum est bonum deus, ut quo magis cognoscitur, hoc magis amatur. Cur vero cognitum eum non habemus? quod eius discipuli esse, ab eo discere nolumus. Non expendimus eius naturam, facta, beneficia, opera, toti immersi terrenis et caducis rebus. Si oblectaremur in summo illo et aeterno bono, tantam voluptatem tantum gaudium conciperemus, ut prae illo omnia alia facile contemneremus. Cognitio dei charitatem secum vehit: qui deum non amat, nec deum cognoscit. Ad hanc cognitionem dei (qui maior est universo orbe) creati sumus, ut scilicet hunc amemus, idque super omnia. Hoc si non fecerimus, ad quid proderit ergo eius bonitatem et iustitiam nosse? aut quid vitae innocentia et integritate nobis opus erit? Cognoscere quod deus sit, omnis iustitiae initium est. Qui ergo, postquam deum unum et verum esse audierunt, adhuc divos colunt et invocant, deum esse non credunt. Annon is fatuus censendus est, imo nequam, qui ex quolibet quodlibet facere et rerum naturas mutare conatur, qui lapides pro argento, lutum pro auro habet, quum de natura argenti et auri sit edoctus? Per visibilia venitur in cognitionem invisibilis dei, ut docet Paulus Rom. 1. Qui ergo ex his cognoscit supremam aliquam et summam virtutem (deum) esse, interim tamen aliam virtutem praeter deum aestimat ac colit, is nequam est, nec credit esse deum, quidquid tandem de deo garriat aut glorietur. Impossibile est, ut quis deum vere cognoscat, et creaturas pro deo colat aut invocet. Sed sunt homines qui doceri nolunt, quum facile discere possent, si saltem audire vellent. Qui de aliquo insigni artifice audit, is neque laboribus neque expensis parcit, donec illum videat et audiat. Cur hoc? quia delectatur illo, amat illum. Qui nobis deum proponunt, qui nos dei cognitionem docent, qui nobis de deo loquuntur, hos audire non possumus: causa est, quia deum haudquaquam amamus nec illo delectamur. Hactenus quod sit deus cognoscere docuimus; iam, quid sit deus, aut quale bonum. Quid vero homines bonum aestimant, aut quid pro bono habent? Numerant triplicia bona, corporis, animi, fortunae: divitias, gloriam, voluptatem, formam etc. At illa omnia

caduca sunt, omnia pereunt. Animi tamen bona bonis corporeis longe praestant. Potest enim defectus viribus et senio confectus sapientia pollere et iustitia. Reperitur ergo vestigium aliquod in homine verorum bonorum. Ex quo colligitur, deum ista omnia longe superare, atque excellere istis, adeoque eum esse summam iustitiam, summum robur, thesaurum excellentissimum, divitias aeternas etc.

Et proximum tuum.) Amorem proximi et concordiam ex aedificiis aliquo modo concipere possumus, ubi lapides sese mutuo sustinent, et quisque rite officium suum facit tam qui in fundamento iacet, quam qui in summa pendet testudine, servit alter alteri citra invidentiam. Sic nobis mutuo faciendum erit. Nec inepta est similitudo, quum Paulus nos aedificium et templum dei nominet, in quo super fundamentum Christum nos tanquam vivi lapides extructi sumus. Qui artem aliquam manuariam exercere velit, primum artem eam rite discat, et non opus erit, ut interroget deinde, quid faciendum, qualia instrumenta emenda sint. Si vis esse discipulus et servus dei, disce prius deum rite cognoscere; ex hac deinde cognitione omnia bona profluent, ut non sit necesse interrogare quid facias: fides dictabit omnia, amicos diligere, sceleratum punire, et e medio quoque, si opus sit, tollere, misereri, parcere, saevire, occidere. In hac parabola Christus non solum docet, quis sit proximus, sed legisperitum simul docet, quomodo filius dei nostram calamitatem misertus, totius mundi infirmitates in se susceperit et sanaverit; et quod neque sacerdotium, neque Levitarum officium erigere humanum genus potuerit, sed is duntaxat quem illi per contemptum Samaritanum vocabant. Qui veritati repugnant, et homines occidunt propter fidei confessionem, peiores sunt latrones, quam qui corpus tantum occidunt lucri causa. Si allegoria placet: Diabolus est latro, qui humano generi insidiatur, spoliat illud et vulnerat, et semivivos nos aut semimortuos relinquit, ut ad patriam et coelestem Ierusalem suis viribus nunquam redire possimus, nisi dominus nos humeris suis impositos restituat.

Praeterierunt.) Duo indicat Christus, et sacerdotum perfidiam qui homines negligebant, sua tantum quaerentes, et sacrificiorum legalium infirmitatem. Deinde nec Leviticus ordo servare potuit. In genere et obiter interim docet, quod quicunque praeterito proximo non iuvant, eos perfidos esse. Si sacerdotium Papisticum cum Iudaico conferatur, maiorem reperies perfidiam et corruptionem. Non secus fecit Pontifex cum suis, quam si quis dicat: Date mihi quaecunque peto, ut voluptati meae et libidini abunde satis faciam. Deinde si quis me in his impedire aut licentiam meam castigare aut emendare tentaverit, hunc avertite, et me in tanta conscleratione defendite. Per vinum potest intelligi acrimonia doctrinae Christi, et eorum qui praesunt verbo; per oleum misericordia et mansuetudo, ambo aeque necessaria et utilia. Officii nostri est, curare ut corpus Christi recte valeat et sanetur, quacunque tandem ratione id fiat, sive importune, sive opportune. Medicus aut chirurgus, non unguentis modo lenit ac molliter tractat vulnus, sed et secat aliquando et caustica adhibet, prout videt salutare esse iis qui laborant. Per iumentum potest corpus Christi

intelligi: nam peccata nostra in suo corpore portavit super lignum, ut Petrus testatur; et ovem perditam ac errabundam humeris suis impositam pastor bonus reduxit. Christi doctrina de proximo non solum ad eum pertinet qui praesidio et ope eget, sed ad eum proximum quoque qui iuvat et opitulatur. Quasi dicat Christus: Non refert quale nomen sitis adepti, quod scilicet Iudaeorum sacerdotes appellamini. Quicunque tantum in se habet dei et humanitatis, ut visa egestate et inopia adcurrat, opemque ferat, is bonus est et pius vir, et is deo probatur. Necessitas proximi te illi, et illum tibi proximum facit. Nos fingimus ordinem quendam in charitate, nobisque blandientes dicimus: An non puero meo ante omnia opem ferrem? quasi vero tam pii essemus, ceterisque omnibus opem tulissemus, et nusquam in legem incidissemus, nisi quod pueris nostris primum manum porrexerimus. Sed hypocrisis est, et zelus praeposterus, et astuta quaedam curiositas, quae nobis istas interrogationes exprimit. Exemplum: Puer, cui mandas aliquid quod gravatim et invite facit, subinde quaerit: Cur vero hoc? quia animus eius invitus est in exequendis mandatis tuis. Si ei adlubesceret, mox colum et fusum adprehenderet: scit enim ubi sint reposita. Ubicunque est vera dei cognitio et proximorum dilectio, non opus est multis interrogationibus aut argutiis. Quisque facile videt, ubi sit succurrendum, cui manus praebenda, cui prius, cui vero posteriori loco.

Assidens ad pedes.) *Παρακαθίσασα*, Participiis activis Graeci aliquando pro praeteritis imperfectis neutris utuntur, sedebat. Sentiebat Maria claritatem verbi dei in mente sua. Verbum enim dei mentem illustrat et clarificat, purgatque eam a terrenis affectibus, a coeno cupiditatum quietam, tranquillam et pacatam reddit conscientiam. Quum enim, qui affectibus carnis occupati sunt, verbum dei audiunt, obstupescunt, cogunturque dicere: Verum est quod iste dixit. Ac si quis ad avarum aliquem diceret: Cogita deum, cogita ad quid sis creatus! perdis animam tuam, perdis thesaurum in coelo, non es creatus ut inhies terrenis. Iam avarus iste conscientia teste fatetur, hoc quod audit veritatem esse. Adhuc tamen sic adfectibus immersi sumus, ut contra apertam et cognitam, imo confessam veritatem pugnemus. At benignissimus pater non cessat admonere, omnes vias nobis obstruit et aggeres obiicit, ne fluvii in morem erumpamus. Maria ergo, cuius cor impuris adfectibus occupatum erat, quum audiret Christum, diligenter auscultat, quoque commodius id possit, assidet ad pedes eius. Audit inquam verbum Christi, relinquit caetera omnia, quia gratissimum ei erat verbum Christi. Ardet fide, ardet dilectione, desiderium magnum habet. Nec dubium est quin et Martha loquentem Christum cum Maria audierit, sed dissimiliter audiunt hae duae sorores. In Maria pectus ardens est, cognitio plenior, firmior fides. Sic et in nobis fit, ut simul omnes audiamus verbum domini, sed dissimili fide ac fructu. Terra optima est in Maria. Saepe fit ut ardentior et perfectior spiritus sit in aliquibus, quam nobis videatur aut appareat: rursus non raro maiorem spiritum et ferventiorem quidam prae se ferunt aut simulant potius, quam sit intus re vera. Hoc in Martha patet. Gaudere enim et exultare oportuerat eam, quod soror eius sic indivulse haereret

doctori coelesti. Sed sic natura comparatum est, ut quod quisque maximum censet et in corde suo praefert, hoc a caeteris omnibus agi et amplecti velit. In hoc tamen Marthae modestia notatur quod sororem suam non duris verbis alloquitur aut corripit, sed Christo rem committit omnem, et Christus tantum apud eam valet, ut mox ei, pro Maria respondenti, cedat nec ultra responset, sed laeta et alacris ministret. Quorum corda fide sunt imbuta et vera pietate, ii veritate audita mox locum dant veritati; tantum valet apud eos veritas.

Martha Martha sollicita es.) Satis turbulenta es o Martha, et negotiis multis implicata, quum unico posses esse contenta. A rebus corporalibus ad spiritualia subducit mentes Christus, et in anagoga ludit. Deum audire loquentem, hunc meditari, huic uni adhaerere, unicum est et maxime necessarium, hoc nunquam cessat: perpetuum enim est. Cibus et potus aboletur et perit, cibus vero quo Maria intus vescitur aeternus est. Cogitabat proculdubio Maria in corde suo: Hei quam misera, quam impura es; posthac nunquam peccabis etc.

Bonam partem.) Pars pro labore ponitur: Antithesis enim est ad Marthae negotium. Immutabili et aeterno bono inhaerere, aeternos nos facit et constantes.

CAPUT XI.

Quum oraret quodam in loco.) Quandoquidem omnis Christi actio nostra est eruditio, discipuli quum vident praeceptorem suum orantem, putant et sibi esse orandum; qua ratione ergo id faciant ab eo interrogant Non enim sibi, sed nobis oravit. Hoc natura videmus comparatum esse, ut filii ad patrem, insipientes et simplices ad sapientes, si quid eis desit accurrant, idque ea fiducia, ut non dubitent se quod petunt impetraturos. Et quomodo creator deus suas creaturas, pater coelestis filios suos, sapientia aeterna insipientes nos repelleret? Hoc de deo sentire impium fuerit. Sed culpa in nobis est: raro ad deum tam benignissimum patrem accurrimus, meditationes nostrae non sunt in eo assiduae, non volumus omnia consilia nostra ex hoc perenni fonte haurire, non accedimus frequentius ad hanc lucem, non facimus eum nobis familiarem, raro colloquimur. Hinc tam miseri sumus, caeci, aridi, frigidi, ignavi. Haeremus immersi rebus corporalibus, raro adcurrimus ad tam benignum patrem, ad summum illud bonum. Qui vero hoc in usu habet, ut saepius in colloquium cum deo ingrediatur, opemque illic quaerat, is sentit semper se fortiorem abire et alacriorem. In omnibus periculis dicit: O domine! sic complacitum est tibi. Sed non dubito, quin tu pro tua bonitate rem ita sis temperaturus, ut ostendas cum tentatione exitum. Scio, promovebis gloriam tuam, iustitiam, veritatem, utcunque saeviant adversarii. Scio, opem feres et manum praebebis mihi ministro tuo. Etiamsi interim de vita periclitor et pereo, adhuc tamen nihil dubito quin vel post mortem meam sis opus tuum ad finem perducturus, ut nomen tuum ubique obtineat etc. Saepe coram deo stamus et oramus iusta affectus nostros, cupiditatem divitiarum, voluptatum etc. non secus ac dum filius malus a patre aureum nummum petit. Quaerente patre ad quid? respondet ut papyrum emat. Mox pater: Num ergo

ad hanc rem tantum opus habes? Ecce vetulus ille pater, usu rerum longo exercitus et edoctus, intelligit adfectus stulti filii, filius pudefactus cogitur vacuus discedere. Sic cogitandum nobis est, nota esse deo corda nostra, utcunque dissimulemus et aliud praetexamus, ne quid petamus quod vel nos non deceat postulare, vel ipsum non praestare. Sic petamus quemadmodum ipse vult rogari. Et hoc certa forma nobis praescribit; diligenter ergo est observanda. Deus nihil dat quod non bonum et utile sit. Cur ergo non committimus ei omnia? Cur petere audemus res, quae prosint an obsint ignoramus?

Domine doce nos orare.) Honesta est haec petitio qua formam sibi et modum praescribi volunt, ne orando errare possint. Hoc et nos facere convenit: ignoramus enim, ut inquit Paulus, quid oremus. Et dominus ad apostolos dixit: Nescitis quid petatis; spiritus vero est qui pro nobis intercedit. Ubi spiritum humanum ego intelligo illustratum et doctum a divino spiritu.

Pater noster qui es in coelis.) Coeli et terrae te agnoscimus dominum et gubernatorem: nam si coelum regit, quanto magis terram? Qui es in coelis, periphrasim puto esse, ac si diceremus: O pater coelestis: non enim alloquimur hic patrem carnalem et terrenum. Patrem se adpellari gaudet, non dominum in precando. Domini et principes terreni offensi indignantur adeo, ut qui malefecerint eos adire non audeant; avertunt faciem, aversantur miseros, non admittunt precantes nisi per multos intercessores. Haec in deo non sunt: pater enim est, et pientissimus atque indulgentissimus pater, utcunque nos simus impuri, miseri, inopes. Ut terrenus pater saepe plus inter liberos suos eos diligit et curat, qui infirmiores et imbecilliores sunt: ita coelestis pater peccatores plus amat, qui videlicet se peccatores esse confitentur, morbum suum agnoscunt, sibi displicent, iustitiam sitiunt. Misericors pater est, non tyrannus. Dives est, et vult ut divitiis suis fruamur, nec despicit nos propter iniquitates nostras. Pater noster, sic alloqui convenit deum, non Gertrudam, non Christophorum aut Erasmum. Qui ergo divis dicunt Pater noster, ostendunt se nondum fideles esse. Solus deus est pater noster, deus inquam qui coelos inhabitat, qui dominus est coeli et terrae.

Sanctificetur nomen tuum.) Nomen pro virtute et potentia, quae si per orbem illustratur, nomen dei dicitur sanctificari. Fac o pater, ut te solum potentem omnes agnoscant, ut te venerentur, colant.

Veniat regnum tuum.) Ubi sic deus colitur, ubi sic virtus eius agnoscitur, illic est regnum dei.

Panem quotidianum.) Ἐπιούσιον est Graecis. Intelligo eum panem quo opus habet homo ad sustentandam vitam et substantiam, ut ἐπὶ significet ad, non super. Panis qui ad substantiam pertinet. Deinde ut confirmet nos supercoelesti pane, interim tamen corpus cibat quotidiano pane.

Remitte nobis debita, sicut etc.) Quaedam sunt vitia condonanda, quaedam vero extirpanda. Christus loquitur hic de quotidianis lapsibus: nam de illis dicitur, quod septuagies septies sunt remittendi.

A malo.) Ἀπὸ τῦ πονηροῦ, a malo scilicet, qui malorum omnium

fons est et origo, ab adversario spirituali. Christus quum tam et frequenter et diligenter orat, nobis in exemplum orat, ut doceat nos assiduos esse et attentos, ut fides nostra in deum firmetur. Fides cognoscit, expendit, meditatur opera et beneficia domini, idque summa diligentia et semper, divitias eius, sapientiam, potentiam, bonitatem, denique deum in omnibus cogitat, miratur, laudat, rogat, gratias agit, invocat. Ne defatigemur orando! ipse enim non defatigatur audiendo et dando.

Quis vestrum habebit amicum.) Duo fere sunt, quae faciunt desperare orantes. Primum quum sic cogitant homines: Non dabit is quem petis. Secundo: Quum dat etiam, dubito an profuturum sit. Iam Christus utraque haec responsione sua amolitur. Quasi dicat: Haec in me metuenda non erunt: non is sum, ad quem accedere non audeatis, nec tam altus ut non possitis: non abominor vos, non fatigor precibus vestris, nunquam me taedet vestri; nihil ergo vos pudeat saepius ad me venire. Deinde non est ut alterum metuatis: nam etiamsi vos tam stulti essetis, ut aliquid postularetis quod nociturum esset, ego tamen tam sapiens ac bonus sum, ut non praestem hoc, sed aliud illius loco. Nihil est in toto orbe, quod hominis animum satis exhilarare aut reficere possit, praeter unum deum. Deus est summum et aeternum bonum. Bona ergo quae possidebit homo apud deum aeterna et perfecta sunt; opes, gaudia, voluptates, et quidquid tandem nominare potes, in deo reperies tanquam in vero fonte. Quum ergo illa recte cognoscuntur, alia omnia vilescunt, et facile contemnuntur. Quod si caro illa gravatim relinquit, illis delectatur, aut contraria horret, spiritus tamen ad deum continue clamat. Exemplum autem proponit Christus, sub quo omnia ea complectitur, quae ad usum tuum recondis, aliis negas.

De via.) Loquutio est, subito, peregre. Indicatur autem omnis necessitas proximi qua torquetur et opem a nobis petit, ut sarciamus quae desunt. Hoc vero diligenter observandum, quod Christus in hoc quod docet se eum esse apud quem omnia reperiamus, simul docet nos ut proximo, quem ipse nobis mittit, demus ea quibus indiget; etiamsi nobis parum integrum fuerit, etiamsi caro nostra impatiens sit, pigra, somnolenta, ignava, ne ullo pacto amicum repellamus neve vacuum abire sinamus, sed cogitemus: Non potes hunc amandare nec dimittere vacuum, quum tu tot bona a deo accepta possideas, quum hunc ad te miserit, ut impartias, quum te iusserit esse misericordem. Da illi, hoc placet deo etc. Statuis apud te: Dabo bona mea illi vel illi, sic et sic utar eis. Sed Christus aliud docet hac parabola. Non sic te bonorum suorum procuratorem ac dispensatorem constituit, ut tu illis utaris pro tua libidine, sed vult ut etiam ei des, qui peregre et ἐξ ὁδῦ ad te venit, quod et superiori capite patuit de eo, qui incidit in latrones. Cogita proximum tuum esse quicunque ope tua opus habet. Sic Abraham fecit, sic Lot. Bona nostra quae deus dedit nobis sic parata habere debemus, ut parati et prompti simus ea impartiri unicuique quem deus ad nos mittit. Regula in his erit fides et charitas, ad quam omnia Christianorum opera sunt examinanda.

Quod ponam ante illum.) Hospitalitas et beneficentia docetur erga advenas et peregrinos. Nam sic vivendum est Christianis, ut labore suo adquirant, quod pro se et aliis habeant, ut docet Paulus Thessalonicenses.

Propter improbitatem.) Ἀναίδειαν impudentiam pro improbitate et asperitate aut vehementia quadam ponit, pro importuna quadam ursione, verbo vehementiori pro mitiori usus, quod et Graecis et Latinis perfrequens est, Extorsit hoc a me importunitate quadam. Neque enim impudentia fuit in petente, sed necessitas. Ubi discimus sensum esse regulam verborum, non verba sensus. Der ſinn muß nit nach den worten geſpannen wärden, ſunder die wort nach dem ſinn. Hac ergo similitudine Christus cessantes nos ad assiduam et vehementem orationem invitat. Quasi dicat: Ut inter vos fit, ut improbitate vincantur tandem homines, ut dent si quis acrius instet: ita et apud me erit multoque plus, si acrius orationibus institeritis. Alterum quod nos impedit quo minus petamus aliquid a deo est, quod nescimus an postulatum sit obfuturum an profuturum. At hoc in deum (ut supra attigi) cadere non potest: ille enim nihil dat, quod non sit optimum. Hoc iis verbis docet.

Quis autem ex vobis pater, a quo si fil.) Verba expositione nulla egent, quum sint luce clariora. Hoc igitur primum docet, se nihil dare posse quod obsit. Deinde et iis respondet, qui queruntur se saepius orasse, impetrasse nihil: causam nimirum esse, quod iuxta affectus suos noxia petierint. Hoc enim saepe ex ignorantia et adfectibus facimus. Quoties ergo deus preces nostras repellit, aut quae petimus negat, certum argumentum est, culpam in nobis esse: deus enim nec mentiri, nec fallere potest. Medicus saepe negat aut prohibet aegroto, quae ille maxime cupit. Adfectus enim aegroti sequuntur, non rationem: medicus iudicio agit et consilio. Deus medicus est, nos aegroti sumus et adfectibus adobruti. Quod si hoc bonum iudicare voluerimus, quod bonum esse adfectus dictant, tota religionis nostrae summa subvertetur. Nam solus deus bonus est, imo summum bonum est deus; quidquid vero hoc summum bonum dat et impertit, hoc maxime bonum sit oportet, et tum etiam quum dat. Quum vero non dat, signum est, tum bonum non esse. Abrahamo opes bonae erant et utiles, Achabo et Manassi bonae non erant; et tamen hoc bonum erat in suo genere, quod deus illis opibus apud illos efficere voluit. Quur Petri negatio et Davidis scelus in sacris literis prodita sunt memoriae, et in concionibus subinde refricantur? quum interim multarum matronarum pudicitia et honestas ne verbo attingatur? fit hoc ut consolationem quaerere discamus in Christo. Deus bene utitur nostra malitia; interim tamen nec excusamur nos, nec culpa caremus. Quidquid deus facit hoc bonum est, abutitur plerumque nostra malitia ad suam gloriam. Quum impiis dat opes, non sine causa facit, vult aliquid boni isthinc elicere; si pio dat opes, iterum vult efficere aliquid boni. Oritur autem hic quaestio: Cur ergo deus punit peccantes quum ipse omnia det et operetur? Respondeo: Creaturae sunt in triplici differentia. Sunt substantiae spirituales et purae, ut angeli et animae. At animae corporibus sunt

immersae, adeoque nonnihil impuritatis habent. Angeli confirmati sine adfectibus sunt impuris: sunt enim in deo, in ista aeterna luce et igne purissimo, a quo semper illustantur et accenduntur. Non est opus ut ad ignem dicas: Da flammam! nam suapte natura hoc facit. Anima vero in corpore impuro est, adeoque adfectibus obruta. Homo ergo sub lege est dei: voluit enim deus lege sua spiritum quem condiderat ad se revocare et reducere. Est tertius quidam ordo, pecorum et aliarum creaturarum. Pecora non sunt in hoc creata, ut deum perpetuo contemplentur, aut quod eo aeternum fruantur. Homo autem in hoc conditus est, ut creatorem suum cognoscat, amet, colat, eoque aeternum fruatur; quia vero corpus habet quod eum a deo abducit, dedit ei legem quasi regulam, ut secundum illam vivat, formetque se ad eius voluntatem. In quo et hoc observandum, quod deus hominem aeternum vult beare, nempe quia legem suam ei dedit. Si enim nullam ei legem dedisset, quemadmodum bestiis, signum esset, quod simul cum bestiis interiremus. Sed in lege discimus, nos a deo non in hoc tantum creatos esse, ut hic vivamus, sed ut etiam post hanc vitam. Si lex non esset, nesciremus quid rectum esset, quid minus. Angeli lege nulla opus habent: nam omnia vident in deo, cui perpetuo assistunt. Sed nos mortales hic in terris opus habemus lege, ut sciamus quid bonum sit, quid malum. Quum ergo deus dat divitias, et tu illis abuteris ac peccas, tu culpa non cares, quia sub lege es quam praevaricaris. Deus non peccat, quia non est sub lege. Recte ergo et merito punitur homo, qui sub lege est, et contra legem agit. Deus peccare non potest, quia nulla lege tenetur. Hoc enim peccatum duntaxat est, quod contra legem designatur. Nihil ergo queraris, si deus tibi non dat divitias, si non dat sanitatem. Non enim sine causa haec negat deus: pro sua sapientia novit tibi ea non profutura. Dicis: Cur ergo alii dat? vel alii utile et bonum est? Medicum interroga! alia ratio est. Quod uni convenit ad vitam, alii esse potest causa magnae infirmitatis. Sunt enim diversae hominum complexiones. Omnia igitur fideli medico committamus, qui nihil dabit nisi quod e re nostra futurum noverit.

Exemplo res clara fiet. Rusticus aegrotabat, medicus morbo eius medicinam praescripsit, quam ab apothecario paratam duobus coronatis emit. Quumque domum rediret rusticus, in itinere eum tanti precii poenitere coepit. Redit ad apothecarium, reddit medicinam, reposcit pecuniam. Apothecarius respondit, se quidem recepturum esse medicinam, caeterum pecuniam nequaquam redditurum: se enim hanc ne triobolo empturum. Rusticus deceptum se queritatur, in ius vocat myropolam. Is respondit, antidotum hoc factum esse suo morbo non alterius: nihil ergo sibi usui fore. Rusticus cum illusione et iactura abiit. In omnibus dotibus ergo tam animi quam corporis multa est varietas, multa diversitas. Non omnibus dat animi constantiam, non omnibus eandem sapientiam. Num deus cogendus erit, ut omnibus det omnia? aut ut uni det omnia quaecunque ille cupierit? Pueris cultros negamus: nam hoc fere periculosum est. Qui cultrum puero negat, hic puero bonum dat, hoc est prodest puero, utilitatem eius quaerit. Quod si aliquem puerum vides cultrum habere, ne tu plora! fortassis illi

prodest, tibi non item. Sic de divitiis intellige! Alius habet divitias, fortasse his uti scit. Alius non habet: nam deus non dedit ei, scit ei eas non profuturas, vel eis non novit uti, quod deus pro sua sapientia praevidet. Si murmuras per impatientiam quod opes non habes, adhuc deum non recte cognoscis: ex defectu fidei hoc venit. Si esses recte fidelis, cogitares aut diceres: Ecce deus quia negasti mihi opes, scio id meo bono fieri: nam tu omnia iuste et sapienter gubernas, quum sis iustissimus et sapientissimus. Talis fides carnis impatientiam reprimit. Et licet caro non possit omnino domari, potest tamen fide et timore dei veluti catena cohiberi. Fidelis enim semper clamat ad deum pro augmento fidei, pro spiritu sancto, cuius robore et virtute carnem compescere, veterem Adamum mortificare possit. Hoc fit semper dum hic vivimus, licet nunquam plene, donec, corpus, quod socium dedit animae deus, intermoriatur. Verba Christi in universum hoc docent: Si quid petierimus a deo quod utile est futurum, deus dat: si mortiferum quid et noxium petierimus, deus pater tam non dat, quam pater carnalis filio suo, si quid noxium peteret. Tam vasta res est cupiditas carnis, ut impossibile sit hanc exatiari; adhuc tam stulti sumus, ut de deo conqueramur, quod non dat omnia quae iuxta adfectus petimus. Quidquid dat, dicimus deum nondum nos exaudiisse.

Et erat Iesus eiiciens daemonium.) *Δαιμόνιον* modo vocat ipsum daemonem, modo obsessum a daemone: ut idolum vocant aliquando daemonem qui per idolum loquitur, aut qui in idolo colitur, aliquando ipsum simulachrum: confunduntur haec. Expulit daemonium, hic daemonem significat. Mox sequitur: Et ipsum erat mutum. Hic daemonium pro obsesso ponitur.

Admiratae sunt turbae.) Qui Christum sequuntur utcunque fide infirma, non tamen absque fructu Christum audiunt. Qui vero calumniandi gratia veniunt impii sunt. Admirari hic capitur pro magnificare et laudare: Sy hieltendts für groß, lobtendts, qui scilicet simplici animo et bona fide omnia suscipiunt. At astuti illi, qui omnia ad suam gloriam, ad lucrum suum trahunt, semper inveniunt quod calumnientur, ut faciunt hic pharisaei, at non hi soli: nam talia hodie quoque fiunt. Ubicunque enim verum, rectum, iustum calumniatur et pervertitur; iniustum, iniquum excusatur et promovetur: hic Christus calumniam patitur et contemnitur. Quid bonum malum, malum bonum dicunt, hi Christi opera daemoni attribuunt. Insignis virtus semper alicui daemoni attributa est, ut Socratis daemonion, Platonis, Ioannis, Christi: tam longe absumus a virtute.

Baalzebub.) De deo Muscario apud Aegyptios alibi vide. Per muscas omnia insecta et quidquid huiusmodi est intellige.

Signum quaerunt.) Quotidie nova signa facit Christus, adhuc impii signa quaerunt. Signa facit deus ubi et quando voluerit; non ubi et quando impii volunt aut postulant. Docemur hic, quod ministri verbi aut doctores non debent curare quiritationes impiorum. Qui enim doctrinam suam iuxta illorum querelas velit instituere, nunquam recte praedicabit. Faber lignarius opera sua non ad cuiuslibet rustici iudicium format. Sic prudens vir non exiget consilia et facta sua ad

regulam vulgi. Asinus si fuerit constitutus iudex, cuculi cantum praeferet philomelae cantui.

Filii vestri.) Prophetae scilicet et apostoli caeterique.

Iudices.) Id est, testes qui testantur vos esse pessimos.

Pervenit in vos regnum dei.) Quum agnoscitis me a deo missum verum Messiam et redemptorem mundi; item si a veritate statis eamque firmiter defenditis, regnum dei ad vos pervenit, et intra vos est.

Cum fortis armatus.) Ostendit hoc argumento adesse potentiorem vim virtute daemonis, et probatio eius est quod supra dixit: Pervenit in vos regnum dei. Cur non potius virtuti dei hanc daemonis eiectionem tribuitis? Semper potentior potentem pellit. Huc tendit argumentum Christi, excellentiorem virtutem et maiorem adesse (nempe dei) quae daemones pellat. Nam daemon daemonem iuvat, non pellit. Hanc virtutem dei oportet cognoscere, quae res longe aliter disponit quam nos possimus expendere. Iudaeus Gamaliel hoc agnovit, quum dicit: Si ex deo est, non poteritis resistere. Hoc probat factum dei per Christum exhibitum Iudaeis, quod post mortem exaltatus est, renitentibus omnibus: excisi igitur sunt et deplorati, gentes vero relictis idolis suis oblatum evangelium accipiunt et salvantur. Contra Iudaei zelum amarum et aemulationem acerbissimam habent contra Christum salvatorem mundi. Et inter eos qui Christi nomen gerunt, sunt qui amarum zelum habent contra agnitam veritatem; audiunt sed nolunt audire, vident sed non intelligunt. Si credentes essent, ut simulant, dicerent: Vis illa dei, qua evangelium propagatur, fortior me est, non reclamabo, videamus exitum! dicerent cum Gamaliele: Si ex deo est, nemo poterit hoc extinguere. Si in deum crederent, agnoscerent eius providentiam nusquam cessare. Quomodo ergo hic cessaret? Si deus omnia administrat, fieri non potest sine eius consilio et voluntate, quod aliae post alias non modo urbes sed et regiones evangelium recipiunt, et quotidie nova fit accessio ad Christi doctrinam. Neque temere fit (sic cogitarent) quod tu non credis. Sit aliquis qui sciat aut possit herbas perdere ne crescant, et faciat hoc in tribus quatuorve locis aut etiam in centum? Num is ubique locorum herbas omnes perdere poterit? Sic cogitent qui evangelium persequuntur. Si vel in mille locis exciderint evangelium, adhuc tamen non possunt hoc in toto orbe facere.

Qui mecum non colligit.) Quasi dicat: Vos pharisaei hoc agitis, ne populus mihi adhaereat, quem dispersorem dicitis, sed frustra. Vos estis lupi qui dispergitis gregem dei, ego rursus colligo oves dispersas; qui mihi adhaeret colligit mecum, qui vero contra me est (quemadmodum vos) is dispergit. Forte telum in eos torquet, ostendens suam fidem, eorumque perfidiam. Pars est aliqua, nec vulgaris, audisse verbum dei, sistere cursum et auscultare. Si quis praetercurrentem alloqui velit, primum sistat eum oportet. Si consistit, alloqui eum is commode potest: sin minus, frustra est quidquid ille loquitur. Sic currentem mundum et in errore pergentem sistere et cohibere primum oportet, monereque ut audiat. Qui interrupto cursu admonentem audit, de hoc spes concipitur emendationis. At quidam vim veritatis cognoscunt, interim tamen metuunt sibi a veritate, et praedicare eam vetant. Nam

si ipsi veritatem habent (ut videri volunt) quid a nobis sibi metuunt, qui veritatem praedicamus? Aut quomodo nostra doctrina (ut illi perhibent) falsa et erronea, eorum veritatem (quam sibi vendicant) vincere poterit? nisi mendacium potentius sit veritate. Qui in veritate certus et firmatus est, nihil sibi a mendaciis, quod illis seducatur, metuit, etiamsi totus mundus ei reclamet. Potentior enim est et firmior veritas mendacio, perspicacior, denique clarior et certior, quam quod oculis tuis vides, aut manibus tuis facis. Quod vides, quod operaris, sic habes certum, ut si totus orbis dicat te id non vidisse aut fecisse, nihil tamen efficiat, quo minus scias te vidisse.

Quum immundus spiritus exierit.) Hoc argumento probat dominus, ni resipiscant Iudaei, fore ut excindantur. Ac si dicat: Vos ab initio per prophetas meos a daemonio liberavi, ad tempus satis bene habuistis, fuistis populus dei. Iam omnino contumaces et rebelles estis contra deum et resistitis spiritui sancto; tanta est conscleratio inter vos, ut videri posset, vos omnino obsessos esse a daemone. Ejeceram satanam a vobis, elegeram vos mihi in peculium; iam daemon rediit in vos. Periculum ergo est ne vos totos perdat, ut sint tempora posteriora prioribus peiora: nam a tempore Christi nullum habuerunt prophetam. Sed potest nihilominus simile hoc in genere ad omnia adcommodari. Quum per gratiam dei sumus in veritatem inducti, liberati simul sumus a potestate satanae. Curandum ergo nobis, ne maiori cum iactura redeat, ne rursus in pristinas tenebras relabamur, ne veritatis lucem iterum amittamus. Virtus semper crescit et augetur: nam si non crescit, vera virtus non est. Hoc in herbis videmus, si non subinde crescunt, exarescunt et pereunt.

Mulier de turba.) Defensionem Christi mulier quaedam e media turba adprobat. Quasi dicat: O beatum te! quam firmiter confutasti adversariorum calumnias. Magnificum autem est testimonium huius mulieris, quod omnes omnium hostium calumnias revincit et refellit. Hic videmus semper interim etiam dum hostes reclamant et blasphemant, excitare deum quorundam hominum corda et ora, ut palam pro veritate testentur. Quum homines incidunt in ignorantiam veritatis, nec subinde fontes ac venas veritatis requirunt, fit ut pedetentim in omnem iniustitiam et malitiam decidant, et de tenebris in tenebras cadant.

Beatus venter qui te.) Haec ergo verba non sic intelligi debent, quasi Maria Christo aliquam beatitatem dederit, aut quod ipsa in se talem beatitudinem habuerit, sed potius pertinent ad laudem Christi. Haec non in hoc dicuntur, quasi diceremus Mariam non fuisse beatissimam: datum est enim ei quod nulli creaturae contigit, ut in carne generaret filium dei; sed quod non debet tribui creaturae quod solius est dei. Mulier ergo sic dicit: Vos pharisaei calumniamini factum Christi, et daemoni adscribitis hanc virtutem. Ego autem contra vos pronuncio ipsum esse sanctissimum omnium, adeoque beatum, ut etiam mater eius et uterus beata sint. Sanctitas ergo Mariae ex sanctitate nascitur Christi, non contra. Dona dei sic habent: hominibus dantur et donantur ad usum aliquem et laudem dei et salutem proximi: dei vero sunt; usus datus est nobis non possessio. Quo magis utimur his,

quoque maiore fide prosumus, hoc magis servimus ei qui talia dedit. Quum tibi mutuo aliquis dat pecuniam, pecunia non tua est, nisi quatenus ad usum pertinet; non potes alii donare, non vendere, non tibi vendicare: sic habet in omnibus dei donis. Nos vero donis dei abutimur, propria facimus ac nostra, possessionem facimus ex donis, tribuimus nobis quae sunt dei, tribuimus creaturae quod creatoris est. Omnia opera quae fecit Christus, et tota eius doctrina, virtutis est divinae. Quod assumpsit carnem ac humanitatem, non mutavit deitatem, nec in eam conversa est humana. Quemadmodum homo qui hodie non est pater, cras generat filium et fit pater, in sua substantia nihil mutatur: sic deum esse creatorem, in deo nihil mutat. In laudibus fere hyperbolis et hyperochis utimur, quae tamen semper iuxta analogiam fidei sunt intelligendae et exponendae. Verba enim omnia scripturae aliud nihil sunt, quam testimonium veri et recti. Verum ergo et rectum spectari debent, in scripturarum interpretatione et expositione, non ipsa nuda verba.

Quin imo.) *Μενοῦνγε*, Das iſt nun war, Concedentis est.

Beati qui audiunt.) A laude matris Christus altius subducit auditorum animos, ad spiritum nempe. Ac si diceret: Es iſt wol war, magna est beatitudo ut confiteris, me scilicet recte esse loquutum: at multo beatius hoc fuerit, me audire in omnibus, auditaque a me servare, agnoscere me esse servatorem mundi, mihique inniti ac fidere. Quod Iudaeos sic repuli, laudas, idque merito; at hoc longe est praecellentius, in omnibus me audire, mihique parere, verba mea audire, et ad haec vitam componere. Quidquid unquam homines corporaliter in Christo quaesierunt, hoc universum ipse in spiritum dirigit. Hinc etiam convincitur error eorum qui corpus Christi in coena corporaliter edi contendunt. Quo magis miracula edit deus, hoc magis negat ea impietas, quae talia nequaquam recipit. Ergo Christus dicit:

Natio haec.) Patres suos imitatur, qui semper contempserunt miracula dei, quae tamen magnopere exegerunt. Caro miracula non recipit, nisi deus prius adsit lumine suo, indiesque peior efficitur. Audimus quotidie, deo sit gratia, novas fieri accessiones ad evangelium, de quo gaudent pii et gratias agunt deo; impii contra fremunt ac rumpuntur, daemoni hoc adscribunt, calumniantur etc. Quid est in causa? philautia, contumacia, et quod sibi nimium placent: putant enim aut se non posse errare, aut se solos esse sapientes, aut fidunt aliorum eruditioni et sanctitati. Miracula quae Christus quotidie operabatur, satis testabantur Christum a deo esse, sed illis omnibus contemptis subinde nova quaerunt. Fidelis in omnibus operibus deum cognoscit; infidelis contumax et immotus manet contra veritatem, semper aliquid novi quaerit. Miracula dei quotidie cernuntur, dum per hostes qui extinctam veritatem cupiunt veritatem promovet. Hoc ex deo esse pii agnoscunt, impii hoc daemoni adscribunt. Perfidia et summa et infima dei opera calumniatur et carpit, modo deo non adscribat. Quum aliquando pater e coelo loqueretur, Clarificavi et clarificabo, Iudaei dicebant tonitruum esse, aut vocem aliquam vanam; modo ne deo hanc darent. Differunt autem fortitudo et contentio sive pertinacia. Fortitudo est, dum quis

veritati constanter haeret. Contentio autem et pertinacia, quum impii errorem in quo haerent mordicus defendunt. Qui solus innititur veritati orbe toto reclamante, non pertinax est, sed constans et magnanimus. Dicis: Et hoc facit qui Missam defendit. Minime. Fides enim mendacio niti non potest, non habet aliud obiectum quam ipsam veritatem et deum. Impii vero convicti sunt in conscientiis suis, se non habere fidem, quum de rebus frivolis et vanis digladiantur, utcunque fidem foris simulent. Si millies dicas te credere quod Christi corpus edas corporaliter in coena, reclamat tamen tibi conscientia tua: fides enim haec non dictat, imo non patitur. Generatio haec mala est: Der faſel, *Ἐξουθενισμὸν* habet et contemptum. Quasi dicat: Debebat esse gens electa et pia, sed est impia et degenerans.

Signum Ionae.) Quasi dicat Christus: Quaecunque facio signa ex virtute dei apud vos nihil proficiunt; dabo ergo signum maximae et summae infirmitatis. Moriar et tertia die resurgam, tum demum divinitatem meam cognoscetis: sed interim culpa vestra erit maxima, quod me filium dei servatorem crucifigetis, quod vobis in perpetuam ignominiam et gravissimam damnationem cedet. Hoc signum erat excidii extremi: nihil enim effecit apud illos nec Ioannis praedicatio, nec Christi, nec Petri, nec Iacobi. Ex Samaria autem laeta nuncia afferebantur Hierosolymam, nempe, quod gentes reciperent evangelium Iesu Christi. Resurrectio Christi signum fortissimum est fidelibus, et summa fidei eorum confirmatio, impiis vero formidabilis: tales vos estis, peiores Ninivitis qui ad praedicationem Ionae resipuerunt et servati sunt. Quemadmodum Ionas signum fuit Ninivitis, ita filius hominis Iudaicae genti, hactenus est dissimile: partim enim simile est, partim dissimile. Similitudo non per omnia quadrat. Ratione missionis et praedicationis simile est, sed quod Ninivitae credunt et resipiscunt, Iudaei minime, in hoc est dissimile. Taxatur ingratitudo Iudaeorum duobus exemplis.

Nemo lucernam.) Taxat his verbis pharisaeos, qui alios doctrina veritatis debebant illustrare, ipsi vero lucernam veritatis extinguere conabantur. In Matth. 5. cap. haec verba ad apostolos pertinent. Sensus est: Vos pharisaei debebatis esse lucerna populo, sed tenebrae estis. Communi gnoma docet, quod ad eos peculiariter pertinet. Quemadmodum pater dum filium lusorem corrigit, ludi generalia incommoda recenset. Nemo tam insanus est qui lucernam accendat, et deinde eam sub modium ponat. Vos autem hoc facitis, doctrinam veritatis absconditis a populo. Ego vero recte doceo, nec facio quidquam virtute daemonis, quemadmodum vos calumniamini. Conveniebat ut vos veritati cederetis et testimonium ferretis. In miraculis prodo virtutem divinam; vos et doctrinam meam et facta calumniamini, in qua re contra communem etiam sensum peccatis. An enim non es contra communem sensum peccare, lucem accensam extinguere velle? Sic Christus iis verbis primum pharisaeorum perfidiam et insaniam traducit et increpat. Deinde omnes generaliter docet, ut quisque mentem suam cognitione veritatis illustret, nec veritatem abscondat ac

celet. Fide enim vivunt pii et veritatis cognitione, qua mens illustratur et tranquilla fit. Docet itaque populum, ac si dicat: Cavete ne animus vester aut iudicium mentis adfectibus perversis (quemadmodum pharisaeorum) vitietur et obscuretur. Veritas in omnibus spectanda est, in hac exercendus animus. Non satis est si quis dicat: Non irascar amplius, sed oportet animum confirmare, et quoties ira inciderit, hanc compescere et extinguere. In his quotidie exerceri, solidam virtutem parat.

Lucerna corporis est oculus.) Mens hominis est perinde ac oculus in corpore: corporis actiones ac operationes omnes acie oculorum diriguntur. Sic mens lux quaedam est, quae si illustrata fuerit veritate, omnia rite ab homine fient. Quod philosophi veram ac solidam virtutem, mentemque appellant, hoc Christus lucem vocat aut fidem. Simplicitas in religione est puritas, claritas. Si oculus tuus simplex est, id est, purus, clarus, lucidus, sine adfectuum impuritate et sorde, totum corpus lucidum erit, id est, tota actio, vel totum corpus humanarum actionum. Qui lucidos et claros habet oculos, omnia distincte et clare videt, omnes res recte dirigit. Sic qui lucem dei habet fidem, et mentem fide recte illustratam, in omnibus recte agit. Quum vero mens intus luce fidei caret, adfectuumque pulvere obscurata est, vacillamus nec probe nobis constamus. Malus oculus, id est, caecus, tenebricosus, impurus, laesus.

Vide ergo ne lumen.) Hoc bifariam exponi potest. Vide ne lux in tenebras degeneret. Vel: Vide ne id quod tu pro luce habes tenebrae sint. Vide ne id quod lux esse debet tenebrae fiant. Diligentes reddit vigilantes ac cautos. Totum corpus, id est, omnia consilia, actiones, verba etc.

Rogavit illum quidam Pharisaeus.) Exemplum est invidiae se in imaginem charitatis transferentis. Virus quod in corde gerit celat, et blande Christum alloquitur, vocat ad prandium quasi amicus, et quasi iam adprobaret eius dicta: haec vero omnia fiunt ut veritatem prodat et perdat. Hac invitatiuncula aut plebi imponere voluit, quasi Christus non sit contra eos cum edat cum eis: aut corrumpere Christum, ut posthac mitior sit contra eos. Per digressionem hic de muneribus aut largitionibus multa dixit. Est munus honorarium, quod et dare et accipere licet: est praevaricatorium, quo animus hominis capitur aut praeoccupatur, quo iudicium mentis aut avertitur aut attrahitur. Haec nec dare nec accipere licet, quia excaecant oculos et pervertunt verba. In accipiente gratitudinem quandam et amicitiam excitant, quibus pervertitur iudicium. Malitia vero ut vidit pios abhorrere a muneribus praevaricatoriis, nomen illis honorariorum indidit. Quaecunque ergo largitiones animum nostrum vitiant, accipi non debent. Quae vero sint accipiendae, quae minus, non tuum erit iudicare sed magistratus, quum nemo in sua causa iudex esse debeat.

Nunc vos o pharisaei.) Religionem aut superstitionem potius hic taxat Christus, quam morem. Nam lotio manuum ante mensam non taxatur, nisi quatenus ipsi abutebantur. Volebant enim hinc sanctiores et religiosiores videri.

Admiratus est.) Natura hypocrisis graphice describitur. Sic enim facit contentio et pertinacia quae ex philautia generatur: Quidquid apud se statuit, hoc omnibus obtrudit; quidquid non sic loquitur aut facit, hoc taxat. Sibi placere pessimum vitium est; quidquid ei non concinit hoc damnat. Pertinaces vero et contentiosi sunt, quicunque mordicus suam sententiam servant, nec veritati auditae et agnitae cedunt ac subscribunt.

Exteriora poculi catinique mundatis, et quod intus est vestri etc.) Allegoria comparatione aperitur. Quasi dicat Christus: Non secus res vestrae habent, ac si quis catinum extra quidem mundet, intus sinat esse impurissimum. Compara hic pharisaeorum hypocrisin cum monastica vita in Papatu: omnia foris splendebant, intus omnia plena sordibus. Posteaquam hoc coepit dici et haberi spirituale, indutum esse cucullo, radi, ungi, actum erat de spirituali vita. Spiritualem esse, est in omnibus deum spectare, ex deo omnia facere. Stultus est qui domum empturus eam duntaxat foris videt, intus non considerat. Dominus ergo pharisaeos in domum inducit, id est, in cor, in conscientiam. Architectus non fabricat domum, ut extra speciosa tantum adpareat, sed ut inhabitetur. Sic summus opifex deus hominem non in hoc tantum creavit ac finxit, ut foris sanctitatem et puritatem tantum prae se ferat, sed ut intus spiritu et mente purus et sanctus sit.

Veruntamen quod superest, date.) *Πλὴν τὰ ἐνόντα.* Ego sic expono: Deren dingen die innwendig ſind gebend almüſen. Per antithesim enim eleemosynam opponit *ἁρπαγῇ*. Quasi dicat: Hoc unum agitis ut ad vos omnia rapiatis. Agite hoc potius, ut vestra quae intus sunt, aliis erogetis. Beatius enim est dare quam accipere. Ut *ἐνόντα* dicantur, quae homini magis curae sint et proximiora, quae tantopere diligunt homines. Haec discant in eleemosynas pauperibus exponere. *Ἐξόντα* quae extra nos sunt, quae non tantopere curamus, ut sunt ruta, cyminum, anetum, de quibus decimas dabant. Est enim antithesis.

Omnia erunt munda.) Ad personam refero, non ad res: Denn ſind jr aller dingen reyn, gentzlich reyn, *πάντα καθαρὰ*.

Ἀποδεκατοῦτε.) Decimas datis, sic ego expono: caeteri passive exponunt, Decimas exigitis.

Vae vobis.) Magna comitate egit dominus cum populo; verum apud pharisaeos quum hac facilitate nihil proficeret, opus fuit ut dure eos increparet. Quum igitur admonitiones blandae nihil proficiunt apud contumaces, debemus increpationes vehementes adhibere.

Contumelia nos afficis.) Ambitio noxium malum, quod virtutes omnes corrumpit et vitiat. Quidam splendorem tantum quaerunt, quidam voluptatem et fructum cum gloria. Priores venundati sunt sub peccatum, nempe mancipia gloriae, id est, vanae et levissimae rei, adeoque inanissimae. Quid enim vana gloria est quam rumor et fama mendax, iudicium corruptum? Hodie homines aliquem evehunt ad coelos usque, mox ad inferos deiiciunt. Quid ergo certi, quid solidi est in hominum iudiciis? Quid ergo gloriamur imaginibus, stemmatis, insigniis? omnia veterascunt, edax tempus omnia consumit, senium omnia obliterat. Qui solidae student virtuti, ii perpetuam sibi statuunt

memoriam, ut Abraham, David, Ezechias, Iosias. Illi de se nihil scripserunt, et tamen perpetua est eorum memoria et sacrosancta. Qui gloriae causa omnia fecerunt, vilescunt iudicio omnium sapientum et piorum. De posteriori genere fuerunt pharisaei, qui sanctitatem coram populo simularunt, ut divitias hinc corraderent, et contemptu gloriae gloriam sunt venati. Sic ex philosophis plerique, et monachi in Papatu fecerunt. Hi enim videri volebant ac si opes contemnerent, quum illis maxime inhiarent. Christus ergo qui corda novit, hanc perniciosam et latentem hypocrisin traducit et protrahit. Vae, inquit, vobis o pharisaei! facitis ac si essetis contemptores mundi: interim quaeritis gloriam, opes, voluptatem. Consideratio omnipotentiae dei, et nostrae imbecillitatis ac impuritatis facit, ut gloriam facile contemnamus. Sed nos mulieres invenustas et deformes imitamur, quae se subinde comant ac ornant, ne deformitas earum adpareat. Tegimus morbos nostros, quos agnoscere nolumus. Deo cui nihil deest, omnis gloria et honor debetur. Sed is deus sanctissimus ac purissimus adeoque gloriosus nullius pretii est apud nos, nec quaerimus gloriam eius. Nebulones in pretio hodie sunt et tantum non regnant, gloriam nostram in omnibus quaerimus. Magni sumus apud nosmet ipsos, et tales etiam aliis videri volumus et haberi, deus apud nos nihil valet. Deus, id est, veritas, iustitia, probitas.

Sepulchris dealbatis.) Monumenta, dum pedibus diu calcantur, aequantur ad caeteram humum, ut sepulchra esse amplius non appareant. Caeterum subtus cadavera sunt, putredines, vermes. Pulchra est et elegans metaphora. Haec omnia hinc nascuntur, quod deum non timemus, quod eum non observamus, quod eum prae oculis non habemus: nam praesente deo ineptire nemo ausus fuerit.

Importabilia onera.) Hoc cum coepissent pharisaei et Iudaeorum sacerdotes, pontificii sequentibus saeculis imitati sunt, imo priores superarunt. Ceremoniae ut primum carni arrident, ita caro eas postea fastidit, et novas quaerit. Nihil ergo in his iustitiae ponendum, curandum potius, ut abintus simus sancti et iusti.

Aedificatis monumenta.) Ostendit hic Christus aedificationem se hanc sepulchrorum prophetis minime probari, quum non prophetarum, sed suam quaerant gloriam, utcunque aliud simulent. Sic apud veteres martyria, hoc est, templa martyrum extructa videntur. Zelus quidem fuit, sed non secundum scientiam. Quod ex eo colligi potest, quod multae idololatriae hinc pullularunt, excelsa, delubra, luci etc. Item quod ossa eorum adorarentur, ut miracula falsa isthic fierent. Quum homo in sese descendit, tantam in se lernam malorum deprehendet, ut illis extirpandis totum aevum non sufficiat: quid ergo ceremoniis tot opus habet, aut cur illas quaerit? Hoc agat, pellat avaritiam, compescat iram, superbiam deprimat, invidiam excludat. Dicat aliquis: Haec deserere non possum. Vade ergo et da operam ut tota vita aliud nihil agas, quam ut adfectus hos impuros et noxios premas et abigas. Hic est verus cultus dei, deum super omnia diligere, et proximum ut te ipsum. Sensus ergo est: Vos o pharisaei aedificatis et ornatis monumenta prophetarum, quos occiderunt patres vestri; interim

veritas quae per illos praedicata fuit exosa vobis est, hanc ex animo non diligitis, imo persequimini. At ista sepulchrorum extructione simul testimonium fertis (*συνευδοκεῖτε*) quod patres vestri interficiendo malefecerunt. Nam quod extruitis monumenta, signum est, vobis probari malefacta patrum. Vobis gratum est illos trucidatos esse a maioribus vestris, ut suppetat vobis materia gloriandi, et gloriam vestram quaerendi in eo, quod sic exornatis monumenta illorum. Hoc si non quareretis, sineretis mortuos esse mortuos, et eos in pace quiescere permitteretis.

Ut veniat super vos.) Sanguinem venire super aliquem, est culpam habere, et poenae fieri participem, quae sanguinariis debetur. Sic in coena dicitur reus fieri corporis et sanguinis domini. Hoc est, qui morte Christi gloriatur, nec tamen vivit innocenter in Christo, fit reus corporis et sanguinis domini. Iudaei oderant veritatem, contra eam pugnabant, interficientes eos qui illam praedicabant. Sanguinem fundit non is tantum qui manu effundit et trucidat; sed qui non cohibet quum possit ac debeat, is iam reus est fusi sanguinis. Patet hoc in Manasse, qui multum sanguinis fuderat Hierosolymis, sed multi post cum puniti fuerunt, qui non effuderunt sanguinem cum ipso; interim tamen non reclamarant, non obstiterant, ut patet 4. Reg. 23.

Zachariae.) Plerique de eo intelligunt qui sub Ioaso fuit interfectus. At ego puto Christum de alio prophetasse, qui post eum venit, de quo vide Iosephum, qui fuit interfectus inter templum et aram in obsidione Ierusalem.

Clavem scientiae.) Clavis scientiae est cognitio dei et voluntatis eius. Tales claves dedit Christus discipulis Matth. 16. Cognitionem dei hominibus adferre clavis est per quem nobis coelum reseratur: thesaurus est, qui nobis e coelo datur. Thesauri totius mundi corruptibiles sunt et caduci, solus deus thesaurus est aeternus, qui nunquam minuitur, qui tam potens est, ut etiam hostes suos cogat ipsum cognoscere. Tyranni, qui hic omnia pro sua libidine possident, omnia possunt, quum in mortis angustias veniunt, maiorem quandam virtutem invocant et summam. Testantur enim mortis formidine, aliam esse maiorem virtutem, quam in vita agnoscere nunquam voluerunt. Sic Iudas fatetur virtutem et iustitiam dei, quae tanta erat, ut ipsum merito perderet: peccasse quidem se tantum contra deum, ut ne venia quidem dignus sit. Si in spiritualibus et animi dotibus tam sumus imbecilles et indigi, quanto id magis in opibus et temporariis? Solus deus est qui non fallit, huic haerere thesauro, huic inniti, solidum est. Qui hanc lucem, hunc thesaurum homini adfert, seducere non potest. At haec dei cognitio a Papistis plebi tradita non fuit, sed alia quaedam, quae ipsi ex suo capite confinxerant: quam tamen sic urgebant, ac si in eis salus et vita animae sita fuisset. Hoc vero est clavem scientiae e medio tollere, homines scilicet cognitione dei fraudare. Deus vult ut eum cognoscamus, amemus, colamus, voluntati eius obtemperemus, innocenter coram eo vivamus; ubi vero peccatum est, emendemus et resipiscamus, hoc est, ad eum convertamur ex toto corde. Non sanguine hircorum placatur, non thure, non libaminibus, sed si

confiteamur nostra peccata, et imploremus misericordiam per Christum obsignatam.

Coeperunt graviter ei insistere et captiose interrogare.) Ἀποχρίζειν significat aliquid ex ore recensere, sed hic significat captare aut observare verba ex ore alicuius ad taxandum. Ἐνέχειν observare aliquem quemadmodum sagittarii iaculis scopum observant. Quisque suum morbum habet, quem celat quantum potest: sic etiam fit in animi morbis. Cur vero celant homines morbum suum? ut sani et iusti videantur. Testantur ergo etiam mali, quod bona res sit probitas et innocentia, quum et pessimi boni videri velint. Quod si quis morbos protrahit et traducit, is iam exosus redditur omnibus, quod argumentum est, nos nebulones esse. Duo ergo testimonia sunt: alterum quod veritas et iustitia bona sunt; alterum, quod nos pessimi. Sic Christo invident pharisaei, quia ulcus eorum attingit: conantur ergo aliquid ex ore eius venari, quo eum adcusent ac perdant. Quemadmodum enim veritas mendacium, et iustitia iniustitiam ferit, ita referit improbitas innocentiam, sed calumniis et contumeliis; praetexit tamen pietatem, religionem, veritatem.

CAPUT XII.

Primum cavete.) Πρῶτον ante omnia, in primis, praecipue, diligenter. Ne sinatis vobis pharisaica doctrina imponi, ne fiatis illorum similes. Vos o discipuli mei, nolite sanctitatem simulare, quod longe abesse debet ab omnibus qui Christum profitentur: nihil enim deo odiosius hypocrisi et simulata sanctimonia. Quaerat aliquis: Cur ergo Christus suis praecipit, ut lux eorum luceat coram hominibus, ut videantur opera bona? Christus illic non docet simulare sanctitatem, sed innocenter et bene vivere, adeo ut et gentes ad fidem Christi illorum exemplo pelliciantur. Sumus omnes adfectibus dediti et obnoxii, nemo sine crimine vivit. Cur ergo sanctitatem nobis arrogaremus? Quum omnia fecerimus quae nobis praecepta sunt, nihilominus dicere debemus: Servi inutiles sumus, fecimus quod debuimus. Debemus semper bona operari ad aedificationem proximorum et gloriam dei; interim tamen semper fateri nos peccatores esse, ne sanctimonia in hypocrisim degeneret.

Nihil opertum.) Sensus est: Quod si vos per hypocrisim tegere velletis morbos vestros, et sanctitatem simulare, dico vobis quod latere non potestis: omnia enim aliquando revelabuntur. Alibi in alium sensum utitur, nempe quod ipse nihil dixerit, quod sit celandum, quin sit palam praedicandum. Omnia dona quae deus hominibus confert, nonnihil minuuntur, et tentantur: hoc sciens Iesus praemonet suos, ut qualemcunque iustitiam et fidem, quam habebant, servent.

Nolite metuere.) Anthypophora est et antithesis. Poterant discipuli cogitare aut dicere: Pauperes sumus et viles homunciones, quare metuendum nobis erit. Hoc praeoccupat Christus, et dicit: Satis fortes estis ad hoc negotii, ad quod ego vos elegi, non perrumpetis vi carnis, sed virtute spiritus; huic bene fidite, et estote constantes. Animat ergo eos contra omnia imminentia mala in hoc mundo, quae

absterrent homines a virtute. Nulla virtus perfecta esse potest, quae non vitam devoverit. Mortem vero nemo contemnet nisi pius, hoc est, qui deum norit. Proposita virtute aut pietate simulque morte, pius ac virtuosus non es, si ob vitam virtutem deseris. Campum virtutum deserens, in fugam versus et victus es. Animam perdere virtutis gratia, hoc demum vincere est. Qui enim pro Christo moriuntur victores evadunt, et palmam aeternam adquirunt. Non ergo spectanda corporis bona, sed ea quae perpetuo possidentur in coelis. Durare et firmare animum oportet in laboribus.

Dico vobis amicis meis.) Amicos vocat discipulos suos, et in discipulis nos omnes, ut certi simus haereditatis aeternae cum Christo. Aliquando fratres nominat, et vere sic nominat, non ut homines solent quosdam amicos vocare, quos nec amant nec beneficiis iuvant. Utitur mundus infinitis artibus, quibus a virtute et recto absterreat fideles, sed Christus suos praemunit et confortat, opponitque temporalibus, quae obiicit mundus, aeterna et immortalia bona. Si veniret praestigiator aliquis in forum, et diceret: Ego docebo vos quaedam nova, omnes adcurreremus et admiraremur. Cur ergo Christo non auscultamus, qui vera et solida docet? Qui robore corporis, aut forma, aut bona valetudine, aut huiusmodi aliquo dono pollet, non venderet hoc nec mutaret omnibus bonis mundi. Quod si tanti aestimamus corporalia, ut pro nulla re mundi ea daremus, quae ergo stultitia, coelestia et aeterna pro caducis amittere? Nemo sapientiam suam daret pro omnibus mundi opibus. Quum ergo umbra illa stultae nostrae sapientiae tanti nobis aestimatur, quid ergo si quis nos sapientiam veram et divinam docere, aut eam nobis adimere vellet? Sapientia docet, ut omnibus thesauris recte utamur, docet ut sine opibus vivere sciamus. Virtutis possessio verus est thesaurus, et duraturus. Si daretur alicui optio, ut aut sapientia sua careat et possideat totum mundum, aut sapientiam retineat, ac bonis mundi renunciet, quis tam stultus, qui in universis mundi bonis stultus simul et stupidus esse velit? Divites ergo hoc ipso testificantur, sapientiam praestare omnibus quae in mundo sunt. Et haec quidem hactenus de accidentiis animi diximus. Quid vero si in ipsam substantiam penetremus, in deum? Unicuique peculiares dotes distribuit deus, unicuique deinde peculiarem mensuram. Sint duo fortes, mansueti etc. adhuc tamen mensura non est eadem in ambobus, alter alterum praecellit eadem virtute. Hoc ergo observandum est omnibus, ut utantur donis suis ad communem totius corporis utilitatem, quisque vero sua dote, imo sua mensura etiam contentus. Nemo dicat, quod solent quidam divites: Sat iam habeo, nihil amplius agam etc. Nihil proprium homini quam virtus. Si nemo potest homini adimere dotes animi, quanto minus ipsum animum? Quaeque res in suum principium redit, et elementa crassiora in subtiliora transeunt. Sic anima soluta a carnis mole ac sordicie corporis in creatorem suum redit. Deus qui est verum et aeternum bonum, solus metui debet, non corporis exitium, non rerum iactura. Qui ergo metu mortis aut periculis corporis deterritus iustum et aequum negligit aut deserit, neque pius est neque iustus: plus enim apud eum valent corporalia quam divina, plus

creatura quam deum. Dicat aliquis: Si scirem me deo curae esse, si scirem quod mihi post tot labores praemium. Respondet iam Christus:

Nonne quinque passerculi veneunt.) Quasi dicat: Num minus curae vestrum gerit deus, quam passerculorum et crinium?

Quisquis loquitur dictum.) Λόγος hic cum emphasi ponitur, dictum nempe pro blasphemia aut maledicto. Peccare, est aliquid facere aut committere contra legem, id est, voluntatem dei, facere aliquid quod divinae voluntati conforme non est. Comprehendit autem in genere omnes transgressiones. Mox antea dixerat: Qui negaverit me, iam subiungit: Qui dixerit verbum in filium hominis, remittetur ei. Ex quibus patet, peccatum in spiritum sanctum esse a cognita veritate desciscere. Haec ex cap. 12. Matth. clarius patent. Qui quum opus dei videt, daemoni adscribit, is in spiritum sanctum peccat. Hic peccatum in spiritum sanctum est, a cognita et aperta veritate deficere; sed in Matthaeo est, opus dei calumniis incessere. Omnia tamen in eandem sententiam recidunt. Peccatum in spiritum sanctum est perfidia et apostasia. Aut quum veritatem apertam habet et cognoscit, non tamen recipit: aut quum post acceptam veritatem iterum resilit, desertaque veritate mendacio adhaeret. Perfidi enim non sólùm sunt, qui a veritate et fide turpiter deficiunt, sed etiam qui agnitam veritatem non recipiunt, non credunt. Peccare ergo in spiritum sanctum est apertam, cognitam et revelatam veritatem impugnare, persequi, extinguere, non recipere, non credere, et a credita cognita ac recepta iterum relabi. Nam spiritus sanctus est spiritus veritatis. Quotidie peccat homo, singulis horis labitur, errat subinde in veritate: sed hoc non est semper peccatum in spiritum sanctum, nisi veritatem blasphemet et contumeliis afficiat. Erroris nemo expers est. Veritas menti humanae est, quod sol mundo. An vero is non gravissime peccaret, gravissimaque poena dignus esset, qui solis lucem, tam utilem tam necessariam hominibus, e medio tollere conaretur? quanto graviori supplicio dignus, qui veritatis lucem vel extinguere vel eripere tentarit? Veritas res est tanta ac talis, ut etiam impii dum mentiuntur, dum dolis agunt, praetextu veritatis id faciant. Omnis homo mendax, solus deus veritas est. Qui ergo hanc lucem hominibus eripit, sceleratus est, nec venia dignus. Quum Papa dicit se homini peccatum remittere (qui et ipse veritatis praetextu mentitur) non potest conscientia hominis tranquilla et pacata esse: cur hoc? quia veritas non liberavit eam. Si filius vos liberaverit, inquit Christus, vere liberi eritis. Quum vero Christus per spiritum veritatis in cor hominis loquutus fuerit, corque eius obsignaverit, certaque fide persuaserit: tum demum sentit se liberum, tum sentit sibi viam patere ad deum, peccataque esse remissa. In homine duo diversissima iuncta sunt et quasi coniugata, spiritus scilicet et caro. Spiritus iumento similis quod iugi et laboris quodammodo patiens est, illisque adsuetum: caro similis iumento quod adhuc ferum est, et iugi impatiens. Haec non solum non laborat, sed et laborantem spiritum impedit et alio trahit. Oportet ergo hominem totum desperare de se: nam neque spiritu neque carne quidquam agit, quod vita aeterna dignum sit. Nam etiamsi spiritus aliquando divina meditetur, caro

tamen omnia impurat. Quum igitur in tantis angustiis homo desperat, deus adest, consolatur et erigit eum, dicens: Sic te dilexi, ut filium meum unigenitum pro te in mortem darem, ut certus sis gratiae meae, is est satisfactio tua, salus tua, vita tua etc. Quum ergo homo veritatem dei per spiritum veritatis sic in corde receperit, et amplexatus fuerit, iam vere a peccatis liber est, pacemque conscientiae suae habet. Signaculum habet et pignus gratiae in corde suo, cui plus nititur, quam si mille sacerdotes ei dicerent, se esse eos qui remitterent. Quum iam veritas res tam sit divina, aeterna, immutabilis, tamque utilis et necessaria: facile intelligimus cur peccatum in spiritum sanctum tantum et tam grave sit peccatum, quod neque hic, neque alibi remittatur. Veteres theologi hoc peccatum dixerunt: Peccatum contra conscientiam, neque adeo inepte: nam de his tantum loquimur, qui in conscientia convicti sunt veritatis, interim tamen renituntur et negant. Cum igitur conscientia veritatem cognoscit, et nihilominus negat et persequitur, idque perseveranter, dicimus esse peccatum in spiritum sanctum. Nam alias omne peccatum fit contra conscientiam: nemo enim peccat, cuius conscientia non reclamet. Sed non omne peccatum quod fit contra conscientiam, peccatum est adversus spiritum sanctum. Saepe fit ut aliquis contra conscientiam peccet, dolet tamen, nec ob id cupit persequi veritatem. A vera fide nemo excidere potest; at a scientia aut cognitione potest fieri defectus. Fides enim duo comprehendit, cognitionem sive scientiam, et adhaesionem. Petrus a fide non defecit, quum Christum negaret. Poterant autem discipuli dicere: Principes huius mundi potentes sunt et astuti. Quid ergo nos simplices respondebimus? Per occupationem ergo praevertit hanc obiectionem, et consolatur dicens:

Nolite solliciti esse.) Vos tantum summa cum fide munus vestrum obite, ego dabo vobis spiritum, os, sapientiam. Neque tamen omnem scientiam aut sollicitudinem excludit Christus, sed consolatur et erigit animos, ut quum ego meticulosum aliquem his verbis consolarer: Esto forti animo, ne sis nimium sollicitus, ne deficias etc. His verbis consolor quidem istum et animo, non tamen excludo quin meditetur responsionem aut defensionem ex verbo dei. Hoc addo propter Catabaptistas, qui quum literas nunquam legant, praedicare tamen volunt, expectantes spiritum qui omnia loquatur. Consideranda in verbis domini, tempus, occasio, locus, personae et caeterae circunstantiae. Neque ob id passim clamandum est unicuique temere, et deinde spiritum aut verba Christi iactare. Fit ut Christus libere sit praedicandus, fit rursus ut sanctum non sit proiiciendum canibus, meliusque sit tacere. Quum ergo dicit: Nolite praecogitare, non omnem cogitationem excludit, sed est hyperocha, et admonitio potius quam praeceptum, ut quum dicit: Non aurum non argentum, magis consolatur quam praecipiat. Dedit dominus homini mentem, dedit cogitationem, dedit prudentiam. Quomodo ergo illa iam damnaret?

Magister, dic fratri meo.) Quandoquidem Christus omnes morbos hominibus ademit, putat hic Christum talem esse, qui et fratre eum liberet. Quisque hoc quo premitur maximum et gravissimum onus

aestimat, putatque se isto levandum in evangelio. At Christus non est disceptator rerum temporalium, sed animarum curator. Hoc unum cogitant miseri mortales, quomodo onus impositum, iumentorum impatientium more, abiiciant ac deponant. Quod si omnino gestare coguntur, gestant inviti, idque duplice labore. Quo enim quisque impatientius crucem aliquam fert, hoc gravior erit crux. Si iam accedit voluntas, deciditur bona pars laboris. Quum enim voluntas prona est, facilia sunt omnia. Et hunc locum Catabaptistae detorquent ad suum errorem, ut defendant neminem posse iudicem esse inter Christianos. At Christus hoc non vult. Et Paulus permittit iudicium Christianis hominibus. Taxat illic eos, qui coram iudicibus infidelibus pro rebus temporalibus litigabant. Exprobrat eis impatientiam, avaritiam, non vetat iudices habere Christianos. Idem docet Christus Matthaei 5. Consenti cum adversario in via etc. Admonitiones sunt pulcherrimae. Quasi diceret: Qui litigat cogitur multum temporis perdere, res etiam aliquando, amittit pacem conscientiae, laedit charitatem, et coniicit se in mille pericula Melius ergo est ut de tuo iure nonnihil concedas, nec velis tam stricte omnia persequi. Quaerat aliquis, quomodo Christus neget se constitutum disceptatorem, quum omne iudicium sit ei datum a patre, et ipse dispenset omnia? Observenda sunt tempora. Loquitur hic de primo adventu, in quo non iudex fuit, sed humilis adparuit, et iudicari se passus est. Sunt itaque quaedam in evangelio quae de solo Christo, et de suo tempore dicta sunt. Quod si aliquis illa velit sibi arripere et aptare, toto coelo errabit. Ut si iudex vellet dicere: Quis me constituit iudicem inter vos?

Videte et cavete ab avaritia.) Ab affectu et impotentia huius divitis, qui metuit bonis suis, occasionem arripit Christus de rebus aeternis, coelestibus et spiritualibus disserendi, qui mos ei perfrequens est. Pleonexia nocentissimum animal simulque voracissimum, quod Cartusiani monachi aliter baptizarunt, et indiderunt ei aliud nomen, et vocarunt eam cultum dei, quaestum nimirum putantes pietatem. Ut quisque plura corrasit et monasterium ditavit, hoc magis dictus est serviisse deo. Hoc vitium omnes homines vexat, quod facile sentiemus si nos recte examinaverimus. Deinde multa scelera ex pleonexia veniunt, multa sunt ei coniuncta, attamen tam stulti sumus, ut audeamus opes petere a deo, quas aliquando dat dominus illis qui eis abutuntur, ut doceat eos quantum sit in illis periculum. Dominus ergo praemonet suos, ne mentem rebus terrenis et tam noxiis cupiditatibus occupent. In avaritia et divitiis homines experiuntur quam mali sint, quod antea aut non noverunt, aut non animadverterunt.

Non in abundantia cuiusquam vita.) Vita pro salute. Des menschen heyl, wolstand, more Hebr. Quasi diceret: Salus hominis non in hoc sita est, ut multa possideat; quin salutem hominis impedit, et in pericula multa coniicit: coelestia ergo cogitate, spiritualibus intendite.

Homo quidam dives.) Ego fictum argumentum, non rem gestam, existimo, in quo Christus avaritiam, aut avarorum mores adumbrat. Ac si dicat: Finge esse aliquem, cui plus affluat quam ipse sperare

possit, quam capere horrea possint etc. Nihil recte cogitant, qui opibus inhiant, etiam tum quum optime cogitant. Nihil enim quaerunt aliud quam ut sibi bene sit, ut tranquille vivant.

Destruam horrea.) Studium divitum hoc verbo exprimit: non enim iam contenti sunt domunculis prioribus, sed novas extruunt magnificentiores. Addunt animum divitiae, sed fastuosum, non humilem aut modestum, ut priora vilescant etiam. At ista non claros faciunt homines, sola virtus claros reddit. Quo vero reponent divites opes suas, ut semper durent? Christus hic non vetat, quo minus proventus nostros reponamus, sed ne mentem illis addicamus, ne superbiamus. Odit deus fastuosam et ingratam mentem, sive pauper aliquis sit, sive dives. Dispensatores sumus constituti a deo super bona eius. Cur tam raro cogitamus, quam simus ei rationem reddituri? Si tu haberes colonum aut dispensatorem, qui vel una libra te fraudaret: an non diceres hunc nequam esse, et gravi mulcta dignum? an non de mutando illo cogitares? Quid ergo putas tecum facturum deum, qui tam perfide in rebus suis agis? Omnes quidem dicimus: Habeo hoc a deo, deus dedit mihi ista; at interim in corde deum negamus, quum bonis suis tam fastuose et perfide abutimur.

Dicam animae meae.) Periphrasis est sui ipsius, id est dicam ad me ipsum, dicam mihi ipsi, consolabor me ipsum. At Periphrases Hebraicae magnam vim habent, ut si Germanice dicam: Was thut dyn härtz? plus aliquid habet, quam si dicam: Was thuſt du? et tamen sensus idem est.

Sic est omnis) Sub uno eodemque genere, subque una persona comprehendit dominus omnes divites, qui vel deliciantur et libidinantur in bonis suis, vel tam sordidi sunt, ut illis uti non audeant. Alia sunt bona ad quae creatus est homo, alius finis est homini praestitutus, quam ut corradat opes: non creatus est ventri homo, sed coelo, aeternae vitae, deo.

Requiesce, ede, bibe, gaude.) Hic est finis quem spectant homines in corradendis divitiis, materia scilicet quietis, voluptatis, libidinis. Dives semper cogitat quomodo corradat et colligat, aliae omnes mentes extra suam nihil aliud cogitant quam quomodo distrahant opes. Dives cumulum congregat, alii dissipant congregatum. Atque his cogitationibus divitum mentes occupatae sunt, nihil divinum, nihil honestum mente volvunt. Divites ergo non in hoc reponunt divitias, ut pauperibus opem ferant, ut deo istis serviant, sed ut ipsis bene sit. A labore ad libidinem, omnes requiem quaerunt, quasi vero requies aliqua esse possit in rebus huius mundi, quae fluminis instar dilabuntur et fugiunt. Dic fluvio ut quiescat! frustra dices: continue enim currit donec in mare veniat et ibi quiescit. Sic nos non cogitamus requiem nostram aeternam, quae in deo erit, sed *hic* requiem quaerimus. Nos ad longe aliam vitam sumus creati, quam ut hic requiem quaeramus. An non omnes in utero matris fuimus? mox in hanc lucem editi? An ergo non praesens vita praestantior est ea, quum adhuc in ventre inclusi eramus? Quod si haec vita generatione prima melior est, consequitur secundam nativitatem quae per mortem fit, longe praestantio-

rem fore praesente vita. In hac enim per dolorem mortis eiicimur in aliam vitam, nempe aeternam. Anima ergastulo corporis liberata, in potiorem locum recipitur, in praestantiorem lucem, quam qua hic est fruita. Quemadmodum infans ex utero matris, ex tenebris in lucem editur, sic animus e corpore dum exit in aeternam lucem et requiem generatur. Sed divitiae quas tantopere cupimus, mentis aciem sic obscurant, ut nec divina nec humana perspicere possit. Consuetudinem viri prudentis quaerimus, deum inexhaustum omnis sapientiae fontem videre et possidere non desideramus?

Εἰς θεὸν πλουτῶν.) In deum dives, id est, *σὺν θεῷ* cum deo: Mit gott ſol man rychtag ſamlen. Sunt ergo, divitiae quae cum deo possideri possunt, et quae deo probantur.

Nolite solliciti esse.) Corradunt avari divites undequaque argumenta, eaque probabilia et verisimilia, quibus cupiditatem suam pallient, solicitudinemque et anxiam in quaerendis opibus curam defendant. Et videntur quidem multa scripturae loca illis suffragari, praesentique doctrinae Christi contraria esse. Paulus enim laborare praecipit et adquirere, ut non solum ipse habeat, sed et tribuat aliis necessitatem patientibus, item: Qui suis non providet, infideli deterior est. Haec autem sine cura et sollicitudine haudquaquam fieri possunt. Adhaec non potest haec vita sine cura consistere. An enim vir bonus liberis suis providere et reponere non debet? Haec argumenta aut huiusmodi si ex bono corde non desperato fierent, ferri possent. At divites haec quidem praetendunt, quum cor intus alia spectet: volunt magni esse et potentes in mundo, volunt voluptuari, atque ad haec grassantur divitiis: vident enim haec omnia opibus in mundo parari. Census enim amicitias, dat census honores, reginaque pecunia regnat. Pauper ubique iacet. Quum ergo ad haec adspirant, haec meditantur, quaerunt divitias per fas et nefas, interim honesta quaedam argumenta praetexentes, et defensiones speciosas parantes. At vita eorum prodit eos non esse bonos viros. Dicunt: reponam viro seni, et quum senescunt avarissimi sunt. Deinde liberos causantur, quos non ad honestos labores, non ad disciplinas, non ad religionem et pietatem, sed ad avaritiam, fraudes, otium educant. Opibus suis et facultatibus neminem iuvant, quin et liberos suos et fratres et sorores haereditatibus fraudant. Huiusmodi avaris dominus hic occurrit hyperochis et hyperbolis, et dicit: Nolite solliciti esse, quasi omnem curam vetaret. Sed hic videmus, quomodo loquutiones hyperbolicae, quibus plena est omnis scriptura, exponendae et intelligendae sint. Summa exigit Christus, ut saltem mediocria impetret. *Μεριμνᾶν* plus aliquid significat quam sollicitum esse, anxia scilicet cura ac nimia torqueri, variis cogitationibus vexari et distrahi cum desperatione quadam mentis, quae diffidit se posse impetrare aut adquirere quod anxie cupit. Avaritiam ergo et anxiam illam cupiditatem avarorum taxat hic dominus, quam poetae venuste in Tantalo adumbrant, qui in mediis aquis siti perit.

Animae vestrae.) Periphrasis est Hebraica, sed emphasim habet. Potest etiam anima pro vita capi. Hac anxia cura filii huius saeculi torquentur, filii dei hac liberi esse debent.

Vita plus est quam cibus, et corpus plus quam vestis.) Ἀξίωμα est et propositio, qua sua probat Christus. Quasi dicat: Concedatis necesse est, vitam praestantiorem esse cibo; hoc si negatis aliis argumentis probabo: Considerate volucres, corvos etc. Illa omnia pertinent ad probationem eius quod dixerat, vitam esse potiorem cibo. Considerate lilia, flores etc. Haec pertinent ad probationem, quod corpus dignius sit veste, aut quod vestis vilior sit corpore. Ex ordine autem creaturārum tam varie distinctarum, omnifariam potentiam ac sapientiam summi opificis dei intelligimus. Sic in ordine hominum magna est diversitas: non uni dedit omnia, divisa habet sua dona et partita iuxta mensuram, nemo sibi satis esse potest, alter alterius opera et beneficio eget. Ego debeo proximum iuvare, ipse hoc debet agnoscere et gratus esse. Sic deus vilia quaedam animalcula (quod ad nostrum iudicium attinet) accipit, ut turpissimam cupiditatem detestetur ac impugnet, at in suo genere pulcherrima. His dico vilissimis bestiolis potentissimorum anxiam curam deprimit, qui putant neque in coelo, neque in terra tantum superesse quod eis satis sit, et eripit eis omnia arma quibus se probe munitos putant. Quaecunque habemus, a deo data sunt gratuito: quid enim ei pro his damus? aut quo precio comparamus? Quam gravi poena ergo digni sumus, si huiusmodi divinis bonis ac donis abutimur, quum non ad ea utimur illis, ad quae nobis sunt donata? O quam perfidi nequam sumus et ingrati, si nobis illa vendicamus? an ferendi tam iniqui dispensatores? Homo non ferret, et deus ferat?

Quis potest cubitum addere.) Hoc exemplum in genere ad omnia pertinet. Deus est administrator et gubernator omnium, hunc agnoscerè oportet. Iuxta ordinem a deo praestitutum omnia currunt, non iuxta affectus nostros. Haec obedientiam et patientiam docent in omnibus quae nobis accidunt.

Quid de ceteris soliciti estis? Τί περὶ τῶν λοιπῶν μεριμνᾶτε. Reliquum, more Hebraico (יֶתֶר) id significat quod reliquum aut relictum aut repositum est. Quandoquidem vero quae reponimus praestantiora fere sunt et chariora quam quae in propatulo iacent, fit ut λοιπὸν significet praestans, eximium. Sic capitur hic, ut ex antithesi patet: Quum ad staturam vestram nihil addere potestis, quod tamen minimum est, multo minus praestantiora potestis. Fit aliquando ut bona quadam intentione (ut nobis quidem videtur) aliquid cupiamus aut velimus, at hoc idem deus aliter ordinat, sapientius videlicet ac melius nostra dispensans; iam cedere nos convenit divinae voluntati et dicere: Dii meliora, diis aliter visum et caetera. Nihil ergo est quod divites negant se avaros esse, non se spectare gloriam et voluptates: aegroti sunt et adfectibus obruti. Deus qui medicus est, novit quod sit ingenium, quae vis morbi cuiuslibet, etiamsi id perneget aegrotus. Nec deus solum hoc novit, sed et eius ministri qui in rebus spiritualibus sunt periti, et in cognitione scripturarum docti; adeoque et spirituales medici; facile colligunt quid quisque quaerat, quantumvis dissimulemus aut celemus.

Primum quaerite regnum dei.) Hoc est, gloriam eius, iustitiam, veritatem, ut haec semper plantentur.

Noli timere pusille grex.) Nolite metuere etiamsi vestrum pauci sunt, deinde viles et humiles hominum iudicio. Haec consolatoria sunt ne concidamus. Ad hoc tempus dicta: tum enim erant pauci illorum. Neque ex hoc sequitur, quod quidam contendunt, Christianorum minorem semper esse numerum. Quidquid ferendum venit, cogitemus semper praeparationem esse ad regnum coelorum. Sed perfidia in causa est, quod tam multi a deo deficiunt, et manum eius ferre nolunt. Qui deo vere fidunt, semper spectant aeterna, et propter aeternum thesaurum facile contemnunt temporalem. Quod si universi homines mundi contra unum aliquem pium pugnarent, is iam certa fide in deum firmatus nihil timet. O si humana mens intelligere posset aeternum et summum bonum! Cognoscimus quidem dum hic vivimus deum, idque dono eius, sed per speculum in aenigmate, et per nubem quandam, ut dum sol per nubem irradiat, et nihilominus dies est; at sol clare non videtur. Utcunque vero haec mentis illustratio obscura sit, adhuc non mutares eam cunctis mundi bonis. Quod certum argumentum est, mentem omnibus corporeis rebus antecellere, animique bona longe praecellentiora esse bonis corporis. Porro si dotes animi tantae sunt hic, quid de aeternis dicemus? vel quantas eas putamus ubi deum videbimus sicuti est? Dignae nimirum propter quas omnia corporea contemnamus.

Placuit patri.) Εὐδόκησεν: Er hats frey in ſym willen für ſich genommen, er hat ein luſt vnd gefallen dran, ut vobis det regnum aeternum.

Vendite omnia et date eleemosynam.) Hyperbolica est locutio, qua utitur dominus, ut nos a terrenis avocet, et ad coelestia sublevet: Ein häfftiger ſparren vnd lupff. Ne putemus neminem esse Christianum, neminem posse servari, nisi vendat omnia: alioqui propheta non dixisset: Egenum vagumque induc in domum tuam. Omnia abiicere non est opus virtutis aut perfectionis. Christus vero ad solidam et perfectissimam virtutem adhortatur. Serviunt autem hae hyperbolae et epicheremata ad excitandum nostram socordiam, ut contemptis et relictis terrenis contendamus ad coelestia et aeterna.

Ubi thesaurus.) Qui frequenter de meretricibus loquuntur, adparet eorum corda addicta esse meretricibus, et illic ea quaerere suum thesaurum. Adfectus ut celemus multis artibus utimur, sed facile manifestum fit, ubi cor nostrum sit. Feles subinde cistam in qua farcimina reponuntur obambulant. Si deus thesaurus noster est, non poterit nos totus mundus, nec mors a deo abstrahere.

Sint lumbi vestri praecincti.) Hunc locum impudens castitas sibi in patrocinium sumpsit, at Hebraismus est: accingere lumbos significat accinctum et paratum esse, maxime ad iter, vel profectionem. Periphrasis ergo est vigilantiae et strenuitatis. Gegürtet ſin, symbolum est: Gerüſtet ſin, wägfertig. Qui domi desident, cingulum ponunt: qui vero se ad iter parant, baltheo accinguntur. Monet dominus ut omni tempore praeparati simus ad mortem, adventumque eius praesto-

lemur, vigilandum est et in excubiis standum. Quod enim dicit: omnibus dicit, apostolis, episcopis, omnibus piis. Metaphora tracta est ab adventu regis. Quasi dicat: Nunquam licebit vobis otiosis esse. Nam hic est mundi potentia, isthic voluptates, illic daemonis astutiae et illectamenta, odium, persequutiones etc. Contra haec omnia vobis pugnandum erit, semper his obsistendum. Sitis ergo baltheo militari accincti, et spiritualibus armis instructi, nolite vel requiem hic cogitare, pugna est, militia est vita hominis super terram.

Lucernae ardentes in manibus.) Sit fides per dilectionem operans! Fides si vera est operibus charitatis lucet. Multi dulciter de Christo garriunt, sed quum pugnandum est contra hostes dei, fugiunt aut exanimantur. Opera ergo Christianorum vivida sint, ignea, ardentia.

Et vos similes.) Hoc *et* expositivum esse puto, pro, id est. Quasi dicat: Quod de lucernis et lumborum accinctione dixi, sic intelligite.

Circumiens ministrabit.) Metaphora sumpta a more humano. Saepe enim hoc fit ab heris humanis et facilibus. Ac si dicat Christus: Si deo bona fide servieritis, non vos pro servis iam, sed pro sociis et amicis habebit. Ioan. 15.

Et si venerit in secunda, et si in tertia vigilia venerit.) Quatuor esse vigilias noctis veteres dixerunt. Meminit autem duarum intermediarum, non primae nec ultimae, quod magnum sit in intermediis vigilare: nam in prima et ultima solent quidam vigilare, non sic in aliis duabus. Quasi dicat: Vos omnino dormire non debetis, etiamsi caeteri omnes dormiant, vos scilicet apostoli et prophetae, episcopi. Canes estis, latrare vos semper oportet, et quod caeteris licet vobis non licet: caeteris aliquando dormitare licet, et ferendum hoc utcunque in eis, vos vero semper vigilare convenit. Fures sunt, satan, caro, mundus, qui nobis eripere thesaurum coelestem nunquam cessant. Episcopi estis, id est, speculatores, vigiles: convenit ergo officio vestro ut vigiletis. Nemo speculatorem in turrim ponit, ut dormiat. Daemones non dormiunt, sed circumeunt, quaerentes quod rapiant, veritatem scilicet, fidem, cognitionem dei. Mox ut fide vos exarmat, per cuncta scelera praecipitat, et tandem ad desperationem adigit. Simile accipiamus in eo qui flumen aliquod eousque ingreditur, donec omnes amittat vires: iam illi redire integrum non est, sed submergatur est necesse. Sic qui in profundum venerunt, contemnunt. Apostoli estis; officii igitur vestri erit, caeteris dormientibus, labascentibus, deficientibus, vigilare, alacres esse, clamare, adcurrere, manum praebere, exhortari et admonere, inque noctem ac tenebras illorum lucem ingerere veritatis, increpare, castigare, et tanquam aeneus murus contra omnem impietatem stare. Vos estis nervi quasi totius corporis, oculus, lux, quibus totum corpus ducitur et regitur.

Estote ergo et vos parati.) Hoc verbum probat, praecedens verbum (Sint lumbi vestri praecincti) ad castitatem non pertinere, sed ad promptitudinem expeditam. Socordia nocentissimum est vitium, quo tamen fere omnes laboramus: quidquid agendum est, cessamus,

aut saltem non alacres sumus, aut differimus. In summa, non sumus vigilantes, circumspecti, diligentes, sed pigri, socordes, oscitantes in omnibus, adeo, ut saepe occasiones temporum, rerumque, quae nobis deus in manus praebet, negligamus. Non potuisset obtinere impostura Papistica unquam, si oculati fuissemus, deinde citius potuisset destrui, si occasiones a deo nobis praebitas observassemus et non neglexissemus. Deus non dormit, nullum fuit a condito mundo tempus, in quo deus lucem suam, gratiam suam mundo non proponat, monendo, exhortando, benefaciendo, castigando, revocando, sed nos non observamus, non adquiescimus divinis consiliis et praeceptis, non vigilamus, non audimus monentem, non sequimur vocantem, non sumus grati benefacienti et servanti. Excitat ergo socordiam nostram deus.

Istam parabolam.) Genus pro specie positum. Hebraeis משל omnem sermonem obscurum aenigmaticum et symbolicum significat, qui altiore sensu praegnans est.

Quisnam est fidelis.) *Τίς* ex מה Hebraico forte est. Hic mihi pro Quantus positum videtur. O quantus, quam magnus, in quanto pretio habendus, qui sic diligenter invigilat etc. Non respondet claris verbis Petro interroganti, tametsi hoc indicat: Omnes quidem vigilare debetis, idque diligenter, sed in primis vos, qui populo meo praefecti estis. Nam in Marco dicit: Quod vobis dico, omnibus dico. Sunt enim quaedam loca, quae quamvis omnibus congruant, pertinent tamen praecipue ad praefectos, ut quum dicit: Iuste iudicate filii hominum, hoc in primis ad iudices pertinet, non tamen sic, quin et ad omnes, sed ante omnia ad iudices. O quanta, quam praeclara res est, ministrum ac dispensatorem esse fidum! Hoc verbum in primis dictum est prophetis, episcopis qui constituti sunt super gregem domini, deinde magistratibus, demum patribus familias etc. Ecclesia dei domus magna est et schola quaedam. In domo sunt paterfamilias, materfamilias, pueri, servi, ancillae, tota familia, in schola ludimagister aut praeceptor, diaconi, discipuli, illis iam omnibus summa cum fide vigilandum et laborandum est, unicuique tamen suo ordine. Et licet patrifamilias atque ludi moderatori hoc in primis competat, nihilo tamen minus ad omnes interim pertinet.

Ut det illis demensum cibum.) His verbis multa indicantur. Primum, admonetur minister sui officii, summum et maxime necessarium in ecclesia proponere cibum animae populo et familiae dei. Secundo, ut is prae omnibus sit prudentissimus, qui cognitum habeat quid cuique congruat. Tertio, dona esse diversa et varia, nec uni competere quod alii, nec omnibus omnia. Qui iam haec novit, de hoc merito dicitur: O quantus quamque praeclarus hic vir est! quam pretiosus, quam magnus is coram deo et tota ecclesia! quam charus! quanto praemio dignus! Qui haec ignorat, de illo dicitur: O quam miser! quanta poena dignus! At non satis est esse prudentem nisi et fidelis sit. Hinc Paulus dicit: Quod superest, illud requitur in dispensatoribus, ut fidus aliquis reperiatur. Illic ponitur, *τὸ λοιπόν*, quod significat (ut ego quidem iudico et supra annotavi) praecipuum. Quasi dicat: Praecipuum quod in ministro animadverti et observari debet, quodque

maxime necessarium est, quod sit fidelis. *Πιστὸς* significat fidelem, veracem: nemo magis fidus est in negotiis quam fidelis, id est, pius. Duo haec fidem et prudentiam iungit Christus, *πίστιν καὶ φρόνημα*, quemadmodum vir et mulier coniunguntur in matrimonio. Coniugium non est unius tantum, sed duorum; at vir imperator est, et praecipuum quiddam: *φρόνημα* uxoris typum gerit, *πίστις* viri. Prudentia sine fide mulier est curiosa, audax, astuta, quae fidem non servat: accedat ergo oportet ad prudentiam vir, fides scilicet, qui mulieris argutias et curiositatem compescat et moderetur. Multum refert omnino, doctum esse aliquem, et ad hanc rem multa suppellectile opus erit. Nec est ut audiamus Catabaptistas, qui ad praetextum suae ruditatis, apostolorum ruditatem allegant. O si omnes huius mundi docti tam essent docti, quam fuerunt apostoli Christi.

Omnibus quae possidet praeficiet eum.) Ut fidelibus praemium, ita perfidis dispensatoribus poenam minatur. Metaphora autem tracta est ab oeconomis et patribus familias, qui gnari sunt et fidi, et rem privatam bene curant ac dispensant: illi deinde ad publica etiam officia admoventur. Colligimus enim eos bene praefuturos reipublicae, qui domui suae bene praefuerunt. Sic iussit Paulus episcopum eligi, qui domum suam recte et prudenter curasset, quod is nimirum aptus esset, ut praeficeretur domui dei, id est, ecclesiae. Sic Romani a minoribus officiis et gradibus ad summa evexerunt eos, quorum fides ex rebus bene gestis perspecta erat.

Quod si dixerit servus ille.) Negligentiam et socordiam, maxime ministrorum, odit ac punit dominus. Quidam resipiscentiam diu differunt, et quum non statim adest dominus ad puniendum malos, incipiunt impatientes esse et murmurare, imo blasphemare aliquando; incipiunt remissiores esse, voluptatibus indulgere, et contemnere legem dei, ut quidam dicant: Non est deus; incipiunt percutere servos, id est, violentia eos opprimere, iniuria afficere: nam hoc significat percutere servos. Hinc Paulus praecipit episcopum non esse *πλήκτην* percussorem, id est, violentum. Fit autem aliquando, ut quod pii ministri et fidi faciunt, audacia iudicetur et temeritas, ut dum scelera traducunt, quum contra oligarchas pugnant, quum cavent ne scelerati ad officia publica admoveantur: nam illi seditiosi dicuntur et perturbatores reipublicae. Rursus, qui omnia scelera plantant, veritatem extinguunt, tyrannidem in miseram plebeculam exercent, hi veritatis praedicatores dicuntur. Sed quum venerit dominus, is iudicabit utri illorum violenti et tyranni fuerint, an qui puram dei gratiam per Christum praedicant, et vitae innocentiam docent, a creaturis avocant; an illi qui remissionem peccatorum Pontifici tribuunt, nugas suas magni vendunt, et miseras animas seducunt. Cato et Caesari et Pompeio restitit, uterque enim per vim et tyrannidem ambiebat imperium, uterque infregit libertatem publicam. Quis hunc seditiosum dicat? Quin non solum conatus illorum fregit, sed et toti populo reclamat. Populus enim totus aut Caesari adhaerebat, aut Pompeio. Non ergo nudum opus considerandum est in se, quod quisque facit; animus potius spectandus

est, qui facit opus bonum aut malum. Pontifex in ecclesia Christi et populo dei omnia invertit, omnia corrupit, vim et tyrannidem in eos exercuit qui sanguine Christi asserti fuerunt in veram libertatem. Authoritas et honoris praemia ex egregiis factis, ex vitae innocentia, ex fide, nata sunt, quod videlicet Paulus veteresque episcopi tanta cura, tanta sollicitudine, tanta dexteritate, tanta denique fide officio suo invigilarunt, hinc factum est, ut patrum loco sint habiti a populo. Posteri vero honorem et gloriam mordicus arripientes, et ab omnibus exigentes, fidem et dexteritatem, studium et vigilantiam neglexerunt. Non dissimiliter de ingenuis, quos nobiles dicimus, iudicare possumus. Vera enim nobilitas ex virtute, ex egregiis factis originem habet; iam filii illorum aut posteri vanis titulis gloriantur, et ab avita probitate ac virtute multum degenerant.

Edere, bibere et inebriari.) Per haec omnes delicias, omnem voluptatem intellige! sumus enim omnes a labore ad libidinem proclives. Intelligo ergo omnem impotentiam, et effoeminatam molliciem, quibus homines totos se dant. Hoc an fuerit in pontificatu, quisque, qui eorum vitam considerat, facile iudicabit. Parcimus enim auribus piorum, nec expedit fortasse sceleratam eorum impuritatem et sordes explicare. Dominus in die illo magno omnia protrahet, et in conspectu totius mundi revelabit, quae iam turpissime ab illis fiunt. Mox ut quis cogitat: Iam satis habes, iam requiem habebis etc. actum est de eo. Oportet ut nec gloria elevetur, nec voluptate capiatur, nec adversis frangatur, nec felicitate diffluat; nunquam cessabit ab opere suo, nunquam fatigatus deficiet aut labascet. Si prius fuit sedulus, fidus, verax, constans, iam magis sit sedulus in officio, magis constans.

Dissecabit eum.) Apud veteres, proditores in duas partes dissecti aut distracti leguntur, ut est apud Livium 1. lib. de Metio Suffétio proditore Albano. Apud nos in quatuor partes secantur. Est autem dissectio illa symbolum perfidiae. Ponuntur partes cum infidis. Ἄπιστοι enim, hic non incredüli, sed perfidi, foedifragi et proditores sunt.

Plagis vapulabit multis.) Certus erat numerus plagarum aut verberum, ut etiam in lege dei praeceptum erat Deut. 25. et alibi de plagis quadraginta una minus 2. Cor. 11. Sensus est: Qui veritatem agnoscunt et reiiciunt aut contemnunt, aut relinquunt, gravius plectuntur. De iis hoc intelligendum qui ex desperatione et contemptu peccant, ut supra auditum est de peccato in spiritum sanctum, non de iis, qui Christo fidunt et ex infirmitate labuntur. Hic servus qui voluntatem domini et veritatem eius audit, et cognitam habet, sed nihilominus contumaciter veritati adversatur, et eam persequitur, gravius punietur, quam qui veritatem nunquam audivit. Et hoc maxime ac praecipue in praefectos ecclesiarum quadrat, qui veritatem intelligunt et sciunt, nec docent eam, non defendunt eam, sciunt quid sit contra deum, nec vitant illud, non puniunt, non se opponunt sceleribus et omni impietati, volunt fideles videri et se tales iactant, sed non vivunt ut Christiani.

Servus non sciens.) De gentibus et incredulis intelligit, qui nihil de doctrina Christi audierunt.

Cui multum datum est.) Metaphora tracta a deposito. Exa-

minet se quisque et consideret quid ipse donorum a domino acceperit. Vehementer terrent illa.

Ignem veni missurus.) Per ignem cognitionem unius verique dei intelligit. Quasi dicat: Ego lux sum mundi, veni ut illuminem et et accendam mundum cognitione patris mei. Quid ergo velim, nisi ut ardeat?

Sed baptismo habeo baptizari.) Per baptismum symbolicῶs intelligit passionem et mortem. Poterant discipuli dicere: Tu dicis nobis magna et formidanda. Respondet: Quum ego qui lux sum mundi tanta patior, cur vos non ferretis?

Non pacem sed gladium.) Verum inter bonos et malos, non inter bonos inter quos perpetua pax erit. Mali pacem quaerunt, ut eis hic bene sit, sed errant: hic enim nulla pax est quaerenda, nulla requies. Pii pugnabunt contra impios, impii rursus pios persequentur, et quum hue totos se pii devovent, veram pacem adquirunt.

Signa coeli.) Ex observatione et facie coeli tempestatum aut serenitatis signa colligitis, et secundum haec opera vestra dirigitis. Qui fit ergo, ut haec signa, quae videtis a me, tam negligenter praeterire sinatis? His verbis illustrat eorum mentes (quia lux erat mundi) quae tenebricosae et incogitantes erant. Quasi dicat: Quum signa facio, non aliter accipere deberetis, ac si vobis lucernam accenderem et in medium ponerem; non facio hoc frustra, sed ut moneam, excitem.

Tempus illud.) *Καιρός* hic est, quod momentum et punctum temporis significat illud, quandocunque dominus venit, et se de impiis vindicat. Dicat aliquis quomodo vero haec cohaerent cum praecedentibus quae de discordia dixerat? Aptissime. Quasi dicat: Ista omnia signa sua habebunt (ut Matth. 24. quum de falsorum prophetarum adventu dixerat: simul dixit etiam de signis praecurrentibus); modo observentur. In rebus corporalibus signa observamus, idque recte: cur vero ista negligimus in rebus spiritualibus? Quum videritis impios tam pertinaciter repugnare veritati, certissimum signum vobis esto, quod vindicta dei veniat. Signa et portenta semper praecurrunt magnas et admirandas res, ut etiam gentium historiae indicant, et sacrae testantur. Vide in Exodo internecionem Aegyptiorum quanta portenta praecesserint. Haec vero apud omnes gentes tam certa et recepta, cur nos tam temere contemnimus? cur tam oscitanter transimus? Quum signa edit deus, incertum quidem nobis est (in specie dico) quid deus agere velit; at in genere hoc certo nobis constat deum magni aliquid moliri, possumus definire et certo pronunciare, deum haec non frustra facere. Parati ergo semper simus, quoties huiusmodi signa deus prodit, et devoveamus nos deo, resipiscamus, convertamur ad dominum ex toto corde, meditemur vitae innocentiam. Exemplo id discamus: Quum paterfamilias aliquis (sit doliarius) quercum emit, non est servi ut certo aut in specie scire velit aut debeat, quid ex hac facturus sit magister eius, an vasa vinaria, an dolia ac tinas, an palos, an vero trabes; hoc vero officii sui fuerit, ut iam accintus et paratus sit ad omnia ea quae magister iubet, ut dicto sit audiens, et voluntati heri se totum mancipet. Nos non possumus penetrare in divina consilia, nec etiam debemus,

sed prophetis suis et signis monet et terret, ut animum ad eius voluntatem advertamus. Verbo, prophetis et signis voluntatem suam prodit deus. Levemus ergo capita nostra, simus vigilantes et circumspecti, resipiscamus. Deus tam est propitius, ut punire nolit, nisi prius admonitos per verbum et signa. Qui omni tempore sic paratus stat, subito opprimi non potest: commendavit enim se totum voluntati divinae et dicit: Ah domine, novi iustitiam tuam, displicent tibi scelera, quae punita vis, sed rursus novi te esse misericordem et benignum, novi te exorabilem; revertar ergo ad te: ut patrem pientissimum video te virgam arripuisse. Offensus enim es, sed parcis poenitentibus, et iram remittis si fuerimus conversi. Cogitent et expendant haec omnia quae dicta sunt divites huius mundi, qui divitiis inhiant, et putant se beatos quum multa possident, nec cogitant se dispensatores dei esse. Si quis ad eos diceret: Do tibi quidem istas divitias ingentes, sed ea lege, ut quacunque hora libuerit, et ubi tu minime putaveris repetam, an non dicturi essent: Non recipiam istas opes, quin proprias parabo, quae mihi non, dum cuique libuerit, eripientur? Et haec quidem in terrenis sciunt; cur non idem faciunt in aeternis? cur non desiderant aliam vitam? cur tantopere huic haerent quae mutuo data est, quam repetet dominus hora qua minime putant? Simus ergo fidi ministri dei, et dicamus: Tui sumus o domine! fac nobiscum iuxta voluntatem tuam, servi sumus, obediendum nobis est. Si tempestates tam bene novimus, cur non tempestatem scelerum, tempestatem poenarum? quia hypocritae sumus, et merito in pharisaeis a Christo taxamur. Et quod in aliis rebus summa diligentia curamus, in salutis negotio negligimus. Audiuntur rumores bellorum, arma paramus ac polimus, et omnia quae ad bellum pertinent adparamus. Pestis imminet; alius tormentillam emit, diptamum alius, alius electuarium aliquod conficit, nempe ut tuti sint et futuram pestem abigant. Fames imminet; longo tempore antea dum vilia adhuc sunt frumenta multa comparamus ut futurae calamitati occurramus. Et haec quidem mala, plerumque a stultis astrologis praedicta, vana sunt et non eveniunt. Quae vero deus per verbum suum, per prophetas, per signa coelestia praedicit aut minatur, ad ea nemo se parat, nemo venientibus malis occurrere studet, nemo se voluntati dei totum consecrat, nemo a peccatis vel tantillum cessat, nemo se ad ferendam iram domini apparat, nemo se ad ferendam crucem cum summa humilitate et obedientia adcommodat, nemo lachrimis et ferventi prece iram domini commeritam deprecatur, nemo voluntatem domini super nos optimam agnoscit, utcunque interim gravissimis malis exerceamur. Hypocritae enim sumus.

Non iudicatis.) *Οὐ κρίνετε.* Haec vox duo includit: primo, cognoscere causam, secundo, pronunciare et sententiam ferre. Capitur ergo hic *κρίνεσθαι* pro priori, nempe, dispicere, cognoscere. Quasi dicat: Cur non quisque apud se dispicit quid iustum quid aequum sit? Si quis apud se expenderet quid iuris in quaque re haberet, vix millesima pars causarum ad forum perveniret. Sed unusquisque in causa sua caecus est. Quae caecitas bifariam accidit. Prima ex simplicitate et ignorantia. Altera ex destinata malitia, quum quis de industria

oculos claudit, et quod videt videre non vult, blanditur sibi ipsi; alius confidit mendaciis suis, alius eloquentiae suae, alius potentiae, alius factioni suae, alius clientelae et amicis, alius quod corrupit iudicem muneribus, quod favorem eius emit, quod eum adversario offensum fecit. His rebus freta bona pars hominum litigat, non causae bonitate. Sed bonus vir non est, qui veritati et iustitiae non cedit, mente corruptus est et nequam, contentiosus, litium amans, in summa mali aliquid molitur. Nemo ergo ex philautia sui ipsius sit palpo.

Et exactor te coniiciat in carcerem.) Πράκτωρ dicitur qui debita exigit. Conantur Papistae hoc ex loco Purgatorium suum firmare. Qui mentiri volunt speciem quaerunt veritatis. Papistae vero et omnes mendaces hoc argumento testantur, nihil validum ac firmum esse quod verbo dei non est subnixum, et quod veritas tanta res sit, quum ipsi eam suis mendaciis praetexant, eaque sua commenta defendant. Sed illi verbo dei abutuntur, et in falsum scripturae sensum aedificant. Veritas pani similis est, qui quum super mensa ponitur, quotquot accumbunt famelici, mox in eum irruunt, eum adprehendunt et manducant, per quemcunque tandem proponatur.

CAPUT XIII.

Aderant autem quidam.) De hisce rebus vide Iosephum lib. Antiq. 18. cap. 7. Nam videtur de hisce scripsisse, et verisimile est factiosos sacrificia illic in monte Garizim habuisse. Et tempore nimirum Christi haec facta videntur. Quum itaque Christus moneret, quoties signa ostenderet deus, circumspectos esse, et resipiscere, ni poenam velimus experiri, eodem momento venerunt quidam qui talia nunciarent. Cum sacrificiis, id est, eo tempore quo sacrificia perageront, miscuit sanguinem ipsorum cum sanguine pecudum quae sacrificabantur, hoc est, uterque sanguis et hominum interfectorum, et pecudum offerendarum, simul fluebat et miscebatur. Taxat autem dominus vitium quod nobis omnibus valde peculiare est. Quum enim audimus accidisse alicui aliquid mali aut incommodi, mox temere iudicamus de eius vita, pronunciantes eum id commeruisse, meritoque pati. Hoc videns Iesus cordium inspector et iudex, monet ut relicto iudicio quo alios iudicant, sese expendant ac iudicent. Expectabant nimirum referentes hoc, Christum dicturum: Quam scelerati fuerunt isti etc. Sed Christus nihil de illis dicit: sed praesentes monet, ut exemplo illorum emendentur ne et ipsis idem contingat. Exempla non in hoc eduntur, ut duntaxat videamus hoc factum esse, sed ut nos caveamus aut resipiscamus, aut ad eandem poenam accingamur. Post mortem et punitionem pluris aestimamus peccata hominum, quam dum vivunt. Qui peccant, admonendi sunt et castigandi dum vivunt, idque ex officio caritatis et respectu dei. Quod si eousque scelerata vita pergit, ut poena aliqua manifesta sequatur, cogitemus: Ne et tu talis! aut sic: Si deus te non servasset, in eodem haereres luto, aut: Sit deus te punivisset aut adhuc puniret pro commerito tuo, maiori dignus esses supplicio.

Nisi resipueritis simul omnes.) Decet hoc verbo Christus,

in hoc edi exempla in quosdam, ut caeteri terreantur, caveant, ac resipiscant. Quum ergo incidunt pestis, fames, bella, aliaeque calamitates, debemus de resipiscentia et vitae emendatione cogitare, nisi malimus perire cum impiis. Docent ergo haec exempla, ut circumspecti simus, et semper vigilemus ad diem et adventum domini, quum mortis simus tam certi, tam incerti horae mortis, et videamus quotidie alium sic, alium sic perire et cadere. Hoc ergo in more habet Christus, ut quacunque occasione potest, ab affectibus carnalibus ad vitae innocentiam trahat. Summa sapientia est alienis malis discere quid tibi ex usu sit. Gentilis quispiam dicit: Felix quem faciunt aliena pericula cautum. Hoc idem hic Christus, licet aliis verbis, docet.

Arborem fici.) Haec parabola socordiam nostram taxat et reprehendit. Omnes abutimur longanimitate dei, et differimus vitae emendationem, donec funditus intereamus. Lentus quidem ad iram est deus, sed tarditatem supplicii poenae gravitate compensat. Sensus autem verborum est, ac si dicat Christus: Vos dixistis mihi de his quos interfecit Pilatus, deque iis quos turris oppressit, quasi illi soli fuerint peccatores. Quin dico vobis, qui adhuc superstis, quos deus ad poenitentiam servavit, si non resipueritis, eandem poenam vel forte graviorem experiemini.

Ad qui terram occupat?) Hic discimus turpissimum esse, quum homo in ecclesia dei nullam adfert utilitatem: quid enim hoc aliud est, quam quod poëta dixit; Nos numeri sumus et fruges consumere nati, Pondusque inutile terrae.

Spiritum infirmitatis.) Hac voce Spiritus, utuntur Hebraei varie et in bonam et in malam partem, quemadmodum Germani vocabulo, Böß vel übel. His enim vocibus omne infortunium, omnem calamitatem significamus. Et fere Germani omnia incommoda diabolo tribuunt, sic apud Hebraeos Spiritus infirmitatis, id est, ipsa infirmitas, hoc diuturnum malum, hic gravis morbus.

Princeps synagogae indignans.) Quaecunque facit hypocrisis, sub specie religionis et pietatis facit. Et quidquid fit usquam scelerum, vestem induit virtutis. Ex quo duo discimus. Primum, quod etiam pessimi et mendaces testimonium ferunt iustitiae et veritati: nam tales sunt res, sine quibus mundus constare non potest. Secundo discimus ingenium hypocrisis. De Pandora fertur in fabulis, reprehensum hoc a Momo, quod fenestra non esset in pectore, per quam doli conspici possent. Significatur hac fabula, cor humanum, quod omni dolo plenum est, nulli hominum, sed soli Christo perspectum esse. Homo est ac si globum luti in aquam ponas fluvialem. Spiritus aqua est, corpus ex luto semper derivat aliquid impuri et turbulenti. Aqua vero turbulenta in suo genere etiam bona est, et aliquid commoditatis habet, ad irriganda prata, aut alias res etc. Frons homini data est, ut sit tabula et index honestatis et pudicitiae. Quum vero frons fallit et testimonium falsum dat, hoc est, quum hominem sceleris et iniquitatis depudsit, ut frons amplius non erubescat, signum est mentem consceleratam latere, quae in omne nefas se devoverit. In hanc tabulam potest homo contueri, qua perspecta potest homo aliquo modo videre

quid sit in corde, sed in animum penetrare non potest. Sola sapientia divina quae a deo datur perspicere animum potest. Spiritualis enim omnia diiudicat. Spiritualis vero est, qui toto pectore deo fidit, et abstinet ab omni turpitudine, et iniquitate: in hoc iam homine habitat spiritus sanctus, lux illa coelestis quae omnia iudicat, id est, dispicit et cognoscit. Iudicare enim illic apud Paulum non significat Bſchetzen, sed dispicere, cognoscere, scrutari, ut illic dicitur: Spiritus scrutatur etc. Exemplum est in Mose qui tanta et tam horrenda portenta ac signa in Aegypto fecit. An non putas, quod et ipse horruerit, et misericordia tactus fuerit? (erat enim homo:) sed mens eius aliter cum deo erat iuncta, aliter instructa, sciebat voluntatem dei, et quod liberaturus erat populum, puniturus Aegyptios. Dicat aliquis: Sunt autem multi pii et religiosi aut spirituales homines, qui non [illegible] vident omnia, sed saepissime falluntur. Responde (quod et supra dixi): Vident omnia clare, sed in genere, non speciatim. Ut quum Cometam vident, sciunt deum aliquid magni moliri, parantque se vitae emendatione ad flagella, occurrunt irato patri, eiusque voluntati se totos subiiciunt. Sapientia divina in homine, omnes dolos et fraudes aut videt, aut patientia vincit. Nam sive scientia vincant, sive patientia, semper vincunt, et hoc fit hegemonico illo spiritu, quo David se petit confirmari, quem nos ardentissimis votis non expetimus. Diximus hypocrisim in omnibus quae agit speciem aliquam honestatis et religionis praetexere. Quomodo enim sacerdotes et legisperiti Christum innocentem occidere poterant, si non speciem aliquam sanctitatis aut iustitiae suae invidiae obtendissent? Simulat se pharisaeus sabbati vindicem, quum interim necem Christi in corde meditetur. Curat ergo ut eum plebi invidiosum reddat, tanquam legis divinae praevaricatorem: ad hunc dolum lege et verbo dei utitur.

Hypocrita, unusquisque.) Hypocritam vocat Christus archisynagogum vehementi et gravi convitio. Nam vocare aliquem hypocritam, apud Iudaeos non fuit minus, quam si apud nos aliquem mendacem diceres: et certe in re idem est esse hypocritam et mendacem. Nam hypocrita quid aliud corde gerit, aliud loquitur ore et specie praefert. Quid vero hoc aliud est quam mentiri? Non ergo mirandum benignum et facilem Chrisum usum fuisse tam horrendo convitio, quum tantum sit flagitium hypocrisis. Aliquando ergo quum morbi hoc requirunt, non malagmata, sed caustica adhibenda sunt. Argumentum autem Christi in hoc fundatur, hominem esse magis pretiosum quam iumentum: si iam iumentum solvere licet, cur non potius hominem? Nam iumenta propter nos facta sunt. Urget autem Christus necessitatem, cui nulla data est lex. Si ergo iumentorum necessitas legem non violat, quanto minus hominis necessitas? Ac si expressis verbis diceret: Quidquid necessitas postulat, legem non infringit. Nam deus Sabbatum suum non posuit contra necessitatem hominis. Necessitas superat omnia externa, et eis utitur ut servis suis. Hic adstat veritas aeterna Christus coram hypocrita, adcusatur reusque agitur a mendacio, insimulatur violatae legis, profanati sabbati. Hypocrita rursum et impostor stat contra veritatem, et simulat se vindicem et assertorem legis, mendacia

sua confirmat ac defendit verbo dei. Haec ubicunque fiunt, corda piorum quae veritati favent et ea nituntur, dolent et cognoscunt manum domini vindicem non procul abesse.

Filiam Abrahae.) Hinc patet eam Iudaeam fuisse, et vocat eam filiam Abrahae propter amplificationem antithesis. Nam coram hypocrita iumentum et hominem comparat, nec tamen quemvis hominem sed Iudaeum, qui ex Abrahae semine venit. Si ingenuitas primum ex virtute nata est, consequitur nullam esse ingenuitatem ubi nulla est virtus. Quid ergo gloriantur quidam inani parentum suorum titulo?

Et cum haec diceret erubescebant.) Pharisaei pertinaciter resistebant Christo, et omnia eius tum dicta tum facta calumniabantur, etiam suis ipsorum conscientiis victi: plebs vero gaudet in omnibus factis Christi. Sic fere fit et nostra tempestate. Quid vero sequutum est? Extrema clades Israelitici populi. Dum putant extinctum Christum, ipsi extinguuntur. Similia nobis expectanda, si eisdem vestigiis incedimus. Nullae regiones occupari possunt, nec occupatae teneri, si inhabitatores eius domino non favent: hoc patet in exemplo Insubrum. Non loquor hic de fece plebis, sed de his qui vulgo sunt honesti et boni cives. Quum ergo in toto orbe quidquid est bonorum et piorum hominum evangelio favet: quanta stultitia, illud velle extinguere, quum nihil efficiant nebulones qui adversantur? An non videmus hoc in omnibus artibus et disciplinis esse, ut quotidie expoliantur et augustiores fiant? Et mens hominis sic est ingeniata, ut ad adventum melioris et pulchrioris vetera relinquat, et praesens arripiat, etiamsi interim quidam sint, qui non cedant. Qui vero fit quod hoc idem in luce veritatis non facimus? Impossibile ergo est, ut omnium honestorum mentes a luce veritatis avertantur. Veritas res est tam clara, tam utilis, tamque necessaria, ut mentes hanc recipere gestiant. De potiori parte hominum dico: etiamsi unus et alter hanc non recipiant, sed sunt contra decem aut plures qui recipiunt, qui veritatem amant, qui tenebras aversentur et oderint, lucem veritatis anxie expetant. Veritas tanta res est, quam omnes expetunt: omnes enim indigi sunt sapientiae; per veritatem autem ad sapientiam penetratur. Mentes humanae omnes, veritatis avidissimae sunt, et eam quodammodo sitiunt, nulli tamen citra laborem et sudorem contingit: multi enim sunt qui resistunt, quos daemon adhuc captos tenet, in quorum mentibus tenebrae adhuc regnant. Veritas a veteribus pingebatur humili et simplici veste, sed elegantissima et venustissima forma, inadulabili tamen. Contra, mendacium undique ornatum est, auro et argento pretiosisque gemmis splendens, ut indignum videri possit matronam honestissimam tam despicabili veste, scortum illud tam splendida esse amictum. Sed veritas ornatum et cultum istum nihil moratur, novit humilis esse, novit excellere, apud potentes et pastores divertit. Luxus, fastus, et quidquid coram mundo splendet, dexteris ingeniis displicet. Sic deus mentibus humanis veritatis, aequi, iustique, et quidquid est divini veritatem insevit, tametsi igniculus ille in quibusdam bestiis potius quam hominibus adfectibus adobrutus sit. Quod si insita illa veritatis imago amabilem et venerandam veritatis faciem incipiat rursus contemplari, et

vocem eius audire; ab omnibus reciperetur veritas, ab omnibus summo in pretio esset habita. Ab omnibus mentibus sanis inquam, non febricitantibus: nam illis quod dulce est, acidum videtur. Hoc dictum sit omnibus piis ad consolationem et confirmationem, impiis vero qui pertinaciter resistunt veritati ad terrorem, omnibus qui perversam doctrinam serunt in populum ad eruditionem. Cogitent tandem quid communis hominum sensus possit recipere et ferre. Honestatis et veritatis ratio semper locum invenit in communi sensu hominum. Colligitur ergo, nebulones esse pessimos, qui totis viribus omnique conatu hoc impugnant, quod ab omnibus sanis, honestis et recte constitutis mentibus recipitur, et cum plausu adprobatur.

Simile est regnum dei grano.) Regnum dei est veritas, iustitia, et evangelium, id est praedicatio veritatis et gratiae per Christum.

Tria sata.) Haec mensura pro quavis ponitur quantumvis magna, quae modico fermento statim fermentatur. Similitudo autem similis est superiori, atque in idem tendit.

Domine an pauci sunt σωζομένοι. Qui servantur.) Metaphora pulchra est ab his qui e praelio et pugna evadunt. Sic qui attingunt portum tranquillitatis e mari aestuoso huius mundi. Si saeculi mores, si malitia hominum diligenter consideretur, facile pronunciamus omnes, paucos fore salvos. Hoc ergo vulgare dictum quidam domino obiicit dicens: Domine an pauci sunt qui salventur? Quasi diceret: Nimirum pauci. Christus autem nec paucos nec multos salvandos pronunciat, sed ostendit paucos esse qui quaerant regnum dei, vel qui ad istud contendant; paucos esse qui hac via grassentur qua debeant. Consequens ergo esse, ut pauci salventur. Et verba Lucae videntur de Iudaeis dicta esse, Matthaei contra. Incidunt hic quaestiones difficiles: Si non fides sola iustificat, adque opera iterum relabimur: ubi ergo doctrina de fidei iustificatione? Veritas omnia vincit, etiam hoc, quod sub specie veritatis dicitur aut obiicitur: veritas omnia discutit et clara facit. Plura sunt in scripturis sanctis quae obscura sunt, non quidem illis qui suis temporibus haec vel loquuti sunt vel audierunt, sed nobis, qui ea non probe perspecta habemus, aut illis certe quibus obscure et in aliena lingua proponuntur. Veritas ergo sola est, quae nos in intelligentiam scripturarum ducit. Nam scriptura veritas est, et omnino propter veritatem scripta. Ut docendi causa exemplum ponamus: Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam. Hunc locum sola veritas enarrabit et planum faciet. Qui verbum dei docet, aut praedicat, in hoc omnino docet et praedicat, ut homines veritatem intelligant. Si hoc clare et significanter facit, bene habet res: si vero obscure, oportet clavem adhibere, nempe ipsam veritatem. Adcommodemus hoc propositae quaestioni, an salus sit ex fide in deum per Christum, an ex operibus. Arripiamus iam clavem ut dixi veritatem, et reseremus ipsam veritatem. Relinquamus iam scripturam, quae tamen plena est testimoniis, salutem constare ex fide non ex operibus, et ratiocinemur ex ipsa veritate! adferamus rationes veritatis quibus nemo sanae mentis contradicere potest. Quod ad opera attinet, hoc certissimum est, eos nunquam fore sine fructibus bonorum operum, qui sincera et indubitata

fide deo adhaerent per Christum, quae quidem opera interiori fidei et spiritui confermia erunt. Sequitur iam, nulla opera divina et bona esse, quae non ex fide, hoc est mente quam deus inhabitat, profluunt, Rom. 14. et Ioannis 3. Opera ea lucem non horrent quae ex deo fiunt. Ex his facile colligitur, cognitionem dei et fidem omnibus operibus bonis anteire. Opera ergo non ea sunt quibus salutem et felicitatem aeternam dat deus, sed testimonia sunt et signa fidei existentis in homine, quemadmodum fructus indicia sunt bonae arboris. Salus ergo ex fide est, hoc est: salus non contingit nisi illis qui certa fide se in misericordiam dei per Christum exhibitam coniiciunt. Pectus ergo cognitione dei et fide indubitata imbutum edit bona opera, et quaecunque opera ex tali corde non progerminant, quoniam radice fidei carent, bona nec sunt, nec dici possunt. Dicis: Quare ergo tot sunt loci scripturarum qui ad opera exhortantur et urgent? Fiunt haec ad extimulandum nos, adhibentur pigrae carni stimuli aliqui, ne sit ignava, et fidem opera bona decent. Qui res familiares curant, monentur ad laborem, quum tamen intus studium sit quod honestatem spectet. Attamen foris adhibentur exhortationes quotidianae, sed hae non sunt scopus et finis propter quae laborat paterfamilias. Videmus ita natura esse comparatum, ut nullus homo ea opera probet, quae vel metu extorquentur, vel invite ab aliquo fiunt. Discipuli qui in ludo sunt literario, quotidie monentur a praeceptore, at istae monitiones solis eis fiunt, qui sponte et ex animo discunt. Qui enim invito animo dant operam literis, apud illos monitiones nihil proficiunt: proinde et Christus suos ad vehemens studium monet, fidus certe praeceptor dicens:

Contendite intrare per angustam portam.) Est via quam ostendit spiritus Christi: est via quam caro obiicit. Illa carni admodum dura et angusta videtur, haec vero grata est et iucunda, sed eius extrema ad mortem ducunt. Sunt autem proh dolor plures, qui in via carnis incedunt, et tamen interim fideles videri volunt. Hos ostendit Christus toto coelo errare, seque ipsos misere decipere. Non enim satis est multa de deo loqui, aut vano titulo gloriari, nisi fides per dilectionem operetur, et se per opera charitatis prodat. Hoc vero illis magnopere est observandum, qui strenue in via dei incedunt, et relictis omnibus terrenis ad coelestia contendunt, et ex fide bona operantur, quod et ipsi in omnibus operibus suis bonis minus faciunt quam debent, adeoque peccant et labuntur, ut omnia opera eorum quae ex fide in Christum faciunt, imbecillia tamen sint et impura, idque ex adfectibus carnis, quibus non omnino carent pii. Ex quo iam consequitur, nec ea bona opera, quae a fidelibus et in fide fiunt, salutem parare posse. Nam et fideles de suis operibus, de sua iustitia desperare oportet, non autem de misericordia dei. Adest iam Christus, qui se reconciliatorem pro nostris peccatis interponit. Hic iustitia nostra est, redemptio, salus et vita. Agnoscamus ergo nostram impuritatem, iniustitiam, damnationem: expendamus rursus divitias, bonitatem, et gratiam dei per Christum exhibitam, amplectamur eius iustitiam et sanctitatem per fidem. Quicunque vero hoc faciunt, hos pudet peccati, his peccatum displicet, hi peccatum aversantur et oderunt, peccatum relinquunt, resi-

piscent, ad deum conversantur toti, et ei in vitae puritate ac sanctitate serviunt, iustitiae, aequitati, veritati, et omni honestati student. In fidelibus tamen tanta est imbecillitas, et tot lapsus, ut merito conqueratur Christus angustam esse portam, et paucos esse qui hanc inveniant. Erat enim tempore Christi magna conscleratio in orbe, omnis caro corruperat viam suam, et in gentibus et in Iudaeis omnia plena erant iniustitia. Angusta ergo est via, Hoc est, impiorum et incredulorum maxima est turba, et inter eos qui Christum profitentur, maxima pars est hypocritarum, qui nomen dei suis cupiditatibus praetexunt, et turpibus suis flagitiis Christum negant. Angusta denique porta dicitur, quod principia semper ardua sunt et difficilia, mox quum fuerimus parum progressi incipiunt dulcescere. Vide Verg. de duplici via ex litera Pythagorae. Virtutibus studere, inque illis perseverare, gravissimum est: est enim caro corrupta et vitiata, sceleribus addicta, et sub peccatum (ut inquit Paulus) venundata, difficileque est adsueta relinquere. Contendere, est studium ingens habere, non sine labore et molestia: caro enim renititur. Via lata, libido est et voluptas corporis, ad quam omnes homines sunt propensi.

Multi quaerent intrare.) Omnes enim felicitatem et beatitudinem expetunt, sed viam iustitiae ingredi nolunt, quibus contingit quod eis qui clauso ostio pulsant.

Quum paterfamilias.) Pulchra est similitudo qua Christus monet, ut in tempore bonum operemur: fore enim ut praecidatur occasio benefaciendi, nempe post mortem. Pulcherrimis autem parabolis et similitudinibus omnia adumbrat Christus. Patremfamilias ire cubitum, est Christum ascendere in coelum: ianuam aut ostium claudere, est Christum iudicare, sive hoc fiat singulis sive omnibus generaliter. Saepe fit ut paterfamilias cubitum eat, promittatque aliquid gaudii suis, sed ad tempus: surgit denuo et ostium occludit, pessulum obdit, tum nemini ingredi licet. Docet his Christus, ne quis bona sua differat.

In plateis nostris docuisti.) Haec proprie ad Iudaeos pertinent. Nam illi semper carnalibus quibusdam rebus gloriantur, etiam in Christo. Sed nihil proderunt haec omnia, Christum audivisse, cum eo edisse: quomodo ergo proderit Iacobum in Compostella et se pulchrum Christi visitasse, Christum corporaliter in coena edisse, in templo aliquo fuisse?

Operarii iniquitatis.) Quasi dicat: Si fideles fuistis, ut videri vultis, cur ergo non edidistis opera iustitiae? Sed ex operibus vestris facile adparet, vos minime fideles fuisse. Ad quid ergo prodest gloriatio vestra?

Exi et vade hinc quia Herodes vult.) Quemadmodum cunctae herbae odorem, virtutem et naturam suam semper habent et servant, ita et virtutes et vitia. Malitia semper quaerit Christum occidere, interim tamen monet eum, quasi doleat de eius interitu, hoc nimirum agens, ut Christum blanditiis et metu a veritate absterreat. Sic primum fecerunt pontificii blanditiis, deinde terrore mortis, ut pios a confessione et praedicatione veritatis avocarent. At hi timendi nobis non sunt, qui corpus duntaxat occidunt: nam illi nihil nocere possunt. Deinde ut maxime laedant, vitam tamen aeternam eripere non possunt.

Sed cur primum prophetas terreat? Quia illorum officium est, in primis promovere gloriam dei et veritatem; nec tamen contenti sunt illos terruisse, quin et caeteros omnes adgrediuntur, qui verbum dei audiunt. Simus ergo omnes exemplo Christi constantes, neque patiamur, ut quis nos a coepto itinere deterreat. Figmentum hoc erat Iudaeorum, quod Herodes eum ad necem quaereret: nam Herodes non magnopere persequitur Christum, sed potius eum videre et alloqui cupit. Quod ex eo liquet, quod ad se adductum a Pilato rursum illaesum dimisit.

Dicite vulpi illi.) Per vulpem malitiam vafriciemque subdolam intellige. Est enim vulpes animal subdolum vafrumque et astutum, adeoque symbolum doli et fraudis. Huic contraria est sapientia, virtus solida. Et sola soliditate differt sapientia ab astutia et calliditate. Sapientia veritate nititur, et licet calliditate quadam utitur, tamen contra callidos tantum contraque vulpes vulpinatur.

Tertio die consumor.) Non hoc duntaxat ad suam vitam hoc refert Christus, sed in genere ad vitae humanae brevitatem et inconstantiam. Quasi dicat: In hoc veni, ut moriar, ut scilicet Herodes intelligat Christum vitam hanc non tanti aestimare, quin eam pro veritate devovere et perdere paratum esset. Sic debent facere omnes pii, si modo volunt iustitiam promovere, et ampliare gloriam dei.

Hodie et cras.) Pro omni tempore ponuntur; innuitur autem vitae brevitas. Pharisaei, legisperiti, et sacerdotes Iudaici tantam sibi authoritatem vendicaverant, ut iudicium scripturae esset apud illos solos. Quod si aliquis propheta dei surgeret, et scelera increparet, ferre hunc ipsi non poterant, sed mox captum trucidarunt. Sic postea Romani sacerdotes fecerunt. Exemplum est in Hieremia, et aliis in locis. Hierem. 38: 29.

Hierusalem Hierusalem quae oc.) Quasi dicat dominus: O Hierusalem urbs quae sancta esse debebas, in te est sedes legis, scripturae, sacerdotii, religionis, et cognitionis dei; sed tu his omnibus abutens omnia tibi in perniciem vertis. Sed haec non soli Hierusalem dicta sunt, sed omnibus, qui eam imitantur.

Quemadmodum gallina.) Dominus nos in sinu suo fovet, in brachiis portat et sub umbra alarum suarum protegit. Sed nos insanis similes de industria perire volumus, explicamus nos e sinu suo, nec volumus servari.

Relinquetur vobis urbs vestra deserta.) Metaphora a vastatis urbibus, ut frequens est in prophetis.

Donec venerit.) Hoc donec puto referri ad ultimum diem, tametsi et in die palmarum, hoc quasi symbolum et typus futuri adventus praecesserit.

CAPUT XIV.

Et accidit.) Eandem rem saepe repetunt et tentant Pharisaei hypocritae, quantumvis victi et repulsi a Christo. Tam audax est hypocrisis, ut aliis atque aliis viis eandem rem tam saepe adgrediatur. Huc spectabant, ut Christum transgressorem sabbati quum fecissent, lapidare possent. Quandoquidem vero hostes veritatis tam audacter et pertina-

citer mendacia sua propugnant, annon turpe est defensores veritatis tam esse negligentes, ignaves, et socordes? annon debent et ipsi ungere semper veritatem? Saepe repetere eadem, claritatem facit et lucem. Hoc in literis omnibus patet, quanto magis in luce veritatis? Malitia et hypocrisis invitat veritatem bona specie, et sub amicitiae praetextu dolos struunt et calumnias Pharisaei, et quamvis antea saepe experti essent sapientiam divinam videre et cognoscere eorum corda et conatus: adhuc tamen infidelitas tam audax est, ut eam nec coram deo nec hominibus pudeat innocenti calumnias struere, persuadens sibi se posse latere.

Et respondens Iesus.) Quomodo vero respondet, quum nemo interrogat? Respondere more Hebraico pro eo capitur, quod nos Germanice dicimus: Er hub an zereden, et ad cogitationes eorum respondit.

At illi tacuerunt.) Si respondissent sanandum esse infirmum, adcusatione sua cecidissent: si respondissent non sanandum, hoc est, non iuvandum proximum, loquuti fuissent contra legem et rationem: tacent ergo, ne contra se respondeant. Mendacium saepe pudefit, et ad pudorem adigitur; sed non est verecundia illa ingenua, quae ex sceleris emendatione et dolore oritur: hypocrisis tantum est, quae usque ad tempus suum dissimulat, rursus redit ad ingenium dum offertur occasio. Semel statuerunt Christum occidere; hoc iam subinde per omnia agunt, sive blandiantur, sive saeviant. Iam tacent, sed ante Pilatum oblata iam occasione clamant: Crucifige eum! populumque ad clamandum excitarunt. Ubi cor est, quod veritatis est amans, mox ut veritatem audit et intelligit, exultat et gestit, et veritati cedit. Ubi hoc non fit, signum est, neque deum esse in corde, nec amorem veri et iusti.

Tunc erit tibi gloria.) Gloria a claritate videtur nomen habere et splendorem illum significat gloriae; aliquando pro vana gloria ponitur. At honos praemium est virtutis, et probitatem connotat. In Germanica Ehr, semper in bonam partem capitur nisi addas üppig vel ytel. Gloria non est eius cui fit, sed eius qui facit seu exhibet: virtuti ergo adhaereamus, non gloriae, quae in alterius arbitrio sita est, et quam adimere, quum vult, potest. Qui virtuti solidae nititur, huius gloria non vana sed perpetua est, quia nititur non inani rei, aurae scilicet populari, sed perpetuae. Quid profuerit gloriari aliena veste, quam quum vellet repeteret alius? Sic gloria non est tua sed aliorum, atque eorum qui aut iudicio carent, aut falso iudicio ducuntur. Cura ergo ut propriam habeas vestem, propria virtute sis clarus. Christus ergo docet ut veram gloriam sequamur, hoc est, ut gloria digni simus, ne nos evehamus, sed sic vivamus ut ab aliis merito evehamur. Recte autem et in loco hoc docet Christus: nam ipsi primos accubitus in mensa ambiebant.

Cum facis prandium.) Non vetat Christus quo minus amicos nostros invitemus, sed taxat luxum et fastum, qui fere solet in conviviis impendi: verbum enim dei honestatem et morem publicum non prohibet. Taxat autem Pharisaeum, qui hoc convivium ex fastu apparaverat, multos hostes veritatis invitaverat. Si Christus hoc vellet, ne invitarem eum qui mihi benefecit, tolleret omnem gratitudinem e

medio. Oculum mentis format Christus, et hoc unum spectat. Non autem tollit beneficentiam et gratitudinem ex hominibus, ergo dicit amicos et vicinos divites, in quibus invitandis duntaxat fastum spectas et repensionem.

In resurrectione iustorum.) Anastasis resurrectionem significat; hic more Hebraico pro vita ponitur quae est post hanc vitam. Nihilominus tamen significat et illam ultimam resurrectionem; significat deinde consistentiam in vita. Si aeterna et divina nobis essent tam probe cognita et credita, facile terrena relinqueremus.

Homo quidam apparaverat.) Paterfamilias est deus, servi prophetae et apostoli, civitas populus Israeliticus, electus populus dei. Pauci qui venerunt, sunt apostoli, et quidam pauci ex tanta Iudaeorum multitudine. Qui extra sunt, gentes. Repudium autem significatur populi Iudaici, propter ingratitudinem.

Si quis venit ad me.) Christus videns multas turbas sequi, plerosque tamen non vero et integro corde, docet quomodo sit ei inhaerendum. Oportet semel devovere se totum, et abiicere propter Christum. Non satis est audire verbum Christi, nisi mente audiamus, nisi in pectus inscribamus, nisi vitam ad hanc formemus. Praecepta Christi lucernae quaedam sunt, quae totam vitam illuminant, typi quidam et formae ad quas formanda est vita omnium. Turba auditorum maxima erat, pauci eorum qui facere vellent; ideo Christus tam graves sententias intonat, taxans eorum curiositatem. Qui Christum sequi velit, vitam suam propter Christum amittere sit paratus, nec satis est coepisse, nisi in finem usque perseveres. Qui veritatem et iustitiam plantare vult, odia et persequutiones patiatur necesse est.

Quis ex vobis.) Docet hoc exemplo vires metiri et expendere. Prudentes vult esse et constantes ut praecogitemus quid inceptandum, ne incogitantes irruamus in res difficiles, graves et divinas.

Bonum est sal.) Hic sermo maxime ad episcopos pertinet, ut patet in Matthaeo 5. cap. In Levitico praeceptum erat ut in omni sacrificio sal adhiberetur. Et Moses ipse exponit quid per salem intelligat, quum dicit salem foederis.

CAPUT XV.

Hoc capite Christus sese aperit et manifestat, cur deus pater miserit filium suum in mundum, nempe ut peccatores ex sua misericordia salvos faceret. Pater enim est et diligit nos; ideo remittit nobis peccata nostra. Hinc consequitur quod et nos debemus fratribus remittere et eos diligere.

Et murmurabant etc.) Duplices sunt homines, quidam peccatores et iniusti, qui tamen peccatum suum agnoscunt: quidam rursus, qui se iustos putabant, et iustitiae ac operibus suis fidebant, ut scribae et pharisaei. Quum iam Christus remissionem peccatorum gratis praedicat et dat, ferre hoc non possunt pharisaei: ipsi enim iustitiam suam magno vendebant. Neque enim ipsi duntaxat sua iustitia fisi fuerunt, sed et aliis eam vendiderunt. Hi vero quos peccatorum suorum puduit, et qui vitam emendare voluerunt, ad Christum veniunt.

Centum oves.) Exempla capit Christus a possessionibus, et ascendit a terrenis ad coelestia. Quasi dicat: Variae sunt inter vos possessiones, alius oves habet, alius pecuniam. Quod si quisque paterfamilias sua diligenter curat, non potestis expendere et deum patrem curam suorum gerere? Centenarius numerus comprehendit omnem ordinem perfectum creaturarum, in quo et homo est, conditus ad imaginem dei, ad aeternam beatitudinem; sed abierat, erraverat. Hunc Christus filius dei e coelo veniens, invisit et reduxit, assumpta nostra infirmitate. Si tu iam esses angelis similis, an non tibi grave esset descendere in infirmum et fragile corpus, in tantas calamitates et miserias? Et filius dei a sua celsitudine descendit et infirmitatem tuam adsumit, imo pro te moritur morte turpissima. Quasi dicat Christus: Ego propter vos o homines descendi: non poteratis redire in viam absque me; ego igitur quaesivi vos, ego instauravi et refeci. Nemo ergo desperet! deus non odit peccatores, qui resipiscere et me sequi volent. Respondet autem calumniae pharisaeorum. Quasi dicat: Ego non ob hoc cum peccatoribus ago et conversor, ut ego velim cum eis peccare, sed veni ad eos ut medicus, ut eos curem et sanem. Medicus non venit ad aegrotum ut cum eo aegrotet, sed ut iuvet et medeatur. Peccatores sentiunt se saucios et mortuos esse in peccatis, et quod in peccatis non possunt vivere; hoc aestu ergo coacti ad deum currunt, ad Christum adpropinquant qui est medicus animarum, et ibi inveniunt salutem, gratiam et vitam, consolationem et remissionem peccatorum. Atque huiusmodi peccatores posthac in peccatis non vivent. Hanc securitatem et conscientiae tranquillitatem, hanc peccatorum remissionem, nemo sentit, quam is quem deus intus illuminavit et traxit.

Nonaginta novem.) Analogia et proportio docet intelligere angelos et substantias intellectuales. Angeli qui ceciderunt nunquam resurgunt, sed homo quotidie resurgit, ad societatem venit angelorum; hinc est gaudium. Et simul Christus docet, quo veniat homo post hanc vitam, nempe in societatem angelorum, et omnium iustorum, qui ab initio mundi vixerunt. Si volupe est homini hic habere societatem cum honestis et bonis hominibus, quanto magis in coelis?

Verrit domum.) Cura divinae providentiae adumbratur: novit dominus suos ubicunque latuerint, nec possunt ei esse perditi. Simulque amor dei erga humanum genus declaratur: nemo enim tam diligenter aliquid quaerit, quod non pretiosum existimet et magnopere amet.

Gaudete mecum.) Ostenditur natura fidei, quae congratulatur omnibus, vel curat ut omnes boni fiant. Divina bonitas gaudet benefacere hominibus. Quemadmodum homines sua curant, et si quid perdunt quaerunt, ita deus curam gerit omnium creaturarum suarum. Et licet omnia sint ei praesentia, tamen dicuntur quaedam averti a deo et errare longius; hos revocat deus. Non enim negligit imaginem a se conditam, minus quam homo pecuniam suam.

Homo quidam habuit duos.) Haec parabola docet patrem deum sic erga nos esse animatum, quemadmodum is pater fuerit erga filium perditum. Item quod misericordia et clementia patris semper sit nobis obvia et aperta. Taxat deinde pharisaicam iustitiam et superbiam.

Nam in filio seniore murmurante taxantur pharisaei scribae et sacerdotes, et quidquid est huius generis pharisaicae turbae. Est autem fictum argumentum, non res gesta, quo docet, quo animo sit deus in nos miseros et perditos peccatores. Per patrem intelligitur deus pater, per iuniorem genus humanum in genere, sed simul etiam gentes, per seniorem Iudaei, nec Iudaei solum, sed et omnes Iudaizantes, qui scilicet suis operibus et iustitiis fidunt, peccatores contemnunt, quorum inter nos et hodie multi sunt. Nec docet Christus sua prodigere: nam prodigalitatem et luxum sic traducit, ut turpissima adpareant. Duo filii duos populos significant, et hoc ab initio figuratum est in Iacob et Esau, atque deinceps. Iudaeos ornavit multis dotibus, quos in peculium suum elegit, ornavit eos et spiritualibus et temporalibus bonis; at ipsi abusi bonitate patris gloriam eius non promoverunt. Iudaei multo tempore charissimi filii fuerunt, sed deinde et gentes amplexatus est. Haec omnia inscrutabili iudicio dei facta sunt. Mox ut negligimus legem et voluntatem a deo acceptam, incipimusque vivere iuxta nostram rationem et voluntatem: So hat man ſchon das erbteil von Gott genommen, und wil mit jm nit mee huß halten. Discamus obiter sic educare filios nostros, ne evadant tam procaces, ut ausint petere haereditatem suam, sed pendeant a nutu patris. Regio longinqua significat occasionem peccandi, dum a deo, a parentibus, praeceptoribus, monitoribus recedimus, et nos ab eis ignorari credimus. Deplorati autem sunt iam nostri, qui dum in conspectu patrum et monitorum peccant, laudem ab eis consequuntur. Tam abest ut puniantur. Dum quis in summam conscelerationem pervenit, tandem famem sentit rerum divinarum, et hoc conscientia monente, quae etiam impios vexat. Civis qui hunc ad porcos mittit, Papam adumbrat cum suis imposturis, quibus nunquam satiari animo potuimus, donec ad patrem coelestem reverteremur. Quidquid nobis extra deum proponitur, quisquiliae sunt et furfures, hoc est, vanum, frivolum, inane, invalidum, animum satiare non valens.

Quum ad sese rediisset.) In sese redire aut descendere quid sit, supra diximus, est habere in se lucem fidei, in qua homo discat quomodo unamquanque rem ferat, vincat aut contemnat. Haec lux non est humanarum virium, sed divini spiritus donum. Hominem esse sine affectibus impossibile est; hos vero domare et eis frenum iniicere potest, fide duce et timore dei. Exerceamus ergo mentem nostram ad virtutes, moderemur carnem, etiamsi saepe quiritetur. Hoc in pueris videmus, quos cum modicum laesi sunt accurrentes et lacrimantes ridemus et consolamur, mox et ipsi rident: scimus enim nihil periculi ex illis, ob quae ipsi eiulant, esse. Anseres cum vident fugiunt et clamant; adultus interrito pede praeterit contemnens eorum sibilos. Sic oportet longo usu adfectuum insultus et terrores contemnere: non plus enim nocere poterunt, si in fide manserimus, qua anserinus sibilus.

Quam multi mercenarii.) Hi sunt quibus peccata gratuito remisit pater coelestis, quos in filios adoptavit. Quum enim homo in se descendit, lernam in se deprehendit malorum, ut necesse sit eum de sua iustitia desperare, implorata gratia dei, per quam si omnia faceret quae prae-

cipit deus, adhuc se servum inutilem esse agnoscit. Quum ergo peccator videt innumeros esse quibus peccata dominus remisit, et quos in filios adoptavit, cogitet et ipse se apud benignissimum patrem gratiam consecuturum, et certa spe animatus ad eum adcurrat, peccatum suum agnoscat, et se totum deo consecret. Nam sic dicit filius perditus.

Surgam et ibo.) Huc tendit tota parabola, ut peccatores summa et certa fiducia redeant ad patrem deum, non absterreantur, nec multitudine nec magnitudine peccatorum, nec etiam magnitudine dei. Redire ad deum, displicentiam habet adiunctam, dolorem, puderem. Item ad solum patrem redeundum est, ad nullum alium: hic emphasis est. Quum mens peccatoris sic affecta est et immutata, fructus sequuntur, quae ostendunt poenitentem. Si vere nos urunt peccata, si grave onus nos premit, adcurramus ad patrem misericordem, ad nullam creaturam.

Peccavi in coelum.) Hyperbola est et exaggeratio facinoris. Peccare contra patrem et matrem, gravissimum scelus est, ibi violatur ordo coeli et terrae. Omnes enim creaturae ordinem suum tenent, praeter hominem illum qui contra patrem et matrem peccat. Is enim perturbat ordinem universi, quanto magis qui offendit creatorem omnium? Qui ergo deum offendit, omnium rerum ordinem perturbavit, quidquid est in coelo et in terra laesit. David aliis verbis eandem sententiam effert, Tibi soli peccavi. Vera contritio, verus dolor est, quum nobis peccata ob hoc dolent, quod summum bonum offendimus, et eius gratiam perdidimus. Patre offenso, offensa est tota familia. Creator quum offenditur, quis non videt offendi omnes creaturas? Quum igitur vere conversi sumus ad patrem, benefaciamus et reconciliemur omnibus creaturis.

Non sum dignus vocari filius.) Haec est vera sui ipsius abnegatio et resignatio, haec est vera devotio, hic se aperiunt venae fidei. Donec homo adhuc sibi in aliquo placet, non est verus dolor de peccato, non vera cordis conversio. Quemadmodum faciunt sanctuli illi, et iustitiarii ac pharisaei, qui sua iustitia fidunt, sibique placent in operibus suis. Impossibile est, ut massa luti et Mercurii simul in unum conferruminentur. Qui ergo cum summo et purissimo bono reconciliari et vera amicitia coniungi volunt, hi se ipsos totos abiiciant et abnegent coram ipso oportet, et se spiritui divino formandos totos contradant.

Fac me sicut unum ex mercenariis.) Sic sic loqui oportet, sic sentire, idque ex animo, et sine fuco. Da domine quidquid vis, ego aeternam poenam commerui, non sum dignus beneficio tuo, sed miserere, digneris me vel vilissimorum servulorum loco. Aliter loquuntur qui iusti volunt esse, qui sua opera et merita iactant, qui morbum suum non agnoscunt. Nemo vult se humiliare coram deo, nemo vult se deo devovere totum. Quae hic de meritis coronis et aureolis disputant Matheologi, vana sunt et frivola, imo impia.

Quum adhuc longe abesset.) Qui ad deum currunt, non currunt nisi deo movente et trahente. Deus enim dat hanc voluntatem redeundi. Quum electi adhuc in peccatis iacent, deus mentes ac voluntates eorum

excitat, monet, movet, trahit. Hanc paternam admonitionem et tractionem nemo contemnere debet. Maximi latrones, impiissimi et sceleratissimi nebulones, in mediis sceleribus, in media consceleratione, titillante conscientia a deo revocantur. Habet enim homo imaginem dei impressam. Hanc vocationem qui audiunt et sequuntur, beati sunt: qui non sequuntur, adhuc tamen habent eam ad suae damnationis testimonium.

Et misericordia motus.) Ostendit Christus, patrem mox nobis occurrere, ut ad eum converti vel meditemur: nec solum occurrit, sed osculo et amplexu excipit, et summa caritate complectitur. Nemo ergo desperet de misericordia eius, nemo vereatur eum accedere. Dominus non solum in gratiam recipit, sed insuper ornat maioribus virtutibus et donis, excedit nostra vota, et praestat plus quam petere audeamus.. Notatur liberalis dei munificentia.

Date annulum in manum eius.) Annuli olim dignitatis et honoris signa, iam proditores et parricidae gestant. Quae vero huius mali causa? Quod et boni tam sunt corrupti ut haec patiantur et dissimulent. Quando meretrix aequatur matronae, quis iam non videt impudentiam praeferri pudori et castitati, vitia virtutibus? Virtuti nec honos est nec praemium, hinc virtus negligitur et marcescit.

Calciamenta in pedes.) A planta pedis ad verticem usque non est sanitas in nobis. Pedes adfectus significant et quotidianos lapsus fidelium, quae tamen misericordissimum patrem nobis avertere haudquaquam possunt, si modo vero corde ad eum adcurrerimus. Ipse vestiet pedes nostros evangelio pacis. Vitulus saginatus Christus est, qui suo sanguine peccata nostra lavit, imo nos corpore et sanguine suo in vitam aeternam cibat, in hoc nempe mactatus, ut esset cibus animarum nostrarum. Agnoscamus ergo cum gaudio liberalitatem dei et immeritam gratiam.

Mortuus est et revixit.) Abiisse a deo, procul abscessisse ab eo, est mortuum esse quum ipse sit vita animae. Arbores fructuosae in hieme aeque aridae sunt cum sterilibus et inutilibus, at frugiferae in vere reviviscunt et fructum ferunt, radix enim intus vegetum habet succum et vitalem. Sic quod ad naturam nostram attinet, omnes sumus peccatores et inutiles planeque mortui, at haec est differentia inter electos et impios, quod in electis semen dei est et fides radix bonorum operum, sperant adhuc in misericordiam dei, exerit se viva virtus fidei, quum adest occasio: impii omnino mortui sunt, quia fide carent, semper aridi, semper steriles. Peccare et cadere nihil est mirum, sed impudentem esse, et in peccato manere, in luto scelerum haerere et nolle resipiscere, hoc demum est horribile omnibus piis. Quum videmus impietatem regnare pro virtute, turpitudinem pro honestate, hoc auditu et visu grave est.

Et coeperunt laetari.) Discimus hoc exemplo honestum gaudium non dedecere Christianos, sed hoc non pendet a stolidis et corruptis adfectibus carnis, sed a fide et sincera conscientia. Gaudium modum suum habet, ut ceterae virtutes. Publicas laetitias fuisse olim in populo dei, sacrae historiae testantur. Hinc festa, hinc nuptiae et

celebres in populo dei conventus et panegyres. Sic in pacificis et publicis epulis, ut laetetur inquit cor vestrum. Et praestant publica gaudia privatis, in publicis enim coetibus verecundia est et honestas, in privatis maior licentia plerumque. Adfectus qui in carne ardent, in publicis conventibus moderantur et compescuntur, cum honestate et decoro erumpentes, qui alioqui dum locus esset in impudentiam maioremque flammam erumperent. Possumus ergo mundo uti, sed tanquam non utentes, et gaudere cum gaudentibus. Honestant seniores et natu grandiores conventus publicos, hacque ratione interesse eos convenit, deterrentur enim iuniores senum praesentia et gravitate, et minus audent, nec potest illis praesentibus locus esse impudentiae.

Venit autem senior.) Pharisaica iustitia tale gaudium non fert. Vera et solida iustitia exemplum sanctimoniae omnibus praefert, omnibus amica est, neminem aversatur, peccatoribus convivit, sed ut emendet, ut a peccatis abstrahat stolidiores, idque facit alacri vultu, absque supercilio et fastu. Senior filius abhorret ab ingressu domus in quo perditus ille filius laetatur. Sic Cartusiani commertium hominum fugitant. Duplex genus hominum in Papatu, alterum monachorum et hypocritarum, qui prae se neminem iustum esse arbitrantur: alterum impudentium sacerdotum qui in publica scortatione libidinantur, et in summa impietate vivunt turpissime. Utrique ferre non possunt, quod pater gratuito remittat peccata. Hi enim indulgentias suas, illi orationes et ieiunia sua vendere amplius non possent. Alter alterius onera portet, inquit Paulus, quisque condoleat proximis suis. Facile est discernere inter pharisaicam iustitiam, et inter fidem et caritatem.

Pater egressus rogabat.) Hoc fecit Christus ipse, pharisaeos et sacerdotes increpans, monens, exhortans. Maximam pugnam habuit Christus cum hypocrisi, quae et ipsi mortis causa fuit. *Παρεκάλει αὐτὸν*: Er bat jn abgenommen, abgeredt, gſtillet, gemilteret.

Praeceptum tuum non sum transgressus.) Iactantiae pharisaicae exemplum, quae dolet gratiam a patre peccatoribus gratuito datam esse. Debet quisque deo patri gratus esse pro donis acceptis ab eo, quod si ea non habet quae alius, non murmuret, non invideat, quia deus nullius debitor est. Nulla iustitia deo placet, quam quae se peccatricem agnoscit. Hinc Socrates sapientissimus iudicatus est, quod iudicaret se nihil scire nisi hoc unum, quod nihil sciret.

Tot annis servivi tibi.) Sic monachi et monachae: Tot annis in monasterio fui, tot diebus ieiunavi, num haec nihil mihi merentur? Christus e coelo venit et sua iustitia nos induit, suam innocentiam nobis communicavit, hac iustitia freti coram deo patre adparere audebimus, propriam iustitiam nullam habemus. Hoc etiam hic observandum, nos esse servos dei et filios: filii quidem sumus per Christum adoptati et in gratiam recepti, spiritum filiorum accepimus, non servorum, amicos dixi vos non servos, Ioan. 15. Hoc firmiter credere debemus, et domino servire, non ut servi sed ut ingenui liberi. At interim servos inutiles nos agnoscamus, qui non digni simus vocari filii. Servi mercedem respiciunt, filii solam patris charitatem et voluntatem.

CAPUT XVI.

Homo quidam.) Superioribus tribus parabolis docuit Christus, qua caritate complexus sit nos pater coelestis, hac praesenti docet, ut tales nos exhibeamus erga proximos, qualem se erga nos ipse declaravit, hoc est, ut eadem caritate illos complectamur. Quandoquidem vero divitiae aut divitiarum cupiditas potissimae causae sunt inhumanitatis, crudelitatis, contentionum, discordiarum, avaritiae exemplum proponit, in ea omnium scelerum et adfectuum tyrannidem adumbrans. Ponitur enim more Hebraico una species pro multis aut omnibus. Opes avarum possident, non avarus opes. Quum igitur dicimus avarum habere opes, enallage est. Sic dicimus: Is habet febrim aut morbum. Nam si homo haberet febrim aut opes, posset eas quum vellet abiicere. Morbus ergo hominem occupat, opes avarum captivum ducunt. Quis febrim advocat? quis morbum accersit? at nos quotidie opes quaerimus, quotidie hydropisin accersimus. Docet ergo Christus ne propter opes proximum deseramus aut negligamus, debemus retinere ingenium dei. Pudefacit autem nos exemplo perfidi dispensatoris, ut alibi publicanorum et meretricum, Matth. 5. Si eos tantum dilexeritis qui vos diligunt, quid magni facitis, quum et publicani et meretrices hoc faciant? Sic pigritiam nostram alibi taxat sedulitate formicae: Vade o piger ad formicam etc. Sic excitat socordiam nostram deus. Quasi dicat: Si divitiis sic utimini, ut aeterna perdatis, stultiores omnino estis et imprudentiores filiis huius saeculi. Allicit nos Christus praemio aeterno. Deus benefacit nobis, pro quo nihil ei reddimus. Quod vero pauperibus suo nomine facimus, hoc ipse sempiterna mercede rependit. Et quod nos facimus, non ex nostro facimus, sed ex bonis dei. Argumentum est a contrario sensu: Si homines huius saeculi ex alienis bonis sibi suisque necessitatibus provident: cur vos non ex bonis domini vestri idem facitis? Vocatur homo ad rationem, quum moritur, imo quotidie vocat dominus. Rationem exiget dominus a nobis. Cavendum ergo ne dissipemus bona coelestis patrisfamiliae, quod proh dolor a plaerisque fit, alius bonis dei ad voluptatem, alius ad luxum, alius ad perfidiam et dolum abutitur, alius ludo perdit, alius ebrietate, alius meretricibus impendit, quisque dicit: Meum est, volo uti illo pro mea libidine. Omnes tales non agnoscunt se oeconomos dei. Quando vero tangitur conscientia, et dominus intus loquitur, et perfidiam nostram prodit, tunc tandem conscientia terretur, et tantum non desperat. Nemo tam sancte vivit, qui non, quum hanc rationem exacte expendit, desperet, omnes enim peccamus et in multis offendimus. Negligentia nostra, socordia, incogitantia, indiligentia magna est, utcunque omnes nervos tendamus in opere domini. Maledictus autem, ait lex, qui facit opus domini negligenter aut fraudulenter. Qui recte expendit quid sit deus, quid peccatum, is singulis horis habet a quo terreatur. Terribile ergo verbum hoc est omnibus conscientiis: Redde rationem villicationis tuae.

Fodere non valeo.) Adumbrat graphice mores ignavorum et inermium hominum, qui ex alieno vivere semper didicerunt: homines huiusmodi proni sunt ad mala omnia, ad rapinam, ad furtum, ad per-

fidiam, omnia parati sunt facere propter pecuniam, per fas et nefas tentant omnia. Non quaerunt unde habeant, sed dicunt: Oportet habere, aut mendicitati, aut fortunae se tradunt.

Mendicare erubesco.) Sic loquuntur, qui retinere volunt gloriam coram mundo. Nemo vult esse quod est, omnes alii foris videri et haberi volumus, quam intus sumus: nemo agnoscit se peccasse, et male in officio suo fecisse.

Scribe octoginta.) Hic graviter taxandi sunt et duriter increpandi perfidi oeconomi, qui fraudant in bonis dominorum suorum. Videant qui publica habent officia, qua fide agant.

Laudavit.) Id est, commendavit. Vehementius verbum pro mitiori, more Hebraico. Commendat autem eum non simpliciter, sed a prudentia, id est, astutia illa et vafricie qua usus erat, panurgia. Villicum iniquitatis, id est villicum iniquum, more Hebraico.

Qui in minimo.) Voluit dominus praecedenti parabola docere, quomodo homines infideles et perfidi fiant divitiis. Prae ceteris autem pharisaeos taxabat, qui amore divitiarum, gloriam dei negligebant, docentes quae ipsis lucrum adferrent. Distinguebant veteris testamenti sacerdotes (quod et Papistae fecerunt) inter cultum qui deo debetur, et beneficentiam quae proximo fit, et hic error nocentissimus est. Exemplum huius est in Marco, quum iubent filios deo offerre quae parentibus debebant, quum potius sic docendum fuerat: Quicunque parentibus benefacit, deo servit. Ipsi contra docent, dicentes: Quicunque deo offert, simul parentes honorat. Hanc autem doctrinam falsam esse, dominus, qui est lux omnia collustrans, testatur, dicens: Qui poculum aquae frigidae pauperi dederit nomine meo, ego mihi factum ducam, itaque rependam. Intellexerunt autem pharisaei haec verba contra se esse dicta, ideo derident illum. Fundata est haec gnoma in signo, nam non in universum vera est, sed ex signis quibusdam oritur, quae raro fallunt. Quasi dicat: Vos pharisaei perfidi estis propter divitias, corrupti animis vestris, propter res istas minimas, omnia audetis. Parva autem et aliena dicuntur bona quae hic relinquere cogimur, nec enim auferre possumus. Maxima vero sunt coelestia et aeterna ad quae conditi sumus, quae et nostra sunt. Ex istis signis autem aliud colligimus. Si quis fidus est in rebus parvis, signum est eum idoneum esse ad maiora. Omnia tamen iuxta proportionem et analogiam intelligenda sunt. Sic Paulus docet quomodo episcopus sit eligendus, ex signis videlicet quibusdam quae in ipso praecesserint. Et raro fallunt huiusmodi signa. Si quis ob res terrenas corruptus est animo et perfidus, quomodo huic maiora committerentur? Quasi dicat Christus: Vos o pharisaei, propter divitias estis corrupti, simulatisque sanctitatem: qui ergo fieri posset, ut in doctrina dei sinceri et fidi essetis? Quod doctrinam dei tractatis, non in hoc fit a vobis, ut salutem promoveatis hominum, sed ventris vestri gratia et ob avaritiam.

Quod verum est quis credet?) Verum dicitur solidum, firmum, constans. Intelligit autem verbum dei, quo consolamur firmamus et solidos homines facimus. Si in caducis et mutabilibus, nempe, terrenis rebus perfidi estis, quis vobis verbum dei coelestem illum et immuta-

bilem thesaurum committeret? Non tutum est vobis tam preciosum thesaurum committere, ut enim infideles estis, mox ob temporalia illum proderetis. Divitiae alienae sunt homini, quod ad adquisitionem attinet, non enim sunt hominis, sed dantur a deo. Deinde quantum pertinet ad usum, nostrae non sunt, quia dispensatores dei sumus. Postremo non possumus eas retinere quam diu volumus, invitis enim eripiuntur. Proprium est, deum habere, quem nec mors eripere nobis potest, tam abest ut ulla vis huius mundi eum nobis eripiat. Hoc summum bonum quum adprehendimus, mordicus teneamus, cum sponsa dicentes: Tenui eum nec dimittam. Hic est thesaurus ille in agro repertus, qui praeferri debet omnibus bonis huius mundi. Docet ergo Christus istis verbis, esse nos oeconomos tantum divitiarum, hocque certum esse, si infidi fuerimus in his, non futuros fidos in divinis. Si divitiis haeserimus, non haesuros deo. Nemo enim potest duobus dominis servire. Semper a vulgaribus sententiis sua probat, quarum in hanc sententiam multae sunt. Nemo duabus viis incedere potest, duabus sellis sedere. Qui volunt hominibus placere, deo placere non possunt. Hominibus velle placere una est via, deo placere altera. Prior lubrica est, periculosa, et quae in mortem praecipitat. Si mica est in te verae pietatis, cave ne proponas tibi unquam, quod velis placere mundo. Qui enim negotium domini bona fide agunt, placere mundo haudquaquam possunt: soli deo placebunt, et iis qui deum sinceriter amant. Amatores mundi non sunt amatores dei. Qui deum amant, angeli sunt et nuncii dei, qui divina constanter, alacriter et magno animo urgent, spiritu scilicet hegemonico, vocanturque Elohim dii, quemadmodum sunt iudices et verbi praecones. Servire deo, est se formare ad voluntatem et nutum dei. Servire divitiis, est se formare ad divitiarum imperium et nutum. Dicuntur haec per prosopopoeiam. Divitiae volunt ludere, inebriari, scortari, voluptuari, violentiam et tyrannidem exercere, opprimere. Haec omnia transcendit mens pia, et traiicit se in deum, huius unius nutum observans.

Audiebant haec omnia pharisaei.) Pharisaeorum nomine omne genus impiae religionis, et falsae iustitiae intelligit, quales fuerunt scribae, sacerdotes, legisperiti etc. Quemadmodum nos per Papatum omnem falsam religionem et impiam superstitionem comprehendimus.

Deridebant eum.) Conscientia quum tangitur, signa aedit, quibus eam vel piam vel impiam esse iudicare possumus. Quidam ad castigationem pudefiunt et rubore quodam suffunduntur, quidam rursus illudunt. In summa, contorquentur ad veritatis fulgorem, quod ex impotentia et sauciata conscientia venit. Quemadmodum mulier in adulterio, et fur in authophoro deprehensi, terrentur ad adulterii et furti mentionem, conscientia enim culpae testis est, et metuit ne manifestum fiat flagitium. Hinc dissimulant et simulant omnia, veritatem et lucem horrent et aversantur, quia opera eorum mala sunt, Ioan. 3. Sic pharisaei qui *φιλάργυροι* erant, mox quum Christus avaritiam taxat, terrentur et sauciantur. Pecuniae studium multa mala secum vehit, neque est affectus alius qui plus impediat quo minus ad deum accedamus, vel qui magis hominem a deo avocet. Hinc Paulus dicit quosdam qui inhiarunt

divitiis corradendis, a fide defeci-se, naufragiumque periculosum fecisse. Exemplum habemus in pensionariis nostris, qui praeterito deo, neglecto iureiurando, spreta omni honestate, sic se implicuerunt, ut nec ferre iam ipsi possint, nec ulla honesta ratione cedere et se explicare. Itaque attingimus quidem avaros (ut aegroti vel inviti tanguntur) sed nihil efficimus, rident et subsannant verbum dei, quod et Christo factum est. Audacia pertinax omnia tentat, ne in lucem protrahatur. *Μυκτηρίζειν* significat naso suspendere et sannis aliquid excipere. Sed hic contemptum magnum habet, sub eo quoque omne illud comprehenditur, quod impii in contemptum verbi dei moliuntur, concurrunt, conspirant, fremunt, ut inquit David in 2. Psalmo: Contra dominum et adversus Christum eius. Hic obiiciunt impii contra pios, quod et ipsi concurrant: cur ergo eis fraudi vertant, quod sibi licere existiment? Quae vero lucis ad tenebras, vel Christi ad Belial conventio? An non licet omnibus piis ovem e lupi faucibus eripere? an non contra lupos clamare et praedam eis avertere? Cur ergo non liceat piis ut honeste conveniant, ut consultent, ut legant et scribant, de pietate, de gloria dei, de communi salute et iustitia? Cur vero impiis nebulonibus liceat in perniciem veritatis et iustitiae conspirare? Pii loquuntur et scribunt, sed in gloriam dei et salutem publicam: impii insidiis agunt et technis, ut extinguant veritatem, et promoveant scelera: quae ergo Christi ad Belial, lucis ad tenebras comparatio?

Vos estis qui iustificatis.) Institutum pharisaeorum huc ibat, ut ab omnibus iustissimi et sanctissimi haberentur. Iustitia tamen eorum simulata erat et venalis, qualis et ecclesiasticorum est in Papatu, quasi vero huiusmodi res externae sanctificare aut iustum facere possent, abhorrere a consortio hominum, in monasteriis vitam agere, longas habere vestes, longa pepla. Quod enim Hebraeis est Pharisaeus, Pontificibus fuit Monachus. Iustificatis vos ipsos, id est, omnia in hoc facitis ut iusti habeamini, conatus vester huc tendit ut absoluti et innoxii sitis apud mundum, me tanquam reum accusatis et deridetis, imo hominibus persuadere molimini, me esse iniustum et seductorem. Deus vero novit corda vestra, quod scilicet tales estis, qualem me esse calumniamini. Sic nos malitiis nostris praetextum et titulum iustitiae quaerimus, et quum simus immundi peccatores, volumus tamen coram mundo iusti et puri videri, atque hoc quidem apud homines speciem aliquam et splendorem habet, coram deo abominatio est, hocque maior, quod istam impuritatem pro puritate et iustitia vendimus. Nocentissimum in hypocrisi est et pessimum, velle videri iustum, quum sis iniustissimus, et ex hac immunda puritate velle gloriam et opes aucupari.

Lex et prophetae usque ad Ioannem) Scilicet durat. Alibi vero dicit: Citius coelum et terram caspra quam apicem de lege, quae videntur sibi contraria. Spiritus vero locos hos in speciem repugnantes conciliat. Neque enim nuda litera aut verborum cortex tantum in scripturis consideranda sunt. Litera occidit (inquit Paulus) spiritus est qui vivificat. In spiritu ergo, ubi inter aliquos altercatio aut contentio de verbis scripturae incidit, scripturas conferre oportet. Literae

claves sunt quibus humana mens in spiritum penetret. Manuducimur literis, deus solus mentem reserat et intellectum donat, at ob id non debet contemni litera. Sed litera occidit inquis, quid mihi ergo litera? Respondeo, loquutionem hanc esse, Litera occidit: nam proprie litera non occidit, sed is qui literae nudae innititur, nec ad spiritum usque pertingit, se ipsum interficit, et sibi causa est mortis. Equus in funibus alligetur, ne culmum quidem trahere potest. Funes non trahunt sine equo, nec equus trahit sine funibus, sed utraque iuncta: funes moderantur equum, ne extra orbitas latius evagetur. Si litera scripturae non esset, quisque iuxta libidinem suam loqueretur. Scriptura ergo regula et funis est, iuxta quam omnia dirigenda sunt. Spiritus veritatis, hoc est, fidelis mens spiritu dei illustrata arripit literam, et eam moderatur. Litera non cogit spiritum aut sensum, sed spiritus enarrat literam et illustrat. Quoties enim fit, idque in omnibus linguis, ut aliquis verba intelligat, quorum sensum deprehendere non possit? Hoc observandum denique, vocem Legis varie poni. Aliquando pro omni scriptura sacra in genere. Aliquando pro ceremoniis legis: nam in lege et ceremoniae continentur simulque spiritualia, ad quae ducunt, et ob quae instituta sunt, ut agnus, circumcisio, sacrificia. Sic Paulus dicit, legem non purificare conscientias: hoc est, externa sacrificia non purificant animum. Tertio, lex capitur pro mente legis spirituali, ut deum super omnia diligere, et proximum ut te ipsum. Hic enim nucleus est legis, deum diligere et proximum. Deinde in species digeritur: Non occides: Non furtum facies etc. Ut quum pater in genere ad filium dicit: Nunquam otio vacabis; filio vero interrogante: Quid faciat, respondet: Agrum cole, pecora pasce etc. Ad propositum iam aptemus ista. Volebant sacerdotes et pharisaei ex observantia ceremoniarum legalium iusti videri, hoc taxat Christus et falsum esse ostendit et dicit: Lex et prophetae usque ad Ioannem. Intelligens per legem et prophetas quidquid est ceremoniale, typicum et propheticum in lege. Interim non vult quod spiritus legis, scripturae ac veritatis abolitus sit aut cessarit. Lex et prophetae, id est, quidquid lex typis expressit, figuris adumbravit, quidquid prophetae vaticinati sunt, hoc totum est in me impletum. Quidquid deinde est sacrificiorum, totum in me cessat etc. Sed ex hoc non consequitur perpetuam mentem legis et spiritum cessasse, nam ne apex quidem ex illa lege unquam cadet: Diliges deum, diliges proximum, quum sit sempiterna et immutabilis. Metastasis potest dici esse in hac voce Lex, ut quum dicimus: Una salus victis nullam sperare salutem. Exemplum in circumcisione, quod carnale in ea erat, abolitum est per apostolos, Act. 15. et Paulus dicit: Si circuncidimini, Christus vobis nihil proderit. Sic in agno paschali, Christus enim pascha nostrum est, 1. Cor. 5. et Ioan. 1. Hic est agnus dei qui tollit peccatum mundi. Sic de sabbato, Matth. 12. et aliis ceremoniis intellige. At interim legis medulla immota manet, nec unquam abrogatur, ut patet Matth. 5. ubi Christus dicit: Audistis, quod dictum sit veteribus etc. ubi spiritum legis explicat et perficit, spiritumque quasi eruit. Lex ergo dei, quae interiorem ho-

minem format, nunquam aboleturi sed perpetua est, ut spiritus et veritas perpetua sunt et aeterna.

Regnum dei.) Id est gratia dei, quam per filium suum mundo exhibuit, per quam sibi mundum in Christo reconciliavit. Hanc gratiam Ioannes praedicare coepit.

Et quivis vim in illud facit.) Hoc nimirum de gentibus dictum est, quae tum coeperunt catervatim et magno studio irrumpere, quod vix ferre potuerunt Iudaei. Violenti, hoc est, ii quos vos putatis vobis vim facere, gentiles scilicet.

Nisi causa stupri.) Stuprum causa inferior et tanquam limes infra quem repudium non est admittendum. Comprehendit autem omnes superiores, ut alibi in Matthaeo latius dicitur.

ANNOTATIONES HULDRICI ZUINGLII IN EVANGELIUM IOANNIS.

CAPUT PRIMUM.

In principio erat verbum.) Quum ceteri Evangelistae Christi nativitatem secundum carnem satis descripsissent, Ioannes Evangelista eam transcurrens, divinam filii dei generationem clarius edisserit, dicens: In principio erat verbum. Certa ratione filium dei *λόγον* appellat, quoniam Dabar apud Hebraeos rem, verbum, rationem, causam comprehendit, augustioris et latioris est significati quam res vel verbum Latinis. Significat den gantzen handel. Hoc idem *λόγος* Graecis est, verbum, sermo, ratio, oratio, supputatio, ratiocinatio, consilium etc. decretum aeternum dei, consilium, sapientia dei Das erwägen Gottes, das fürnemmen, der raat und anschlag, die weyßheit gottes. Et haec omnia in filium dei competunt Et hoc verbum, id est filius dei erat in illo, qui est principium omnium rerum.

Erat apud deum.) Das wort was an Gott, quin unum cum deo, in sinibus paternis. Tantum valet haec praepositio *πρὸς*.

Et deus erat ille sermo.) Hoc verbum de quo hic loquimur, filius scilicet dei, deus est, illud idem est quod deus.

Erat in principio apud deum.) Semper et ab aeterno est apud deum. Proverb. 8. Dominus possedit me ab initio viarum suarum etc.

Omnia per ipsum facta sunt.) Nunc apertius et clarius aperit, quale sit hoc verbum, de quo est sermo, dicens, omnia per hoc facta et condita esse, Col. 1. Hebr. 1. ergo deus.

In ipso vita erat.) Hoc est, ab ipso vita est omnibus quae vitam habent. Primum vita haec corporea, Gen. 1. Gen. 2. Deut. 8. Ex ipso etiam vita spiritus. Rom. 5. Sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur. Infra cap. 5. Sicut pater suscitat mortuos. Et 1. Ioannis 4. Misit deus filium suum in mundum, ut vivamus per eum. Infra 17. Haec est vita aeterna, ut cognoscant te etc.

Vita erat lux hominum.) Ecce non tantum vita est verbum aeternum, sed et lux, id est, doctor coelestis, qui cognitionem, intelligentiam, prudentiam, sapientiam dat, Proverb. 8. Danielis 2.

Lux in tenebris lucet.) Hoc est, talis est lux, ut et tenebras et incognita manifestet.

Et tenebrae eam non comprehenderunt.) Tenebrae nihil nocere possunt huic luci. Vel ut sit sensus, Christus qui lux est in tenebris lucet, id est apud infideles: et tenebrae repugnant, radios huius solis

obscurare et extinguere nituntur, sed nihil possunt. Psalmo 9. Comprehenduntur in consiliis quibus cog. 1. Cor. 1: 3. et Esa. 29. Ezech. 8. Abd. 1.

Fuit homo missus a deo.) Quod dico, nihil ex me fingo, nihil commiuiscor, nihil excogito, Ioannes Baptista a deo missus est legatus, ad testificandum de hac luce, ut praedixit propheta Malachias 3. Ecce ego mitto etc.

Ut omnes crederent.) In hanc scilicet lucem, seu per hanc lucem in cognitionem veniant per illum sermonem, vel per illam lucem scilicet, ut omnes illi fidant Christo. Ego dicerem simpliciter, per illum, id est, per praedicationem testificationem et officium Ioannis, ut infra 17. Observa hic quod sit officium veri pastoris, ut scilicet testificetur de Christo, ut ostendat illi esse fidendum, Christum esse viam ad iustitiam, Matth. 3. Hic est filius meus etc. 1. Ioan. 5. Qui accipit testimonium eius, Ioan. 3. Item paratam esse coenam, ut accingant se homines ad eam, ne contemnant dei gratiam et vocationem, induant vestes nuptiales, Matth. 22. Et quid hoc aliud est quam fidere Christo?

Non erat lux illa.) Ioannes scilicet non est ista lux, quae totum mundum illuminat. Nam alioqui et Ioannes lux est, ut Christus ipse de eo testatur Ioan. 5. et apostoli voce Christi lux sunt dicti propter doctrinam et vitam.

Erat lux vera.) Quidquid illuminatur, per hanc lucem illuminatur, infra 6. Quidquid lucet in coelis, in terris, lucem ab illa luce recipit: si quid fidei, si quid cognitionis est in creaturis, ex hac luce est, Proverb. 8.

Mundus eum non cognovit.) Id est: Non credidit ei, non recepit eius doctrinam. Hoc et hodie fit. Infra 15. Si sermonem meum receperunt, et vestrum. Nos felicitatem in visibilibus ponimus, quum doceantur coelestia et aeterna, excaecati cupiditatibus non recipimus coelestem lucem, non cognoscimus creatorem nostrum, quia mundus regnat in nobis, et per hoc convincimur infideles: nam si veram fidem in Christum haberemus, pugnaremus contra mundum, et vinceremus eum, 1. Ioan. 5. Haec est victoria etc. Si cognosceremus vere Christum, fideremus ei soli, non quaereremus alibi salutem et vitam, Christus enim unica salus et spes debet esse fidelium, 1. Ioan. 4. Si vere fideremus Christo, resipisceremus et converteremur a viis malis. Qui enim dicit se in luce esse, et in tenebris ambulat, 1. Ioan. 2. Et qui dicit se in eo manere, debet quemadmodum ipse ambulavit ambulare. Qui enim peccat, non novit eum, 1. Ioannis 3. Et qui natus est ex deo, non peccat, 1. Ioan. 5.

In sua venit.) Ad populum scilicet Iudaicum, quem suum dixit Deut. 34. Exod. 19: 4.

Et sui eum non receperunt.) Hoc est: Non crediderunt in eum.

Quotquot autem.) Synecdocha ergo est, quum dicit: Sui eum non receperunt, hoc est pauci ex Iudaeis. Qui vero receperunt eum, illis dedit, id est concessit, permisit ut essent filii dei: iis scilicet qui in nomen eius, id est in gratiam et virtutem eius credidissent. Haec est via per quam efficimur filii dei, credere scilicet in nomen filii dei,

Gal. 3. Nemo excluditur, quotquot credunt, sunt filii dei, Rom. 10. 1. Ioan. 4. Quisquis confessus fuerit. Haec via est ad veram iustitiam, qui hanc non sequitur, vitam nunquam adprehendet, Rom. 10. et infra 3. quia non credit in nomen unigeniti filii dei. Qui vere sunt filii dei, relicto mundo sequuntur voluntatem patris, agitantur eius spiritu, avertuntur a peccatis et adcurrunt ad patrem dicentes: Pater peccavi etc. Luc. 15. Nam per hoc scimus quod cognovimus eum, si iussa eius observamus. Christianismus ergo nihil est quam cognitio Christi et firma adhaesio eius gratiae, resipiscentia quoque est prioris vitae, mortificatio veteris Adae, Rom. 6.

Qui non ex sanguinibus.) Quasi dicat: Haec generatio non provenit ex carne et sanguine, non humana voluntate aut ratione, non libero arbitrio et viribus humanis, sed ex deo, Matth. 16. Infra 6. Quasi dicat: O vos Iudaei, ad hanc coelestem nativitatem et regenerationem spiritualem nihil proderit carnalis nativitas, qua gloriamini vos ex Abrahamo descendere, oportet renasci ex spiritu per fidem, Rom. 9. Non omnes qui sunt ex Israel, filii Abrahae sunt, sed qui credunt quemadmodum ipse. Natura infeliciter nascimur autore Adam, mortis nempe et gehennae filii, Gen. 3. Eph. 2. Nam si filii sumus, et nasci oportet, et quia filii secundum carnem nati nondum filii dei sunt, necesse est ut renascantur denuo, Ioannis 3. Ubi fit renascentia, ibi nimirum oportet ut vetus et carnalis nativitas in totum aboleatur et moriatur cum omnibus viribus et operibus suis, et renovatio fiat novi et interni hominis, id fit cognitione misericordiae dei donatae in Christo. Ex sanguinibus, generaliter intelligitur omnis naturalis propagatio, ut carne de patribus et Iudaeis natos esse, quorum fuit promissio. Ex voluntate viri, id est, non arbitrio hominis, ut quondam dum volebant gentes, ad legem et populum dei se conferebant, et hodie Turcae et Iudaei ad populum fidelem. Nam omnia ista fiunt humana voluntate.

Ex deo.) Nam solius dei opus est renovatio creaturae, fidere Christo Iesu, 1. Ioannis 6. Ex deo nasci non a deo, id est transformari in eandem imaginem, 2. Cor. 3. participem fieri sapientiae, iustitiae, veritatis dei. Nam Christus lux est et vita. Ex deo supra dixit: Dedit eis ut essent filii dei, ne quis putaret homines ex substantia patris prodire (nam sic unigenito filio similes essent.) Intelligit ergo adoptatos nos esse per gratiam, ut magnitudinem gratiae ostenderet, quae nos alienos a deo cum ipso coniungit et filios dei facit, serius enim hanc gloriam ex caritate donat ac largitur. Ecce quantae sunt a renatis gratiae agendae patri suavissimo, qui potuit nos secundum iustitiam sua aeterna poena, qua eramus digni punire, sed elegit nos, et eripuit nos de potestate tenebrarum in regnum dilecti filii sui, ut in aeternum cum eo vivamus. Adumbratur haec regeneratio in Isaac, qui non carnis sed promissionis filius fuit, Gen. 18.

Et verbum caro factum est.) Paucis nativitatem Christi secundum carnem attingit, quod ea fusius per Matthaeum et Lucam sit explicata. Accipit autem carnem pro homine, schemate Hebraico, quae totum hominem nunc animae, nunc carnis appellatione notat. Nam näphesch animam et corpus animatum significat. Sic baschar car-

nem et totum hominem cuius altera pars caro est, Ioelis 2. Hic erige animum, et effusissimam caritatem patris pientissimi expende, qui proprium filium suum pro nobis tradidit, Rom. 8. Verbum caro factum est, id est, filius dei et deus natura, homo factus est.

Et habitavit in nobis) Id est, figura repertus est ut homo, Philip. 2. omnes calamitates et necessitates humanas (excepto peccato) in se suscepit, Hebr. 4. versatus inter homines homo, ut ceteri homines inter mortales vixit, familiariter cum eis conversatus.

Vidimus gloriam eius.) In monte Thabor, Matth. 17. In aedendis miraculis. Potest et de resurrectionis gloria intelligi, qua mortem ipsam devicit, inferos fregit, peccatum sustulit etc.

Quasi unigeniti a patre. Eam vidimus in Christo gloriam (inquit apostolus) quae declaret eum unigenitum esse patris, et unicum filium dei: nam tametsi et nos filii simus dei (ut supra) natura tamen non sumus filii dei, sed gratia. Ideo Christum hac nota a sanctis omnibus seperat et discernit.

Plenum gratia.) Testamentum enim est Christus et pignus gratiae, ipse nos cum patre reconciliavit.

Et veritate.) Quia ipse est veritas, ut infra 14.

Ioannes testatur.) Supra testem induxerat Ioannem, eumque missum a deo, qui de veritate testaturus advenerat: interim de luce illa excellentissima interservit. Iam per epanodum redit ad testimonium Ioannis de Christo, et ostendit quid Ioannes sit de hac luce inter Israelitas testatus. Ioannes sex mensibus aetate Christum superat, Luc. 1. At prior erat Christus Ioanne: nam fuit ab aeterno.

Et de plenitudine eius.) Quasi dicat Ioannes Baptista: Ego enim apud vos semper testatus sum, me hominis futuri praecursorem, qui me aetate quidem et praedicatione sequatur, sed qui fuerit ante me, huic vos me per errorem anteponitis. Nunc dico hunc esse fontem etiam omnis bonitatis et veritatis. Quidquid ego et ceteri prophetae habuimus, ab eius plenitudine accepimus. Qui ergo ab illo fonte non hauriunt, aut se ab illo accepisse bona non agnoscunt, fures sunt et latrones, infra 10. Haec Paulum coegerunt dicere: Quid habes, quod non accepisti? 1. Cor. 4. De plenitudine filii dei quasi iugi fonte et inexhausto fonte, gratiarum donum scaturiens, in electas animas defluit, omnibusque ipse fons est plenus, nunquam deficiens, abunde largitur, plenitudinem suam nihilominus immutatam semper servat. Col. 2. In eo inhabitat plenitudo deitatis corporaliter. Ad hunc ergo unicum adcurramus.

Gratiam pro gratia.) Hoc debemus ei quod conditi sumus, et gratiae ei debemus quod redempti post lapsum, de plenitudine eius sumus quidquid sumus et accepimus, et per eundem offertur omnibus uberior gratia. Quod Christum pollicitus est, gratia est, non meritum: quod misit eum, itidem gratia est. Gratiam ergo pro gratia accipimus. Elegit nos omnes in ipso, et diligit nos in dilecto.

Lex per Mosen.) Iam sub infert, quae ex qualis sit ista gratia, dicens: Lex per Mosen. Quasi diceret: Lex est cognitio peccati, Rom. 3: 4. quaque omnes damnamur, Deuter. 5: 27. Gal. 5. Per

legem ergo omnes mortui sumus, Gratia autem per Christum, quem deus pater vivificatorem et servatorem nostrum promisit et praestitit, Gen. 3: 12. 22. Is caro factus, quod lex praestare non poterat (quia imbecillis) deus per filium suum implevit. Inter prophetas nemo praestantior Mose, et hunc Christus praecellit: omnium ergo excellentissimus est. Si igitur legem cum gratia per Christum donata conferas, facile videbis quanto intervallo Christus Mosen post se relinquat.

Deum nemo vidit unquam.) Posset quis obiicere, unde scimus verum esse quod dicis? Num deum aliquis vidit? Exod. 33. 1. Ioan. 4. Prophetae aenigmatici viderunt dominum, tamen in sua essentia clare nemo vidit deum. Nemo ergo novit patrem nisi filius, et cui voluerit filius revelare, ut mox sequitur.

Unigenitus enarravit.) Qui solus deum novit. Per sinum intelligit intimum dei, metaph. Volens significare patri esse coaequalem coaeternum et inseperabilem. Missus autem est Christus ut enarraret nobis gratiam patris remissionemque peccatorum, patris cognitionem. Deus cognosci non potest nisi per filium suum, consilium scilicet, verbum, sapientiam.

Et hoc est testimonium.) Tractat clarius iam testimonium Ioannis. Causa autem propter quam pharisaei ad Ioannem miserunt, haec esse videtur. Christus qui negotium a patre sibi demandatum strenue et potenter coepit exequi (ut infra conqueruntur, Ecce quem baptizasti) et superbis pharisaeis non placeret humilis ille Christus, ob hoc ipsum Ioannem coeperunt odio prosequi, quod de Christo bene sentiret et praedicaret. Miserunt ergo ad eum. Item quidam dicebant eum esse Messiam, servatorem Israelis, quem testimoniis prophetarum vaticinatum expectabant. Alii suspicabantur eum esse Heliam, quem iuxta prophetiam Malachiae existimabant rediisse, ut esset praecursor futuri Messiae: nam haec in Malachia legerant. Negat vero se Heliam esse, non quod non esset aliquo modo Helias. Nam spiritu Heliae praecursor erat Christi. De spiritu Heliae lege 3. Reg. 17. 18. Qualis Helias contra Achab et Baalitas, talis Ioannes erga Herodem et pharisaeos.

Propheta es tu?) Cum articulo dicunt et emphasi: Es tu propheta ille? promissus scilicet per Mosen Deut. 18.

Ego Vox.) Ego sum is quem praedixit futurum propheta Esaias. Vox clamantis, id est clamans. Atque hoc clamo: Dirigite viam. Quasi diceret: Ego servus sum domini, et viam praeparo domino, id est clamo, ut corda vestra praeparetis. Item vos qui obliqui estis et dolosi, ut recta et aequa faciatis in adventum Christi, ut vobis salutifer adveniat.

Erant ex pharisaeis.) Hoc est, erant sectae pharisaicae. Tametsi unam sectarentur legem omnes, tamen in varias sectas divisi erant Iudaei. Erant enim Samaritani, Pharisaei, Sadducaei, Essaei etc. Herodiani, Nazaraei. Exactissima autem inter sectas erat Pharisaica.

Quare ergo baptizas?) Id est: Cur ergo sumis tibi ius baptizandi et docendi? Ecce qui Ioannem prius baptizantem et docentem exceperant, nunc ingrati, non solum Christum, sed et Ioannem, quem summe amabant, calumniantur, suggillant, et contemnunt, tantum ob

id, quod non voluit dicere quae eis placebant, nec is esse quem ipsi volebant. Magnopere metuendum ne idem hodie quoque fiat ab iis qui potius carnis quam spiritus libertatem ex evangelio venantur.

Ego baptizo aqua.) Id est, praedico resipiscentiam, et quoscunque prioris vitae poenitet, hos tingo et baptizo aqua. Baptismus ergo signum est initiale, quo initari debent omnes, quos vitae malae poenitet, et qui iam sub regula Christi vivere volunt, Rom. 6.

Medicus vestrum.) Inter vos est et versatur, surrexit inter vos, quem tamen vos nescitis. Tam plenum atque magnificum testimonium dat Ioannes Christo coram Levitis sacerdotibus et pharisaeis, tales enim erant legati, non ex fece populi. Summa autem testimonii Ioannis est, ut Christus notus fieret Israeli, quod filius scilicet dei esset et servator mundi, ideo Christum sibi multifariam praefert, se scilicet non esse dignum qui solvat ei corrigiam calceorum. Hac metaphora summe se deiicit Ioannes.

Haec in Bethabara.) Evangelista diligenter locum describit. De hac Bethabara habes Iudicum 7.

Postero die.) Quum e populo multi studiose quaererent, quis nam esset ille tantus, cuius dignitati tantum cederet Ioannes, Ecce Iesus postero die venit ad Ioannem etc.

Ecce agnus dei.) Agnum Ioannes Christum hac ratione appellat, quod ipse sit agnus dei, qui pro nobis sit immolatus, 1. Cor. 5. Typus est, Exod. 12. Christus est agnus innocens, immaculatus, qui erat immolandus, et suo cruore peccata mundi erant abolenda, Esa. 53. Hic agnus totius mundi peccata expiat, agnus dei, id est, quem deus ad hoc destinavit. Reiicitur hic Missa et omne genus sacrificiorum, nam Christus solus tollit peccatum mundi. Tollit praesentis est temporis, et emphasin habet.

Prior me.) Id est primus meus, caput meum, spes mea. Si Ioanni primus fuit, quanto magis nobis debet esse spes et fortitudo?

Ut notus fiat Israeli.) Veni in aqua baptizans. Hic baptismus etiam pro doctrina capitur, id est, haec fuit causa cur praedicarem poenitentiam et annunciarem instare regnum coelorum, ut quos prioris vitae poeniteret ad Christum pararem, aquam tingerem, Christoque consecrarem, ut Christus manifestus fieret Israeli.

Vidi spiritum.) Ostendit quomodo sit sibi revelatus Christus. Hoc signum praedictum erat per prophetam, Esa. 61.

Baptizabit spiritu.) Baptisma spiritus sancti duplex est, exterior in igneis linguis: interior est cordis purificatio, tractus patris, operatio spiritus, quando homo confidit Christum totius suae salutis esse autorem, ut infra 6. Matthaeus igni addit, quod idem valet. Nam qui spiritu dei tractus est, non potest non ardere. Neque enim potest esse ignis quin ardeat. Si deus in eo, caritas erit in eo, nam deus caritas est, 1. Ioan. 4. 5. Et caritas diffusa est per spiritum qui datus est nobis, Ioan. 5.

Is est agnus ille dei.) Quasi dicat: Is est de quo iam toties testificor, qui tollit peccata mundi. Huic praeparo viam. Id est, quisquis verum et efficacem baptismum desiderat, hunc accedat.

Sequuti sunt eum.) Ioannis discipuli, mox audita salute relicto Ioanne, sequuti sunt Iesum salutem aeternam. Locus hic fortis et praevalidus est contra eos qui dicunt: Ego in fide et traditionibus maiorum meorum manebo etc.

Conspicatus eos.) Humaniter et blande alloquitur, suaviter compellat. Qui legem et poenitentiam praedicant, ad Christum debent mittere servatorem, medicum et vitam: qualem se illis exhibeat, qui ad se veniunt, ostendere. Sic enim iussit dominus Luc. 24. ut in suo nomine praedicemus poenitentiam et remissionem peccatorum in omnes gentes. Et hoc quidem hic ostenditur dum Christus tam facilis est erga se sequentes, cuius verba et facta plena sunt consolatione et gratia, quae evangelium nobis ubique proponit.

Quid quaeritis?) Hoc desiderium et ardorem quendam discipulorum ostendit, quod eum tam subito sequuntur: interrogat ergo ab eis Christus quid apud se quaerant.

Unus ex eis qui audierant.) Quid? hoc scilicet: Hic est agnus ille dei, qui tollit peccatum mundi.

Invenimus Messiam.) Gaudet affectus et spiritus fidei per vocem erumpere, et aliis quod norit communicare, nec satis est corde credere nisi et Christum ore confiteamur dum opus est, Rom. 10. Christus seu Messias unctus dicitur. Innuit haec vox Christum esse sacerdotem et regem, nam illi in veteri testamento inungebantur, Christus autem spiritu sancto unctus est, Esa. 61. Huius unguenti descriptio est in Exodo. In odore unguentorum Christi allecti et tracti currimus. Christus enim odor suavitatis est, Ephes. 5. Christiani omnes a Christo nomen habent. Evangelium bonus est odor filiis dei, praedicat enim bonitatem, misericordiam et gratiam dei, pacem et reconciliationem, 2. Cor. 2. Currunt autem in odore huius unguenti, quicunque credunt in unigenitum filium dei, qui profitentur nomen eius, qui eum colunt, celebrant, gratias agunt etc.

Cephas. Syriaca vox est, et significat petram aut saxum, non caput, ut Pontificii nugati sunt in suis Decretis. Praedicit hic adversus omnia tentamenta satanae perduraturum: quod et factum esse Lucas 22. et Act. cap. 5. testatur. Quod hic de nomine commutando promittit, Matth. 16. praestat. Et nos possumus esse Petri, si firma fide Christo angulari lapidi haeserimus: nihil enim poterit contra nos neque daemon neque mundus, 1. Ioan. 5. Matth. 16. Ephes. 6.

De quo Moses in lege.) Lex et prophetae promittebant venturum servatorem, Gen. 3. 12. 22. 49. Deut. 18. Esa. 11. 7. 53. 61. Quasi diceret: Invenimus eum qui iam diu expectatus est a patribus Messiam servatorem.

A Nazareth.) Nathanael ut in lege doctus, novit Messiam non ex Nazareth, sed ex Bethleem nasciturum. Vocat autem Philippus eum Nazarenum, quod in Nazareth conceptus et educatus erat.

Veni et vide.) Philippus rudis adhuc nodum hunc non potuit explicare, ideo eum ad Christum ducit.

Vere Israelita.) Israelita si vocem interpreteris, fortis deo est: hoc nomen accepit Iacob, dum cum angelo luctaretur, Gen. 32. Hinc

filii Iacob filii Israel dicti sunt. Sine dolo dicit eum esse, collaudans eius simplicitatem et credulitatem, deinde et sincerum studium cognoscendi Christum. Nam sunt quidam qui se falso Israelitas iactitant, quod ex evangelicis literis clarum est, et hi maxime Christo fuerunt infensi. Quemadmodum autem olim Israelitae ab Israel nomen acceperunt et vocati sunt omnes, tametsi pauci vere essent Israelitae (non enim omnes sunt Israelitae etc. Rom. 9.) sic et hodie omnes Christiani a Christo vocantur (Iacob enim typus est Christi) pauci tamen sunt qui fidem sinceram habeant, et ardens desiderium cognoscendi Christum. Alius quaerit et sectatur Christum, ut possit eum prodere, alius ut carnis libertate fruatur, alius ut paratior sit et promptior ad contendendum, alius ut puro corde et simplici fide salutem et vitam animae suae inveniat, Act. 2. Nam hanc dicit Paulus gloriationem esse nostram, 2. Cor. 1. testimonium bonae conscientiae.

Rabbi tu es rex ille.) Quum audiret Nathanael sibi revelari quae clam inter eos gesta essent, et persuasum haberet soli deo cordium cogitationes perspectas esse (2. Par. 6.) plena fide testimonium reddit Christo dicens: Rabbi tu es filius dei etc. Ecce is est qui simplici corde, bona fide, anxius conscientia, pacem quaerit et invenit; tu es qui sperantibus in te vitam praebes etc.

Coelos apertos.) Quod factum est die ascensionis. Videtur autem alludere ad apparationem Iacobo factam, Gene. 28.

CAPUT II.

Tertia die.) Superius bis dixit: Postero die, colligitur ergo hunc tertium fuisse.

Nuptiae factae.) Nuptias honestas esse hic confirmatur facto et praesentia Christi, nec solum nuptiae, sed et convivia quae isthic secundum morem cum honestate et modo adhibentur. Non enim interdicit dominus, quo minus sui, dum tempus et res postulat, gaudeant et laetentur, modo ne extra orbitam currant.

Vinum non habent.) Ex iis verbis discitur: Mariam Christum pluris aestimasse quam discipuli eum et vulgus aestimarint. Sensus est: Tu poteris vini defectum sarcire etc.

Quid mihi et tibi?) Quid tu ea agis quae mihi agenda sunt divina virtute? Habeo tempus a patre praescriptum, quibus modis et quando agere debeam negotium humanae salutis, id nondum venit, infra 7. Huic negotio quoties serviendum est, nihil opus erit tua interpellatione, neque ducem te praebeas earum rerum quae patris sunt et divinae operationis: ego ultro faciam, quae res ipsa postulat. Docet hac responsione Christus, quam longe in rebus et negotiis dei affectus humani abesse debeant. Quum miracula faceret, non voluit in hoc fieri, ut suorum cognatorum adfectibus serviret, vel ut eos clariores redderet, infra 7. sed ut apud incredulos fidem pararet spirituali doctrinae. Neque tamen iis verbis matrem abnegat, sed declarat eam esse alienam ab hoc negotio. Quasi dicat: Quoties in dei versor negotio, non est opus tua admonitione. Sic Luc. 2. et Matth. 12. Quum igitur agere

volumus cum deo, nullo interpellatore opus est, nisi solo Christo, 1. Ioan. 2. 1. Timoth. 2.

Iuxta purificationem Iudaeorum.) Marci 7. et Matth. 15. traditio enim erat ne quis cibum illotis caperet manibus. Galilaea autem arida erat et aquis carens, non irrigua fluviis aut fontibus, hydriis ergo aquam paratam habebant ad varias purificationes.

Aquam in vinum.) Idem agit deus quotidie idque praeter admirationem hominum, 1. Corinth. 3. Ipse dat incrementum. Omnia per ipsum et in ipsum. Si deus incrementum dat, nemo dubitabit et penuriam et caritatem frugum et proventuum a deo quoque esse, tum scilicet, quum domini dei nostri, et mandatorum eius qui dat incrementum obliviscimur, et quum donis eius abutimur, Deut. 28.

Et manifestavit gloriam suam.) Id est, virtutem suam.

Discipuli crediderunt in eum.) Id est, firmiorem et ampliorem fidem de eo conceperunt. Vertit autem Christus aquam in vinum optimum, significans nobis hoc signo (quod primum omnium erat) iam tempus instare, ut pro frigida et diluta litera legis biberemus generosissimum illud vinum, gratiam scilicet evangelici spiritus, ut est Matth. 9. Nam hac lege: Non concupisces, omnes legis transgressores statuimur, ex ea enim ut speculo videmus nos maledictioni et damnationi obnoxios, a qua execratione Christus nos expiaturus gloriam suam miraculo hoc ostendit, praeludens futurae, imo praesenti gratiae.

Fratres eius.) Id est, cognati, consanguinei: sic enim hac voce utuntur Hebraei.

Pascha Iudaeorum.) Sciebat illuc perventuram magnam multitudinem populi, ter enim in anno confluebant illuc ex praecepto, Deut. 16.

Qui vendebant boves.) Fuit enim multiplex hostiarum et sacrificiorum genus in veteri testamento, ut patet ex Levitico, Levit. 4. 6. Num. 15. Vendebant ergo avari sacerdotes, quaecunque necessaria erant ad oblationem.

Domus mea domus orationis.) Templum Hierosolymitanum orationis domus fuit, 3. Reg. 8. Quare autem patris templum vocet domum, habetur 2. Reg. 7. Salomon aedificavit deo domum, non ut illic habitaret deus, 2. Par. 6. sed ne in lucis et excelsis idola colerent, 4. Reg. 17. Deut. 7. 12. Hoc praeceptum exequitur Iosias pius rex, 4. Reg. 23. 24. Christiani in omni loco puras in oratione manus levare debent. Neque enim nos veteris testamenti illa praecepta ligant, ut docet Christus infra 4. cap. Item Iere. 7. 1. Cor. 3. de templo novo, et hoc est, quod propheta Ezech. 37. dicit: Tabernaculum meum erit in eis.

Eiecit.) Si in veteri adhuc testamento tam acriter eiecit e templo materiali, quid putas in novo futurum, in templo suo quod sanguine suo consecravit, cum iis qui hoc profanant? Materiam hostiarum eiecit, ostendens futuram aliam hostiam novam, et veram, se ipsum scilicet, qui esset expiaturus peccata totius mundi. Hic locus fortissimus est contra sacrificos et Missatores, Hebr. 7. 9. 10. Nam nunquam debuit erigi sacrificium quod Christus abolevit, isti autem non Christum,

semel duntaxat oblatum, quotidie offerunt, sed et oves et boves etc. Quid vero hoc aliud est, quam a deo vero ad deos alienos relabi? Qui offert Christum in Missa, oblationem semel factam in cruce inefficacem reddit et irritam, nec intelligit Christum ad quid venerit. Venit enim ut vitam habeamus, 1. Ioan. 5. Ergo qui non confitetur Christum in carnem venisse, id est, morte sua vitam cunctis in se sperantibus parasse, Antichristus est, 1. Ioan. 4. Quia haec est vita aeterna, nosse patrem et filium cur missus sit, infra 17. Rom. 5. Nos gentibus similes quisque divum aliquem tutelarem habuit, cui necessitatem suam exponeret, in quem spem poneret etc.

Recordati vero discip.) Psalmo est 60. Sensus est: Doluit mihi quum viderem domum tuam sic profanari, Es hatt mich verdroſſen das es in dinem huß ſo ſchantlich zugadt, daß man alſo abgöttery ſol in dinem volck üben, und gyt tryben. Dominus praecepit sacrificia, non ut iis delectaretur, sed ne idolis et daemoniis haec sacerent. Passus est sibi ad tempus exhiberi, Esa. 1. Heb. 9. Zelus sit in filiis dei pro gloria dei, quum audiunt aut vident profanari nomen dei, veritatem supprimi, iustitiam deprimi etc. ut fecit Helias, 3. Reg. 19. 4. Reg. 23. et Iosias, et hoc in primis ad eos pertinet quorum est gladius. Nam privatorum alia est ratio. Zelari et hi debent pro gloria dei, ut nihil laboris eos pigeat, ut devorare omnem ignominiam pro deo possint, ut ardentes sint in extirpandis sceleribus, primum in se, deinde etiam in aliis. Nos enim sumus templa dei, expurgemus ergo affectus et mentem quam deo debemus, ne mammonae consecremus. Nam mox ut mammonam in corde ereximus, obliviscimur dei viventis, nihil curamus aeternum bonum, parati iam ad dolum, instructi ad omnem iniustitiam, ad omne scelus.

Quod signum ostendis?) Iudaei non persuadentur verbo dei et prophetarum, ut credant Christum filium dei, sed signum petunt, quum tamen nemo maiora viderit signa quam ipsi, nemo minus crediderit, Exod. 14. 16. 17. Maiorum ingenium et isti referunt. Sic faciunt omnes increduli, verbo induci ad Christum non possunt, signa petunt quibus non credunt, sed daemoni tribuunt, Matth. 12. Esa. 6.

Destruite templum.) Vox ipsa imperativi modi est, sed significatio est mutata, utuntur enim paucis quae habent temporibus Hebraei latissime. Sensus est: Destruetis templum hoc, id est, meum corpus. Sic Matth. 23. Implete mensuram patrum. Omnibus qui rite petunt deus facile largitur et benigniter dat, iis vero qui tentantes postulant sic respondet Christus, et eos quasi malignos aversatur. Sic Matth. 12. Generatio prava et adultera etc. Occidetis quidem me, sed tertia die resurgam.

Quadraginta sex annis etc.) Ad posteriorem exstructionem respiciunt, qui haec loquuntur. Nam templum quod Solomon rex exstruxerat septem annos ob peccata Iudaeorum post annos 430. incenderunt Chaldaei, quod idolis servierunt, et prophetas ad se missos occiderunt, Ierem. 25. Et Hierosolymorum urbe destructa et vastata, populum Israel in Babyloniam abduxerunt, ablatis simul et avectis omnibus templi ornamentis, 4. Reg. ult. Qui post annos septuaginta

regnantibus Persis patriam remissus, reaedificare coepit templum annos quadraginta sex, 1. Esdre 5. Hagaei 1.

Quum surrexisset.) Facta resurrectione multa quae aenigmatice proposuerat Christus in vita, demum intellexerunt discipuli, crediderunt que scripturae hoc ipsum de Christo testanti, et sermoni quem ipse dixerat. Esa. de nativitate, cruce, sepulchro, deque resurrectione eius vaticinatus est: Sepulchrum eius erit gloriosum. Haec est iustitia nostra, Christum traditum esse propter peccata nostra, excitatum propter nostri iustificationem. Nam in eo quod resurrexit credimus nos simul cum eo excitatos et convivificatos, condonatis nobis omnibus delictis, si in ipsum crediderimus, Col. 2.

Multi crediderunt in nomen eius.) Id est, in virtutem eius: Sy glaubtend jm, ſy ſtertend ſich in jn, ſyn wort galt by jnen. Hoc enim est in Christum credere, tota se fiducia et firma fide in eum conïicere, credere indubitato quod talis sit nobis futurus, qualem scripturae eum praedicant. Quum credo quod sit facturus mihi omnia quae de ipso evangelium testatur, resipiscenti mihi et credenti misericors, salus et vita; indurato, incredulo, impoenitenti et impio mihi, iudex iustus. Multi quidem credunt Christum esse filium dei, natum, passum, resuscitatum, quod et daemones confitentur, sed haec fides non iustificat. Haec vero fides est iustificans et aeternum beans, quum credimus et agnoscimus nos in Adam omnes mortuos esse et peccatores constitutos, aeternaeque damnationi obnoxios, propterque peccatum mortem introiisse in mundum, Rom. 5. Deinde et legem ut abundaret delictum. Quod ergo lex praestare non potuit propter imbecillitatem carnis, quia venumdati eramus sub peccatum, Rom. 7. hoc deum unigenito filio suo pro nobis in mortem tradito effecisse, condonasse peccatum per Christum, sublatum peccatum, et nos sanguine eius reconciliatos patri, sanguine eius lotos, satisfactum iustitiae divinae per hostiam corporis sui, ita ut ipse posthac sit nostra justitia, satisfactio, vita et salus, idque totum factum esse gratuitò, nullo nostro opere nec merito, Ephes. 2. Haec demum fides iustificat et servat.

Non credebat se eis.) Solius dei est secreta cordium nosse, 3. Reg. 8. Et horum hodie multi sunt, qui scribunt, legunt, praedicant etiam evangelium, sed interim sua quaerunt. Exemplum habet hic evangelicus dispensator, non statim prodere omnia mysteria fidei quibuslibet, nam sunt quibus Christus se non credit.

CAPUT III.

Ex pharisaeis.) Supra in fine prioris capitis dixit: Multi crediderunt in eum, vel in nomen eius. Inter illos ergo qui conspectis miraculis opinionem aliquam de eo conceperant, erat quidam Nicodemus, et is erat sectae pharisaicae, nec vulgaris quispiam sed praecipuus inter eos.

Noctu venit.) Non ignorabat permultos esse sui ordinis, qui Christo inviderent, nihilo tamen minus adiit eum, sed clam pudore victus et gloria, quam amittere veretur. Conscientia sua miraculorum pulsa accedit, caeterum ob principatum Christo palam adhaerere non

audet, re declarans se adhuc imbecillem et vacillantem esse, qui Christi causa suae gloriae iacturam facere nollet. Talium hodie multi sunt, semen est exceptum in petram aut spinas.

Scimus quod a deo.) Nam faciebat Christus innumera miracula, ob quae multi credebant. Et Iudaeis ac pharisaeis confitentibus claret, neminem posse sua virtute miracula facere, nisi divina virtute, Act. 3. Marci ultimo.

Nisi quis renatus.) Discendi gratia ad Iesum venerat Nicodemus. petens ut aperiat ei quis et qualis sit, quem, licet infirma fide praeditum, Christus non reiicit, sed erudit, et doctrina coelesti imbuit. Quasi dicat: Adeo nova est doctrina quam doceo, ut nemo capere possit nisi renascatur.

Regnum dei.) Capitur hic regnum dei pro doctrina coelesti et praedicatione evangelii, ut Luc. 8. Vobis datum est etc. üch gönt der vatter, daß jr die heimligkeit des worts Gottes häll und klar verstandind. Clarissime in Epist. ad Colos. ultimo cap. Ii soli cooperarii sunt ad regnum dei. Capitur aliquando pro vita aeterna, Matth. 25. Luc. 14. Quandoque pro ecclesia et congregatione fidelium, qui hic in terris adhuc vivunt, ut Matth. 13. Praedicationem ergo evangelii nemo cognoscit, nemo accipit, nisi e supernis natus, ut infra 6. Iere. 31. Videre capitur hic pro intelligere. Quod si dixeris: Cur huic dat cognitionem sui verbi, alii non dat? Quum sic quaeris, ostendis te non credere deum esse optimum et sapientissimum. Exquirere rationem divini consilii et deo responsare, infidelitatis est argumentum. Fideles enim agnoscunt optimum esse quidquid deus facit. Nobis ergo disceptare cum deo non licet, sed continuis et intimis desideriis regni sui adventum precari, idque iuxta voluntatem eius. Nam miseretur cui vult, et quem vult indurat, Rom. 9.

Quomodo potest.) Quum audit Christum loqui de nativitate, carnalem intelligit, ideoque absurdum ei videtur quod dicit Christus, crasse ergo sed simpliciter respondet. Sic carnales homines qui nondum spiritu dei sunt illustrati, semper deo responsant. Quum enim deus dicit: Diliges proximum tuum ut te ipsum, caro mox responsat et contendit, dicens: Cur proximum sic diligerem? cur me ipsum ei non praeferrem? fieri hoc non potest, verba haec aliter sunt intelligenda etc. Nam qui cernales sunt, quae carnis sunt cogitant et curant, Rom. 8.

Amen dico tibi: Nisi quis renatus.) Quasi dicat: Verum est Nicodeme quod dico. Oportet hunc renasci, qui capax regni dei vult esse; sed aliud est humanitus nasci, aliud e supernis divinitus; tu de carnali duntaxat somnias nativitate, ego de coelesti loquor, quae fit aqua et spiritu. Per aquam autem hic non elementalem intelligit (nam si sic, oporteret et per ignem baptizari, nam Matth. 3. dicitur: Spiritu et igni). Quo et errore seducti quidam etiamnum hodie igne baptizant, hoc est, notas quasdam in baptismo inurunt. Sed per aquam intelligit verbum dei, gratiam dei, aquam coelestem, id est, spiritus sancti illustrationem. Parabolis et tropis ubique utitur Christus, per quae spiritualem et coelestem doctrinam proponit, nempe aqua, vento, carne etc. Intelligit autem per spiritum adflatum spiritus sancti et coelestem

operationem spiritus dei: per aquam cognitionem, claritatem, lucem coelestem: Erfriſchung, labung, erquickung, erfüllung der ſeelen. Nam quemadmodum per sitim intelligimus defectum verbi dei, et ariditatem quandam, sic per aquam, sitis illius extinctionem, ut in Esaia: Omnes sitientes venite ad aquas, sic infra 4. et 7. Ierem. 2. Ezech. 36. Quasi dicat: Nemo verbum dei recte intellexerit, nisi carnali et veteri sapientia evacuata et expulsa, e supernis nova quadam luce et scientia illustretur, nisi spiritu humano abnegato, spiritum sanctum et coelestem recipiat. Qui ergo regni dei, id est, verbi dei vult esse capax, is sese totum abneget et veteri homine expoliet, et aquam celestem qua foecundetur a deo petat.

Quod natum est ex carne.) Quasi dicat: Caro nos in cognitionem dei non inducit, caro enim aliud nihil quam carnem gignere potest. Spiritum hic pro vento accipit, quia sub terrenis coelestia proponit, quod ex verbis Christi postea intelligitur, quum dicit: Si terrena dixi vobis, hoc non dixisset, si spiritum pro spiritu sancto dicat: licet per ventum aut spiritum, sancti spiritus operationem adumbret. Perstat ergo Christus in aqua et vento, sed deinde altius per anagogam ascendit, a corporali aqua et vento ad spiritus gratiam alludens et transcendens. Sensus est: Quemadmodum caro carnem, ventus ventum generat; sic spiritus sanctus spirituales facit homines. Similitudinibus ergo et exemplis corporalibus manuducit Nicodemum ad coelestia et spiritualia. Carnales sunt qui rationem et motum carnis sequuntur, spiritus doctrinam et consilium non audiunt, verbum dei nihil curant, nihil credunt quod sensibus carnis non percipiunt, Rom. 8. Spirituales contra, qui unctione spiritus imbuti veterem hominem abiiciunt, novi iam facti in Christo: (Vetus homo ratio est et sapientia carnalis, concupiscentia, affectus) et induunt novum hominem, qui secundum deum creatus est, Ephes. 4. Qui quaerunt, quae sursum sunt, Colos. 3. Rom. 12.

Ne mireris.) Ne videatur tibi novum aut inauditum hominem oportere renasci, simili hoc te docebo: Ventus ubi vult flat, suoque impetu, quo visum est, fertur, et nescis unde veniat aut quo se abiens proripiat; sic est omnis qui spiritu renascitur. Sic pii regenerantur per spiritum sanctum et adflatum coelestem immutantur. Nihil enim ex se habent, sed ex spiritu trahente et illustrante, et hoc fit invisibiliter in corde, non secus ac venti operatio et motus clam fit. Vis quidem spiritus in corde sentitur, sed oculis carnalibus non cernitur, manibus non tangitur, id quod intus agitur. Christus ergo iis verbis omnibus aliud nihil facit, quam ostendere Nicodemo, qualiter spirituales renascamur per vim et operationem spiritus sancti.

Quomodo possunt haec fieri?) Ecce adhuc crassus est Nicodemus, non repugnat quidem Christo, sed sermonem eis non assequutus, planius edoceri cupit, clarioremque explanationem quaerit.

Tu es ille magister?) Ille cum emphasi ponitur, *ὁ διδάσκαλος*: Tune es doctor ille et Rabi, de quo tam celebris fama et opinio est, et ignoras ea quae in primis scire oportuit, maximeque necessaria? Ex hoc loco hoc discimus, populum longissime abesse a spirituali doctrina, dum is qui doctoris vice fungitur indoctus est, quum praeceptum sit,

ut labia sacerdotis haberent in promptu scientiam, et populus legem ex ore eorum requireret. Si Nicodemus tam indoctus fuit, quales putamus fuisse alios pharisaeos? Si lux tenebrae sunt, quantae erunt tenebrae?

Quod scimus loquimur.) Ego sum qui regenero, quique regnum aperio, qui huius rei vera testimonia adfero, vos vero testimonium meum non recipitis, at nihilominus certa, comperta, vera et cognita loquor, quod in coelis vidi, in terra pronuncio.

Si terrena dixi.) Hucusque voluit terrena et carnali nativitate spiritualem docere: at non intelligit Nicodemus. Iam ergo clarius aperit se eum illum esse qui regeneret, et per quem renascentia illa spiritualis perficiatur, per quem solum accessus sit ad patrem.

Et nemo ascendit.) Coniunctio Et, non frustra ponitur, connectit enim sequentia superioribus. Quasi dicat: Et hoc dico, me solum esse qui regenerat, et qui vos praecedam, imo nemo ad deum venit, nisi per me, haç causa de coelo descendi, tametsi iam sim in coelis, nunquam enim a divina contemplatione seiunctus fuit Christus. Nota communicationem idiomatum et alloeoses, tribuitur enim saepe alteri naturae, quod est alterius, quod utraque natura in unitate personae coniuncta est in Christo.

Et sicut Moses.) Modum ostendit, qua sit nobis factus via ad coelum, et mediator ac servator. Quemadmodum olim deus per serpentem aeneum in cruce sublatum populum curavit in deserto, Num. 21. qui typus fuit mei; ita exaltabor et ego in cruce, ut omnis qui credit in me etc. Quid apertius de nostri iustificatione dici potuit? Nam ab Adami veneno quod serpens in eum transfuderat omnes infecti sumus, id est, per eius peccatum transgressionem et inobedientiam omnes peccatores sumus constituti, corruptionem enim et naturam infectam habemus, Rom. 5. Ephes. 2. Quod quidem peccatum et ipsa mors corporis secuta est tanquam poena peccati, Rom. 5. Addidit deus ultra haec legem, quae aliud nihil est quam peccati mortisque cognitio, Rom. 7. Exemplo id clarius fiet. Lex praecipit: Diliges dominum deum tuum ex toto corde tuo etc. Item: Diliges proximum ut te ipsum. Haec est aeterna et incommutabilis voluntas dei. 1. Ioan. 2. Non praeceptum novum scribo vobis etc. Et qui hanc legem non servaverit, damnatus est et maledictus, Deut. 27. nec vitam ingredi potest, Matth. 18. Hac lege omnes nos mortem nostram discimus nosque damnatos esse, quia corrupti sumus in Adam, quod nullus servat legem, Gen. 6. Ab hoc veneno per Christum liberamur, quem pater ex summa charitate (qua nos complectitur) pro nobis tradidit in mortem, ut omnes, qui in eum credunt, id est, qui eum per fidem recipiunt, salventur, Roma. 8. Summa haec evangelii: Mortui eramus per delicta et maledictioni aeternae obnoxii, deus autem misit unigenitum filium suum et reddidit nobis vitam in illo, 1. Ioan. 5. Rom. 3. Dicis: Ociabimur ergo? peccabimus? Nequaquam. Nam qui vere credit, hoc a sanguine et carne non habet, sed per aquam et spiritum coelestem, ideo iam non agitur spiritu carnali, sed coelesti et divino, qui iam iuxta dei voluntatem cuncta facit, cuius omne studium posthac huc tendit, ne in vitia

relabatur pristina, a quibus sanguine Christi lotus est, nam pudet eum male vixisse, Rom. 6. 1. Ioan. 3. Omnis qui in eo manet non peccat, quia semen et generatio dei conservat eum, 1. Ioan. 5. Qui ergo peccare non desinunt, ex deo non nati sunt. Vides iam nullam nos habere propriam iustitiam, sed peccatores et damnatos esse. Filius vero dei, quia in eum credimus, communicat nobis suam iustitiam, per quam nos coram patre iusti sumus.

Sic enim deus dilexit mundum.) Reddit iam rationem, cur in cruce Christus sit erectus, nempe ut sanaret mundum mortuum, idque nullo nostro merito, sed quia deus ab aeterno mundum dilexerit. Potuisset nos damnare, sed noluit, quia perpetua caritate nos dilexit, et ex hac caritate filium suum misit. Eramus filii irae, damnati, ultionem et iram merebamur suppliciumque aeternum, sed deus misertus nostri, misit unigenitum suum, qui nos vitae aeternae restitueret, Rom. 5. 1. Ioan. 4. Christianus ergo non est qui tantam dei dilectionem audit, et gratus non est, qui tanta misericordia abutitur, qui sanguinem Christi, quo lotus est, profanat.

Non misit filium ut iudicet.) De primo adventu hic loquitur: Non veni ut damnem aut puniam mundum propter peccata, ut lege damnem sicut Moses, sed ut praedicem remissionem peccatorum, imo ut omnibus peccatoribus poenitentibus peccata remittam, et vitam aeternam communicem. Ceterum qui hanc gratiam contemnunt, quae eis offertur per filium dei, non impune hoc ferent: adveniet enim dominus in fine mundi et reddet unicuique pro meritis, incredulis aeterna supplicia, credentibus vitam aeternam. Neque tamen haec misericordiae divinae amplificatio viam et fenestram peccatis (ut quidam clamant) aperit, sed ad resipiscentiam, ad vitae innocentiam, ad gratias agendas tanto benefactori, tanto liberatori invitat. Hinc studium recti, hinc fuga peccati. Sic Christus adulterae: Noli amplius peccare; sic paralytico, sic Rom. 6. etc.

Qui credit non iudicatur.) Non solum non damnatur, sed ne iudicatur quidem. In nomen, id est, in virtutem, potentiam Christi, Deut. 18. Qui non audierit verba huius prophetae, ego ultor existam.

Haec est autem condemnatio.) Id est, haec causa est condemnationis, quod lux venit in mundum, ut quae et iusta sunt pateant, et quae falsa ac mala traducantur et manifestentur. Sic Christus ostendit veram iustitiam, damnavit falsam. Hac in luce ambulemus, id est, in hanc lucem credamus, hanc sequamur. Ambulare enim in hac luce, est credere: contra, in tenebris ambulare, est in Christum non credere, infra 12. Hinc ergo causatur condemnatio et iudicium, quod Christus lux benignitate patris in mundum venit, ut homines cognita veritate resipiscant et serventur, sed ipsi hanc amplecti et sequi noluernnt. Qui ergo in Christum credunt, in luce ambulant. In Christum credunt, q[ui] opera tenebrarum abiiciunt, Rom. 13. Haec ex evangelio discenda, non zelus amarus, non contentio, non carnis licentia, non fidem frangere, sectas instituere. Nam haec carnis et tenebrarum sunt opera, Galat. 5.

Erant enim opera eorum mala.) Rationem reddit, quare aversati

sint lucem, quod lux ostendit quid verum, quid falsum, quid honestum, quid turpe. Hic causa manifeste redditur, cur quidam evangelium odiant. Nemo est qui non affectum aliquem in corde gerat. Evangelium autem lux est clarissima, quae omnia protrahit, et luce verbi dei peccata arguuntur, ut videre est in omnibus prophetis. Hanc ob causam misit deus prophetas, ut ostendant populo scelera eorum, ut vitam emendent.

Ac baptizabat.) Capitur hic baptizare pro docere aut praedicare, nam infra 4. dicitur Christum non baptizasse. Christus ergo praedicabat in Iudaea poenitentiam, instareque regnum dei, Matth. 4. Quo tempore et ipse Ioannes adhuc baptizabat, nondum enim fuit in carcerem coniectus. Et hoc posteriore loco de aquae baptismo loquitur. Etiam Christi discipuli Christo praesente, non baptizabant eos, quibus Christus peccata remisit, quia Christus nondum erat glorificatus, sed eos duntaxat quos prioris vitae poenituit et iam in futurum Christum se praepararent, sic et Ioannes.

Orta est contentio.) Hinc nascitur haec contentio, quod utrique sua mordicus tuebantur, atque alteri alteros contemnerent, quaestioque esset, uter baptismus dignior esset, Ioannis ne, an discipulorum Christi? Sic et hodie magnae contentiones propter externa oriuntur.

Non potest homo.) Ostendit Ioannes se a deo missum, negotiumque suum ex deo esse, neque tamen se ob id esse Christum, de quo et supra, ideo eos testes vocat. Nihil potest homo, nisi deo dante, ergo ego nihil habeo nisi quod deus dedit. Opera ergo nostra in quantum nostra, hoc est, quatenus nostra sapientia aut voluntate fiunt, bona non sunt, deo ergo placere non possunt, Matth. 15. Caro nihil generat quam carnem: Caro autem deo adversatur, Rom. 8. Quatenus vera opera nostra dei sunt et divino spiritu dictata aut facta, bona sunt, Iaco. 1. Bona facere, est legem servare, quam nemo servare potest ex se, nam lex bona praecipit. Quod si quis legem servat, ex deo est natus; non ergo talia homini sunt adscribenda sed divinae virtuti et gratiae. Si misereris pauperis ac egeni, ex te non habes hoc, quia natura tua corrupta est et mala. Cur ergo ex operibus bonis gloriamur quae dei sunt, non nostra? Non quidem idonei sumus ut vel bonum cogitemus, omnis idoneitas nostra ex deo est: Quid enim habes quod non accepisti? 1. Cor. 4. Qui vero locos quosdam ex scriptura allegant, qui operibus nostris videntur mercedem promittere, hi attendant, opus bonum esse ex fide, malum ex incredulitate; quidquid enim non fit ex fide, peccatum est, Rom. 14. Opera vero ut non iustificant, ita non damnant, sed pietas et impietas. Sic in Esaia 57. Annunciabo iustitiam tuam et opera tua quae non proderunt tibi. Opera vero signa sunt pietatis et impietatis, fides autem ex deo est. Si fides dei est, et tantum fides operatur, ergo opera bona quae per nos fiunt, dei sunt, non nostra. Iam deus reddet unicuique iuxta opera sua, quae in eo repericntur, id est, iuxta fructus fidei aut impietatis.

Qui habet sponsam.) Hactenus apertissimis verbis palam testatus est se non esse Christum, iam venustissima similitudine id obumbrat, non in se, sed in solum Christum esse sperandum. Christus solus

sponsus est animae fidelis, dum ipsum solum amat et amplectitur, huic unice haeret, quod si alium admittit, non iam sponsa est sed adultera. Ego, inquit Ioannes, non sum sponsus, sed amicus sponsi, gaudeo autem sponsum advenisse; si mihi adhaeseritis, adulterae estis, Ephes. 5. Matth. 9. Hi dei sponsae sunt, qui unum solum deum colunt, amant, diligunt: Adulterae qui plures habent deos, Iere. 2. 3. Nam vox sponsi sic clamat: Non facias tibi sculptile etc. Exod. 20. Deut. 5. 6.

Illum oportet crescere.) Discipuli Ioannis magistro suo plus aequo favent, et humano quodam affectu eum praeferunt Christo, cupientes gloriam praeceptoris sui auctam, Christi obscuratam. Ad hunc affectum compescendum et eximendum dicit Ioannes: Me oportet minui, illum vero crescere. Et hic locus fortis est contra eos qui divos invocant et eis divinum honorem exhibent.

Qui e supernis est.) Alia ratione ostendit Ioannes Christum verum esse servatorem, se nihil esse quam ministrum. Christus, inquit, e supernis venit, filius enim est patris aeternus, qui est in sinu patris, supra 1. Et Christus ipse: Nemo ascendit etc. Neminem latet me esse terrenum, nam parentes meos nostis, aequum autem est terrena cedere coelestibus, humana divinis. Quamdiu ergo terreni sumus, terrena tantum curamus, coelestia non intelligimus, quamdiu vero terrena sapimus ac amplectimur, e supernis non sumus, 1. Ioan. 2. Si quis diligit mundum.

Qui vidit.) Quasi dicat: A me ipso non loquor, sed revelante deo, is autem qui vidit, quique audivit ab ipso patre, testatur in hoc mundo.

Et testimonium.) Quasi dicat: Omnes me mirantur, autoritatis nonnihil habeo apud vulgus, testimonium vero eius qui in coelis ipse vidit et audivit, nemo accipit, id est, vix unus aut alter. Nemo non omnino nullum dicit, nec excludit omnes, sed paucos significat, Rom. 9. Esa. 6. Act. 13.

Qui vero accipit.) Ergo fuerunt qui testimonium Christi acceperunt. Qui accipit, id est, qui credit eius praedicationi, certus et firmus est, quod deus verax est, quod scilicet sit verus deus: vel, quod praedicatio eius non sit falsa. Et qui sic filio credit, is confirmat, quod pater qui misit eum verax est, qui loquitur in filio.

Nam is quem misit, verba dei loquitur.) Hinc facile colligi potest, qui deum veracem faciant, qui rursus mendacem. Qui accipit eius testimonium, id est, praedicationem eius de regno dei recipit, deum veracem facit. Nam deus testatus est de filio suo e coelis delapsa voce: Hic est filius meus unice dilectus, in quo placor, hunc audite, 1. Ioan. 5. Qui ergo credit Christum pro se expansum in cruce, vitam et iustitiam suam esse, is deum veracem facit, Esaiae 30. 42.

Qui vero non accipit.) Is reddit deum mendacem a quo legatus Christus missus est, et ut mendaci credere non vult. Horum quidam dicunt se credere quidem in deum qui creavit coelum et terram, Christum vero servatorem negant, qui a patre in mundum servator missus est, ut Iudaei. Quidam propriam iustitiam ex lege aut operibus, non

ex fide statuunt, ut hypocritae et pharisaei, Rom. 10. Matth. 6. 23. Quidam denique ore Christum fatentur, factis negant. Sunt deinde qui ne verbum quidem audire dignantur, sed persequuntur evangelium, in omni flagitiorum genere insignes. Hi omnes mendacem faciunt deum, cui credere non sustinent, nec testimonium eius recipiunt, quod de filio suo perhibuit.

Non enim huic ad mensuram.) Quasi dicat Ioannes: Ego quidem nonnihil ago et loquor apud vos, sed iuxta mensuram spiritus, quam (uti omnibus prophetis) mihi dedit deus, illamque non excedam; nam cuique pro suo modo deus spiritum impertit, atque sic ad mensuram dat nobis spiritum, 1. Cor. 12. Eph. 4. filio suo non item: non enim huic ad certam mensuram spiritum dedit, sed totam spiritus plenitudinem, de cuius plenitudine nos omnes haurimus, supra 1. cap.

Omnia dedit illi pater.) Vitam habet, 1 Ioan. 5. quia in Adam omnes morimur, Rom. 5. in Christo vita donatur, qui morte et sanguine suo nos deo reconciliat, 1. Ioannis 2. Hebraeorum 10. 9. Eph. 2.

Qui incredulus est.) Non dicit: Qui non ieiunaverit, qui hoc et hoc non fecerit etc. ut Papistae dicunt; sed: Qui non credit filio, is vitam aeternam nunquam videbit, sed ira, id est, vindicta dei et poena manet super eum, Rom. 9. Hierem. 6. Esa. 28. Sic Catabaptistae omnibus vitam negant qui non rebaptizantur.

CAPUT IV.

Ut cognovit.) Deus cuncta antequam fiant novit, exspectat autem uniuscuiusque rei opportunitatem, in hoc nobis serviens, et se ad imbecillitatem nostram accommodans. Relicta ergo Iudaea Galilaeam petit, qua transitione ad vocationem gentium occulte alludit. Invidia pharisaeorum hoc meruit ut Christus eos relinqueret, gentibusque appropinquaret. Fecerunt idem apostoli postea, ut habetur Act. 13. Recusantibus enim Iudaeis verbum evangelii, convertebantur ad gentes. De vocatione gentium innumera habentur in prophetis, Esa. 11. Oseae 1. Matth. 8. Rom. 9.

Per Samariam.) Id est per terram filiorum Israel, illic enim habitarunt Israelitae antequam abducerentur per Assyrios, 4. Reg. 17. Iudaea Iudaeorum erat regio, divisae enim erant tribus sub Ieroboam.

Sichar iuxta praedium.) Haec enim civitas non longe aberat ab hac terra, quae sorte obvenit posteris Ioseph, postquam reverterentur ex Aegypto in terram promissam. Nam alio qui non invenitur Iacob partem dedisse filio suo Ioseph, qui in Aegypto mortuus est. Gen. 49.

Fatigatus.) Omnes necessitates corporales (peccato excepto) in se suscepit Iesus, ut in omnibus fieret similis fratribus, ne quid desperaremus, quum habeamus talem pontificem, qui tentatus per omnia, possit compati infirmitatibus nostris, Hebr. 4.

Da mihi bibere.) Ab omni re occasionem docendi arripit Christus: eadem enim hic docet, quae supra tertio, et infra sexto capite, nisi quod illic panem se, hic aquam vocat. Variis itaque similitudinibus gratiam suam proponit.

Si scires donum dei.) Aperit se Christus mulieri, servatorem se esse ostendens. Per donum nihil quam gratiam et misericordiam patris intelligit, favorem scilicet erga nos et propensionem summam. An enim non donum est, quod nullo nostro merito gratuita misericordia nos per Christum filium suum a morte liberavit? Et Christus ipse donum hoc est, pro nobis enim omnibus dedit illum, et illum nobis donavit, ut noster sit, nobis enim datus, natus, crucifixus est etc. Qui hoc donum recte norunt, neglectis imo abiectis omnibus, unum Christum sectantur.

Et ego darem.) Aquam vivam, hoc est, veram, coelestem, spiritualem. De qua aqua supra 8. capite multa dixi, Esa. 12. Ezech. 47.

Neque in quo haurias.) Quae de spirituali et vivifica aqua spiritus loquitur Christus, mulier de corporali aqua et fontana intelligit, quemadmodum Nicodemus supra de renascentia. Sic stupet caro ad divina.

Omnis qui biberit.) Hic apertius aquam hanc gratiam spiritus esse significat, eadem loquens, aliis licet verbis, quae supra cum Nicodemo. Ioannis enim Baptistae verba interim interserta sunt, iam redit ad doctrinam. Bibere nihil aliud est quam credere, accipere testimonium Christi. Haec aqua vere reficit et consolatur, haec sitim carnis extinguit, ariditatem cordis humectat et foecundat etc.

Fons saliens.) Non solum non sitiet qui hanc aquam bibit, sed erit haec aqua fons in eo perpetuo scaturiens, donec venerit in vitam aeternam. Subindicat iis verbis hominis per fidem renovati effectum. Qui verbo meo vere crediderit, non in se continebit hanc gratiam, sed effluet et transfundet eam etiam in proximos, ex fide enim caritas nascitur, 1. Ioannis 5.

Voca virum.) Subinde clarius se mulieri insinuat, occasione undecunque arrepta, viri ergo mentionem ingerit, ut propius accedat.

Quinque viros.) Ostendit se cordium cognitorem et inspectorem esse, sibique secreta cordium non esse incognita. Quasi diceret: Tui cordis, et omnium hominum secreta novi, quod unius solius dei est, 1. Paralip. 28. Tu quinque viros ad libidinem habuisti, nullum legitimum, et quem iam habes, legitimus non est etc.

Video te esse prophetam.) His verbis se victam esse ostendit, confiteturque verum esse, quod dixit Christus. Quasi diceret: Sic est domine, ut dicis, tu vere loqueris, agnosco peccatum meum. Incipit ergo mulier haec propius accedere, et parum credere, nec moleste fert exprobrationem peccati, nec contumeliam in eum regerit, sed peccatum ingenue agnoscit, se scilicet esse peccatricem, et haec agnitio peccati, fidei est initium. Utinam omnes sic faceremus, quum verbo domini corripimur, et luce verbi dei peccata nostra arguuntur, et in lucem protrahuntur, non negaremus, non dissimularemus, non excusaremus, non indignaremur. At quum avaritia nostra, usura, sanguinolentia, ceteraeque pestes animi taxantur, negamus, et maledicimus, indignamur, persequimur taxantes, nolumus agnoscere; utinam diceremus cum hac muliere: Sic est o domine etc.

Patres nostri.) Ut cognovit Christum plus aliquid esse, nempe

prophetam, quaestionem ei obiicit, quae inter Iudaeos et gentes nimirum tum controvertebatur, de oratione scilicet, aut orandi loco. Iudaei ex lege edocti, contendebant nusquam esse precandum nisi Hierosolymis in templo, 3. Reg. 8. et in Esaia: Gentes contra Samaritani praesertim, in monte orandum censent, patre enim Iacobo gloriabantur, qui olim in istis locis habitarat, illicque deum adorarat. Samaritani quinque libros Mosis, non prophetas. Potest etiam sic intelligi: Patres nostri in hoc monte adorarunt, solebant enim gentes in montibus et lucis erigere templa et delubra.

Mulier crede mihi.) Si vere me prophetam credis esse, fidem habe verbis meis, impurus iste Samaritanorum cultus abolebitur, impia gentium superstitio evanescet: quin et Iudaeorum religio, quae pro temporis ratione duravit, omnino cadet, et iam tempus est, quo haec fient, praedicato scilicet evangelio. Evangelium enim lucem veram manifestat, qua superstitionis tenebrae discutientur.

Vos adoratis.) Adoras o mulier pro deo, qui deus non est. Colebant enim Samaritani idola et deos gentium, in lucis ac montibus sacra peragentes, ut patet 4. Reg. 17.

Nos adoramus.) Iudaei suam religionem a deo habebant praescriptam, tametsi eam humanis traditionibus vitiassent, non sic gentes. Deinde promissiones habebant Iudaei de Messia, ideo subiungit, Salus ex Iudaeis est.

Veniet tempus quando.) Iudaei hactenus in templo Hierosolymis, vos in montibus orastis, sed iam adest tempus ut observatione externa nihil sit opus, veri adoratores spiritu et veritate patrem orabunt. Et tempus et locum atque orationis modum docet hic Christus. Nulli loco sumus alligati, sed in omni loco levandae sunt purae manus, 1. Timoth. 2.

Spiritus est deus.) Rationem reddit, cur corporalem cultum deus non requirat, quod spiritus est, ergo nulla re corporali reconciliari potest. Homo honorem externum quaerit, apertionem capitis, genu flexionem etc. Papa pedum oscula exigit, cur hoc? quia caro sunt. Deus non est caro sed spiritus, ideo non amat tales adoratores, tales cultores, qui corporis gestu tantum sibi serviant, sed eos qui spiritu adorant et colunt. Esa. 1. Ieremiae 6.

Scio quod Messias.) Quasi diceret: Te prophetam esse nihil dubito, ceterum quae de orationis loco et modo dicis, nonnihil dubito: sed ut erres, non dubito Messiam venturum, is omnia clarius docebit. Hic habes quod et gentibus est promissus Messias, licet Iudaeis in primis, Esa. 11. in fine, 35. 42. 49. Iudaeis dico in primis, Deut. 18. et is audiendus est, ut illic habetur, et Matth. 3. hunc audite, is docet verum cultum dei, prioremque, qui in typo fuit, declarat et perficit, umbras discutiens, quum ipse sit lux et corpus, Ioannis 12. Colos. 2. In isto sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae.

Ego sum qui loquor.) Ne de futuro servatore suspensam abire sineret mulierem, mox adserit venisse iam Messiam, seque esse.

Et mirabantur.) Quid ita? quum alias frequenter locutus fuisset cum mulieribus, sed Iudaeae fuerant, non Samaritanae. Vetuerat autem dum emitteret, ne in viam gentium irent. Et Iudaei in ea erant opinione,

gentes ad Christum sibi promissum nihil pertinere, quod in epistola ad Romanos, et ex Actis patet, et quia Samaritanis nondum praedicaverat Christus, docet instare tempus praedicandi evangelii omni creaturae, sed non nisi post mortem suam. Hinc post resurrectionem in universum orbem iubet ire apostolos, et praedicare evangelium omni creaturae, quum tamen in prima legatione vetuerat ne ad gentes proficiscerentur.

Dixit mihi omnia.) Ecce non dixerat ei omnia, sed ea duntaxat, quae minus palam esse voluit. Sic quisque habet aliquid, quod nollet esse manifestum, putatque se latere, si homines fallat, quum deo et corda et cogitationes sint manifesta, cuius iudicium in veritate est. Rom. 2. 1. Ioannis 3.

Meus cibus est.) Quum discipuli non intelligerent qualem eibum haberet, aperit, dicens: Cibus meus est, ut faciam opus dei, ut perficiam illud, cuius gratia me huc misit pater, ut praedicem instare regnum dei, ut manifestetur gloria patris per totum orbem etc. ut et gentes in illius cognitionem veniant.

Num vos dicitis.) Instare tempus praedicandi evangelii, similitudine quadam declarat. Tempus erat paschatis, a quo ad messem usque quatuor sunt menses. Messis albescit, et frumenta ad messem parantur, dum gentes vi irrumpunt in regnum dei, Matth. 11. Per Messores praedicatores intelligit, Matth. 9. Et hi mittendi sunt. Rogandus itaque deus, ut huiusmodi messores mittat bonos et fideles, non contentiosos, arrogantes, elatos, qui sint patres ac pastores, non domini aut lupi. Messoribus nihilominus mercedem assignat. Vocantur hic messores qui alias piscatores dicuntur. Seminarunt prophetae, hoc est, promissiones annunciarunt, Apostoli messores fuerunt, salutem adesse, et promissionem expletas praedicarunt. Verba legis quae poenam transgressoribus legis minantur, Deut. 28. Christus modeste ad suum propositum detorquet. Hunc esse sensum verborum Christi, facto ipso comprobatur, quum urbis illius cives magno desiderio ad Christum currunt, et eum amplectuntur, quem Iudaei abiecerant, rogant enim ut apud se maneat. Ubi iterum repudiatio Iudaeorum, et vocatio gentium adumbratur. Hodie multi sunt qui Christum non modo non rogant ut apud se maneat, sed vi conantur eum expellere venientem.

Non propter tuum verbum.) Sic verbum per nos praedicatum, non facit credentes, sed Christus intus docens. Multo minus idola et imagines in deum ducunt. Verbum dei regula est vitae, hoc audiendum Luc. 16. Habent Mosen, prophetas, hos audiant: non quaeratur veritas nec a mortuis, nec ab idolis, sed ex verbo dei.

Quod hic est vere servator mundi.) Haec vera est fidei confessio et Christi agnitio, eadem cum ea quam aedit Petrus Matth. 16. omnesque apostoli, Ioan. 6. Christum scilicet venisse in carnem. 1. Ioan. 4. Rom. 10. Hebr. 9. 10.

Post duos dies.) Mansit enim tot diebus apud Samaritas, quibus completis, Nazareth venit in patriam suam, ubi in synagogis eorum praedicavit, sed ipsi contempto verbo, eum reiecerunt. De iis omnibus Lucas 4. cap. clarius scribit, nam Ioannes paucis ea attingit, Matthaeus etiam. 13. capite quaedam de his habet. Ex Samaria ergo, ubi prae-

dicatio eius grata fuit, in Galilaeam rediit, primumque Nazareth venit: quibus mox ob eorum incredulitatem relictis, Capernaum se contulit, quae et ipsa in Galilaea est: illi enim eum exceperunt, quum omnia vidissent quae fecerat Hierosolymis in die festo etc.

Et ipsi enim ad diem festum venerant.) Galilaei tametsi Iudaei non essent, tamen plerumque ascenderunt in diebus festis ad templum Hierosolymitanum, ut viderent Iudaeorum ceremonias. Adfuerant hi, dum Christus vendentes et ementes flagello eiecit, omnesque infirmos sanavit, ut supra cap. 2. Et haec causa fuit, ut eum exciperent.

Erat quidam regulus.) Partim credit hic regulus, alioqui Christum non advocasset: partim vacillat, quum arbitratur curare non posse absentem, aut mortuum suscitare. Hanc ergo sive infirmitatem, sive incredulitatem, non solum reguli, sed et Iudaeorum omnium, taxat Christus his verbis: Nisi signa et prodigia videritis etc. Quasi diceret: Cogor incredulitate vestra signa facere, quum neque verbis neque miraculis credatis. Fideles signa non quaerunt, sed verbo dei firmiter haerent, ut Abraham Gen. 12.

CAPUT V.

Post haec erat dies festus.) Pentecostes scilicet, in quo Hierosolymam repetit pro more, ne legis videatur contemptor. Est autem festum Pentecostes quinquagesimo die post pascha, Levit. 23. Act. 2.

Est autem Hierosolymis.) Lacus quidam ad probaticam. Ein wetty by der ſchäfery; vel: bym ſchlachthuß, est Hebr. betheder pecualis, ein ſchaaffhütten; forte quod in hac piscina abluerentur pecora a sacerdotibus quae sacrificanda erant.

Quinque porticus.) In quibus decumbebat multitudo languidorum. Quod angelus certo tempore descendit sanaturus unum ex infirmis, speciale quoddam erat huic genti datum. Variis enim et miris modis se deus mundo innotescit ad salutem. Adumbratur autem per aquam hanc verbum et gratia dei, per quam sanantur et renovantur credentes per Christum, supra 4. et 3. Potest et reditus Christi a Samaritis ad Iudaeos typus esse, quod Iudaei ultimis temporibus convertentur, ut docet Paulus Rom. 11.

Erat quidam homo.) Annos quibus hic aeger aegrotaverat non temere recenset Evangelista, ut ostendat nullum esse tam gravem morbum, nullum tam diuturnum, quem Christus, si ad eum accesserimus, non sanet. Longa autem infirmitas, et quod neminem habeat qui eum in aquam ferat, neque se ipso accedere potest, significat, nos neque lege neque nostro studio aut merito servari potuisse, sed solo Christo, Romanorum 8. Quod lex non potuit etc.

Erat sabbatum.) Non solum a corporis morbo, sed et ab observatione sabbati superstitiosa et externa liberat eum Christus, qui est dominus sabbati. De sabbati sanctificatione, Exod. 20. et Hier. 17. Sabbatum ultima dies hebdomadis, significat Iudaeos ultimis temporibus ad fidem accessuros, in novamque vitae formam traductos umbras legis posituros.

Qui me sanum fecit.) Quum eum ut transgressorem legis accu-

sarent, ad illum totam causam reiicit, qui sanitatem erat largitus, et magna quasi voce dicere videtur, illum potius quam sabbatum esse honorandum, cui tanta gratia, tantae vires adsint, ut hunc tam diuturnum morbum verbo fugarit. Liberatio ergo a ceremoniis contingit nobis per Christum, per quem et nova spiritus libertas datur. In hoc enim aegros sanat et peccata gratis remittit.

Ecce sanus factus es.) Quasi diceret: Peccata tua causa sunt morbi tui. Sic enim deus filios suos castigat, erudit, et ad resipiscentiam monet. Quum igitur adflictiones ingruunt, meditemur resipiscentiam et novam vitam, nisi malimus iram domini experiri, Esaiae 30. Hierem. 18. Nisi enim resipuerimus, graviora contingent. Hoc Christus his verbis innuit, quum dicit: Ne posthac deterius contingat.

Persequebantur Iudaei Iesum.) Hoc agit invidia. Quum pro tanto miraculo et beneficio, deum glorificare, et sanato congratulari deberent, factum Christi calumniantur, et quomodo benefactorem perdant cogitant. Hoc est quod Simeon dicebat, Christum in signum positum esse cui contradicatur. Sic hodie veritatem quidam calumniantur.

Pater meus operatur.) Iis verbis Christus ostendit, se nequaquam peccasse, quod in sabbato languidum sanasset, nam deum esse eum, qui sabbatum dederit, licereque ei, quoties ei visum fuerit, operari, seque esse unum cum patre. Quasi dicat: Pater meus coelestis hunc sanum fecit, et ego cum eo: quod si me damnatis ob violatum sabbatum, simul patrem damnetis necesse erit, cuius cultores vos videri vultis.

Amen amen.) Magis magisque Christus aperit Iudaeis suam divinitatem, ostendens consortium sibi esse paris potestatis cum patre, quo eos ab impietate deterreat. Quasi dicat: Nihil a me ago, sed quod patri scio probari.

Pater diligit filium.) Nihil est quod me putatis contra deum fecisse, pater enim diligit filium, pater autem offendentem filium non amat. Quoniam pater me, qui filius sum, magnopere diligit, mihique omnia communicat, nihil me caelat, omnia mihi demonstrat: nihil ergo facio quod eius voluntati repugnat.

Et maiora.) Quasi dicat: Quod a me vidistis in curatione huius languidi, parum est, supersunt adhuc maiora consilia, quae quum videritis, mirabimini. Incitpit autem quaedam ex futuris recensere.

Sicut pater suscitat.) Sicut pater potestatem habet solo nutu suscitandi mortuos, et ad vitam revocandi, sic eandem potestatem filio dedit. Miscet autem sermonem de resuscitatione, ut primum loquatur de corporum resuscitatione (ut solet ansam capere a corporalibus ad spiritualia) post vero de spirituali resuscitatione.

Neque enim pater iudicat quemquam.) Quum utriusque sit aequa potestas, cur dicit patrem neminem iudicare, sibi datum esse iudicium? Sed iudicandi quidquid in coelo est et in terra potestas data est Christo, data scilicet quatenus est homo factus, ideo mox addit: Quia filius hominis est. In carne enim iudicaturus est Christus, alioqui quatenus deus, idem habet iudicium cum patre. Et recte quidem iudicium super homines filio competit, quum ipse versatus sit inter homines.

Qui filium non honorat.) Sic 1. Ioannis 2. Is autem honor et cultus qui Christo a piis exhibetur, exhibetur ei quia deus est. Nam humanitas creatura est: quandoquidem vero in unitatem personae in uno Christo adsumpta est humana natura, colitur merito Christus, et cultus ei tribuitur divinus.

Qui sermonem meum audit) Hoc adiicit, ut sciamus qua re maxime honorificetur filius dei Christus, si videlicet sermonem eius audiamus: quid vero hoc aliud est quam credere? Non enim de ista auditione sola loquitur, qua aures sono verborum feriuntur, sed qua cor persuadetur ex verbo praedicato. Quasi dicat: Hic honor est qui mihi debetur, ut audito verbo meo, mihi credatis. Idem est honor patris, infra 15. In hoc glorificatus est pater meus, ut fructum copiosum afferatis et efficiamini mei discipuli. Quid vero est discipulum Christi esse, quam verbum eius audire et praeceptori coelesti obedire? et hoc est credere, ex qua fide copiosus provenit fructus. Rationem mox subnectit, quare sit audiendus, cur sit ei credendum: Quia in hoc misit me pater, ut servetur per me mundus, salus vero sine fide esse non potest, Hebr. 11. Violat autem sabbatum Christus et ceremonias tollit, ut ostendat patrem hisce rebus nihil honorari, sed vero cultu, nempe fide, spe, et caritate, quod fit si Christo filio eius credimus.

Habet vitam aeternam.) Quasi dicat: Tanti aestimat pater hunc honorem si mihi credatur, ut vitam aeternam iis sit daturus, qui verbo meo audito crediderint, neque huiusmodi credentes unquam in damnationem veniant, Roma. 8. Salus ergo non ex operibus legis, sed ex fide in Christum, Roma. 3. 1. Ioan. 5. Esa. 53. Hanc scientiam si tenuissemus, non esset nobis Christi doctrina tam aliena, atque incognita, non tanta cum iactura et rerum et animarum in tantas tenebras essemus immersi, non tot et tantae divitiae monasteriis et sacerdotibus adfluxissent. Sed haec est poena caecitatis nostrae. Agamus igitur gratias deo, qui nos e tenebris vocavit in admirabilem lucem, et regnum dilecti filii sui, Colos. 1. 1. Pet. 2.

Transivit a morte in vitam.) Non Transiet, ut quidam legunt, sed Transivit, inquit, a morte in vitam. Haec verba Christi, ut aqua iniecta ignem Purgatorium extinguunt, ut reviviscere apud pios nunquam possit.

Venit hora, et nunc est.) Refricat quae superius coeperat, quum dixisset: Maiora iis videbitis, et iam tempus, inquit, adest, quod mortui audient vocem filii dei, et qui audierint vivent. Hoc factum fuit in filio unico viduae Lucae 7, in filia Archisynagogi, Matth. 9, in Lazaro, infra 11. Hic etiam animae suscitationem a morte peccati intellige. Hoc vero probe expendendum, nos, si ad vitam per Christum resurgimus, prius in morte et peccato fuisse detentos, sic probat, quomodo sint visuri maiora. Maius enim est mortuos suscitare, quam sanare aegrotos.

Vitam habere in semetipso.) Ut supra 1. cap. Vita erat in ipso; et infra 14. Ego sum vita.

Et potestatem dedit ei iudicandi quoque.) Non solum dedit

mihi, inquit, pater potestatem suscitandi mortuos (ecce adhuc maiora) sed et iudicandi, et hoc quia filius hominis. Inter nos enim vixit et habitavit. His verbis occulte terrorem illis incutit Christus, quum dicit se et iudicaturum esse mortuos, et in iudicium eos deducturum, ut audientes se reddituros esse illi omnium harum rerum rationem, resipiscant, et minus persequerentur, et doctrinam eius citius reciperent.

Nolite mirari.) Quasi dicat: Quod horam adesse dixi in qua mortui resurgent, non videatur vobis mirum: hoc enim ultra hoc dico, quod veniet hora, quod non solum quidam, sed omnes qui in monumentis sunt, audient vocem eius, et resurgent. Et haec dicta sunt de ultimo iudicio, ubi per tubam excitabuntur mortui, Matth. 25. Ezech. 34. 1. Thes. 4.

Et qui bona fecerunt.) Hic locus operibus aliquid tribuere videtur, sed iam saepe auditum est, opera esse bona aut mala, quatenus ex fide vel perfidia succrescunt; fidei ergo aut incredulitati merces tribuitur. Quasi dicat: Qui ex fide bona operati sunt, aut qui fidem suam operibus bonis declararunt et testati sunt, hi venient in resurrectionem vitae, id est, resurgent ad vitam. Qui contra male egerunt, id est, ex infidelitate malos fructus ediderunt, et fidem quam simularant operibus non comprobarunt, resurgent ad condemnationem. Opera ergo non salvant, non iustificant, sed signa sunt et indicia, hominem esse iustum et salvum, ut Matth. 7. de arbore. Sic rursus peccata non reddunt hominem iniustum, nec damnant hominem, sed impietas et incredulitas, ut supra 3. Qui credit habet vitam aeternam, qui non credit iam condemnatus est. Sic infra 16. Spiritus arguet mundum de peccato, quia non crediderunt in me.

Non possum ego.) Haec omnia repetitio sunt priorum; nam supra dixerat: Non potest filius quidquam a se facere. Ism in prima persona idem de se ipso pronunciat, exponens quodam modo verbum quod supra dixerat: Pater non iudicat quenquam, sed omne iudicium dedit filio. Vel est quasi tacita responsio ad obiectionem. Poterant enim Iudaei dicere: Tu forte iniuste iudicas, aut pro tua libidine. Respondet Christus: Licet ius iudicandi sit mihi a patre demandatum, non tamen ex me ipso iudico: quidquid ago, quidquid iudico, ex deo facio, ex divina praecognitione, ex divino consilio: quemadmodum audio, sic iudico, et iudicium meum non est temerarium, non iniquum, sed iustum. Hic patet, quomodo pater et filius idem sunt, idem amborum iudicium.

Si ego testimonium.) Quidquid de me sentiatis, ego filius sum dei, quod clare videtis, et ultra videbitis: sed hoc testimonium quod de me do, non est verum, id est, apud vos nihil valet. Alius ergo est qui de me testatur, pater scilicet, Matth. 3. Testimonium Christo ferunt prophetae, scripturae, pater, Ioannes, miracula, mors, resurrectio etc.

Vos misistis.) Hoc habetur supra 1. cap. Dixit enim Ioannes se non esse Christum, et testimonium perhibuit veritati. Quasi dicat: Ex eius sermone facile intelligere potuistis quis et qualis essem. Tametsi vero Ioannes de me sit vere testatus, ego tamen humano testimonio nihil egeo: neque tamen haec commemoro ac si Ioannis testi-

monium reiiciam; sed in hoc, quandoquidem pater meus vobis salutem per me misit, ut recipiatis, mihi credatis, et per hoc salvi sitis. Ideo refrico quae a Ioanne vobis dicta sunt, non quod ego hominis testimonio indigeam, ut sim filius dei. Hic plane videmus quare praedicetur evangelium, et quare testimonium per externum verbum feratur Christo, non ut Christus nostro testimonio egeat, sed ut nos credamus: non ut otiemur, libidinemur, tumultuemur, sed ut credentes salvemur, Rom. 1. 1. Cor. 15. Qui Christum negligit aut contemnit, salvus esse non poterit, Hebr. 10. Ipse enim est via, veritas, et vita, nemo venit ad patrem nisi per Christum.

Ille erat lucerna.) Quasi dicat: Tantum abest, ut Ioannis testimonium reiiciam aut contemnam, ut et ipse de eo tester. Ardebat hic in promovenda veritate et salute vestra, summa fide me servatorem esse vobis ostendit. Nec est ut quidquam in eo reprehendere possitis, cuius vita sanctitate praecipua lucebat, adeo ut de hoc viro vobis vehementer gratularemini, ad hunc quum ad Iordanem praedicaret, turmatim concurristis. Mox autem ut flagitia vestra reprehenderet, ab eo defecistis. Hodie haud dissimiliter fit, libenter audimus, cupide adcurrimus ad primam evangelii praedicationem: quum vero ulcus acu tangitur, clamamus, Tolle, crucifige eum: quisquis adfectibus nostris non blanditur et palpat, placere non potest. Sed haec sinamus. Opera quae ego facio testimonium ferunt de me, quod filius sim dei.

Neque vocem eius audistis.) Praeter Ioannis et miraculorum testimonium, patris habeo testimonium, cuius vocem nunquam audistis etc. Dicet quis: Tamen in monte dum lex ferretur audierant. Respondeo: Tum loquutum fuisse deum per angelum, formisque quibusdam apparuisse, ut vere dicatur, nec vocem eius auditam, nec speciem eius visam.

Et sermonem eius non habetis in vobis.) Hoc est, verbum patris mei apud vos nihili penditur. Promisit enim vobis pater meus per prophetas Messiam et servatorem, testatus est eum sic et sic victurum, talia signa aediturum, salutemque praedicaturum. Iam vos verbo dei non creditis, quod et per prophetas est loquutus, et per me adhuc hodie loquitur. Hoc merito in nos iaceretur hodie, qui quotidie audimus verbum dei, sed nihili pendimus et negligimus.

Scrutamini scripturas.) Imperativus potest esse aut indicativus. Probat quasi quod dixerat: Dixi vos non credere verbo dei, quod sic probo: Non creditis mihi qui vobis per verbum dei sum promissus, quin ite et scrutamini diligenter scripturas, et haud dubie invenietis scripturas de me testatas esse, invenietis denique me nihil agere nec dicere, quam quod scripturis est conforme. Enunciandi vero modo sic: Vos quotidie versamini in scripturis, cur ergo non videtis, quale de me testimonium ferant?

Non vultis venire ad me.) Hoc est, mihi credere non vultis. Venire enim ad Christum, est ei credere, ut patebit infra 6. cap.

Gloriam ab hominibus non accipio.) Quasi dicat: Non haec dico quod in testimonio Ioannis et prophetarum glorier, nec in hoc illos adduxi, sed cognovi vos, dicam ergo cur mihi filio dei non credatis, quia dilectionem dei non habetis in vobis, nihil divinum est in

vobis, caretis metu dei. Incredulitas ergo vestra in causa est quod mihi non creditis, non testium inopia.

Ego veni nomine.) Hoc est, ego missus a patre, et hoc vidistis ex miraculis et signis quae feci, sed non creditis, si alius venerit suo nomine, ut Antichristus, hunc recipietis. Hoc idem et hodie nobis contingit, non deest nobis verbum dei, non testes, sed vacui sumus deo, fide, caritate, amamus humanam gloriam, divitias, honores, voluptates. Si vobis deus carus est, cur illius gloriam quaerenti obstrepitis? Si vitam aeternam amatis, cur autorem vitae repellitis?

Quomodo potestis credere?) Quasi dicat: Impossibile est ut mihi credatis, quia ego veni praedicare gloriam dei, vos gloriam deo invidetis, gloriam venantes humanam, Matthaei 23. Sic Papa et omnes falsi prophetae extollunt se super omne quod est deus, 2. Thes. 2. gloriam ergo dei promovere non possunt.

Nolite putare.) Moses, id est, quae in Mose scripta sunt de me, Gen. 12. 3. 4. 9. Deut. 18. etc. Scripta ergo vestra vos accusabunt. Dicitur enim Deut. 18. Omnis qui non audierit hunc prophetam, eradicabitur. Si crederetis verbis scripturae, me reciperetis etc.

CAPUT VI.

Turba multa.) Plerosque affectu non iudicio sequutos esse Christum, ex posterioribus liquet.

Dicit Philippo.) Quod Philippo dicit, omnibus dicit, ut patet ex sexto capite Marci, nam illic dicit: Quot habetis panes? Hoc ad intelligentiam facit illius loci qui claves promittit Matthaei 16. cap. ubi non Petro solum, sed et ceteris apostolis claves promittit Christus, quas tradidit Ioannis 20. cap. Accipite spiritum sanctum: nam illic non solus Petrus confitetur Christum, sed et alii, ut patet in fine huius capitis.

Ducentorum denariorum.) Infirma est fides Philippi aliorumque, qui ex consideratione praecedentium miraculorum, omnipotentiam et virtutem Christi non metiuntur.

Hic est vere propheta ille.) Promissus scilicet Deut. 18.

Volebant eum regem facere.) Moti scilicet miraculo, et panibus saturati, alia ante quoque viderant vel maiora, quibus tamen nihil moventur. Tanta est vis ventris, qui nihil nisi carnalia sapit.

Fugit Iesus.) Ut facto doceret, quod Lucae 22. verbo: Vos autem non sic, ne apostoli et ministri verbi imperium in mundo ambirent, sed ministros se agnoscerent, 1. Corint. 4. Docet interim in genere omnes Christianos, ne honores et dignitates huius mundi ambiant, sed fugiant potius. Quod si offerantur, satisfaciant ex fide officio. Exemplo igitur docet nihil convenire regno coelorum cum regno mundi, ut dicit alibi: Regnum meum non est de hoc mundo. Et veni non ut mihi ministretur, sed ut ego ministrem. Nemo ergo ex evangelio tumultuari, aut iura publica infringere doceat aut discat, quod faciebant Iudaei carnales, et hodie quoque pseudochristiani, sed consideremus et imitemur in omnibus dei bonitatem.

Et tenebrae factae.) Divina providentia ac dispensatione factum

est, ut in medio mari periclitaretur navis, ingruerent tenebrae, tantusque esset procellarum impetus, ut quasi de auxilio omni desperarent, ut cogerentur discipuli ardentius salvatorem invocare. Nam et hoc mali accedebat, quod Christus non aderat. Absente Christo, nil nisi turbatio: Christo praesente, omnis motus sedatur. Discimus autem hoc exemplo, in omni angustia et tribulatione deum invocare, absque ipso auxilium petere. Neque praesentior est usquam Christus, quam quum omni humana sumus ope destituti. Quum enim sic graviter periclitarentur, desideratus adest Christus. Stupor timorem auget, donec dominus dicit: Ego sum, nolite timere. Hic protinus omnis turbatio, omnis metus evanescit. Patienter ergo omnes tentationes feramus, easque fide in Christum vincamus, etiamsi undique periculorum fluctus irruant, ne dubitemus nos servari, etiamsi Christus abesse, aut tardius venire nobis videatur. Nam increscente formidine et periculo, aderit dominus repente, ex improviso, in mediis fluctibus, eripiet nos liberabitque ex omni periculo ineffabili virtute, in summam tranquillitatem fluctus vertet, qui non sinit nos supra modum tentari, sed in tentatione exitum quoque ostendit.

Stadia viginti quinque.) Stadium a Graeca voce στάδιον, quod curriculum significat, descendit. Dicitur autem a statione, quod Hercules eo spacio uno spiritu confecto constitisset. Ducentos pedes habet, octavam mille passuum partem continet, efficit nunc 125. nostros passus, hoc est, pedes 625. Passus continet duos gressus, gressus duos pedes cum dimidio. Hoc observandum ex miraculis Christi, ipsum esse non terrae solum sed et maris quoque dominum, imo totius creaturae. Quod quidem ad confirmationem discipulorum pertinuit, qui vita et doctrina ceteros erant confirmaturi.

Postero die.) Id est, sequenti, crastino.

Quod navicula alia non fuisset.) Vetus interpres transtulit Esset, sed melius est ut legamus Fuisset, quum turba in memoriam revocabat, nullam ibi fuisse navem, quam eam qua apostoli transmiserant, in quam tamen Christus non erat ingressus, sed soli discipuli, transmisit ipsa aliis naviculis, quae iam superveniebant a Tyberiade, venitque Capernaum quaesitum dominum. Adfectus est populi carnalis, quod in sequentibus notari potest. Neque enim in hoc sequebantur ut in fide imbuerentur, sed ventris potius gratia. Caducis et perituris rebus inhiabant, non coelestibus.

Amen amen dico vobis: Quaeritis me.) Crassum et carnalem multitudinis affectum dominus his verbis taxat et obiurgat, quod quum maiora vidissent miracula, divinae virtutis argumenta, saturitate unius convivii tantum essent commoti, in quo se declarant plus corporis pabulum quaerere, quam animae cibum. Videmus autem hic vulgi iudicium inconstans, varium et mobile. Omnes audimus verbum dei, sed diversa ratione, et hoc ex fructibus nostris satis fit manifestum. Pars audit, ut discat, quae sit via ad vitam et salutem, et hi recte quaerunt, recteque audiunt verbum dei. Nam ad hoc Christus a patre missus est, ut sit salus mundi Lucae 2. seque eum esse testatur per quem credentes serventur, hoc praedicare apostolis praecepit, quod et

fecerunt, Actorum 3. 7. 13. Est enim evangelium potentia dei ad salutem omni credenti, Rom. 1. Et hac causa praedicatur evangelium etiamnum hodie, ut annuncietur salus per Christum. Ex evangelio ergo discamus viam, vitam, iustitiam, et haec omnia per Christum contingunt, 1. Ioan. 5. Et ut innocenter et iuste vivamus in hoc saeculo, abnegemus nos ipsos, moriamur vitiis, ambulemus in vitae novitate. Sunt alii deinde, qui venantur nescio quam carnis libertatem ex evangelio, aut aliud quod dictat caro.

Operamini cibum.) Hoc est, nolite duntaxat corporis cibum quaerere, animae potius cibum inquirite. Exhortatur dominus ut cibum illum esuriant, sine quo anima perit in aeternum. Deinde arguit eos quod de se tam crasse sentirent, ut existimarent ipsum in hoc aedere miracula, ut mundanum regnum a tumultuaria multitudine tanquam praemium reciperet. Miraculis suis Christus pro temporis ratione specimen quoddam praebuit divinae virtutis, ut per haec quae sensibus corporeis hauriebantur, fidem conciliaret doctrinae suae, quae ea pollicebatur, quae corporeis sensibus percipi non poterant. Et hac ratione rudes adhuc et imbecilles gradibus quasi quibusdam ad sublimiora provehit. Sic fidi praeceptores tametsi optarent discipulos ilico totius artis capaces fore, interim tamen fingunt et formant rudia ingenia elementis quibusdam, donec ad exactam artis cognitionem perveniant, ut iam rudimentis elementariis nihil fuerit opus. Occasionem autem arripit ex panibus quibus nuper non sine miraculo populum cibaverat, de pane coelesti cibo scilicet animae disserendi. Appellatis (inquit) me magistrum, non quod avidi sitis doctrinae meae, quae tota spiritualis est, sed quod humana quaedam commoda quaeratis. Avide me quaeritis, non perinde ob signa quae vos ad sublimiora provocare debuerant, quam ob ventris cibum, quem hesterna die estis experti. Plus vos commovet saturitas, quam admiratio divinae virtutis. Rem magnam existimatis, si quis vobis cibum corporalem gratis suppeditet. Quin omnem curam ad eum cibum convertitis parandum, qui sumptus non perit concoctione, nec corporis vitam duntaxat ad tempus prorogat, sed permanet semper, vegetans animam et spiritualiter reficiens, tribuens illi vitam aeternam. Hunc vero cibum nemo coquet, nemo dabit, quam filius hominis, si modo vos avidos huius viderit. Aperit hic Christus, sed subobscure quis sit ille cibus.

Hunc enim signavit pater.) Signavit, id est, firmavit, ut sim salus indubitata omnium credentium. Quasi dicat: Hunc quem vos putatis esse filium hominis, ad hoc misit pater in mundum, ut in eo obsignatam habeant mortales aeternam salutem. Placuit patri per hunc humano generi largiri salutem aeternam, hunc peculiariter in hoc, consignavit, ius illi tribuens, et miraculis illi autoritatem concilians, ut spiritualem cibum impartiat omnibus, qui sunt avidi vitae aeternae. Hic est certissimum pignus gratiae divinae. Antevertit autem eorum quaestionem aut obiectionem, qui hominem eum nudum considerantes dicturi erant: Quis est iste, qui divinam sibi potestatem et virtutem vindicat? Quis enim permanentem ad vitam aeternam cibum praebere potest, nisi solus deus? Dicit ergo: Quem vos contemnitis, hunc pater

signavit, id est, ad hoc ordinavit. Et tametsi propter vos per ineffabilem dispensationis rationem homo factus sim, virtutem tamen habeo ut deus.

Quid facimus ut operemur.) Hoc ferme omnium hominum est, ut quaerant quid faciant, quum tamen voluntas dei per Christum apertissime sit eis manifestata, ut infra patet. Haec est voluntas eius qui misit me, ut omnis qui videt filium et credit in eum, habeat vitam aeternam. Hoc vero nobis omnibus deest, quod quum de voluntate dei nobis constet, quaerere quam obtemperare malumus, semper addiscentes, ad cognitionem veritatis nunquam pervenientes, quia non volumus obtemperare voluntati et verbo dei.

Hoc est opus dei ut credatis.). Ecce Christus hic exteriora omnia, ceremoniasque legis reiicit et abrogat, et solam fidem in Christum filium dei, verum et genuinum cultum dei definit. Nam deus spiritus est, corporalibus non demeretur officiis. Hoc est opus dei, id est, quod a vobis flagitat deus, ut mihi filio suo credatis, quem ipse misit, et per quem vobis loquitur. Summa totius capitis pendet ex his verbis, operemini cibum qui non perit. Ludit enim in sequentibus, in dictione Opus, et in dictione Cibus. Vocat autem fidem opus, quod ipsi ad opera respiciebant. Sic in Epistola ad Romanos et Galatas, vocat gratiam legem spiritus per imitationem. Hoc opus supra cap. 5. indicaverat, quum dixit: Qui sermonem meum audit, et credit ei qui misit me etc.

Quod ergo tu facis signum?) Quum intelligunt Christum de se loqui, dicunt: Quod ostendis signum? Si signum a te viderimus credemus tibi. An ergo non signum hoc fuit quingentos quinque panibus saturare, ut duodecim cophini fragmentorum supersint? Iudaei signa quaerunt, sed quum apud eos multa Christus faceret nihilo facti sunt meliores.

Patres nostri.) Quasi dicat: Si tale quid faceres quale olim Moses, is cibavit nos quadraginta annis pane de coelo, iam crederemus tibi. Magna est haec populi ingratitudo, inscitia, inconstantia.

Non Moses.) Quasi dicat: Verum quidem est, quod Moses dedit vobis panem, sed corporalem tantum, non autem coelestem illum et aeternum de quo ego loquor, qui animam cibat in vitam aeternam.

Pater meus.) Dat vobis verum panem, qui non vobis tantum sed toti mundo vitam praestat, panem coelestem, id est, qui de coelo venit, et vos coelestes ac spirituales facit, imo qui vos salvat in aeternum. Manna Iudaeos tantum cibat, is totum mundum.

Da nobis hunc panem.) Crassus et rudis populus de cibo corporali omnia intelligit, quemadmodum Nicodemus de regeneratione carnali, et Samaritana de aqua fontana.

Panis vitae.) Aperte se illum esse cibum affirmat, de quo loquatur. Dicitur autem panis vitae quia praestat vitam vel vivificat animam. Quasi dicat: Ego sum verus panis qui de coelo venio, figuratus per manna. Manna comederunt Iudaei donec Moses moreretur, et Iosue duceret populum. Manna ergo typus fuit Christi.

Qui venit ad me.) Id est, qui credit in me: Der ſich an mich

hin lagt, Qui mihi confidit. Observa hic, quod idem pollet venire ad Christum, edere Christum, et credere in Christum: nam semper obscuriora per magis nota exponit. Ostendit ergo quid sit eum edere, nempe venire ad eum, mox quid sit ad eum venire, nempe credere. Subiicit ergo:

Qui credit in me non sitiet.) Quare hic in membro posteriori non dixit quemadmodum antea: Qui biberit me etc.? Ut ostendat et per venire ad eum, et per eum edere, nihil aliud se intelligere velle quam credere. Qui credit in Christum, is venit ad eum, is edit eum, is bibit eum, is operatur cibum qui non perit, is operatur opus dei.

Vidistis me nec creditis.) Maiora praestiti vobis, quam si manna cibassem, meliora polliceor, et tamen non creditis. Nec tamen frustra deus hunc panem in mundum misit, etiamsi vos per incredulitatem eum fastiditis. Non deerunt quibus hic panis vitam sit allaturus aeternam. Nam:

Omne quod dat mihi pater.) Gratia patris est, si quis me recipit, si quis in me credit, eum vero quem pater mihi dederit, id est, cui agnitionem mei donaverit, ego non repellam: ob hanc enim causam de coelo descendi, ut faciam eius voluntatem etc. Omnem culpam incredulitatis in eos reiicit. Damnatur autem his verbis liberum arbitrium. Nemo enim venit ad Christum nisi pater det, ut ex sequentibus magis clarescet. Discamus hic voluntatem dei patris ex Christi voluntate agnosci et intelligi.

Ego resuscitabo eum.) Si filio credis, de voluntate patris nihil est ut haesites, pater est invisibilis, sed in filio videtur, ut infra 14. cap. Nihil agit pater nisi per filium. Qui filium non cognoscit, nec patrem: Qui vero filium videt et credit in eum, non patietur eum perire filius, sed etiam si moriatur, tamen Christus eum in vita servat. Potest enim hic per novissimum diem mors hominis intelligi, et per resuscitationem conservatio in vita more Hebraico, Haia vel Kom. Alii aliter exponunt de ultimo scilicet die, quo corpora reviviscent. Quasi dicat: Non solum filio hanc potestatem dedit pater, ut vivificet animas, sed et corpora resuscitabit, idque extremo die. Haec omnia, quod Christus sit vita mundi, vita animae, cibus in vitam aeternam et cetera, intellige quatenus deus est, non quatenus caro. Et diligenter observa Alloeoses naturarum in una eademque persona, ut serves proprietatem et operationem utriusque naturae illaesam.

Murmurabant ergo.) Hic videbatur carni, quod Christus nimium sibi sumeret, quod dicebat: Ego sum panis vitae, nam Paulo ante dixerat: Panis enim dei est, qui de coelo descendit, et dat vitam mundo. Remurmurat ergo caro, id est, Iudaei et dicit: Nonne hic est etc. Offenduntur vilitate Christi, offendit eos corporis imbecillitas: nam stultitia est carni praedicatio crucis: quod si habuissent fidei oculos, potuissent ex factis virtutem divinam facile videre. Sed offendiculum est Iudaeis evangelium, dicunt ergo: Nonne hic est fabri filius? apud nos non adeo pridem natus? homo ex hominibus? quomodo ergo dicit se descendisse de coelo? Quum igitur haec inter se mussitarent, ostendit

se Christus eorum cogitationes non ignorare, superioremque sermonem declarat atque confirmat.

Nemo venire potest ad me nisi pater etc.) Quasi dicat: Ne murmuretis inter vos mutuo, non audistis quod iam dixi: Omne quod dedit mihi pater, ad me veniet? Cogit me vestra incredulitas, ex qua sequitur intelligendi tarditas, eandem rem iterum atque iterum dicere. Sic habet res: Nemo potest ad me venire, hoc est, nemo accedit mihi, tanquam unico salutis pignori, nisi pater qui me misit ipsum trahat. Quem autem is ad me traxerit, hoc est, mihi per fiduciam iunxerit, hunc ego resuscitabo, id est, in vita servabo, ultimo die. Mirum est quod verba mea perpetuo paradoxa quaedam esse putatis, quum tamen nihil, aut certe parum dicam, quod non in vestris ipsorum vel prophetis, vel lege scriptum sit. Est autem et hoc in prophetis scriptum, Esa. 54. et Ierem. 31. Erunt omnes docti a deo. Cur igitur miramini, quod vobis propter incredulitatem mei cognitionem a patre negari perhibeo, quum etiam prophetae vestri tradant hanc a patre doceri oportere? Quid autem apertius dici potest, quam quod nunc dicam, dicam autem idem quod antea his verbis: Quod dat mihi pater ad me venit, et nemo potest venire ad me nisi pater meus traxerit eum. Dicam in quam aliis verbis idem tamen, ne quid iustae querimoniae vobis relinqui possit.

Quicunque audivit a patre meo et ab eo didicit, is venit ad me.) Tanquam ad unicam salutis ancoram.

Non quod patrem quisquam viderit.) Ne forte has voces: Audire et Discere, ad sensus potius, quam ad mentem, hoc est, internam illustrationem referatis: Nemo unquam vidit patrem, quamvis ille intus operetur, ut quae ille vult, audiamus ac discamus, nisi is, qui est a deo, hic vidit patrem. Pater ergo per spiritum suum eos docet Christum cognoscere, et in eum credere, quos per eum vult salvare.

Nisi is qui est a deo) Per haec verba se ipsum tecte intelligit.

Amen amen dico vobis: Qui credit in me habet vitam aeternam.) Quasi dicat: Nunc habetis summam huius meae doctrinae, imo summam totius mihi demandatae legationis, videlicet: Qui vidit me, habet vitam aeternam. Hic locus clarissime docet, Christum per manducationem et bibitionem corporis et sanguinis sui nihil aliud intelligere, quam ut credamus ipsum corpus et sanguinem suum in mortem pro nobis dedisse, ut viveremus ipsi. Credere in ipsum, salutare est: videre, edere, nequaquam. Mox incipit eis aperire mysterium suae passionis et mortis, simulque respondere ad sermonem eorum, quem superius obiecerant: Patres nostri manducaverunt manna in deserto, dicit ergo:

Ego sum panis ille vitae.) Cuius naturam ab initio huius sermonis exposui: Ego sum cibus ille, qui alit in vitam aeternam, de quo coeperam loqui. Fides ergo vitam aeternam praestat, fides scilicet in Christum. Ex quo intelligimus, panem et carnem edere nihil esse quam credere. Nemo negat patres nostros in eremo manna edisse, at illi mortui sunt. Qui vero hunc panem (me scilicet) manducaverit, hoc est, qui in me crediderit, habet vitam aeternam.

Hic est panis qui de coelo descendit etc.) Hic observandum,

Christum nobis ea parte salutarem esse, qua de coelo descendit, non qua ex illibata virgine natus est, tametsi secundum eam pati ac mori oportuerit, sed nisi deus simul fuisset, qui moriebatur, non potuisset toti mundo salutaris esse. Est ergo haec secunda nota, quod Christus hoc capite per panem et edere, nihil aliud quam evangelium credere intelligit, quod qui credit eum pro nobis immolatum, eoque nititur, vitam habet aeternam, et quod prorsus non loquitur de sacramentali esu.

Ego sum panis vivus qui de coelo descendi, si quis edat ex isto pane, vivet in aeternum.) Hanc eandem sententiam superius ab initio obscurioribus verbis indicarat, sic: Omne quod dat mihi pater, non perdam ex eo quidquam, sed resuscitabo illud, id est, in vita servabo, in novissima hora. Mox clarius aliquanto: Qui viderit filium et in eum credit, habet vitam aeternam, et ego resuscitabo etc. Iam tertio summam ponit, sed sub exemplo panis, ut ad primam occasionem redeat. De cibo enim coeperat ansam loquendi, manifestumque faciat, se cibum et panem animae fore, tum scilicet, quum corpus suum in mortem dat, et affirmat illum nunquam moriturum, qui de pane illo sit esurus. Quid vero hoc aliud, quam quod supra dixit: Ego resuscitabo eum? Sed ne diutius vos suspendam, brevibus exponam, quid causae sit, quod ego toti mundo sim salutaris, aut qua via hoc fiat, audite.

Panis (De quo tam multa loquor) *quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo pro mundi vita.*) In compendium totam summam doctrinae contrahit Christi. Quasi dicat: Dixi iam diu me panem esse vitae aeternae, sed nondum dixi quo pacto id fiat, hoc iam aperiam: Ego carnem meam in mortem tradam, atque hoc sacrificio iustitiae patris mei satisfiet, hinc fit ut humanum genus cum eo in gratiam redeat, ira eius scilicet per mortem meam placata. Moriendo ergo panis fit vitae, non quod dentibus conteratur, sed quod credatur quod carnem suam pro nobis dederit in mortem. Neque enim dicit: Panis quem ego dabo caro mea est, quam vobis corporaliter edendam proponam, sed sic: Panis quem ego dabo caro mea est, quam dabo pro mundi vita, et hic animam cibabit, quemadmodum panis corpus. Apparet denique carnem hic pro morte et passione Christi accipi, quod haec in carne facta sit, et hac nostra peccata sint expiata. Ex quo deinde et verba Christi clarescunt: Hoc est corpus meum. Ubi etiam corpus pro morte ponitur, quoniam mors in corpore facta est, quod ex verbis: Quod pro vobis tradetur, perspicuum fit. Morior ego pro omnibus, ut per me ipsum omnes vivificem. Caro mea pro totius mundi redemptione et vita tradetur in mortem, cuius morte mors morietur, et simul mecum natura humana resurget. Non enim poterat mors aliter destrui, et mortis princeps aboleri, nisi Christus se ipsum in mortem daret, et redemptionem pro nobis, offerens sese patri hostiam pro peccatis nostris. Summa ergo huius doctrinae est, ut in Christum filium dei spem omnem et fiduciam collocemus, eo quod carnem suam pro nobis in mortem expendit, qua hostia placata est divina iustitia. Quae tamen allegoria eo festivior est, quam aliae quibus idem docet, quod intra duarum naturarum suarum alloeosin manet, tum deinde,

quod mimesim Iudaeorum pulchre servat, qui nihil eum quam nudum hominem aut existimabant, aut saltem existimari videri volebant. His veluti obprobrans errorem, dicit; Carnem suam esse vere cibum, non quidem carnem puram intelligens, sed naturam potiorem qua carnem adsumpserat, ut ea perlitaret ac placaret aeternam iustitiam. Per alloeosim ergo de mortali natura loquitur, quum tamen de immortali et divina sentiat. Per carnem ergo edere, fiduciam in dei filium intelligit. Hactenus ergo nobis salutaris est Christus, quatenus pro nobis mactatus, ut secundum carnem mactari tantum potuit, et secundum divinitatem tantum salutaris esse. Sic ergo Christus est animae cibus, quod ea, dum videt deum filio suo unigenito non pepercisse, sed in contumeliosam mortem tradidisse, ut nos vitae restitueret, certa fit gratiae dei salutisque. Neque hic argutus quisquam velit esse, quod carnem suam dixit pro mundi vita expendi, ut hinc colligere audeat, Christum secundum humanam naturam tantum esse omnibus salutarem, dicat enim ipse, carnem suam impendi pro mundi vita, caro ergo vivificet. Nam ut deus et homo unus est Christus, ita fit, ut quum iuxta carnem caesus sit (Quis enim deum posset occideret?) ac mors eius nobis vita facta sit, ut propter naturarum unitionem et communicationem alteri nonnunquam tribuatur naturae, quod totius Christi est. Post istum ergo sermonem nihilo facti meliores Iudaei, nihilo doctiores, idque propter incredulitatem et contumax odium. Non enim capiebant mentem verborum Christi, quod non esus, sed caesus nobis esset salutaris. Sic enim mentem humanam reddi certam misericordiae dei, quum videt eum filio suo unigenito non pepercisse etc.

Decertabant ergo Iudaei inter se.) Quanto erant imperitiores, tanto audacius et impotentius per indignationem dicunt:

Quomodo potest nobis ille carnem suam dare ad manducandum?) Haerebant adhuc in carne, quae ante oculos adstabat, unde non immerito horrebant, decertabant, quia oculi eorum et aures nihil videbant, nihil audiebant, cor eorum nihil intelligebat. Christus multis verbis dixerat se cibum et panem esse, sed cibum hunc aliud nihil esse, quam credere quod ipse carnem suam in mortem daret, dicit ergo: Panis quem ego dabo, caro mea est quae pro vita mundi expendetur. Iudaei vero alteram huius sermonis partem duntaxat arripiunt, nempe: Panis quem ego dabo caro mea est, alteram vero: Quae pro vita mundi expendetur, omittunt et negligunt. Hinc certamen illud oritur, quod non intelligunt, Christum hoc docere, quod mors eius cibus sit animae per fidem scilicet comestus. Christus ergo quum videret se nequicquam omnia tentare, ut in cognitionem sui traheret, sic cum eis egit, quomodo Esaias aliquando 6. cap. iussus est agere, videns inquam se nihil proficere, ignorationem eorum amplius degravat, quemadmodum Matth. 13. Quum ergo tam odiose de se loquerentur, non ostendit qua ratione possit sumi caro, sed quod illi iudicabant absurdum et fieri non posse, hoc confirmat esse necessarium, dicens:

Amen amen dico vobis nisi ederitis carnem filii hominis etc.) Cohaerent haec superioribus, quod ex particulis coniunctivis aut continuativis manifestum fit. Christus enim subinde eadem repetit, clari-

usque sese declarat. Per manducationem ergo sui corporis, et bibitionem sui sanguinis, nihil aliud intelligit quam fidere morte sua quam pro nobis pertulit. Nam quum hic dicit: Qui edit carnem meam, et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam, et supra: Qui in me confidit, habet vitam aeternam: quis non videt manducationem corporis sui, et fidem in eum, idem esse? nisi quis duas vias ad salutem ponat, unam per esum corporis Christi, aliam per fidem. Sed hoc si esset, nihil opus fuisset morte aut cruce, quin vitam aeternam habuissent discipuli mox a coena, quum corpus eius edissent, et sanguinem eius bibissent. Sed absit haec absurditas a mente piorum, quae sequeretur, si verba Christi carnaliter quis intelligat. Sed Christus docet se piorum salutem et vitam esse, qui carnem et sanguinem suum pro eis in mortem expenderit. Caro igitur Christi, quatenus in mortem tradita est pro nostra liberatione, vere est cibus animae, et sanguis quatenus fusus est in cruce pro ablutione nostra, potus est salutaris. Quum ergo nollent mysterium capere, quod tamen sic expediverat, ut nihil desiderare debuissent, potentius eos ferit, ac caeciores facit, sic enim isti merebantur, et sunt haec iudicia dei. Unde et super haec omnia addit:

Qui edit carnem meam, et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in eo.) Haec incredulis ad obstinationem dicuntur, piis autem ad informationem. Et haec quarta nota est Christum hic de sacramentali esu non loqui (sunt enim proh dolor multi qui sacramentaliter edunt et bibunt corpus et sanguinem Christi, neque tamen in deo sunt, neque deus in ipsis, nisi qua ratione in omnibus est rebus) sed de esu fidei. Qui enim credit se traditione corporis Christi liberatum, et sanguinis eius effusione ablutum, is haud dubie in deo manet, nam omnem fiduciam tuto in filium dei iactat, nec alio spes suas dirigit. Non enim aliud bonum sitire potest, qui summo iam fruitur (dico autem quatenus viatoribus frui hic per fidem convenit.) E contra deus in eo manet, nemo enim Christo accedit, nisi quem pater trahit, ut supra patuit. Qui ergo a patre intus docente discit, in eo nimirum deus est, ac simul qui in Christo manet, in eo manet et Christus. Nam in Christo manere, est per amorem quod se pro nobis exposuit, deo firmiter adhaerere, sed amor deus ipse est, 1. Ioannis 4. Qui ergo in amore dei manet et deus in eo est, et ipse in deo. Sed amor fidem sequitur intellectus ordine: fides ergo, qua Christi gratia nituntur est, per quam in deo manemus et ipse in nobis. Hunc esse sensum, probant Christi verba quae sequuntur.

Quemadmodum misit me vivens pater.) Misit me pater (inquit) unde et eius voluntati in omnibus pareo, sum enim patris filius. Sic nimirum et ii qui me edunt, hoc est, qui me fidunt, se ad exemplum meum formabunt. Frustra editis, hoc est, frustra vos credere simulabitis, nisi et vitam immutetis. Mundum veni non modo redimere, sed etiam mutare. Qui ergo me fidunt, ad meum exemplum vitam suam transformabunt.

Hic est panis qui de coelo descendit.) Quod ipso effectu declaratur.

Qui hunc panem manducat, vivet in aeternum.) Qui corporeum, non itidem: quod hinc vobis liquet, quod

Patres vestri manna ederunt, et mortui sunt.) Non potest ergo ullus corporeus cibus efficere, ut quis aeternum duret. Observandum autem hic, quod rursus panem vocat Christus, quod mox supra carnem et sanguinem vocavit. Idque duplici ex causa: Primo ut in coepta allegoria aut tropo de pane perstet. Deinde ut subinde clarius doctrinam suam exponat, cuius haec summa est: Hic est cibus et refectio animae fidelis, quod deus pater filium suum unigenitum in carnem ac mortem dedit pro ea. Breviter, panis, caro, sanguis, fides, hoc in loco idem sunt. Offendit hic sermo non eos modo qui Christum odio habebant, sed suorum etiam quosdam discipulorum, qui ut nihil incivilius committerent dicebant:

Durus est hic sermo, quis potest eum audire?) In carne visibili non minus adhuc haerentes, quam adversarii eius, nacti hoc pacto occasionem ab eo deficiendi.

Sciens autem Iesus apud semetipsum quod murmurarent de hoc discipuli ipsius, dixit eis: Hoc vos offendit? Quid igitur.) Intellige, dicetis vel sentietis, aut aliquid simile.

Si videreritis filium hominis ascendere eo ubi erat prius?) Non capitis sermonem meum, quia non creditis me filium dei esse: quid autem dicetis, quum me videbitis meis ipsius viribus in coelum ascendere? Nonne filium dei esse confiteri coget res ipsa? Propterea non fiditis me, quia non creditis me filium dei esse. Quod autem non creditis in causa est, ut quidquid dicam non intelligatis. Non tandum hic obiter quid faciat ignorantia: quo minus rem intelligit, hoc audacius asserit ignoratam, nec solum hoc, sed et separat se ab his qui rem probe intelligunt. Dicit ergo Christus: An vos hoc offendit? Quasi diceret: Dedita opera et sine causa offendi vultis, quum me tam clare exponam. Ego vos nequaquam ad manducationem corporeae meae carnis cogo, sed ut mihi credatis, meque fidatis doceo: quum vero mihi credere non vultis, incredulitati vestrae carnalem manducationem carnis meae praetexitis, ut causa vestrae desertionis mihi impingatur. Qui non credit, et volens offenditur, semper invenit quo se excuset, undecunque occasionem arripit deficiendi et laedendi. Quum vero ascendere me videritis, eo ubi prius eram, an non pudefiet incredulitas vestra? quae me recipere noluit, qui vobis ascensione in coelum ostendam me filium dei, salutem orbis, et viam esse ad vitam. Tum denique peccatum infidelitatis quod in vobis latet, cui astu carnalem carnis meae manducationem praetexitis, traducetur. Ioannis 16. Adhaec, videbitis tum, me non manducatum esse a vobis, et quod impossibile est me sic edi, quemadmodum vos falso intelligitis. Ego vos ad superna per similitudines, et lepidas Allegorias allevo, vos autem incredulitatis pondere ad ima semper subsiditis.

Spiritus est qui vivificat, caro nihil prodest. Verba quae ego loquor vobis, spiritus sunt et vita.) Spiritualis res est de qua loquor, non geritur rebus corporeis, sed spiritus spiritum docet: spiritus inquam dei, miserum hominis spiritum dignatur ad se trahere,

sibi iungere, alligare, ac prorsus in se transformare. Ea res mentem pascit, laetificat certamque salutis reddit. Quod quid aliud est, quam animae cibus? aut qua similitudine commodius exprimi potest, quam cibi? Ut enim ieiunus stomachus defluente cibo gestit, quo deinde absumpti spiritus, absumpti calores, et vires instaurantur: sic ieiuna mens, cum se deus ei aperit, prae gaudio gestit, magis magisque augescit, roboratur, inque formam dei transformatur, donec in virum perfectum adolescat. Spiritualis ergo cibus est, de quo loquor, solus enim spiritus eum dat, quum solus mentem ad se trahat et reficiat. Imprudenter nimis cogitatis, quum putatis me de ista carne loqui, quae venis et nervis alitur et constat. Ea non prodest quicquam. Quamdiu sine intellectu estis? Clare dico vobis, quod tam abest ut de corporea carne, aut essentiali corpore loquar, ut palam tester meam carnem nihil penitus prodesse. Atque haec est quinta et disertissima nota, qua deprehendimus Christum hic nullo pacto de sacramento loqui, sed his verbis tanquam lege caveri, ne unquam de corporea carne quidquam somniemus. Plane enim Iudaeorum errori respondit, quo putabant eum de carne corporea loquutum, quasi istam commanducatam oporteret. Ostendit ergo quod caro ad edendum plane sit inutilis, imo ad fidendum quoque, si naturaliter ac sola consideretur, spiritum oportet esse cui fidamus. De horrore carnis inter se certabant, hoc ergo adimit eis Christus, et interim ostendit, unde iste horror veniat, nempe quod non credant, sed omnia invertant, atque spiritualia verba, ad carnalem manducationem trahant. Quum videritis me (inquit) coelos ascendere, tum rei experientia confitebimini, et quod sim filius dei, et quod de fiducia in me sim loquutus, non de edenda carne, quam videbitis ad coelum migraturam. Quaerat autem quis, quum solus spiritus vivificat, et caro nihil prodest, cur vitam carni toties tribuit? Quia is deus vivificans erat, quem isti purum hominem arbitrabantur, κατ' ἠθολογίαν ergo et mimesim (quae alloeoseos sunt species) hoc est per imitationem ac hostium suorum consuetudinem et morem loquitur Christus, carnis vocabulo utens, spiritum intelligit, hoc est, divinitatem suam, quoties carni vitam tribuit. Quum vero Christus dicat carnem nihil prodesse, non debet humana temeritas unquam de ea edenda disputare. Si dicat quis carnem Christi prodesse, quum simus ea a morte redempti. Respondemus: Carnem Christi plurimum omnino, imo immensum prodesse, sed caesam, non carnaliter ambesam. Caesa nos servat a caede, non carnaliter manducata. Iudaei de edenda, non immolanda carne disputabant, quo et Christi sermonem tendere necesse est. Nihil ergo est, quod quidam de essentiali aut substantiali corpore, aut corporea carne disputant, quam quod se ipsos produnt stupidores, sed audaciores Iudaeis, contra omnem diligentiam ac benignitatem salvatoris. Nihil etiam efficiunt; qui hic carnalem intellectum, et per spiritum spiritualem intelligunt. Nam et licet carnalis intellectus hic a Christo reiiciatur, ipsi tamen carnalem intellectum alio torquent. Veteres quum de spirituali et carnali intelligentia loquuntur, non de corrupto ingenio naturae humanae (quemadmodum nunc quidam) intelligunt. Nec spiritualem sensum eum dicunt, qualis est Matth. 13. ubi per inimicum hominem

daemon intelligitur. Sed carnalem sensum eum intelligunt, qui fingit carnem et sanguinem carnaliter aut substantialiter hic edi ac bibi. Spiritualem sensum intelligunt eum de quo Christus loquitur, nempe, quod edere carnem Christi nihil aliud sit, quam quod anima fidat se morte Christi redemptam. Quidquid ergo hic de esu panis aut carnis dicitur, de fide in Christum debet intelligi. Manducare aut edere nihil aliud est quam credere.

Sed sunt quidam ex vobis qui non credunt.) Hic est veluti colophon totius sermonis: Ego evangelium vobis annuncio, sed vos ei non creditis. Est autem evangelium nihil aliud, quam ego ipse, quamvis me ab initio verecunde et obscure exposuerim, ne arrogantiae exemplum ullum, aut temeritatis praeberem. Dixi me esse quem patribus pater pollicitus est, verum animae cibum, salutem certam, et infallibile spei pignus. Qui ergo me fidit, iam salvus est, quum haec docea bona fide, sunt quidam inter vos incredvli, hi horrorem quendam sibi a verbis meis fingunt, sed re vera incredulitas eos a me separat et avellit, incredulitas est causa defectionis.

Domine ad quem ibimus.) Quemadmodum non ad solum Petrum interrogatio fit, sed ad omnes, ita et Petrus non pro se solo respondet sed pro omnibus, quod ad caput 16. Matthaei intelligendum facit contra pontificios, qui solo Petro claves assignant; dicit ergo plurativo numero:

Nos credimus et cognovimus, quod tu es Christus filius dei vivi.) Non dicit, nos credimus quod in pane edamus carnem tuam, et in vino bibamus sanguinem corporaliter, sed credimus quod tu sis Christus servator, filius dei viventis. Credere ergo Christum, qui carnem nostram induit et in ea mortem pro nobis passus est, filium esse dei viventis, hoc demum est salutare, non credere quod in pane caro Christi corporaliter edatur. Summa ergo salutis est credere in Christum filium dei, et cognoscere quid nobis mors eius profuerit.

Unus ex vobis diabolus est.) Hoc sermone vigilantiores eos reddit, ut tantum thesaurum, tantum donum diligentius servent. Donum dei est fides et perseverantia, non nostrum meritum. Et quum ex tam eximiis apostolis unus deficit, nemo sibi securitatem polliceatur.

CAPUT VII.

Dies festus Iudaeorum scenopegia.) De institutione et ratione huius festi habetur Levit. 23. Admonet, nos hic esse peregrinos et advenas, nec habere hic manentem locum, ut semper anhelemus ad terram promissionis, ad terram viventium. Σκηνή taberpaculum est, πήγνυμι figo, hinc fit vox composita Scenopegia, tabernaculorum fixio.

Fratres eius.) Fratres Hebraei vocant etiam consanguineos et proximos quosque. Qui haec ad Christum loquuntur, rudes adhuc sunt, et humanis affectibus obnoxii, utcunque iuxta carnem ei sint cognati, utcunque ei haereant, et multo iam tempore eum audierint, gloriam sibi ex Christo quaerunt: sic caro semper sua quaerit. Quasi dicant: Quid hic latitas in humili et obscura regione, confert te in Iudaeam florentissimam regni partem, et Hierosolymam totius regni Iudaici caput.

Para tibi opinionem et autoritatem in frequentia. Haec carnalis et impia arrogantia et hodie in multis, qui Christi nomine gloriantur, reperitur, qui ex evangelio nil nisi carnem, lucrum et gloriam venantur. Fratres hos non fuisse apostolos ex capite 6. supra patet, nam illic dicitur: Petrum aliorum nomine dixisse: Nos credimus etc. Sed hi de quibus hic dicitur, non credebant, ut patet ex textu.

Tempus meum nondum adest.) Incredulitatem illorum et affectum carnalem reprimit Christus, ostenditque eis, in negotiis quae patris decreto fiunt, carni locum nullum esse. Non enim debent divina opera carnali iudicio transigi. Sic Ioannis 2. matrem interpellantem repulit.

Me odit quia testimonium fero.) Hic discat Evangelicus praedicator, quod sit officium eius: nempe testimonium ferre mundo, quod opera eius mala sunt, supra. 3. facem enim verbi dei ingerit, ut agnoscant homines in tenebris sedentes quales sint, et qualia eorum opera. Qui vero hoc bona fide exequitur, omnium odio et vitae periculo se exponat, necesse est.

Non manifeste.) Hoc est: Non introibat pro more suo templum, nec in coetum publicum se committebat.

Nemo loquebatur de illo palam.) Multi multa loquebantur de eo, ut mox praecessit: nemo vero bonum de eo palam loqui ausus fuit, quum tamen multi apud se bene de eo sentirent, idque propter minas Iudaeorum. Maledicere de eo omnibus impune licebat. Sic et hodie fieri videmus, Christum confitentes persequutionem patiuntur, trucidantur, proscribuntur, blasphemantes Christum et verbum eius vocantur Episcopi et ecclesia. Sed cur Christi laudem audire non sustinent? Quia Christus lux est, et eorum opera mala esse ostendit, arguit eorum scelera, et sic traducit, ut latere non possint. Lux illa coelestis omnia eorum opera manifesta facit, et sic eos protrahit, ut impii et scelesti esse ab omnibus cognoscantur, qui latere mallent. Spiritualis enim omnia dividicat. Caro non fert dum sibi resistitur, et omnem movet lapidem, ut lux vel tollatur, vel extinguatur.

Quomodo hic faber?) Offenduntur vilitate Christi, ut supra 6. cap.

Mea doctrina non est mea.) Vindicat suam doctrinam Christus a Iudaeorum calumniis, ut supra 5. cap. Non potest facere filius quidquam a se ipso: et sexto cap. Quia descendi de coelo, non ut faciam voluntatem meam, sed eius qui misit me. Haec est autem voluntas patris, ut omnis qui credit etc.

Qui autem quaerit gloriam.) Hic Lydius lapis est, et Amussis infallibilis explorandi omnes doctrinas: Si quis gloriam dei quaerit et salutem ecclesiae, hic a deo est. Christus citat gloriam patris et dicit se suam doctrinam a deo accepisse, nos nihil aliud crepamus quam Papam, concilia, patres. Si Christus, qui est coaeternus dei filius, legatus dei, aliud nihil adfert quam patris doctrinam, si Paulus electum illud organum dei nihil audet loqui, quam quod per eum loquitur deus, cur nos tam audaces sumus ut diversum a dei doctrina adseramus? cur nobis tantum sumimus?

Nonne Moses dedit vobis legem?) Cognovit dominus insidias

Iudaeorum, et quod clanculariis insidiis inm decrevissent eum e medio tollere, idque propter tria. Primo, quod violaret legem dei et illam vellet abolere. Secundo, quod sabbatum violaret. Tertio, quod se filium dei affirmaret. Ostendit ergo primum missum se a deo, nihilque se docere aliud, quam quod Moses docuisset: nec se legem violare, sed potius statuere: quin eos ipsos esse qui legem a Mose traditam nunquam servarint, quantumvis externa observatione gloriarentur. Putabant enim se legem facere, quia nullum opus sabbato facerent, omnia iudicantes secundum literam. Christus vero retorquet in eos, quae sibi impingebant, ostendens eos esse violatores legis dei, eo quod lex spiritualis est, nos autem carnales, Rom. 7. Se vero excusans quia lex non litera fit, sed spiritu, Matth. 5.

Unum opus feci.) Iam incipit excusare violationem sabbati, quam ei falso impingebant. Sic supra 5. Non potest filius etc. Tertiam obiectionem infra diluit, ubi dicit: Si quis sitit; et infra 10. cap. ubi se filium dei esse ostendit et probat.

Christus unde sit nescimus.) Hoc mentiuntur, quum tota lex Mosis in Christum dirigat, et prophetae non obscure Christum praedicent. Sed ita praeteximus nostrae impietati, quum cognitae veritati reluctari et obsistere volumus, ne videamur convicti.

Quaeretis me, nec invenietis.) Dixerat se abiturum ad eum, a quo erat missus. Quasi dicat: Veniet tempus, quum me quaeretis, at ego amplius non ero. Vel: Quaeretis me, id est, Messiam, et non invenietis, quia ego sum. Sic omnes qui sunt extra Christum, iustitiam et salutem quaerunt, sed non inveniunt, Rom. 10.

Et ubi ego sum.) Dixerat se iturum ad patrem. Ostendit autem hic se semper esse cum patre, nec unquam ab eo separari. Ostendit praeterea illos nunquam illuc perventuros, quia qui in Christum unigenitum filium dei non credit, iam condemnatus est. Fidelis semper est cum deo, Ephes. 1. Roma. 8. Spe servati sumus, 1. Ioan. 3. Non apparet quales sumus, Colos. 3. Nostra conversatio.

Num in dispersionem.) Praedicunt Iudaei quod futurum est, contra se invite prophetantes, quemadmodum Caiaphas, praedicari scilicet evangelium gentibus. Quomodo vero hoc sit factum, in Actis apostolorum describitur, Acto. 10. et 13. Sic infra decimo cap. Habeo alias oves, et illas oportet me adducere. Quum vero videamus Israelem ob ingratitudinem et perfidiam repudiatum, gentes vero, hoc est nos, in eius locum cooptatos, in timore dei ambulemus, ne ingratitudine et infidelitate nostra deum et verbum eius a nobis repellamus. Nam infidelibus aufert verbum suum, et dat genti quae fructum fert.

In novissimo die.) Nam festum tabernaculorum septem dies durabat, octavus celeberrimus erat atque sanctissimus, quod hoc die populi maior frequentia conflueret, Levitici 23. cap. Ideo vocabatur Azereth, collectio. Quum ergo in fine iam festi esset, et populus sibi videretur defunctus esse summa religione et devotione, nempe quod ad festum convenissent, sacrificassent, et ceremoniis quibusdam tempus contrivissent (nam pharisaei simplicem plebem frigida quadam et ficta

religione dementabant) Christus, ut a pharisaeorum falsa doctrina populum avocet, et sese fontem illum esse ostendat, ex quo petenda et haurienda sit aqua viva, clamat:

Si quis sitit.) Quasi dicat: Non est quod petatis a pharisaeis et scribis doctrinam vitae, et aquam istam salutarem, qua animae vestrae reficiuntur, venite ad me, ego sum fons ille perennis, de cuius plenitudine omnes hauriunt. Aperit se Christus, et ostendit quid apud se inveniant miseri mortales. Omnes desiderantes salutem deique cognitionem, dulciter ad se invitat, praestiturus potum illum salutarem, qui animum reficit et recreat, et omnem aestum cupiditatum huius mundi extinguit. Sic Matthaei 11. cap. Venite ad me omnes. Neque parum se praestiturum pollicetur, sed tanta affluentia, ut de ventre bibentis fluenta aquarum viventium sint proma natura. Per aquam autem (ut Evangelista ipse exponit) spiritum sanctum intelligit, illiusque gratiam, ut supra 4. et Eccles. 15. Esa. 55. 44. Ezech. 37. Ad se vocat Christus, non remittit ad Papam. Is autem ad eum venit, qui avide sermonem eius audit. Bibit quisquis credit, supra sexto capite. Misit ergo deus filium suum medicum, pastorem, potatorem et salvatorem mundo, quare et Iesus Christus dicitur. Coinquinati enim sumus peccatis, vulnerati pessimis et innumeris peccatis, famelici, sitibundi. Ad nullum ergo alium nisi ad Christum confugere debemus, is sanabit omnes infirmitates nostras, Esa. 53. idque gratis, Esa. 55.

Et qui credit in me.) Hic describit verum fidelem, cui datus est spiritus sanctus, is tam uberem et copiosum fontem omnium bonorum tam irriguum in se habet, ut nunquam exarescat, sic supra 4. Hic est baptismus spiritus sancti. Dilectio est argumentum, quod deus sit in nobis. Quasi dicat: Qui credit, habet spiritum sanctum; ingenium autem spiritus est, quod se exerit in flumen aquae vivae.

Nondum enim erat spiritus sanctus.) Non loquitur de essentia spiritus sancti (nam fuit ab initio semper) sed de adflatu et operatione, quae apparuit etiam visibiliter in die Pentecostes, Actorum secundo cap. Promissio huius spiritus facta est, Ioannis 14. 16. cap. Quasi dicat: Es was der würckung des geists noch nieman innen worden. Hic audimus per mortem Christi et per fidem dari spiritum sanctum credentibus. Et licet spiritus sanctus fuerit in omnibus piis etiam in veteri testamento, non tamen tanta ubertate et redundantia.

Dissensio itaque.) Dissensio ex hoc nata videtur, quod Michaeas dixit: Christum nasciturum ex Bethleem, sicut et natus est. Ceterum turbae putabant eum esse in Nazareth natum, quod illic esset educatus et Galilaeum, quod illic praedicationem suam coepisset. Quidam ergo recte, alii aliter de eo senserunt, ut Evangelium sit aliis odor in vitam, aliis in mortem. Contentiones describuntur, ut praedicatores verbi consolentur, dum vident se affligi, ne scandalo deterriti desperent. Luc. 2. Positus est hic in ruinam.

Nunquam sic locutus est.) Quasi dicant: Tam graviter, tam clare, tanta cum autoritate loquitur hic homo, ut convelli non possit. Sic in Matthaeo cap. 7. Sermo eius erat cum autoritate, non sicuti scribarum.

Num quis ex principibus?) His verbis conantur animos simplicium a Christo absterrere. Quasi dicerent: Num sentitis eum esse impostorem? Nam si verax esset, an non putatis credituros aliquos ex pharisaeis, legisperitis et scribis? Ministri uno sermone moti crediderunt, pharisaei pluribus auditis et visis miraculis obcaecantur et indurantur. Nec mitigantur ministrorum verbis, sed gravius accenduntur. Sic hodie clamant quidam, Christi evangelio neminem adhaerere, quam vilem plebeculam, et perditos quosque ac obscuros homines, neminem ex doctoribus et magistris nostris Sorbonicis, neminem ex magnatibus. Sed nemo prudens sic ratiocinatur: Praelati nostri male agunt, ergo et nobis est male agendum. Nam non attendendum est, quid faciant primates, vel quid non faciant, sed quid facere, aut non facere debeant. Pro nobis est verbum Christi: Sinite eos, caeci sunt, caecorum duces, Matth. 15. Nemo patrocinium peccandi sumere debet ab iis, qui nobis praesunt. Solus Christus Iesus dux viae et vitae nobis esse debet, forma vivendi, et morum magister, quem unicum praeponamus, spectemus, sequamur, cuius verba ac mandata si animo et opere tenuerimus, nusquam aberrabimus, sed via regia incedentes neque ad dexteram, neque ad sinistram declinabimus. Humana sapientia multos impedit, quo minus Christo accedant. Caro non intelligit quae sunt spiritus dei. Ideo sapientes et prudentes huius saeculi saepe Christum reiiciunt, quem plebs simplex per fidem recipit. Sic ubique reperies pharisaeos et legisperitos Christo infensos fuisse, turbam propenso animo sequutam, Luc. 11. Marci 1. Luc. 4. 7. Ioan. 10. 7. 6.

Num lex nostra iudicat?) Indicta scilicet causa, Deut. 17. Nititur hic vir ratione, et legis autoritate eos sedare et mansuefacere. Quasi dicat: Magnificemus legem, et pro ea zelo movemur. Atqui lex nostra iubet neminem damnari debere, nisi certo constent eius crimina, testibus comprobata. Galilaeum vocant, vel quod Galilaei esset discipulus, vel per ipsum seductus. Hic observandum quod Iesus discipulum suum et amicum Nicodemum infirmum adhuc, patitur versari inter pharisaeos. Ita oportet nonnunquam ferre infirmos cum mansuetudine, 2. Timoth. 2. cap. Et hodie sunt Nicodemi, qui in consilia impiorum dum non consentiunt, plurima mala avertere piis, et gloriam dei promovere possunt.

CAPUT VIII.

Christus cum potest tempus succidit noeturnis precibus, deinde iterum ad beneficentiam revertitur. Praedicationi oratio, et rursus orationi praedicatio succedit. Populus confluit et avide audit, interim scribae et pharisaei dolos et insidias struunt.

Digito scribebat.) Quid scripserit, certo non constat, sed quum se erexisset, loquutus est haec verba: Qui sine peccato est etc. Quasi dicat: Descendat in se quisque, excutiatque conscientiam suam. Qui sine peccato est, id est, qui huius naturae est ut peccare non possit. Nam ἀναμάρτητος non solum eum significat qui non peccavit sed et eum qui peccare non potest, ut si quis diceret, impeccabilis, quod tamen nemini ab Adam nato unquam contigit.

Nec ego te condemnabo.) Diceret aliquis: Christus defendit mulierem adulteram, et videtur adulterio patrocinari, quandoquidem non sinit eam iuxta legem lapidibus obrui. Sed si observamus diligenter quae hic agit Christus, videmus primo: Christum praeconem esse evangelii, non iudicem. Ergo officii sui non erat hanc iudicio condemnare. Deinde non iudicibus haec loquitur, sed privatis. Nec tamen vetat quo minus lapidibus iuxta legem, si velint obruant. Nam ubi dixerunt: Moses praecepit etc. non dixit: Nolite eam lapidare, sed potius iuxta legem proiicite in eam, sed qui immunis est a peccato. Non ergo vetuit ne lapidarent; sed ipsis suos morbos indicavit. Quasi dicat: Vultis hanc miseram in adulterio deprehensam puniri, non obsto, quia non veni ut solvam legem, sed ut adimpleam, sed vos hac longe sceleratiores estis. Nam illa peecavit carne, vos mente, fastu, superbia, avaritia, invidia: animo estis adulteri, periuri, impii. Sic Christus adulteram non defendit, nec punire vetat, sed committit legi et iudicio, simulque ostendit eis eorum crimina.

Vade et amplius noli peccare.) Hic vides quod Christus adulteram non lactat, aut fovet, sed dicit: Noli amplius peccare. Hanc poenitentiam iniungit Christus peccatrici. Quasi dicat: Quandoquidem non veni quenquam condemnare, sed conversos et in me credentes servare, nihil restat, nisi ut penitus resipiscas. Sic officium nostrum est, indicare et ostendere peccata hominibus, sed in hoc ut resipiscant et convertantur: quod si non faciunt, invenient iudicem.

Ego sum lux mundi.) Epanodus est, haec enim verba superioribus quae in 7. cap. dicta sunt respondent. Dixerat Christus: Si quis sitit etc. Ex quo sermone varia iudicia de Christo se prodiderunt, ut alius hoc, alius aliud de ipso pronunciaret. Postremo etiam ministri ei testimonium ferunt, qui ut eum caperent amandati fuerant. Et quum iudicium urgerent, quidam Nicodemus Christum defendit. Interim in principio 8. cap. interseritur historia de adultera, quam a Christo absolutam Evangelista scribit. Iam ergo Christus ad superiorem sermonem rediens, ostendit aliis verbis quis sit. Ego sum, inquit, lux mundi. Quibus verbis clarius officium suum eis indicavit. Salutis sermonem, quem paulo cum adultera interruperat, iterum orditur et prosequitur, prius fontem se, iam se lucem esse dicit. Quasi dicat: Hactenus obscure loquutus sum vobis, nec vultis me intelligere, iam clarius dicam: Ego sum lux mundi, lux sum inquam non Iudaeorum tantum, sed et gentium, imo totius mundi. Ex hoc loco et ex cap. 15. Matth. discimus, quam periculosum sit humanis traditionibus niti, et doctrinas hominum sequi, derelicto Christo qui vera lux est.

Ego si testimonium perhibeam.) Supra 5. cap. dixit: Si ego testimonium de me ipso ferrem, testimonium meum non esset verum. Hic dicit: Ego si testimonium de me perhibeo, verum est testimonium meum: quae videntur sibi pugnare, sed non repugnant. Verum erat testimonium Christi in se, verum non erat coram eis: Es galt by jnen nüt. Ostendit verum esse quod agat et loquatur. Scio, inquit, unde veni, sum filius dei, hoc signa indicant. Scio rursus quo vado: Ich weiß was ich vor mir hab, quod per mortem rursus vado ad patrem.

Vos secundum carnem iudicatis.) Putatis me iuxta carnem loqui, et iuxta carnem esse filium Ioseph. Ego vero neminem iudico: nam non in hoc veni, supra 3. Porro si iudicem, iudicium meum non fallet. Potest etiam hic iudicium accipi pro Bewären, bezügen, kundtſchafft geben. Quasi dicat: Etiamsi de me tester, mea probem, iudicium, id est testimonium, meum verum est. Rationem subdit: Quia solus non sum. Eadem est sententia si iudicium in propria significatione accipias. Pater mecum testatur, et lex vestra mihi consonat, Deut. 17.

Neque me nostis.) Ac si dicat: Petitis ut ostendam vobis patrem, non possum autem aliter ostendere, quam, qui me novit, novit et patrem meum, quia is sine me cognosci non potest: nemo venit in cognitionem patris nisi per me. Iam dum me nosse non vultis, nec patrem nosse potestis. Supra dixerat: Et me nostis, et unde sim nostis. Quae videntur hisce esse contraria. Sed quum supra dixit: Et me nostis, sic debet exponi: Signis quae ego facio deberetis nosse quis essem, nam facile colligere ex his possetis me filium dei esse, sed non nostis me: Jr wellend mich nit kennen, Non vultis mihi credere, non agnoscitis me pro filio dei. Ideo nosse deum, non est tantum nosse eum esse creatorem coeli et terrae, sed credere eum esse patrem nostrum, quod fieri nisi per Christum non potest.

Ego vado.) Messiam quem pater meus vobis pollicitus est, praestitit, et ego sum; quod si in me non credideritis, perpetuo Messiam expectabitis, sed frustra, et sic in peccatis vestris moriemini. Nam quod dicit: Vado, moriturum se significat ac in coelos ascensurum, quo increduli nunquam pervenient. Ego vado, corpus meum coelis inferam ad dexteram dei: qui in me credit, penes me erit; qui non credit, in peccatis suis moriturus est, et illuc ubi Christus est nunquam veniet, quia non credidit in nomen unigeniti filii dei, supra 3. Mori in peccatis, est Christum nolle recipere, nolle credere iustitiam esse et vitam. Nam per fidem abluimur a peccatis, Rom. 3. Hanc gravem comminationem adhibet Christus, quum omnia nihil videt proficere, si quo modo a coepta perfidia avocare possit. Nihil intentatum relinquit, ut sint inexcusabiles.

Vos de mundo estis.) Carnalia tantum sentitis, quae ego ago coelestia sunt et spiritualia. Putatis me hominem tantum esse, et quaecunque vobiscum loquor carnaliter intelligitis.

In primis quod et loquor.) Quasi dicat: Quod loquor vobiscum, ego sum. Seu aliter: Summa eorum quae vobis dico, ego sum. Quasi dicat: Id sum quod loquor vobis: nam supra se dixerat lucem esse mundi, et carnem suam esse cibum.

Multa habeo.) Quasi dicat: Ad huiusmodi quaestiones quae vos ex insidiis mihi obtenditis, haberem multa quibus respondere possem, multis modis possem vos convincere et iudicare. Sed hoc solum dico, quod is, qui misit me verax est. Quasi dicat: Hoc verbo omnibus contumeliis et convitiis, impiisque cogitationibus vestris (quibus meum iudicium, et universum meum sermonem iudicatis esse mendacium) respondeo, verum esse quod ago et loquor. Ratio, quia qui misit me

verax est, et aliud nihil loquor, nihil ago, quam quod verax ille mihi commisit. Ego veritatem quam a patre verace accepi, mundo manifesto.

Quum exaltaveritis.) Toties testatus sum me esse filium dei, patrem meum esse deum, sed vos non creditis, frustra est quidquid ago et loquor vobiscum. Futurum ergo est ut crucifigar, quum hoc factum fuerit, tum scietis ac intelligetis quod ego sum Messias, scilicet ille a Mose promissus, Deut. 19. Nam dum eum crucifixissent, elementa mundi testata sunt eum esse filium dei.

Et a me facio nihil.) Intelligetis tum, quod iam ago non actum esse humano affectu, sed virtute patris. Et licet miserit me in hunc mundum, tamen nunquam deseror ab illo, semper adest mihi pater, loquens et operans in me. Et in hoc debebatis me cognoscere.

Multi crediderunt in eum.) Non tamen certa et satis solida fide, quod patebit ex sequenti responsione: Syn red galt by etlichen.

Si manseritis.) Hi vere credunt, qui perseverant, nec se sinunt avelli a Christo, ad quod eos dominus hortatur, sciens quam esset eorum fides infirma. Duo autem commoda hinc sequi ait: Eritis mei discipuli, et cognoscetis veritatem. Et haec veritas liberos vos reddet in conscientiis vestris. Non est libertas, non est tranquillitas conscientiae sine Christo, Rom. 5. Veritas docetur verbo dei, non hominum doctrinis. Loquitur autem Christus de spiritus libertate, quum per fidem in Christum a servitute peccati liberamur: quod non intelligentes Iudaei sic respondent:

Semen Abrahae sumus.) Impotenter et temere respondent, immemores captivitatis Aegyptiacae et Babylonicae. Iudaei semper de carnis prosapia gloriati sunt.

Qui facit peccatum.) Hic ostendit eis de qua servitute loquatur, nempe peccati. Capit autem similitudinem a servis corporalibus et filiis familias. Solus Christus est verus liberator. Admonemur ergo bonitatis dei per Christum exhibitae et praestitae. Meminerimus conditionis pristinae in qua olim eramus, et in qua nos dominus per misericordiam suam statuit. Eramus natura filii irae, id est, damnationis, mortis, diaboli, iam filii dei per Christum. Posthac ergo non serviamus amplius peccato, 2. Corinth. 5.

Scio quod semen Abrahae sitis.) Quod scilicet ad carnem attinet, sed non patrizatis, hoc est, non refertis ingenium patris vestri. Abraham credidit deo, pretiosum erat verbum dei apud patrem vestrum, hoc a vobis non modo floccipenditur, sed et me quaeritis interficere. Agnosco in vobis carnem Abrahae, sed neque fidem neque opera Abrahae. Degeneres estis, et nothi. Hoc in nos iaci merito posset, qui Christi nomine falso gloriamur, qui ore Christum confitemur, factis negamus. Item in eos qui falsos titulos progenitorum, et stemmata vana iactant, aut gloriantur piis parentibus, quum sint ipsi impiissimi.

Ego quod vidi.) Quod ego iuxta divinitatem vidi apud patrem, hoc loquor iuxta humanitatem: vos rursus ea facitis et loquimini quae apud patrem vestrum didicistis, nempe, diabolum.

Si filii Abrahae essetis.) Quasi dicat: Nihil est quod dicatis vos esse filios Abrahae, si vere filii Abrahae estis vel esse vultis,

fructus tali patre dignos proferte, exprimite patrem vestrum moribus et vita. De veris et germanis filiis Abrahae, Rom. 4. Gal. 3. et 4.

Unum patrem habemus deum.) Quandoquidem negas Abraham patrem nostrum esse, commonstrabimus tibi alium, deum nempe.

Si deus.) Esset pater vester, me non solum non interficeretis, sed diligeretis ut fratrem, nam et ego filius sum dei, non enim solummodo homo sum, ut vos putatis, filius sum dei, a deo missus. At vos non esse filios dei facile probabo, quia sermonem meum audire non potestis, hoc certum argumentum est vos ex deo haudquaquam esse, quia sermonem dei audire non sustinetis. Lydius hic lapis proponitur discernendi filios dei a filiis diaboli, filios lucis a filiis tenebrarum.

Vos ex patre diabolo estis.) Iam claris verbis edisserit, quod longis ambagibus prius dixerat: Omnia consilia, studia, verba, opera vestra diabolica sunt, utcunque deo patre gloriemini. Mendax est et pater eius. Ego Schema esse puto, ut nos Germanice dicimus: Der iſt ein lugner, vnd all ſyn gſchlächt. Quomodo diabolus sit homicida, mortis autor, mendax, lege Gen. 3. Sap. 2. Hebr. 2.

Ille homicida erat.) Est descriptio personae: describit enim quis sit diabolus, natura eius, ingenium: opera describuntur diaboli, et omnium impiorum. Ex patre diabolo esse, est veritati non credere. Opera diaboli sunt, mentiri, contemnere verbum dei.

Quis ex vobis arguet me?) Supra dixerat: Quum veritatem dico, quare non creditis mihi? Fortasse quia me mendacem arbitramini, sed prodeat qui me de peccato, id est, de errore aut mendacio coarguat: Wär mich eines fälers bewyßt. Sic episcopi vita debet esse irreprehensibilis, Timoth. 3.

Qui ex deo est.) Dicitis vos ex deo esse, sed non vultis audire ex me verbum dei: manifestum ergo fit, vos non dei sed diaboli filios esse. Ratio, quia qui ex deo est, verba dei audit. Ex deo ergo non sunt, qui verbum dei non solum non audiunt, sed etiam persequuntur. Qui ex deo est, nihil audit quam verbum dei, Ioan. 10. Nota hic ex deo esse non intelligitur generaliter, ut omnia sunt ex deo. Sed ex deo esse, est genitum esse ex deo, qua ratione soli fideles et electi sunt ex deo, ut supra 1. cap. Verba dei audire, non est solum externum verbum audire, sed ei credere, et corde percipere verbum dei.

Samaritanus es.) Veritate et rationibus convicti ad convitia confugiunt et maledicta.

Cohonesto patrem.) In omnibus gloriam dei quaero, quem vos ignominia afficitis, eo quod me iniuria et contumelia oneratis, qui deus sum. Discamus in omnibus gloriam dei quaerere, si modo volumus esse discipuli Christi et veritatis ministri. Nam in hoc a falsis veri prophetae dignoscuntur, et expectemus nihilominus contumelias et probra ab iis qui ex deo non sunt.

Sed non quaero gloriam.) Per occupationem antevertit eos. Quasi dicat: Non in hoc exprobro vobis hoc, ut affectem gloriam. Loquor haec ob honorem patris mei, propter quem contumelias istas fero, huic rem omnem committo.

Est pater meus.) Non quaero gloriam meam. Est tamen nihilominus, qui me inglorium esse non sinet, qui ostendet aliquando qui sim, nempe pater meus. Hoc factum est in resurrectione et ascensione, quum illi datum est nomen super omne nomen, Philip. 2. Fiet etiam in extremo iudicio.

Qui iudicet.) Id est: Vindicet me ab omnibus odientibus me. Haec consolatio summa est praedicatoribus verbi, deinde omnibus piis qui ob Christum affliguntur et male audiunt, quod pater coelestis illos est vindicaturus, huic uni omnem vindictam committant.

Amen dico vobis: Si quis sermonem meum.) Utcunque de me iudicetis et sentiatis, hoc vobis affirmo: Si quis sermonem meum audit etc. Quaecunque superius dixi, nempe, quod caro mea sit cibus, quod sim fons vitae, quod sim lux mundi, nihil tamen aliud volo, quam ut mihi auscultetis, et sermonem meum servetis, id est, ut certo mihi fidatis. Ego enim sum Messias ille, quem Abraham et omnes patres expectarunt, et summis votis expetierunt. Servare hic verbum Christi, est ei fidere. Nam alioqui multi servant verbum etiam memoriter, sed non fidunt.

Abraham mortuus est.) Non intelligunt miseri de qua morte loquatur Christus, ergo Abrahamum et prophetas obiiciunt, qui verbum dei audierint, et tamen mortui sint.

Si glorifico me.) Dicuntur haec per imitationem aut concessionem. Nihil est: Es gilt nüt by üch, ir habends nienar für. Eadem loquutio est quae supra 5. Si testimonium etc.

Quem vos dicitis deum vestrum.) Sarcasmum habet et ironiam: Quem vos scilicet deum vestrum iactatis: at ego certo affirmare et testari possum, vos nondum habere istum deum cognitum. Cognoscere deum, aut eum pro deo habere, est eum semper habere pro praesentissimo patre, consolatore, opitulatore.

Sermonem eius servo.) Iuxta humanam scilicet naturam, id est, studeo eius voluntati.

Abraham exultavit.) Quomodo Abraham exultaverit, quomodoque diem domini viderit, non constat, hoc tamen satis nobis esse debet, quod Christus hoc affirmat. Abraham certa fiducia Christum expectavit, et per Christum salvatus est. Sic omnes patres veteris testamenti.

Ego sum.) Ad divinam naturam pertinet.

Tulerunt lapides.) Haec est merces quam rependunt ingrati et impii homines Christo, ob salutem eis oblatam.

Abscondit se.) Virtute nimirum divinitatis: humanitas enim se invisibilem reddere non potuit. Semper observanda naturarum distinctio et proprietas.

CAPUT IX.

Et praeteriens.) Quae capite praecedenti scripta sunt, facta sunt in templo.

Caecum a nativitate.) Cur addit Evangelista eum a nativitate caecum fuisse? Ut intelligamus nullam fraudem, nullum praestigium aut maleficium subesse.

Sed ut manifestetur gloria dei.) Multae sunt causae, ob quas deus afflictiones et mala hominibus immittit, inter eas potissima est: Ut manifestetur gloria dei, ut hic clare cernere licet. Neque tamen hisce verbis parentes aut caecum peccatis omnino liberos pronunciat, sed duntaxat non peccasse ait ut ille caecus nasceretur, sed in hoc factum esse, ut potentia dei in illo innotesceret.

Me oportet operari donec dies est.) Donec hic capitur pro Quandoquidem, vel Dum: Sitmal, vel: dwyl. Et est loquutio: Quandoquidem lux sum mundi, et in hoc adsum ut operer opera dei, et per me exeratur potentia dei, oportet me operari etc. Nam Christus operatur non solum donec hic fuit, sed etiam post ascenscionem, nempe per apostolos. Dicit enim: Ero vobiscum usque ad consummationem saeculi. Sensus ergo est: Quandoquidem in hoc veni, ut diem faciam et illustrem mundum, caecitatem et tenebras tollam, oportet me operari. Sumit similitudinem loquendi a luce et tenebris et a re praesenti. Nam solent homines luce operari, si quid habent operis. Nox enim inutilis est ad laborem. Sic etiam exponitur quod infra dicitur: Quandiu fuero in mundo, lux sum mundi, id est, quandoquidem sum in mundo, ob id veni, ut luceam, ut filium dei me esse ostendam miraculis, ut operer opera dei et salutem. Si quis ergo, inquit, salutis est avidus, is operetur suam salutem dum adsum, dum dies est. Brevi enim abiturus sum, iuxta humanitatem scilicet. Operemur ergo, id est, credamus in Christum dum dies est gratiae.

Lutum fecit ex sputo.) Dominus aliquando solo verbo curat et operatur, aliquando adhibita re externa, et mediante instrumento. Sic etiam discipuli eius, non quod aliqua insit illis rebus virtus aut operatio quae solius dei est, sed ut tollatur omnis suspicio, et condescendatur imbecillitati humanae. Sic Marci 6.

Erat autem sabbatum.) Ponit hoc Evangelista, ut ostendat, quomodo Iudaei occasionem quaerant adversus Iesum; si quo modo eum sabbati violatorem accusare possent. Non ergo quaerunt: Quomodo vides, sed: Quo modo oculos tibi aperuit: ut inveniant quo opere sabbatum violarit. Qua etiam ratione ad pharisaeos adducunt caecum, ut eum metu a Christi confessione absterreant, nam hi potissimum hostes erant Christi. At caecus constans in veritate perstat, etiam post Iudaeorum duram increpationem. Exemplum eorum qui veritati calumniam struunt, et iis qui veritatem profitentur.

Non est hic homo a deo.) Non respiciunt ad virtutem et beneficium Christi, sed hoc tantum cogitant, ut eum sabbati violatorem faciant. Sic faciunt superstitiosi, qui adhuc elementis haerent, et dies ac tempora observant, quum vident alios libertate per Christum parta uti, dicunt: Is nebulo est, et statim iudicant eum malum, in magnis sceleribus non tam rigidi censores. Pii rursus dicunt: Quomodo potest hic esse peccator? Sed haec inter se mussitant, non audentes palam bene de eo loqui.

Tu quid dicis de eo?) Id est, quid de eo sentis? Hic prodit se impatientia, quae Christi gloriam et virtutem ferre non potest.

Propheta est.) Hoc more Iudaeorum loquitur, quum quis aliquid miraculorum faciebat, dicebant eum esse prophetam.

Donec vocarent parentes eius.) Hic videmus significationem illius adverbii Donec, quomodo capiatur Matth. 2. Non cognovit eam donec peperit etc. Id est, ne tum quidem, id est, nunquam. Sic hoc loco: Non crediderunt Iudaei donec vocarent parentes eius, id est: Ne tum quidem credebant, quod patebit ex sequentibus.

Ipse aetatem habet.) Id est, ipse adultus est, ipse adfuit dum res ageretur, testis esse potest, dicat pro se ipso.

Conspiraverant enim.) Causam subiicit, cur parentes metu deterriti nihil responderint. Conspiraverant enim, si quis eum confiteretur esse Christum, e synagoga eiiceretur, hoc est, e coetu populi dei excluderetur. Et hodie multi contra veritatem conspirant.

De gloriam deo.) Ac si dicant: Nos certo scimus hunc esse peccatorem et impostorem, impossibile ergo est quod te sanaverit, quare ne apud vulgum dicas haec: Thů es Gott nit zeleid, gschänd Gott nit. Taxantur hic qui avocant pios a veritate metu suppliciorum, aut quacunque alia ratione, aut qui alios in falsa religione ac superstitione confirmant et roborant, putantes se obsequium et gloriam deo praestare, si nihil boni de Christo dicant ac testentur, hi dicunt: Noli cedere, Thů es den lieben heyligen nit zeleid vnd vncer. Hi spoliant Christum gloria sua.

Num vos discipuli eius.) Magna confidentia et libertate se discipulum Christi profitetur, coram tam impudentibus hominibus. Narravi ut res habet, quorsum attinet eundem sermonem saepe repetere? Si syncero animo quaeritis, satis audistis, fortasse discipuli eius vultis esse, quod tam accurate omnia exquiritis. Contra meticulosos hic locus est. Huc facit exemplum regis Babyl. Dan. 14.

Mosis discipuli sumus.) Magna indignatione salutem et bonam imprecationem requirunt, ergo sub damnatione et ira manent cum Christum reiiciunt. Lex enim iram operatur, et haec per Mosen tradita est, quae omnes homines in universum damnat, Deut. 17. At gratia per Iesum Christum, qua iustificantur omnes qui in eum credunt. Qui sub lege sunt, sub maledicto sunt; qui vero sub gratia sunt, hi vitam aeternam habent in Christo. Impietas sibi semper similis est, quod et hodie videmus in his qui veritati pertinaciter resistunt, quum dicitur eis, ne resistant tam contumaciter, brevi futurum ut et ipsi revelante deo veritatem intelligant, dicunt: Den tag laſſe mich Gott nit erläben ꝛc.

Hunc nescimus.) Haec est inconstantia humani animi, qui natura mendax est. Supra capite septimo, affirmaverant sè scire hunc unde esset, iam manifeste negant, superioris sermonis obliti. Taxantur hic mendaces qui iam illud, mox aliud dicunt, ut senes apud Danielem 13.

In hoc enim mirabile est.) Das iſt mir ye ein wunder vnd ſeltzams ding. Constanter hic mendicus negotium Christi agit. Ex miraculo redditi luminis, convincit et colligit, haud obscurum esse, hunc a deo esse profectum. Quasi dicat: Admiror quod dicatis vos nescire unde hic fit, quum virtutem tantam in eo videatis. Res non eget testimonio, hunc esse a deo.

Peccatores non exaudit.) Observandum hic est, bifariam accipi

in scripturis Peccatorem. Uno modo eum significat, qui sua peccata agnoscit et resipiscentiam meditatur et novam vitam, avidus iustitiae et innocentiae. Propter huiusmodi peccatores venit Christus, Matth. 9. 11. Item Ezech. 18. Hos non horret, non aversatur deus, sed audit et exaudit. Deinde accipitur peccator pro eo qui in peccatis suis pordescit, ac desperat, nec resipiscit, nec Christo credit, sed manet in peccatis, 1. Ioan. 5. Huiusmodi peccatores obstinatos non exaudit deus. Nam frustra clamat, qui non poenitet. Christus enim venit vocare peccatores ad poenitentiam, et hanc iussit praedicari in eius nomine. Sic peccatorem hic accipi, ex sequentibus colliquescet, quum dicit: Si quis dei cultor est, sed hoc nemo infidelis facit. Deum nemo vere colere potest quam fidelis. Sic Ioannes dicit: Omnis qui in eo manet non peccat, id est, non diffidit.

In peccatis natus es totus.) Quasi dicat: Ob peccata tua caecus natus es, et nos doces? Ad extrema veniunt, quum vident se nihil proficere, exprobrant ei peccata sua, et e synagoga eiiciunt. Qui veritate nihil possunt, ad calumnias convertuntur. Consolantur hic interim, qui ob Christum persequutionem patiuntur et excommunicationem. Contingit homini illi, quod Christus suis praedicit, ut infra 16. cap. Sed qui sic ob Christum eiiciuntur, bono sint animo, recipit eos Christus in suam ecclesiam, ut infra 17. Volo pater, ut ubi ego sum, illic sit et minister meus. Item: Qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et eum coram patre meo. Ergo ad eum venit Christus, quem audierat sui causa eiectum a Iudaeis, et consolatur ac erigit eum.

Tu credis in filium dei?) Caecus hic, ut ex superioribus patet, Christum pro propheta non pro Messia habuit, quod hic fit manifestius. Nemo enim potest Christum servatorem credere, nisi quem pater trahit, et cui se filius revelat, quod hic facit Christus.

In iudicium veni.) Ich bin zu einem entſcheid kommen. Iudicium enim hic capitur pro discretione aut segregatione. Nam ubi fit iudicium, separatur et discernitur verum a falso, iustum ab iniusto. Sic Christus venit, ut ostendat quid rectum, quid malum: qui fideles, qui minus: quid aequum, quid iniquum. Nam supra se dixit lucem esse mundi, ut separet lucem a tenebris et bonos a malis; a iustitia pharisaica nos segregat, et docet veram iustitiam esse, credere quod ipse sit lux mundi. Item caecos, id est, gentes et infideles illuminat, et videntes pharisaeos, qui sibi sapientes videbantur, excaecat. Quod Iudaei de corporali caecitate intelligentes quaerunt: Num et nos caeci sumus? Quibus ipse respondit: Si caeci essetis, id est, si essetis ignorantes et simpliciter erraretis, peccatum vestrum dissimulari possit; at nunc etc. Videntes pharisaeos vocat per ethologiam aut mimesim, nam ipsi se pro sapientibus habebant. Est autem metaphora, ubi ab exteriori sensu ad mentem internam fit translatio aut comparatio, etiam ab externa re, nempe a caeco illustrato. Sic Matth. 11. Gratias tibi ago. Quum ista lux scilicet doctrina evangelica innoteseit, separantur tenebrae à luce, ut videamus quid sit ex tenebris Papisticis ingestum, et quid sit ex veritate coelesti. Differentia hic habetur inter eos qui ex ignorantia, et eos qui ex destinata malitia peccant.

At nunc dicitis: Videmus.) Arrogatis vobis sapientiam et scientiam legis, iustitiam etc.

Peccatum manet.) Hoc scilicet quod per meritum Christi non tollitur, quia non credunt. Si peccatum manet, et poena peccati, de quo supra: Si non credideritis quod ego sum, in peccato vestro moriemini; item Ioannis 3. Ira dei manet super eum qui non crediderit in unigenitum filium dei, Ioan. 6.

CAPUT X.

Amen amen dico vobis.) Latius se et clarius aperit, suumque officium apertius describit Christus, et concludit hoc verbum, quod supra dixerat, se in iudicium venisse, id est ut caecis visum daret et viam ostenderet, eos vero qui sibi arrogarent scientiam excaecaret. Hoc vero pulchra similitudine proponit, dicens: Amen amen dico vobis etc. Quasi dicat: Venditatis vos o Pharisaei pro sanctis et iustis, arrogatis vobis scientiam legis deique cognitionem, iactatis vos esse doctores salutis, sed ego dico vobis: Quemadmodum fur est, qui aliunde in ovile ascendit: ita fur est et latro, qui alia via, quam per ostium ingreditur. Et haec est summa propositionis, fures esse et latrones, qui alia via, quam per ipsum ad vitam grassentur. Observemus, quomodo eandem rem perpetuo doceat, sed aliis aliisque verbis. Supra sexto se dixit panem vitae, in septimo fontem aquae vivae, in 8. lucem mundi, quam omnes sequi debeant, iam se pastorem dicit, omnia tamen ad eundem finem spectant. Locus ergo hic non ad pastores, sed principaliter ad Christum pertinet et ad fideles oves. Docet Christum verum esse pastorem, Pharisaeos mercenarios. Deinde tamen in genere ad omnes pastores aptari potest. Postremo generalis locus est, qui rationem salutis explicat. Quicunque aliam viam quaerit aut docet, quam per Christum, is impostor est. Proponit autem quatuor: Ostium, se ipsum: Ovile, vitam aeternam, in quam nemo venit nisi per ipsum: Furem, eum qui de Christo non recte sentit: Pastorem, qui non suum, sed ovium commodum deique gloriam spectat.

Qui aliunde intrat, fur est.) Argumentum enim de se praebet, quod furari velit: sic qui non per Christum intrant. Rursus qui per ostium intrat, argumentum de se praebet se pastorem esse: sic qui per Christum praedicat, docet, credit, ambulat etc. Ingredi per Christum, est omnem fiduciam in Christum collocare: qui hoc facit, pascua inveniet: nam alias nemo potest pacificare conscientiam quam Christus suo spiritu. Discernit Christus hac parabola oves ab hoedis, suas a non suis, dixerat enim se in iudicium venisse.

Oves eius vocem audiunt.) Quemadmodum ovea pastoris vocem norunt et eum sequuntur, ita et meae oves verbum meum audiunt et me sequuntur, vitae scilicet innocentia. Facile ergo hoedi ab ovibus dignoscuntur, nam hoedi vocem Christi nec audiunt, nec verum pastorem vitae innocentia sequuntur: Das wort Gottes giltet nüt by jnen.

Omnes quotquot venerunt ante me.) Ego puto praepositionem Graecam πρὸ, hic deberi verti in Pro Latinum, Pro me, für mich). Id est: Quicunque se venditarunt pro me, et dixerunt se esse Christos, aut salutem aliis in rebus ostenderunt quam per me. Nam Germanica vox vor apud quasdam gentes pro für ponitur, vor mich), id est, für

mich, loco mei. Nam Christus dicit quosdam post se venturos, qui se Christos esse affirment: sic ante ipsum fuerunt tales, ut patet ex Iosepho et actis cap. 5. Deinde dicit tantam fore deceptionem, ut et electi (si fieri possit) seducantur. Quare et hic dicit: Sed oves meae vocem illorum non audierunt. Quasi dicat: Die mynen habend ſich nie an ſy gelaſſen, jnen nie vertruwt. Quemadmodum enim electi, seductoribus, qui ante Christum venerunt, nunquam crediderunt: ita et electi his non credeant, qui post Christum surgent pseudoprophetae. Huc facit locus 3. Regum 19. de Helia, ubi dominus dicit, sibi adhuc reliquos esse septem milia, qui genu suum Baal non incurvaverint. Sic in Papatu semper aliqui fuerunt, qui Papisticis nugis non crediderunt, nec salutem in hisce rebus posuerunt.

Ego sum ostium.) Omnia sunt Metaphorica. Id est, Ego sum per quem accessus est, introitus, aditus ad deum, ad vitam: si quis per me introierit, id est in me crediderit, fiduciam suam in me collocaverit etc.

Ingredietur et egredietur.) Hac loquutione ad morem ovium et veri pastoris alludit. Fidelis pastor curat ut ovibus provisum sit, sive intus sint in stabulo, sive foris in pascuis: quasi diceres, domi, foris. Christus ergo hoc significare vult, oves suas, id est fideles et pios, bene habituras ubicunque fuerint, tutoque habitaturas, et quod ipsis certissime et optime sit provisum.

Fur non venit.) Redit ad ingenium furis nam in antithesi ludit. Dixi iam quis sim, quid per me contingat ovibus meis, dicam iam quae sint conditiones furis, ut clarius intelligatis me verum esse pastorem. Supra auditum qualis sit ingressus furis aut alieni, nempe non per ostium, id est per Christum, sed aliunde, quod certissimum signum est furis. Iam quasi causa ponitur, cur clam introeat et non per ostium, nimirum, ut perdat, mactet et rapiat. Ego autem non in hoc veni ut mactem aut perdam, sed ut macter et moriar pro ovibus, et quod oves me mortuo, vitam aeternam habeant, sic infra: Moriatur unus pro populo, sic Rom. 5. Quum adhuc inimici essemus etc. Ego non veni ut commodum meum quaeram aut gloriam, sed ut ipsis ovibus salutem mea morte emam.

Ego sum pastor ille bonus.) Quum superius ovilis et ovium mentionem habuisset, non inepte iam pastoris meminit, qui per ostium, id est veram viam, salutem doceat, et se talem esse dicit. Ac si dicat: Si exemplum et specimen boni pastoris quaeritis, me considerate. Christus unicus et verus est pastor. At deinde hoc nominis ac officii per gratiam suam etiam illis dare dignatur, quos ipse mittit, et qui per ostium introeunt, id est qui salutem per Christum obvenire docent: fures ergo et falsi pastores qui aliunde irrepunt, et salutem externis rebus affigunt.

Bonus pastor animam suam dat pro ovibus.) Locus est ab officio. Quasi diceret: Hoc pastoris boni est officium, mori potius, quam ut gregi quidquam incommodi accidere sinat. Talis fuit Moses, tales multi prophetae, ut Hieremias etc. Qui quum captus esset et in carcerem coniectus, quum ore praedicare populo non potuisset, literis

per Baruch missis, praedicat cap. 36. Admonentur hic non solum verbi ministri quid eis conveniat, sed et magistratus ac principes, nam et illi pastores appellantur et sunt, ut respublicas sibi commissas vitae suae praeferant. Exemplum huius in regibus plerisque habemus Davide, Ezechia, Iosia, aliis. In primis hic locus de Christo intelligi mihi videtur. Nam ostendit hic se pastorem illum bonum esse, quem dominus per Ezechielem promiserit olim. Quasi dicat: Hodie impletur, quod iam olim per prophetam vestrum praedictum est, nempe, vindicaturum deum sese de pessimis istis pastoribus, qui populum suum seducunt. Hoc enim perpetuo agit Christus, ut ostendat scripturas omnes de se loqui, et se talem esse, qui olim sit promissus. At nihominus prophetae, episcopi, pastores et magistratus, hunc sibi exemplar praefigant, quem sequantur: alioqui non pastores, sed lupi et tyranni erunt, ut cernere est in pontifice Romano et sacrificulis eius, malisque et perfidis magistratibus, de quibus mox.

Mercenarius autem.) Mercenarius est, qui sui compendii gratia, gregis curam suscepit. Si is periculum vitae ingruere videt, proditis ovibus fuga vitae suae consulit. Omnia contraria habet vero pastori, nisi quod personam pastoris simulat. Vide Paulum 1. Corinth. 4. Item Hierem. 14. et 7. de negligentibus pastoribus, qui lupo veniente aut silent, aut fugiunt, aut non resistunt.

Ego sum pastor ille bonus.) Repetit quod supra dixerat, et latius explicat quod dixit: Pastor bonus animam suam ponit pro ovibus suis. Quasi diceret: Ego ille sum pastor, qui animam, id est vitam, daturus sum pro ovibus meis, idque brevi: hoc est, ego moriar, quo oves meae salvae sint, id est morte mea illis vitam parabo.

Et cognosco oves meas.) Quasi dicat: Non est quod quisquam se temere pro ove mea ingerat aut iactet, ego enim novi oves meas, falli non possum. Sic Paulus dicit: Novit dominus qui sint sui, et supra. 6. cap. Noverat enim ab initio etc. Ad pastorem pertinet ut suos norit. Christus deus est, ergo novit omnia. Locus hic de providentia divina.

Et cognoscor a meis.) Alludit pulchre ad conditionem tam pastoris quam ovium. Pastor enim quibusdam signis oves suas novit, oves quoque longa consuetudine pastorem etc. Oves meae cognoscunt me suum pastorem, id est vivificatorem et servatorem. Sic Hierem. 31. Cognoscent me.

Sicut novit me pater.) Quasi dicat: Pater diligit me suum filium, et glorificat me, supra. 8. ita et ego novi patrem, id est diligo et glorifico: ita oves meae non vulgari modo me norunt quemadmodum mundus, sed sic me cognoscunt quemadmodum pater me et ego patrem. Pater misit me servatorem mundi, pro illo me agnoscunt oves meae: credunt me suum esse servatorem et vivificatorem, agnoscunt me filium dei, et ideo hominem factum ut eos servem, quod animam meam ponam pro eis, id est sciunt et credunt quod mors mea eorum vita est. His ergo verbis declarat et exponit quasi, quid velit intelligi per hoc, quod dixit se a suis cognosci, et quid sit cognoscere Christum, nempe credere eum esse dei filium et sic eum adorare et glorificare, hominem

vero in hoc esse factum ut sua nos morte redimeret atque servaret. Facile hic quisque apud se inveniet an de ovibus Christi sit nec ne, expendat apud se fidem suam an Christum unicum suum servatorem et reconciliatorem agnoscat, an per hunc unum ad deum adcurrat, certus intus quod deus sit propitius sibi factus per Christum, quod possit ex pectore clamare Abba pater: an forte per aliam viam introire tentet, an fiduciam in opera sua ponat etc. an salutem et iustitiam in rebus creatis quaerat.

Et alias oves habeo.) De gentibus loquitur aliisque qui non erant ex Israele secundum carnem, quae non fuerunt populus dei, factae tamen sunt populus dei per gratiam, ut est in promissione Gen. 12. Rom. 11. Gal. 4. Marci ultimo etc. figura Gen. 38.

Vocem meam audient.) Futurum est ut et iis praedicabitur verbum dei, et ipsae audient, hoc est, credent. Vocat deus per verbum externum, et vocat intus per tractum. Locus hic ostendit unicum esse testamentum, unam eandemque ecclesiam et Iudaeorum et gentium, unicum mediatorem et servatorem utrorumque Christum.

Erit unum ovile.) Id est una ecclesia aut concio, unus populus, nempe fidelium. Et unus pastor, id est unus servator et liberator, et oves tutae erunt sub hoc pastore, nihil eis deesse potest: pascua invenient, id est nunquam esurient, nunquam sitient, supra 4. et 6. Quae extra hoc ovile sunt, salvae nunquam erunt, supra 3. Quia non est aliud nomen sub coelo in quo oporteat nos salvos fieri.

Propterea diligit me pater.) Taxat Iudaeorum ingratitudinem. Quasi dicat: Vos deberetis me merito diligere, quod fidelis sum pastor, talemque agnoscere, sed vos me dicitis seductorem et impostorem, at pater diligit me, quia fidus sum, pono animam meam pro ovibus. Ponere animam, est mori: resumere eam, est resurgere. Subinde mortis suae et resurrectionis meminit, hac enim ratione nobis ostium factus est Christus, hac ratione se bonum pastorem, et cui oves curae sunt, declaravit.

Nemo tollet eam a me.) His verbis conatum Iudaeorum, qui Christi interitum moliebantur, vanum esse ostendit, se enim esse filium dei, neque in potestate Iudaeorum situm esse (quantumvis saeviant) ut moriatur, sed in sua patrisque voluntate. Quasi dicat: Scio quosdam insidiari vitae meae, scio quosdam insanire et furere contra me, sed non possunt tollere vitam meam, nisi ego eam ponam, ego potestatem habeo ponendi animam meam. Hoc ergo refertur ad divinitatem Christi, hac enim omnia potest. Consolationem hic habent afflicti: utcunque enim mundus contra eos saeviat, non potest plus quam permiserit deus. Nihil efficient impii suis consiliis contra pios et contra veritatem, Esa. 14.

Potestatem habeo.) Possum ponere animam meam, et eam resumere: non moriar invitus ut ceteri mortales, qui quum moriuntur, non possunt sua virtute resurgere aut reviviscere. Ego non moriar nisi volens, et dum mortuus fuero, mea virtute resurgam. Solus Christus hanc potestatem habet, ut sese et alios iterum excitet ad vitam. Quicunque excitantur mortui, per ipsum excitantur, Marci ultimo. Quod

ultimo die omnes resurgemus, eius potentia fiet, ipse enim est primitiae dormientium.

Hoc mandatum dedit mihi pater.) Scilicet, ut ita moriar et reviviscam. A deo patre mihi commissum est, ut hac ratione salvem genus humanum, supra 3. Sic deus dilexit mundum, sic visum est patri meo, ut moriar et morte mea mundum vivificem.

Dissensio facta est.) Hoc fere fit dum veritas praedicatur, ut varient hominum sententiae, et alii aliter dicta interpretentur. Nec impie solum quidam sentiunt aut censent de veritate, sed et calumniis eam incessant. Impiis et immundis omnia immunda et noxia.

Daemonium habet.) Blasphemia est inexpiabilis, ut habetur Matth. 12. Qui verbo tantum daemones expellit, a quo daemones contremiscunt, hunc daemoniacum appellant. Hunc insanire dicunt insani, qui est aeterna sapientia, in quo omnes thesauri sunt sapientiae et scientiae dei. Sunt tamen qui Christum ab hac ignominia vindicant.

Facta sunt encaenia.) Hoc est, festum fuit innovationis templi restituti ac instaurati post reditum e Babylone. De hoc variant sententiae. Quidam enim exponunt hoc de dedicatione reparati templi post captivitatem Babylonicam, ut iam dixi, quae facta est in duodecimo mense qui vocatur Adar Hebraeis. Quidam vero putant intelligi debere de dedicatione quae sub Machabaeis facta est in mense Casleu, qui nobis est november. De priori est Esdre 6. de posteriore 1. Machab. 4.

Si tu es Christus.) Graece εἰ σὺ εἶ ὁ χριστὸς, si tu es ille Messias. De quodam certo loquuntur, id quod indicat articulus.

Dixi vobis.) Nempe supra: Ego sum panis qui de coelo descendi, ego sum lux mundi, ego sum ostium, bonus pastor.

Opera quae ego facio.) Nomine, id est potentia et virtute patris. Si mihi non creditis, saltem operibus credite, infra 14.

Sed vos non creditis mihi.) Rationem subiungit quare non credant verbis eius: quia non sunt ex ovibus eius. Nam supra dixerat, quod oves audirent verbum eius, id est non quaerunt signa, sed voci obtemperant pastoris. Audiunt, id est recipiunt, placet eis, credunt ei: sic in Deuteronomio 6. Audi Israel etc. Et Genes. 3. Quia audisti vocem uxoris.

Cognósco eas.) Quemadmodum pastori alienae oves in gregem suum supponi non possunt, sic nemo me latere potest, ego novi meos, scio qui sint electi. Fieri potest, ut quis se pro ove mea venditet, sed quum ego visitabo gregem meum, non effugiet iudicium meum.

Et sequuntur me.) Non solum me audiunt, sed et audita voce mea sequuntur me, nam ego ante eas vado, conformes mihi erunt in vita, in cruce etc. Et tandem me in vitam aeternam sequentur, nam ubi ego sum, illic et minister meus erit, et oves cum pastore colligentur. Causa ergo, cur Iudaei et omnes impii non credant, et Christum non sequantur est, quod non sunt ex ovibus eius, et ipsum pastorem non agnoscunt.

Neque peribunt in aeternum.) Christus suos non patitur perire, sed omnes servat: hoc non faciunt falsi pastores. Sy würdend ſich nit verſtygen. Nullus lupus tam robustus aut rapax est, qui eas de manu

Christi eripere possit. Nam pro illis moritur pastor, et morte sua illarum vitam redimit. Sic Matth. 16. Portae inferi non praevalebunt adversus eam. Sic Rom. 8. Neque mors, neque vita etc.

Pater qui dedit mihi.) Quia nemo venit ad Christum, nisi quem pater trahit et filio donat. Ioannis 6.

Ego et pater unum sumus.) Ergo nemo eas rapere potest de manu Christi, virtute patris et filii tutae sunt, quaecunque se illis committunt, et vera fide illis haerent. Iustorum animae in manu dei sunt, neque tanget illos tormentum malum. Interim obiter taxat Pharisaeos, qui populum avertere a Christo moliebantur. Ostendit et iis verbis se quoque deum esse, nam ista verba: Ego et pater unum sumus, iuxta divinitatem sunt intelligenda.

Multa bona feci.) Ad beneficia sua Christus provocat. Multa bona opera feci ex patre meo, quibus me deum esse ostendi, cibavi famelicos, caecos illuminavi, paralyticos sanavi et omnes aegrotos: an ergo non est ingratitudo pessima et extrema, mala pro bonis reddere?

In lege scriptum est: Ego dixi dii estis.) Lex apud Iudaeos varie accipitur. Aliquando hoc vocabulum in genere omnes scripturas veteris testamenti complectitur. Aliquando vero lex, Mosis libros significat, ut Matth. 11. Lex et prophetae usque ad Ioannem. Aliquando partiuntur veteres libros in legem, prophetas, et psalmos, ut Luc. 24. Hic pro scriptura capitur, nam thora doctrinam significat, directionem, regulam. Deus natura unus est, Deuteron. 6. Psalm. 46. Abusive tamen dei nomen iudicibus et magistratibus attribuitur, quod dei locum occupent in terris, et eius vicem teneant, ut Psalm. 81. Deinde sola nuncupatione etiam daemoniis et diis Gentium datur, ut 1. Corinth. 8. cap. et Psal. 95. Philippen. 3. 2. Corinth. 4. Sensus ergo verborum Christi est, ac si dicat: Cur mihi tantopere indignamini quod me filium dei appellem, quum tamen scriptura etiam homines deos nuncupet? Sanctificare, est seligere ad aliquid magnum. Segregavit eum pater in salutem mundi.

Et non potest solvi scriptura.) Id est, scripturae non potestis resistere, negare non potestis quod dico, nec potestis scripturam refellere, quae homines deos vocat.

Si non facio opera dei.) Si non facio opera quae me filium dei declarant, non credite mihi, ea scilicet, quae pater meus filium suum facturum praedixit.

Baptizans primum.) Circa Iordanem scilicet. Nam postea mutato loco in Ennon baptizabat Ioannes, ut supra 3. cap.

Vera erant.) Es erfand ſich daß es alſo was.

CAPUT XI.

Ut glorificetur filius dei per eum.) Ut deus ostendat potentiam suam per filium suum, utque is glorificetur per hanc aegritudinem. Simile habitum est supra capite nono.

Nonne duodecim horae sunt diei?) Eisdem fere Allegoriis utitur quibus supra capite nono. In die certis tamen horis homines

omnia agunt et perficiunt. Sic et Christus suum diem habuit etc. Et divina providentia hora eius sic statuta fuit, ut ne malitia quidem Iudaeorum potuerit anticipari aut mutari.

Si dormit, sanus est.) Id est: Si dormit, bene habet. Alludunt enim ad hoc quod vulgo Phisici dicunt: Somnum indicium esse salutis.

Eamus et nos, et moriamur cum eo.) Alii praesumptionis et audaciae verba esse putant, perinde ut dum Petrus dixit: Paratus sum in mortem tecum ire. Alii indignationis et desperationis putant.

Domine si fuisses hic.) Quasi dicat: Licet mortuus sit, attamen res non omnino extra spem est, nam hoc scio etc. Hic videmus fidem esse in hac muliere. Quomodo enim invocaret, in quem non crederet? accedentem enim credere oportet. At infirma fuit haec fides, et imperfecta.

Scio quod resurget in novis.) De resurrectione ultima intelligit hoc verbum Martha, quam firmiter credidit. Quasi dicat: Scio, nec dubito fratrem meum excitandum aliquando esse.

Ego sum resurrectio et vita.) Rursus ad hoc redit, quod potissimum est, et quod supra variis modis fecit, nempe, ut ostendat, quis sit, et quid fructus ex eo capiant credentes. Ostendit ergo se non solum esse qui apud deum precibus vitam mortuis impetrare possit, sed eum, qui sit ipsa vita, et per quem ac in quo resurgendum sit cunctis piis. Nemo vivit nisi per Christum, nemo resurget nisi per eum. Quod fit ut sequitur.

Qui credit in me.) Christus ergo vita et resurrectio nostra est per fidem, etiamsi corpore mortui fuerimus. Et qui crediderit, anima nunquam morietur, supra 5. cap.

Credis hoc?) Non solum audire ubi salus nostra sita sit satis est, sed oportet hoc firma fide arripere et tenere: fidem ergo ab ea exigit Christus, ad quod ipsa respondet:

Ego credidi, quod tu es.) Quasi dicat: Etiam domine, haec semper credidi, quod tu sis ille Messias quem deus nobis promisit, et qui venturus erat. Hoc dudum de te sensi, nempe, te esse Christum filium dei. Sic creditus Christus prodest, non corporaliter in pane comestus. Tunc a morte resurgimus per Christum, si credimus eum esse filium dei, qui corpus suum in mortem pro nobis dederit, qui sanguinem suum pro nostris peccatis abluendis fuderit, qui nos sua virtute salvos reddat. Non ergo dicit: Ego credo quod te in pane edam corporaliter, sed quod tu sis ille Christus filius dei qui venturus es. Christi deitas excitat nos a mortuis, et vita nostra est. Christi humanitas medium fuit, per quod expiatio facta est in cruce.

Infremuit spiritu.) Vehementer commotus est et contremuit. Signum hoc naturae humanae in Christo, et ardentis cuiusdam amoris erga homines.

Gratias ago tibi pater.) Cur ista loquutus sit Christus, statim causam reddit, propter turbam scilicet astantem. Quasi dicat: Non in hoc oro, ut diffidam, quia certus sum quod me semper audis, at propter turbam haec facio, ut videant me a te diligi, et me omnia apud te posse, et sic credant mihi. Nobis orat Christus, non sibi.

Lazare veni foras.) Hoc miraculo quid aliud vult quam se deum esse commonstrare, quia supra dixerat: Infirmitas haec non est ad mortem, sed ut manifestetur gloria dei. Item re iam impletur, quod supra cap. 5. dixerat: Veniet hora et nunc est, quando mortui audient vocem filii dei etc. Ac typus quidem est et symbolum haec resuscitatio ultimae illius resuscitationis mortuorum. Quod enim Lazarum voce magna suscitat, praefigurat nobis tubam illam ultimam, quae personabit in generali ista resurrectione, ad cuius clangorem omnes mortui excitabuntur.

Et prodiit qui mortuus.) Ne scilicet phantasma putaretur, ut excluderetur omnis dolus et suspicio, grande quidem per se miraculum est hominem ligatum et revinctum manus et pedes incedere aut prodire.

Solvite illum.) Hoc iubet dominus, ut tangentes, et ei appropinquantes, videant vere, quia is est.

Sinite abire.) Passus est eum abire, nec secum circumduxit Lazarum restitutum. Quod exemplum est Christum fugitasse vanam gloriam et ostentationem. Omnia enim ad solius dei gloriam fecit.

Multi crediderunt in eum.) Hic fructus ex miraculo sequutus est, id est, fides eorum quam prius in eum habuerant, nonnihil aucta est.

Quid facimus?) Consilia impiorum describit. Pharisaei non potuerunt ferre Christi doctrinam, praetexunt ergo publicam utilitatem, et quod ipsi declinare volunt, in hoc incidunt incauti. Respiciamus nostra tempora, et videamus si non tales et hodie contra Christum et evangelium suum conspirent, Papa, Episcopi, Abbates. Quisque suae gloriae consulit, omnes metuunt ne quid decedat suo quaestui. Hinc concursant, consultant, fremunt, tumultuantur, capiunt, occidunt etc. varias machinas et technas adhibent, ut Evangelium Christi expugnent, sed omnia nequicquam. Capientur enim in consiliis suis, quibus cogitant, et dominus qui in coelis sedet irridebit eos, et dissipabit illorum consilia, et quae ipsi effugere volunt, recident in capita eorum.

Vos nescitis.) Quasi dicat: Quid opus est multa deliberatione? an non hoc potius statuendum, ut unus interficiatur homo, quam ut totus populus periclitetur? Notatur hic hominis illius impudens audacia.

Hoc de se ipso non dixit.) Hoc est, non hoc intendebat, quod Christus futurus esset salutaris toti orbi. Non in hunc usum haec verba effutiit, ut putaret aut crederet Christi morte procurari salutem orbi, sed prophetavit, inquit Evangelista. Quasi diceret: Spiritus propheticus per os impii hominis loquitur. Sic exaecantur impii, ut contra se saepe dicant nolentes. Sic in Achitofel videmus et ceteris, quod impii prophetant. Videmus hic quid audeat impietas, quod et cernere hodie est in Pontificibus Papisticis, qui non dubitant sanguinem innoxium fundere, et pios e medio tollere, modo statum suum sustineant, et nihil periclitentur. Sic unus ille sceleratus homo, omnes animat, ut pergant in eo quod iam dudum apud se statuerant.

Congregaret in unum.) Refertur ad hoc quod supra dixit: Alias oves habeo, quas adducere oportet, ut fiat unum ovile, et unus pastor, ex utrisque scilicet Iudaeis et Gentibus, unum corpus quasi coalescat, cuius caput sit Christus.

CAPUT XII.

Ante sex dies paschae.) Posteaquam Evangelista Iudaeorum et Pharisaeorum insidias invidiamque descripsit, iam ad Christum redit, indicatque quid porro fecerit post Lazari resuscitationem.

Fecerunt ei coenam.) Bethaniae scilicet, in domo Simonis, ut videtur indicare latius Matthaeus cap. 26.

Lazarus unus erat.) Quod Lazarus consedisse ad mensam cum aliis scribitur, ideo fit, ut veritatem miraculi videamus, vere scilicet excitatum esse Lazarum, quum post resurrectionem non statim moreretur iterum, sed aliquandiu in terris maneret, et redivivi hominis opera faceret. Historicus autem omnia diligenter prosequitur, exacte indicans quid quaeque persona fecerit, et quo tempore.

Maria ergo accepit.) Videtur eadem esse Maria de qua mentionem facit Luc. 7. cap. eo quod utrobique Simon hospes nominatur, et quod eadem sit Lazari et Marthae soror. Recensetur autem hoc, ut videamus qua occasione Iudas motus sit ad traditionem domini.

Pisticae preciosae.) Pisticae, id est fidelis, Der köſtlichen ſalben, deß waſſers das mit trüwen gemachet was. Quam vero pretiosum fuerit Iudas ipse exprimit, triginta coronatorum fere.

Quare ungentum hoc.) Praetexit avaritiae suae curam pauperum hypocrisis.

Unus e discipulis.) Heterosis est aut synekdocha, quod ex aliis Evangelistis manifestum fit. Nam apud Marcum dicitur, quod discipuli sint indignati. Sic duo latrones blasphemasse dicuntur, quum id tantum unus fecerit. Quaerit nequam suam utilitatem, nec gerit curam pauperum. Sic apud nos sunt, qui suo quaestui ex evangelio serviant.

Sine illam.) Excusat Mariam Iesus, videt enim fidem illius, ignorant apostoli factum. Dicit ergo Christus: Ne sitis ei molesti, nescitis quare id faciat, praeparat corpus meum ad sepulturam, instat enim tempus mortis meae. Mos enim erat apud Iudaeos condiendi corpora mortuorum, quod Maria adhuc vivente Christo facit. Bonum opus facit in me: Sy hat mir guts gethon, Bonum opus, id est, beneficium aut officium, Ein dienſt.

Pauperes semper habebitis vobiscum, me non semper.) Quae Christo dum in terris ageret corporaliter facta sunt, pauperibus impendi iam iubet. Non ergo opus est ut ei aurum aut argentum offeramus, demus haec pauperibus, et recte ei servierimus. Ostendit etiam hic Christus se iuxta corpus assumptum abiturum, et quod non essemus eum habituri corporaliter, ceterum spiritu se nobiscum fore usque ad consummationem saeculi. Et hic locus corporalem Christi praesentiam ex coena excludit. Iuxta divinam naturam Christus semper adest suis, iuxta humanam est in uno coeli loco, nempe ad dexteram dei patris. Corpore ergo nec visibiliter praesens est.

Hoschiana.) Puto acclamationem esse Christo factam, ut regi. Putabant enim quidam Christum regem ac Messiam advenisse, qui eos a tyrannide Caesaris esset liberaturus, et valere tantum, ac si diceremus Germanice: Ee glück zu. Vel: Salvifica quaeso, Lieber biß ein guter

künig, hilff uns, löß uns. Nam populus Iudaicus mire cupidus fuit libertatis.

Noli timere.) Adducit prophetiam Evangelista. Quasi dicat: Iudaeis rex promissus est, qui instauraturus sit regnum, quae prophetia hodie impleta est.

Filia Zion.) Id est, Hierusalem, quae ad radicem montis Zion sita erat, metropolis et caput. Est autem synekdocha, ubi vilior pars pro potiori ponitur.

Rex tuus venit.) Adest tibi salvator tuus et liberator, ut te servet et liberet, nihil ergo metuas. Si quis allegoriis delectatur, potest per asinam populus Iudaicus iugo legis asuetus intelligi, per pullum vero Gentes indomitae: vel per asinam corpus, per pullum spiritus etc.

Non cognoverunt discipuli.) De Christo scilicet haec esse vaticinata et scripta, iamque in Christo completa, donec per spiritum sanctum erudirentur. Fides gradus suos habet et incrementa.

Testabatur autem turba.) Duplex fuit turba cum Christo, altera, quae cum eo fuit in resuscitatione Lazari, quae et cum eo urbem introivit, eum scilicet subsequuta: altera quae ei ex urbe obviam progressa, eum excepit. Prior de miraculo testificari potuit, nam adfuit et vidit omnia, testificabatur: Sy gab zügnuß darvon, sy lobts, sy prysst es, sy rümpt es wie er Lazarum vferweckt hatt.

Pharisaei ergo.) Quoniam turba testimonium Christo tulit cum laude, igitur pharisaei indignantur, nec ferre possunt etc. Ostendit causam cur indignati sint pharisaei, nempe ex praeconio Christi. Pharisaei hunc plausum aegreferunt. Dolet impiis, quod pios exhilarat.

Quidam Graeci.) Templum Hierosolymitanum sic erat celebre etiam apud Gentes, ut et gentes illuc adorandi gratia venirent, deoque Israelis sacrificia afferrent. Figura autem est de vocatione Gentium, quod et Gentes aliquando venturae essent in cognitionem veri dei.

Accesserunt ad Philip.) Supra primo capite, auditum est Philippum e Bethsaida fuisse, hac ratione veniunt Galilaei ad eum ut cognitum, ut ducat eos ad Christum. Is autem rem ad Andream defert, Andreas ad Christum. Audierant enim Apostoli a Christo, ne irent invias Gentium, sed tantum Israelitis praedicarent.

Venit hora.) Sic supra quarto capite, quum Christus videt ad se venire Gentes cum magno desiderio ipsum videndi, instare tempus dicit, ut et evangelium Gentibus praedicetur. Sic Matthaei 11. cap. Violenti rapiunt illud. Accurrentibus Gentibus, horam suae mortis instare dicit, et hanc vocat per hysteron proteron seu synekdocham, glorificationem suam, simul complectens et intelligens mortem, resurrectionem, ascensionem, et evulgationem evangelii in Gentes per praedicationem apostolicam etc.

Nisi granum frumenti.) Vulgari sed venusta similitudine fructum mortis suae adumbrat: omittit autem, Hebraeorum more, alteram similitudinis partem. Ostendit etiam dominus non solum fructum qui sequuturus sit e sua morte, sed frustrari quoque conatum Iudaeorum. Caro ergo Christi mortua prodest, non comesa, ut supra 6. cap.

Qui amat animam suam.) Apostolos ad idem certamen animat, ut sint et ipsi parati animam suam ponere pro gloria dei, ut ista amplificetur. Anima pro vita, odisse pro contemnere ponitur: Nütz ſchetzen, verſchetzen, waagen. Non est discipulus supra magistrum. Si compassi fuerimus, conregnabimus. Ob crucem ne deseramus iustitiam, qui enim sic amaverit vitam, ut eam Christo ponere paratus non sit, is perdet eam etc.

Qui mihi ministrat, me sequatur.) Qui volet meus esse minister aut discipulus, is eadem via incedat oportet, per multas scilicet tribulationes et cruces, per quas me videt incedere. Haec sunt vere bona opera sequi Christum, crucem ferre.

Ubi ego sum, illic et minister.) Utilitate eos allicit et praemio, quod crucem sequitur. Quid vero excellentius pio contingere potest, quam consortem esse in coelis Christi filii dei?

Cohonestabit eum pater meus.) Caro mactatur et vilipenditur quidem, at ingens honor paratus est post hanc vitam a patre coelesti, omnibus illis qui ob Christum sunt contemptui. Non ergo quaeramus gloriam et honorem mundi, sed apud patrem nostrum reposita est nobis aeterna gloria.

Nunc anima mea turbata est.) Quum discipulos suos ad crucem et passionem adhortatus fuisset, ne videretur ipse extra pericula et in tuto esse, ostendit et se humanis passionibus tangi, nostraeque naturae omnino participem esse. Sic in Matthaeo dicit: Tristis anima mea usque ad mortem. Et quod hic dicit: Pater servato me ex hac hora, alibi dicit: Transfer a me calicem istum. Mox tamen per correctionem subiicit: At non mea voluntas, sed tua fiat; sic iam dicit: Sed propterea veni in hanc horam. Sic supra sexto capite: Non veni ut faciam voluntatem meam, sed patris mei. Iterum hic vides duplicem in Christo naturam. Exemplum piis propositum hic est, quomodo se gerant, quum dominus eos visitat, ut agnoscant se in hunc usum huc positos, exercerique a deo, ut deo obtemperent, ut nomen suum clarificent. Humanum est mortem formidare, et turbari quum imminent mala, at patientia et tolerantia perrumpere oportet, ne turpiter resiliamus.

Pater illustra nomen tuum.) Hoc est, redde gloriosum nomen tuum, id est, potentiam tuam: ostende me filium tuum esse etc. quod partim per me coeptum est perfice. Dixerat enim supra: Manifestavi nomen tuum hominibus quos dedisti mihi, doctrina scilicet et miraculis variis, maxime in Lazari resuscitatione: tempus ergo est, ut ad finem usque opus inchoatum perducas.

Illustravi et illustrabo.) Illustraverat, ut auditum est, signis variis, mox tamen illustraturus erat resurrectione et glorificatione post mortem crucis, quum gloria Christi et dei cognitio per apostolos in totum orbem sparsa est, quae prius apud Iudaeos tantum nota erat.

Turba dicebat tonitruum factum.) Quum pater voce delapsa e coelo contestatus esset de filio suo, turba varie de hac pronunciat, quum tamen haud obscura vox esset: alii enim tonitruum esse, alii angelum iudicant. Venit autem praeposterum iudicium vulgi non ex crassitie tantum ingenii, sed ex ignavia et inadvertentia aut indiligentia.

Quod parum attente intendunt his quae dicuntur, studium et ardorem audiendi non habent.

Non propter me.) Ostendit Christus vocem hanc factam esse non propter se, ut ipse scilicet ea aliquid disceret quod ignoraret, sed propter astantes, ut discerent scilicet Christum esse filium dei, et verbis eius crederent, quem pater de coelo glorificat. Fideles signis non egent, fiunt autem haec propter turbam.

Nunc iudicium est mundi.) Non quidem iudicium extremae damnationis, aut retributionis, sed discretionis fidelium et infidelium. Iudicium denique expulsionis diaboli principis huius mundi. Iudicium, Das abkennen, abſprechen. Ut hactenus ab initio diabolus hominem spoliavit, et eum in servitutem suam traxit ac possedit, ut omnes damnati fuerint: ita iam adest iudicium, ut ab eius potestate asseratur genus humanum, et princeps ipse et caput daemon eiiciatur et potestate sua spolietur, 1. Cor. 15. Colos. 2. Redemit nos de potestate tenebrarum, et transtulit in regnum dilecti filii sui. Item Luc. 12. Cum fortis armatus. Sic satanas per mortem Christi erat eiiciendus. Et licet haec per Christum expulsio satanicae potestatis ante Christi passionem facta sit, imo a condito mundo, fuit tamen usque ad Christi passionem et evulgationem in mysterio recondita, paucis revelata, nec tam late sparsa, neque tam clare exhibita. Nam quod tum paucis promissum erat et fiebat, iam in omnibus populis et gentibus factum et exhibitum cernimus. Sic autem devictus et eiectus est princeps mundi satan, sic potestate sua exutus, non ut amplius non tentet electos, non persequatur, non oppugnet, sed ut adversus eos praevalere non possit. Nihil enim damnationis his qui sunt in Christo Iesu, Rom. 8. Et fortior est qui ab eis stat, cuius virtute pugnant et vincunt, nempe per fidem in Christum. Et fundati sunt super petram pectora eorum, ut ne inferorum portae adversus eos quidquam praevaleant. Circuit quidem ut leo quaerens quem devoret, at pii per fidem resistunt: pugnat, sed non expugnat: obsidet, sed non obtinet: tentat, sed non regnat in eis, qui se in regnum Christi dediderunt.

Quum exaltatus fuero.) Ostendit hic qua ratione sit victurus satanam et triumphaturus, nempe morte sua, contra morem vulgarem qui vincendo ceteros vita privant, Christus sua morte vitam donat universo mundo, trahit enim ad se omnia, non Iudaeos modo, sed et Gentes. Ostendit his verbis potentiam suam, et eandem cum patre potestatem. Supra enim 6. cap. dixerat: Nemo venit ad me nisi pater meus traxerit eum, iam dicit se tracturum. Eadem ergo utriusque operatio. In priori membro humanae naturae ostendit proprietatem, qua mortuus est: in posteriore divinae, qua ad se trahit omnia.

Nos audivimus ex lege.) Legem pro universa scriptura veteris testamenti intellige, in qua sunt et prophetae. Aeternitatem Messiae ex scripturis dum colligunt, cur non eadem opera et mortem ac humiliationem? Seducuntur ergo, errant et impingunt, quotquot ex scripturis locos aliquos sine aliorum locorum collatione exponunt ac pro suo affectu torquent.

Adhuc breve tempus.) Ad eorum obiecta nihil respondens, su-

periora refricat; dixerat enim: Si exaltatus fuero. Quasi dicat: Et hoc brevi fiet, hoc est: Statim moriar. Ego scilicet qui lux sum mundi, supra 8. Provocat autem iis verbis, ut ei fidant, ut in eum credant, ut posita caecitate, oculos in eum coniiciant, et se illuminari patiantur. Putabant se esse sapientes, et cognitionem dei se habere existimabant, qui etiam ceteris praelucere possent, sed Christus ostendit eos caecos esse, hortaturque ne lucem hanc oblatam negligant. Quasi dicat: Arrogatis vobis cognitionem et putatis vos in lege doctos esse, tamen modicum lumen adhuc in vobis est, parumque cognitionis, hoc verba vestra testantur. Non est alia lux quam ego, quam si non receperitis nulla alia superest, manebitis itaque in tenebris. Quandoquidem ergo in hoc veni, ut vos illuminem, ambulate in hac luce. In luce ambulare, est Christo fidere et in eo manere. Fidere Christo, non operibus, aut legi, debent filii lucis.

Quis credit auditui nostro?) Ex propheta Esaia locum citat Evangelista, ut videamus veritatem scripturarum. Nam in hoc capite propheta luculenter de Christo vaticinatur. Quasi dicat propheta: Christus quidem praedicabitur, sed pauci credent: virtutes aedet multas, pauci has ex deo esse confitebuntur: quod cum futurum propheta in spiritu praevideret, praedixit ita fore. Quum autem dixit: Non possunt credere, idem est, ac si dixisset: Non voluerunt credere. Sic enim mos est loquendi: Non possum, inquit aliquis, hominem istum diligere, id est, non volo. Non potuerunt filii Israel Chananaeum eiicere, id est, non voluerunt, propter ignaviam scilicet et socordiam aut metum.

Multi ex principibus.) Supra dixerant, nullum ex principibus Christum recepisse, ut et ceteros hoc sermone averterent. Sed crediderunt quidam ex praecipuis, ut hic testatur, licet palam Christum confiteri non auderent. Ubi discimus quantum impediat gloria humana, quantum a Christo retrahat, eos qui plus gloriam mundi quam dei quaerunt. Crediderunt ergo quidam, licet eorum fides satis esset imbecillis, cum Christo haererent corde, quem ore confiteri non auderent. Horum hodie plures sunt, qui aut metu tyrannorum, aut ne hominum favorem perdant, Christum palam confiteri non audeant.

Qui credit.) Redit ad superiora. Quasi dicat: Repetam quae mox antea dixi, ut (nempe) in me lucem credatis. Sciebat enim Christus Iudaeos vilitate sua offendi, quod eum pro homine nudo haberent, non pro filio dei, et quod hominum gloria impediti ei non crederent, nec in quem crederent aliquousque, confiteri auderent. Hic ad fidem eos adhortatur, ostendens quanta sit gloria, ei credere. Asserit ergo, vindicat et commendat suam doctrinam, quae scilicet non sit sua ut hominis (quod ipsi putabant) sed dei. Quasi dicat: Ne putetis parum esse mihi credere, nam id ipsum est in patrem deum credere, qui mihi credit, et in me credit, non in me solum credit ut hominem purum, sed in eum qui me misit, scilicet deum patrem. Et qui videt me, id est, cognoscit, aut qui in me credit. Non enim loquitur de visu oculorum, sed de cognitione. Deum enim nemo unquam vidit. Qui me fidit, qui mihi haeret, me recipit. In Iudaeos hoc iacitur, qui se deo credere gloriabantur, verbo autem eius non credebant.

Ego lux in mundum veni.) Hanc ob causam a patre missus sum in hunc mundum, ut lux sim mundi: in hoc descendi, ut mundum illuminem. Nam mundus nihil est quam tenebra et ignoratio. Ego vero veni ut mundum illuminem, ut tenebras discutiam meo fulgore. In hoc veni ut e tenebris educam. Quicunque enim mihi crediderit, et me secutus fuerit, in tenebris non ambulat. Ex his facile colligitur, quo Christi adventus spectet, nempe huc, ut relictis tenebris, ipsum sequamur et in luce ambulemus. Tenebrae sunt constitutiones hominum, iustitia pharisaica, affectus et vitia. Lux sunt fides et caritas. Qui enim non credit, in tenebris adhuc manet.

Qui audierit verba mea.) In eandem sententiam omnia redeunt: Qui me audit, in me credit, mihi fidit, hic salutem habet. Iam vero minatur incredulis iudicium: Qui verba mea non receperit, nec mihi crediderit, hunc ego non iudico. Non enim veni ut iudicem aut condemnem, sed ut servem: attamen non impune feret is incredulitatem suam. Sermo enim meus iudicabit eum. Quasi dicat: Nihil habebit in iudicio infidelis quod praetexat, qui tot modis ad fidem provocatus non credidit. Sic supra 3. cap. Sermo meus iudicabit, loquutio est, perinde ac cum dicimus: Lex occidit hominem, cum non lex eum occidat, sed carnifex. At lex ostendit eum morte et supplicio dignum. Ita opera et verba Christi iudicabunt infideles, id est, iudicio et condemnatione dignos ostendent. Duplex autem est adventus Christi: Alter in carnem, Zachar. 9. cap. Alter ad iudicium, Matth. 25. Si iudicantur qui verbum Christi negligunt aut non credunt, quo iudicio digni sunt qui persequuntur?

Mandatum eius vita aeterna.) Quasi dicat: Scio quod quidquid mandavit mihi pater, et ego ex eius mandato vobis proposui, vobis esse salutare: quidquid me iussit deus loqui, certo scio ad vestram salutem pertinere, atque ad salutem vestram necessarium esse, modo credatis. Quicunque hoc mandatum receperit, is habebit vitam aeternam. Nihil aliud loquor, quam ex patris mandato. Hinc ergo salus et vita aeterna, ex dei verbo et mandato, si illud syncera fide receperimus, non ex traditione Papae, aut cuiuscunque hominis. Solum ergo mandatum dei proponendum fidelibus.

CAPUT XIII.

Ante festum paschae.) Tempus mortis suae praescivit et saepe praedixit Christus, ut videamus mortem eius non coactam sed voluntariam fuisse. Quod Evangelistae diligenter ostendunt.

In finem dilexit.) Caritas eum de coelo deduxit, ut qui dives erat, formam servi assumeret, et ad nos descenderet: ab hac caritate non destitit, sed adeo dilexit, ut pro nobis nec mori recusaret. Maior enim dilectio nulla est, quam si quis animam suam pro aliis ponat. Morte ergo dilectionem summam testatur, Roma. 5. Ioan. 3. Subinde usque in mortem dilectionem suam eis ostendit.

Transiret ex hoc mundo.) Hoc non dicitur sine emphasi. Quasi dicat: Ex hoc mundo nequam et perverso, qui admonitionem et castigationem nullam recipit nec admittit.

Ad patrem.) Hoc de humana Christi natura intelligitur. Transimus enim, cum locum aliquem relinquimus, et ad alium nos recipimus.

Quod omnia dedit.) Haec omnia nihil aliud sunt quam celsitudinis Christi commendatio, ut discamus quanta sit eius demissio. Sic Philip. 2. Quum in forma dei esset etc. Quasi dicat: Tametsi talis ac tantus esset, non tamen dedignatur sese ad pedes vilissimorum servulorum demittere. Vae nostrae superbiae.

Quod a deo exivit.) Et haec ad humanitatem Christi pertinent. Exire enim a deo, est forma humana assumpta in terris apparere, et salutem nostram perficere. Deus enim a se ipso non exit.

Ponit vestimenta sua.) Hypotyposi quadam omnia graphice depingit, in qua summam humilitatem cum summa caritate intelligimus, ut interim de mysterio taceamus et typo rerum futurarum.

Tu mihi lavas pedes?) Caro semper renititur divinae voluntati, et melius aliquid molitur. Sed arguitur haec Petri sive contentio sive contumacia, ut discamus nostram voluntatem divinae, posito carnis iudicio, omnino subiicere.

Si non lavero te.) Haec verba ostendunt, altius quiddam hac lotione Christum velle praefigurare. Qui enim sanguine Christi lotus non fuerit, nullam cum eo partem habebit.

Qui lotus est.) Metaphora quadam et carnali lotione spiritualem indicat. Utcunque corpus alioqui purum custodiatur, pedes tamen facile contaminantur, quoniam via lubrica est et pulverulenta. Per pedes autem affectus et quotidiani lapsus significantur, qui nobis subinde accidunt. Qui ergo lotus est, id est, qui credit, mundus est, sed opus habet tamen ut pedes lavet, hoc est, perpetua et iugi custodia carnis affectibus obstrepet, et fide ad deum recurrat. Non ergo dicamus nos esse sine peccato, reliquiae enim nobis haerent, dum hic vivimus. Oportet semper agnoscere culpam, et hanc continue deprecari: Remitte nobis debita nostra.

Non omnes.) Proditorem clam taxat, quod magnae clementiae est, sed apud impium nihil proficit. Ceteri apostoli quia Christo credebant et haerebant mundi pronunciantur. Iudas, quia perfidus erat, immundus dicitur. Vera ergo fidei mundicia est, Christo credere. Christi mundicia nostra fit per fidem. Nihil ergo desperandum si lapsi fuerimus, per fidem semper surgendum, et pedes lavandi. Nec est ut aliam mundiciam quaeramus, quam ut quotidie pedes lavemus. Christiana enim vita nihil aliud est quam perpetua poenitentia. Qui Christo fidunt novi fiunt homines. Quomodo? an posito pristino corpore, novum induunt corpus? Minime, sed manet pristinum corpus, manet et haereditarius ex Adam morbus. Quid ergo in homine Christiano instauratur? Mens. Quo vero pacto? Hoc nempe, quod prius erat dei ignara. Ubi autem ignoratio dei est, illic nihil quam caro est, peccatum, et existimatio sui. Postea vero quam deus agnoscitur, iam perspicit homo se intus et in cute, cognitumque abiicit: quo fit, ut simul omnia opera sua, ea etiam quae hactenus bona solebat aestimare, videat nullius esse pensi. Quum igitur per illuminationem coelestis gratiae mens deum agnoscit, iam novus homo factus est. Qui enim prius confidebat in

sapientia sua, in operibus, in opibus, aut viribus, iam in solum deum sperat. Qui prius omne consilium advertebat, ut sibi bene esset, nulla honesti aut dei habita ratione, iam ad hoc unum intentus est, ut nihil pristinae consuetudinis servet, sic vero se ad dei voluntatem formet, ut nusquam offendat. Dum autem corpus perpetuo mortua quaedam opera parturit, deplorat homo Christianus perpetuo eam calamitatem ac miseriam. Eheu bone deus, quid sum, quam inexhausta malorum omnium ac vitiorum lerna? iterum atque iterum pecco, neque finem facio, quando tandem liberabis me infelicem de hoc luto, in quo haereo? Haec deiectio quid aliud est quam mors? Attamen quum mens per spiritum dei a spe non excidit, nonne reviviscit conscientia, quae paulo ante conciderat? Haec ergo Christiana vita est, quum spes in deum per Christum nunquam labascit, etiamsi homo per infirmitatem carnis absque peccato non sit, tamen hac una ratione superet, quod se ei non totum dedit, sed quotiescunque tandem cadat semper resurgit. Certus, quod qui Petro dixit Septuagiessepties ignoscendum esse, ipse non minus quam docuit, ignoscat. Hoc scilicet allegorico sermone hic texit Christus, quum dicit: Qui lotus est, non habet opus quam ut pedes lavet, sed est mundus totus. Quomodo enim mundus totus est, qui tam immundos habet pedes, ut ablutione opus habeant? An pedes non sunt corporis pars? Addit ergo Christus: Et vos mundi estis, sed non omnes: hoc nimirum propter Iudam addens. Mundi erant omnes praeter unum, quia in fide hactenus perstiterant. Cuius rei Christus eis testimonium praebet, Luc. 22. Vos estis qui permansistis mecum in tentationibus meis. Sed immundus erat Iudas, iam enim de proditione cum Iudaeis convenerat. Adhuc deerat reliquis apostolis quiddam, sed quod deerat, nocere non poterat, quandiu arx fidei teneretur. Quum ergo apostoli mundi pronunciantur, quod a fide non descivissent, etiamsi per hanc pollutam viam incedendo quidquam pulveris adhaeserat. Constat plane, quod si fides in deum salva sit, ac eius integrae copiae, quod reliqua quae accidunt, perdere nequeant. Abluuntur autem huiusmodi sordes quae in pedibus haerent, perpetua ista qua diximus poenitentia et in Christum fide.

Scitis quid fecerim.) Iam symbolum et sacramentum explicat, quemadmodum Petro promiserat, quum diceret: Scies autem postea. Bifariam proponitur nobis Christus. Primo ut servator qui sanguine suo nos mundavit et sanctificavit. Deinde ut exemplar vitae nostrae quod imitemur, et ad quod vitam nostram componamus. Utrumque hic adumbratur. Imitemur ergo eius humilitatem et caritatem, ut toti simus proximorum. Non solum ut lavemus eis pedes, sed per caritatem illis inserviamus, et nos totos illis impendamus, quod Christus nobis fecit.

Si haec novistis, beati si feceritis.) Non satis erit haec novisse, nisi facto praestemus. Sese abnegare et alterius esse, in humilitate et caritate omnibus inservire, exemplo Christi debent omnes pii. Haec docet Christus, non monachatum instituere, aut vanis rebus niti. Christum imitemur oportet, si volumus esse beati.

Non de omnibus loquor.) Supra dixit mundos esse, sed non omnes: sic hic beatos dixit, sed non omnes.

Scio quos elegerim.) Supra cap. 6. sub finem: Nonne duodecim elegi, et unus diabolus est? Sic dicit hic: Elegi duodecim ex omni turba, non quidem hac ratione, ut omnes salvi essetis, scio enim qui mecum sint permansuri.

Sed ut adimpleatur.) Dicat quispiam: Cur hunc ad suos elegit, qui cum suis non servatur? Respondet: Ut adimpleatur, id est, ut satis fiat prophetiae. Nam David hoc praedixit.

Qui edit mecum.) Hoc est, quem mihi elegeram ut mihi quam familiarissimus esset, homo pacis meae, id est, cum quo mihi bene convenit, Mit dem ich wol zefriden was, zu dem ich mich alles guts verſach. Sustulit adversus me calcem. Levare calcem, tropo quodam dicitur. Sic Germanice: Mit dem lätzen ſchenckel ſchlahen, Contemnere opprimere, perfidum esse erga aliquem. Caveamus ab avaritia, quae supra cap. 12. ponitur causa proditionis Iudae. Discimus hic qui sint fructus cupiditatis, quae nec amicitiam nec pacem respicit.

Qui recipit me.) Quasi dicat: Vos ne temporalia spectetis, ne me ob cupiditatem impie prodatis. Si mihi haeseritis, si me receperitis bona fide, non frustrabimini mercede vestra, quum interim perfidus ille cui cupiditas oculos praestrinxit, misere peribit. Ne putetis parum esse, si quis me receperit, nam eadem opera et patrem meum recipiet. Nolite ergo temporalia patri meo praeferre. Potest et consolatio esse, ne animum desponderent in officio ad quod eos elegerat. Permovebo animos hominum piorum, qui vos recipient meo nomine, quique vobis benefecerint, mihi factum ducam. Non deseremini, semper erunt, qui vos benevolentia prosequentur. Nec est quod haec sibi vendicent Papistae, quum a deo non sint missi, adeoque veritatem eius non annuncient. Hunc locum diligenter expendere debent qui ministros evangelii fidos contemnunt et vexant.

Turbatus spiritu.) Dum res postulat, severiter agendum cum impiis, et cum gravi obtestatione, ut traducantur eorum scelera, ut latere amplius non possint, tum ut tollantur, tum ut caveantur, sic magna obtestatione dicit Christus: Unus ex vobis me tradet. Saepius antea tectis verbis rem indicarat, iam paulo apertius aperit unum esse inter eos, qui hoc tam nefandum scelus designaturus sit, ut saltem pudore proditor suffundatur. Sic non satis est in publicis sceleribus, si dicamus: Omnis avarus aut scortator regnum dei non possidebit, hoc enim scelerati aliquo modo fuerunt, sed oportet dicere: Tu facis hoc, ut vel pudore absterreantur, servato interim modo, et inviolata caritate. Et caritas sine felle saevire novit.

Post offulam ingressus.) Plenius scilicet, nam supra auditum est diabolum immisisse in cor eius proditionem, at iam totum eum possidet. Ut enim sancti spiritus operationes in piis augentur subinde, ita et in impiis malorum spirituum operatio augescit, si locum demus suggestionibus. Quare principiis obstandum et ardenti prece ad primum insultum satanae ad deum accurrendum piis est, ne arce capta in scelera omnia, et demum in desperationem adigat.

Nunc glorificatus est filius.) Loquutio est Hebraica, quod enim statim iam futurum erat, per praeteritum, quasi factum iam esset, eloquitur: sic supra Nox erat, id est initio noctis, vel sub adventum noctis, An der nacht. Filius hominis glorificatus est, Die ſach iſt ſchon vollbracht, erat enim iam Iudas in negotio suo quod strenue exequebatur, et Christus iam morti obviam it, per quam glorificandus erat. Quasi diceret: Adest iam tempus quo filius hominis, qui hactenus humilis visus est et contemptus, novo quodam modo gloriam accipiat. Et loquitur haec de sua humanitate. Morietur quidem, sed in morte non manebit, imo mox glorificabitur, tertio scilicet die. Quum filius hominis vadit in mortem, glorificabitur deus per obedientiam eius. Rursus ergo deus pater ipsum glorificabit, idque continuo: glorificabit autem non per angelum aliquem, sed per se ipsum. Potentia enim et virtute patris excitatus est Christus, Col. 2. Et alio loco dicit, quod per se metipsum resurrexerit. In cruce mox coepit glorificatio, quum tot fierent miracula.

Quaeretis me.) Supra septimo capite eadem verba ad Iudaeos dixerat: illic de vita aeterna loquens, hic vero quasi prophetans discipulis infirmitatem suam ob oculos ponit, praedicitque quid sint facturi, quum viderint eum ad mortem trahi, de morte enim sua loquitur. Quasi diceret: Desiderio mei tenemini, sed sequi me, quo vado, non potestis, idque propter carnis vestrae imbecillitatem: Fugietis enim a me, et me abnegabitis etc. Hoc apud alios aliis verbis eloquitur: Omnes scandalum patiemini in me etc.

Mandatum novum.) Abiturus iam a suis indicare vult in quo verus dei cultus consistat, nempe in dilectione. In unicum ergo et breve praeceptum varia et infinita contrahit. Sic Paulus Rom. 13. Et haec certissima nota est filiorum dei.

Non poteris me sequi.) Ferenda infirmitas aliorum, modo infirmitas sit a qua demum resurgant, et in rebus divinis bona fide agant, parati promovere gloriam dei.

CAPUT XIV.

Non turbetur cor vestrum.) Consolatur discipulos dominus, qui ob mortem suam, quam eis praedixerat, valde turbati erant.

Creditis in deum, et in me.) Dixi me moriturum, et certe moriar, sed hoc vos non turbet, non offendat. Nam tametsi moriar, sum tamen filius dei, id est verus deus. Sic ordinavit pater ut corpus meum in mortem tradam. Iuxta humanam et assumptam naturam moritur Christus, non iuxta divinam, deitas enim mori non potest. Cum ergo dicimus: Christus mortuus est, intelligunt hoc pii de humana natura dictum esse.

In domo patris mei.) Quasi diceret: Moriar, crucifigar licet, at non sic a vobis divellar, quum iterum simus conventuri in domo patris mei, ubi mansiones multae sunt. Quod si secus esset non clam tenerem hanc rem: ad istas vero mansiones aditus nondum patet, vado vobis paraturus locum in quem et vos mecum recipiemini. Hoc autem fiet per mortem meam. Mors enim mea nihil aliud est, quam praeparamentum quoddam ad istas aeternas et perpetuas mansiones. Nihil

ergo est quod de morte mea doleatis, quasi vobis iam defuturae sint mansiones, defuturae consolationes.

Quo vado scitis.) Et viam scitis, id est scire deberetis vel possetis, audistis Ioannem de me testantem, vidistis miracula etc. Noverant discipuli Christum esse filium dei Matth. 16. Ioan. 6. sed non omnem modum passionis sciebant, licet enim fideles essent et Christo haererent utcunque, nondum tamen sciebant plene, quomodo Christus auspicaturus esset regnum suum per mortem et crucem, hinc Thomas dicit: Domine nescimus. Non omnem rem clare exponit, sed adumbrat omnia verbis aenigmaticis.

Ego sum via, veritas, vita.) Fide scilicet comprehensus. Qui in Christo ambulat, nec errare, nec falli, nec mori poterit. Quasi diceret: o Thoma, non vultis intelligere, cur venerim, et qua ratione pater regnum suum sit erecturus. Ego in hoc in carnem veni, ut viam ad coelum aperiam, quam tot saeculis nemo ingredi potuit, et hoc fiet per mortem meam. Nemo enim ad patrem venit nisi per me. Vos autem de corporali quadam profectione omnia intelligitis, ego de morte mea loquor, quae vobis porta est ad vitam. Christus via est, qui in illo non incedit, longe aberrat et perit: Veritas est, ergo quidquid ex Christo non est, mendacium sit oportet: Vita est, ergo qui in Christo non est, in morte est, et qui aliunde vitam quaerit, vitam nunquam inveniet, sed in morte peribit.

Si cognovissetis me.) Occupatio est. Diceret aliquis: Quis est ille pater tuus, ad quem nemo venit nisi te duce? Respondet, hoc est quod vos suspensos et dubios semper tenet, quod me non recte cognoscitis, oportet credere me et patrem unum esse, non quidem iuxta hanc carnem, sed operatione. Itaque Me hoc loco ad deitatem Christi referri debet. Sic subinde imbecillitatem fidei illis opprobrat. Quasi diceret: An non iam dudum me ex operatione debebatis filium dei esse cognoscere? Quod si me recte cognosceretis, nihil dubii reliquum esset, sed sciretis me esse filium dei. Patrem cognosceretis, id est cognosceretis cuius essem filius. Imo vidistis et cognovistis tantam in me virtutem dei, ut facile potuissetis colligere me esse filium dei, pater enim in me manens facit opera, hoc est, deitas in me operatur.

Domine ostende nobis patrem.) Haec interrogatio ex fidei defectu nascitur, cui dominus benigne respondet: Qui videt me Philippe, videt et patrem meum: hoc est, qui videt opera et miracula mea et credit, videt et patrem, et credit in patrem, quia verba quae loquor non a me ipso loquor, ut supra. 7. Item non facio opera ut filius Ioseph, quod vos putatis, sed pater in me habitans, deus videlicet in carne habitans. Si patrem videre vultis, virtutem meam in miraculis considerate, quae pater in me operatur, tametsi enim verus sim homo, verus tamen sum filius dei, hoc est, deus ipse eiusdem substantiae, naturae, potentiae. Huc evangelista respicit, ut probet Christum esse verum hominem, et verum deum, deinde utramque naturam ingenium suum servare.

Amen amen dico vobis.) A se ad membra sua transit et maxime ad apostolos. Non solum per me operatur pater haec miracula magna et stupenda, sed et per vos operabitur eadem et longe maiora, ut testi-

monium, quod de me dubitis, mundo approbet. Ego enim ab eo ad patrem, nec ero posthac corporaliter vobiscum. Quae igitur prius per me facta sunt, porro per vos fient. Corpus meum subtraham aspectui vestro, nam relinquo mundum, et vado ad patrem, interim tamen ne despondeatis animum, non omnino deseram vos, nec pater vos deseret, adero vobis spiritu et virtute mea, adero longe excellentiori modo quam si corpore praesens adessem. Nec deseremini, utcunque abeam, pater curam vestri geret et vos spiritu ac virtute sua donabit, imo quidquid petieritis meo nomine apud illum impetrabitis. Quin ego faciam vobis quidquid volueritis, una enim eademque est patris et mei substantia et potentia. Quod vero se abiturum ait ad patrem, iuxta humanitatem est intelligendum. Licet vero eadem sit potentia et operatio patris et filii, tamen perpetuo proponit nobis filium, id est meritum et iustitiam filii per quem sit nobis omnia daturus. Christiani ergo non sunt, qui ad divos aut tutelares deos in necessitatibus confugiunt.

Si diligitis me.) Si pro Quandoquidem. Quum de abitu meo praedico vobis, video vos subtristes, id quod haud mediocris dilectionis erga me argumentum est, verum non oportet tristari ob hanc rem, quae vobis utilitati magnae cessura est. Quandoquidem vero me diligitis, observatione mandatorum meorum id declarate, non tristitia. Quae sint praecepta domini, supra auditum in 13. cap. Hoc est mandatum meum, ut diligatis invicem etc. 1. Ioan. 5. Haec est caritas dei ut praecepta eius se vemus.

Rogabo patrem, et alium paracletum.) Estis moesti ob meum abitum, sed non deseremini, ponite ergo maerorem, ego patrem rogabo, qui alium consolatorem mittet. Anthropopathos haec dicta sunt, hoc est: Ego cum patre spiritum mittemus. Hactenus ego fovi vos, defendi, duxi, et tutatus sum, sed abeo iam carne, alium ergo mittamus, qui semper aderit, semper apud vos manebit. Spiritus ergo est qui animam reficit et consolatur, non caro corporaliter comesta.

Quem mundus non potest accipere.) Hic mundus capitur pro mundanis hominibus qui adhuc mundi affectibus reguntur, ut 1. Ioan. 2. Talis enim mundus non videt spiritum, id est spiritus sanctus apud illum nihil valet, contemnit spiritum dei, suam sequens sapientiam et rationem. Mundus est mendax, ergo non recipit spiritum veritatis, id est verum spiritum, qui scilicet suggerit vera. Spiritum verum non recipiunt hypocritae. Affectus carnis mors sunt, qui vero spiritum Christi habent, moriuntur affectibus carnis et mundi, abnegant sese.

Non relinquam vos orphanos.) Abeo iam a vobis per mortem, sed veniam iterum ad vos post resurrectionem, nihil ergo metuendum vobis. Deinde post ascensionem spiritu meo adero vobis. Sed videtur iam de prima abitione loqui, quae fiebat per mortem, igitur subdit.

Adhuc pusillum.) Adhuc pusillum, hoc est, mox moriar, et tum mundus me non videbit, at vos iterum revisam, vivam enim, licet carne moriar. Et vos vivetis, fideles scilicet.

Mundus me non videt.) Quia non habet illuminatos oculos mentis, sed excaecatos affectibus. Mundo Christus mortuus est, nec resurrexit.

Qui cum Christo resurrexerunt, hi curant non terrestria, sed coelestia, et sursum sunt cum Christo.

In illo die.) Scilicet resurrectionis, videbitis plane qui siem.

Qui habet praecepta mea.) Discamus verum cultum dei constare non in ceremoniis aut fletu, sed in observatione mandatorum dei. Si quis audit verbum dei, et illud custodit, is diligit deum, hoc est is ostendit se diligere deum. Iacobi 2. Matth. 25. Et haec commendant nos deo. Si volumus diligi a deo, diligamus eum, seu potius respondeamus ei dilectione. Nam nos non primum dileximus eum, sed ipse prior dilexit nos, et quum adhuc inimici essemus, dedit filium suum in mortem pro nobis. Si diligimus, certum est quod ipse prior nos dilexit, dilectio operibus comprobatur.

Aperiam ei me ipsum.) Id est, clam, tacite, et afflatu quodam interno me eius pectori insinuabo: tantam vim videtur mihi habere verbum Graecanicum ἐμφανίσω, ita me ei manifestabo, et certum reddam, ut videat me non perisse.

Si quis diligit me.) Nemo est qui videri non velit deum diligere, sed index dilectionis probat quis vere diligat, ex fructibus arbor cognoscitur. Si quis diligit me, inquit, is sermonem meum servabit. Observatio mandatorum ostendit veram esse caritatem. Habent fideles inhabitantem in se deum, Hierem. 31. Ezech. 37. Levit. 27. Esa. 52. Rursus ab iis qui non servant sermones dei, adeoque non diligunt, fugit deus, Sap. 1. Est autem subita personarum mutatio, dicit enim: Veniemus, quum prius dixerat: Pater meus diliget eum.

Et sermo quem audistis.) Alloeosis est naturarum. Hoc quod ego loquutus sum vobis, non debetis accipere ut verbum hominis, sed dei. Ostendit se subinde filium esse dei, missum a patre, verbum ergo eius non accipi debet ut hominis puri, qualem videant, sed dei. Sic asserit doctrinam suam, ne humana putetur, aut ut humana contemnatur, sic supra 7. cap. Mea doctrina non est mea, sed patris. Sic paulo supra: Verba quae loquor, a me ipso non loquor. Ostendit interim non adversari se patri, quod Iudaei calumniabantur, nec contraria se legi docere.

Haec loquutus sum apud vos manens.) Omnia haec iuxta humanam naturam loquitur Christus, secundum quam erat abiturus. Nam iuxta divinam naturam suis semper adest, qui continet et gubernat omnia.

Paracletus autem spiritus.) Donec ego fui vobiscum, ego docui vos, iam sum a vobis corpore abiturus, alium ergo doctorem mittam vobis. Quum ergo alium consolatorem promisit, ostendit iam quod sit eius officium. Is docebit omnia, quaecunque necessaria sunt. Deinde quae ego vobis dixi, et quae vos propter imbecillitatem et tarditatem capere non potuistis, spiritus ille vobis suggeret et refricabit: nihil ergo novi docebit, sed mea verba refricabit. Observemus hic solum spiritum esse internum cordis doctorem, qui si non intus doceat, frustra foris verbum adhibeas. Erunt enim omnes docti a deo, supra 6. Nec tamen ob id sequitur verbum externum non esse necessarium, iussit enim Christus apostolos praedicare evangelium per totum orbem.

Pacem meam do vobis.) Non solum docebit et suggeret, sed et pacatos vos reddet. Addit autem Meam, est enim et pax mundi, quae sita est in externa felicitate, pax dei in mediis afflictionibus perstat. Pacatos vos reddet, id est, laetos et hilares, ut est Romanorum 5.

Ne turbetur cor vestrum.) Statum his verbis attingit. Sic enim coeperat, et in hoc incumbit tota oratio, ut moestitiam quam ex abitu suo conceperant, ex mentibus eorum expellat. Dolebant Christum cruci affigendum, dolebant se avelli ab eo. Quod ex ignorantia venit, non enim invidere gloriam Christo apud patrem potuissent, si intellexissent. Quod dicit patrem se maiorem, iuxta humanam naturam loquitur, nam iuxta divinam pater et filius unum sunt.

Venit princeps.) Sciebat instare horam mortis, et Iudam cum cohorte adfuturum. Princeps mundi satan est, quo actus Iudas, cohortem ducit: is aderat per suos satellites, ut Christum expugnaret, sed nihil potuit in eum iuris obtinere. Christus moritur non ut meruerit hoc peccatis, sed ut ostenderet mundo quod patrem diligeret, et ei obediret.

Surgite eamus hinc.) Quae hactenus a coena dicta sunt, in domo dicta sunt: surgunt autem iam, et urbem egrediuntur. Volens occurrit morti Christus.

CAPUT XV.

Ego sum vitis.) In superioribus, praeter ea quae ad consolandos eos dixerat: ad observationem mandatorum suorum eos fuit adhortatus, ut scilicet fructus plurimum ferrent, et probarent se vere esse discipulos eius. Iam figurata loquutione fere idem docet. Simul tamen ostendens, unde huiusmodi fructus prodeant ac oriantur, quidque cum illis agatur, qui se palmites quidem Christi esse simulant, nullum autem fructum in ipso ferunt, hypocritae potius quam discipuli existentes. In summa docet fidem et caritatem: per fidem adglutinamur deo et Christo inserimur: per caritatem bonorum fructus erga proximum protrudimus. Caritas autem observatio est mandatorum. Sic Paulus inquit 1. Cor. 6. Qui domino adhaeret, unus spiritus cum eo efficitur. Habitat enim deus in nobis per spiritum suum. In hoc enim cognoscimus, quoniam in eo sumus et ipse in nobis, quoniam de spiritu suo dedit nobis, 1. Ioan. 4. Qui dicit se in eo manere, debet ut ille ambulavit et ipse ambulare, 1. Ioan. 2. Et iterum: Qui mandata eius servat, in ipso manet, et ipse in eo. Ut vero hypocritae nullum fructum ferentes exciduntur et abiiciuntur, ita et veri palmites per gratiam dei et fidem purgati quotidie plus fructus ferunt, et radices altius agunt firmiusque haerent.

Iam vos mundi estis.) Hoc est, mundati estis et purgati, ad ferendumque fructum aptati. Vocat hic mundos, quos paulo ante purgari oportere dixerat. Nam qui credunt, quanquam reliquiae peccatorum in eis adhuc sunt, tamen quia credunt, iusti censentur, et condonatur eis reliquum peccati, supra 13. et Roma. 8. Iusti autem dicuntur propter sermonem Christi, non quidem quod illum audierint, sed quod illi crediderint, et in eo permanserint. Quis vero iste sermo

est per quem discipuli facti sunt mundi? iste nempe: Sic deus dilexit mundum, ut unigenitum filium daret pro eo, ut omnis qui in eum credat, non pereat, sed habeat vitam aeternam. Item: Qui credit in me habet vitam aeternam, transivit a morte in vitam: Ego sum panis vitae: Ego sum lux mundi: Ego sum ostium, via, veritas, vita: Ego sum surrectio et vita etc. Quod his inquam sermonibus crediderunt, iusti et mundi facti sunt. Nam fide purificantur corda, Actorum 15. Non fit hoc baptismo aquae, nec ulla re externa. Qui evangelium audit, et praedicato evangelio credit, is salvus erit.

Manete in me.) Ad perseverantiam exhortatur. Non satis est nos insitos esse Christo per fidem, nisi in eo manserimus. Advigilandum ergo, ut per caritatem in eo maneamus et quotidie radices altius agamus, ne relabamur, deficiamus, aut excidamus. Excitant haec in nobis timorem et diligentiam. Qui enim stat, videat ne cadat, inquit Paulus. Potest homo dum hic vivit et carne imbecilli circumdatus est, subinde labi. In timore ergo dei coram conspectu dei versandum et cum magna humilitate ac animi modestia. Semper orandum ut deus quod coepit in nobis perficiat et fidem augeat ac fulciat. Nihil enim viribus nostris possumus, quemadmodum nec palmes a se ipso quidquam habet, vitalis succus et vigor a vite est, sic omnis sufficientia nostra ex deo est. Ex capite Christo vita in membra omnia defluit. Addit ergo

Sine me nihil potestis facere.) Hoc ariete semel liberum arbitrium et omne robur virium humanarum deiicit ac prosternit, omne meritum nostrum proculcat. Sic Lucae 17. dicit: Quum feceritis quaecunque praecepta sunt vobis, dicite, inutiles servi sumus. Omnes sumus peccatores, et egemus gloria dei, iustificamur autem gratis ipsius gratia.

Si quis in me non manserit.) Quum docuisset quantum fructus sint allaturi palmites in vite Christo manentes, iam per antithesim ostendit quid illis contingat qui in Christo non manent, excinduntur, arescunt, abiiciuntur, et exuruntur. Non solum fructum nullum ferunt, sed et perpetuo igne torrentur. Ioannes Baptista eandem sententiam alia similitudine expressit, Matth. 3.

Si manseritis in me.) Quid sit in Christo manere, his verbis manifestum fit. Manere in Christo, est eius verba audire et credere, totum ab eo pendere. Tunc in eo manemus, quum verba eius in nobis manent: tum autem in nobis manent, si eis credimus, si certa fide his haeremus, si mandata eius observamus, hoc est, si diligimus. Saepe repetit promissionem, ne quid diffidant: Quidquid petieritis fiet vobis, hoc et supra dixerat cap. 14. et idem repetet infra 16. cap. Omnia impetrabitis apud patrem, si mihi certa et indubitata fide haeseritis. Nihil mali, nihil noxii, fides petit. Qui in Christo manent nihil a deo petunt, quod vel ipsum dare, vel se petere dedeceat, quum habeant in se spiritum dictantem quae deo conveniunt, et quae sunt salutaria. Et si caro nonnunquam peteret diversum, spiritus interpellaret, et adiuvaret nostram infirmitatem.

In hoc glorificatur pater.) Ex operibus bonis nihil nobis arro-

gemus, sed gloriam patris nostri promoveamus, ut docet ipse Matthaei quinto cap. Sic luceat lux vestra, ut homines videant opera vestra bona et glorificent patrem vestrum qui in coelis est. Omnia a nobis in gloriam dei fieri debent. Erant electi apostoli ut gloriam dei per totum mundum venerent, praedicatione scilicet evangelii, et se ostenderent discipulos Christi beneficentia et dilectione. Hi discipulos Christi se esse declarant, qui Christo per fidem haerent, et per dilectionem proximis serviunt, supra 13. cap. In hoc cognoscent omnes, quod discipuli mei estis, si dilectionem mutuam inter vos habueritis. Ipsius factura sumus creati in Christo Iesu ad opera bona.

Manete in dilectione mea.) Ambiguum sensum faciunt haec verba, dubium enim est an de ea dilectione loquatur, qua nos diligit, an de ea qua nos eum diligimus. Sed de utraque potest intelligi. In primo sensu: Manete in mea dilectione, id est, in gratia mea, vel: Perdurate in dilectione mea, respondete amori meo etc. Ego dilexi vos, vos vicissim me diligite et proximum mei causa. Tunc autem manebitis in dilectione mea, quum servabitis praecepta mea. Tum vere gaudere potestis, et posito moerore cum gaudio mortem exspectare, ac intrepido pectore adire. Quod gaudium hic incipit, in futuro saeculo absolvetur. Me enim in omnibus imitari oportet. Ego exemplar praetuli, ut quemadmodum ego feci et vos faciatis.

Hoc est praeceptum meum.) Quum tam saepe dicit: Si servaveritis praecepta mea, ne quis de praeceptis eius dubitaret, adiigit: Hoc est praeceptum meum, ut diligatis invicem, quemadmodum ego dilexi vos. Sic diligite vos invicem, ut quisque non substantiam modo, sed et vitam pro aliis ponere ac perdere sit paratus. Hoc enim in me vidistis. Nec potest quisquam amare intensius nisi qui mortem oppetit pro amico. Hic est verus cultus dei, amare proximos.

Vos amici mei.) Ad observationem mandatorum subinde urget. Externa nulla certo arguere possunt, nos esse amicos et filios dei, sed sola mandatorum dei observatio. Baptismus non facit nos filios dei, coena non facit nos amicos dei, nec verbi externi auditio, quia mali cum bonis possunt haec facere. Baptismus initiale signum est in ecclesiam Christi. Coena commemoratio mortis dominicae. Hisce symbolis testamur nos tales esse, quod autem vere tales simus sola caritas declarat, nam hypocritae utuntur illis in suam perniciem. Signum infallibile amicorum dei est, observatio praeceptorum. Cur sint amici, non servi, mox rationem subiicit: Omnia, inquit, quae audivi a patre meo nota feci vobis, quod nemo servis suis facit.

Ego elegi vos.) Quod amici mei estis, quod filii, quod discipuli, ex conditione servorum in haeredes cooptati, non vestri est meriti, non virium aut operum vestrorum, sed electionis gratuitae. Ineffabilem gratiam et caritatem haec ostendunt, quod miseros perditos et damnatos gratis nos in filios adoptat pientissimus pater. Nostrum, ego, erit ut grati simus, et respondeamus tantis beneficiis, expendamus ad quantam dignitatem evecti simus, ad quae munia vocati, nempe, ut eamus et fructum feramus, non nobis sed patri nostro coelesti. Is fructus qui

ex nostra praedicatione provenit, non est noster sed dei. Si quid proficimus, hoc adscribendum est non nobis sed deo, qui elegit, vocavit, misit, operatus est omnia. Iterum appendit promissionem qua excitet ad precandum: Quidquid petieritis sub meo nomine, dabit vobis pater. Nihil vobis negabit, qui filium unigenitum dedit, modo per nomen meum eum adeatis. Omnia in filio habent credentes. Non ergo Christiani sunt, qui divos invoeant, aut intercessores apud deum constituunt.

Si mundus odit vos.) Qui Christo adhaerere volunt, mundo valedicant necesse est, imo mundum de peccato arguant: propterea contra hos insurgit mundus, et persequitur eos, et diris devovet ac trucidat. Consolatur ergo eos contra futuras persequutiones. Consolatur autem sui exemplo. Scitis quid mecum sit actum, quomodo me exceperint, ita vos quoque excipient. Si de mundo essetis, id est, si iuxta mundum viveretis, et placere mundo velletis, nihil mali vobis inferret, sed ego elegi vos de mundo, ut mundus vobis sit crucifixus, ut mundum abnegetis et fastidiatis, et mundus vos fastidiat. Ista omnia in me praecesserunt, nihil ergo miramini si vobis accidant: Non est servus maior domino suo. Omnes qui pie vivere volunt in Christo Iesu, persequutionem patientur. Qui vere hominibus placere volunt, servi Iesu Christi esse non possunt. Doctrina mea abnegationem sui docet, et summam humilitatem, hoc ingratum est fastuosis hominibus. Nihil ergo moveat vos, si exosi illis fueritis, si vos exibilent, non accidet vobis hoc ob maleficia, sed ob nomen meum quod odiunt et aversantur. Quod me odiunt, fit quod patrem meum non noverunt.

Si non venissem.) Mea ex parte nulla est culpa. Si non venissem iuxta promissionem patris, si venissem, et non fuissem eis loquutus me eundem esse, possent praetextum aliquem aut excusationem habere, et sic peccatum incredulitatis, quod mihi scilicet non crederent, non haberent. Sed iam quum veni et loquutus sum, nihil habent quod praetexant, quia sermo quem locutus sum eis accusabit eos, et contra eos testabitur. Si inexcusati sunt qui verbo audito non crediderunt, quid dicent, qui oblatum et praedicatum verbum exibilant, blasphemant, et persequuntur? Odium exagitat eos: qui vero verbum dei odiunt, etiam odiunt eum qui misit verbum. Nullam vero causam odii habent, praedicavi eis verbum, allexi beneficiis, traxi virtutibus, sed omnia nequiequam.

Si opera non fecissem.) Magnum hoc erat beneficium, quod agnoscere omnino eos oportebat, quod pater me ad eos misit, ut eis praedicarem veritatem et gratiam dei, neque hoc contentus per me talia operatus est, qualia nunquam antea, ut si verbis noluissent credere, saltem operibus credere debuissent. Haec omnia contempserunt, et me fontem aquae vivae reiecerunt. Ego tamen non cessabo eos ad salutem invitare, ut nulla parte se destitutos conqueri possint, mittam spiritum sanctum spiritum veritatis, qui vos perficiet et confirmabit, post me vos de gratia dei testabimini, ego enim in hoc vos delegi, et vos mihi ab initio praedicationis meae adhibui.

CAPUT XVI.

Haec loquutus sum vobis.) Haec scilicet quod vos sint osuri et persequuturi ob praedicationem veritatis, volui vobis praedicere, ne offendamini, quum ista acciderint. Incula enim praevisa minus feriunt.

Alienos a synagogis facient vos.) Iam per partes explicat, quae mox de persequutione praedixerat. Eiicient, inquit, vos a synagogis, ut patet supra nono capite. Nec contenti proscriptione huiusmodi, ultima vobis inferent, in carceres ponent, ad flagra rapient, et interficient. Atque haec facientes, putabunt se deo obsequium praestare. Haec non apostolis modo praedicta credamus, sed omnibus qui pie vivere in Christo Iesu, et eius gloriam ac veritatem apud homines provehere volunt. Facta haec esse, apostolorum Acta abunde testantur.

Et haec facient vobis, quia non noverunt.) Rationem persequutionis aut causam semper adiicit: Non persequentur vos ob malefacta vestra, sed propter me. Nam tametsi videri velint cultores dei, tamen deum non norunt. Tam abest ut obsequium deo praestent, ut dei notitiam nullam habeant.

Haec ab initio non dixi.) Haec scilicet tristia, turbulenta, atrocia quae vobis eventura sunt, ab initio non volui vobis dicere, ne absterrerem vos. Duxi vos ut pueros et imbecilles, et fovi vos tanquam nutritius aliquis. Scivi haec semper, sed nolui vos contristare ab initio. Sic Matthaei nono cap. Suo quaeque tempori conveniunt. Ego eram vobiscum, nihil ergo tum mali vobis accidere potuit, me protegente. At iam abeo a vobis, vos in mundo remanebitis, et veritatis testimonium feretis: parate ergo animos vestros ad haec certamina, quae certo certius sunt futura. Discant hic dispensatores non omnia simul profundere, sed quaeque suo tempori reservare. Nam non fidelem solum sed et prudentem dispensatorem commendat dominus. Sic dispensemus verbum, ut fructus plurimum afferat, ratio habeatur infirmorum, temporis, scandali. Qui aufert puero crepundia antequam alia illorum loco det, nihil quam offendit. Doceamus primum cognitionem dei solidam et veram, et cetera sua sponte cadent, quaecunque contra deum sunt erecta. Quemadmodum nemo repente fit summus, et puer non statim suo Marte vadit: ita turpe esset si quis semper puer esse velit ac scamno sic haerere, ut nunquam recte incederet. Donec ergo Christum carnaliter cognoscimus, signum est spiritum nos nondum gustasse. Non caro, sed spiritus spiritum docet. Externa videntur quidem infirmis adminicula quaedam fidei esse, sed revera non sunt. Quis redit Hierosolyma modestior aut mitior, etiamsi sepulchrum Iesu viderit? Apostoli post coenam carnaliores et infirmiores facti sunt quam antea. Si ergo caro Christi corporaliter exanesa, (ut quidam dicunt) fidem fulcit, cur eorum fides imbecillior?

Sed veritatem dico vobis, expedit etc.) Duo proponit Christus, primo suam voluntatem et aeternam veritatem, ad quam animus piorum sic esse paratus et compositus debet, ut ilico obtemperet, nec ultra quaerat aut contendat. Quandoquidem vero tam sumus infirmi propter carnem, ut cunctemur aliquando et circumspiciamus, honestati utilitatem subnectit dominus, dicens: Expedit vobis ut ego abeam. At prius

semper praecipuum est, nempe ut ad vocem dei mox obtemperemus et accinganmur. Carnem Christus assumpsit nostri causa, ut scilicet nos sanctificaret et redimeret, nihil in se habens (quod ad humanitatem attinet) quod in nobis non sit futurum. Si ergo corpus Christi ubique futurum est, et corpora nostra ubique futura essent. Expedit autem ut nobis corpore absit, non ergo est in pane, nec ore editur corporis. In ascensione ostendit nobis Christus in corpore suo, aut in sese, quo nos simus perventuri. Praesentia corporalis Christi, suo vitio hominibus obest; nam nimium haerent illi, oportet ergo carnem ad altiora provehere, et subducere, ut spiritu plenius adolescamus.

Et nemo interrogat.) Sic palam vobis cernentibus abibo, ut nulla interrogatione sit opus: sic ego quidem interpretor, alii putant esse increpationem ignaviae apostolorum, quod de regno Christi nihil interrogent.

Sed quia haec loquutus sum vobis.) Moesti estis propter abitum meum, idque vehementer nimis, iam saepe admonui ne moesti sitis, ostendite amorem vestrum erga me aliis indiciis, observatione scilicet mandatorum meorum. Deinde nihil est quod turbemini quasi deserti et destituti praesidio meo, dixi me praesentem fore vobis usque ad saeculi consummationem, nec unquam deseram vos, et si corpore abeo, spiritu tamen meo adero vobis. Et ut verum fatear, expedit omnino vobis, ut corpus meum vobis subducam, tam abest ut de ea re tristemini. Si apostolis fuit persuasum et creditum corpus Christi substantialiter et essentialiter (quod quidam docent) fore in pane coenae, quid opus fuit tantopere turbari eos, quum scirent aspectum corporis sibi tantum subtrahi? Aut dicant illi cur tam moesti fuerint? An forte mendacem facere volunt veritatem ipsam, quae dicit: Expedit vobis ut abeam. Mendax autem Christus erit si non abiit corpore suo, sed in pane corporaliter est praesens. Sed facessant hae nugae ex ecclesia Christi, quae non veritate nituntur, sed argutiis. Corpus Christi iuxta scripturam et fidei articulos abiit in coelos, reliquit mundum, et sedet ad dexteram dei, ergo non est in coena nec in pane, nisi quatenus signatum in signo esse dici potest, quod alii sacramentaliter dicunt: sed Christus adest in coena spiritu suo, gratia et virtute sua, intus vegetans et pascens fideles, corpus etiam suum adest menti fideli, sed fidei contemplatione, non naturaliter aut corporaliter. Haec dico ne calumnientur, quod soleant, non coenam habere absentis Christi, non praesentis. De hac re si quis plura cupiat, Exegesim nostram et alios libros legat, in quibus mentem et fidem nostram satis expressimus, non ex nostro capite, sed ex verbo dei et veritate desumptam, iudicent de hoc fideles. Expedit, inquit, ut vadam: si vadit, non adest: si expedit abitio, nulli usui erit corporis praesentia.

Ille arguet mundum.) Ut corporalis praesentia non prodest, ita spiritus praesentia utilissima est. Caro enim, inquit Christus, nihil prodest, spiritus est qui vivificat. Iam ergo de officio spiritus disserit. Est autem hic locus obscurus et varie ab interpretibus expositus. Ego puto ἐλέγχειν hic poni pro ostendere, probare, aut argumentis convincere. Spiritus sanctus non solum Iudaeis, sed et totius mundi homi-

nibus ostendet quid sit peccatum, quid iustitia, quid iudicium aut poena. Convincet mundum peccati: Er wirts härfür ziehen, härfür bringen, härfür stellen, offnen, Nempe mundi, id est mundanorum hominum incredulitatem. Haec de verbis: iam de sensu verborum. De peccato quidem, id est, quemadmodum prophetae olim populo Iudaico sua scelera opprobrarunt, monueruntque ut resipiscerent, alioqui essent perituri, hoc et vos facietis in toto mundo, ostendetis et protrahetis hominibus peccatum, id est incredulitatem suam, quod scilicet in me non credunt. Vide hic dicitur: Spiritus arguet mundum, quod tamen per apostolos facit: tribuitur ergo apostolis quod dei solius est. Arguere de peccato, non est opus carnis, aut ullius creaturae, sed spiritus dei. Ubicunque peccatur, mox deus adest spiritu suo et arguit, hoc est, indicat peccatum esse, resipiscendum esse. Ubicunque vero peccatum indicatur et arguitur, ibi loquitur deus spiritu suo. Nam caro non arguit peccatum, sed peccato delectatur. Ubi ergo arguuntur peccata, spiritus dei loquitur et ostendit dei voluntatem per prophetas ac ministros suos. Sensus ergo est: Spiritus meus commovebit vos, ut in mundum abeuntes arguatis eum de peccato, id est, ob peccatum, ut indicetis et commonstretis mundo, id est, hominibus in mundo, suum peccatum, id est, suam incredulitatem, quod scilicet in me non credunt, id est, quod mihi non fidunt, me per fidem non recipiunt, et quod illud unicum peccatum sit propter quod damnentur, si mihi non crediderint. Nisi enim crediderint, in suis peccatis peribunt. Qui enim incredulus est filio, vitam non videbit, sed ira dei manebit super eum. Omnia peccata ex hoc fonte nascuntur, quod pectus non est imbutum timore domini, hoc est, fide. Ne quis evangelii praedicationem licentiam quandam carnis esse calumnietur, audimus spiritum sanctum per Evangelistas arguere mundum peccati, et eadem scelera quae lege, etiam evangelio proscribi et damnari. Vehementem ergo impressionem, eamque primam praecones evangelii in scelera faciant, quod fit dum poenitentiam praedicant, ut Christus mandat Lucae ultimo. Et Paulus hoc docet Roma. primo cap. Evangelium, inquit, revelat iram dei super omnem impietatem. Evangelica ergo doctrina, primum damnat omnia nostra, ostenditque nos peccatores esse omnes. Deinde docet fontem gratiae in quo abluuntur peccata nostra, ostendit nobis vitam et salutem in Christo, modo apprehendamus per fidem.

De iustitia.) Ego sic expono: Ob iustitiam arguet, quod scilicet illam non habent nec quaerunt. Sic de eo, qui aliquandiu simulat castitatem, et interim scortatur, dum palam fit peccatum eius, dicimus: Huius castitas manifesta facta est, hoc est, huius impuritas et libido, ob iustitiam, id est, ob iniustitiam, quam tamen ipsi pro iustitia habuerunt. Sic spiritus sanctus prodit mundo iniustitiam suam. Iniustitia magna fuit, quod Christi virtutem et opera Beelzebub tribuebant, quod innocentem persequebantur et occidebant, quod veram iustitiam in Christo a deo donatam reiiciebant, suam sectantes eo statuentes. Ex hoc sensu iam alius consequitur, quod scilicet eorum iustitia nulla sit, sed solius Christi sit iustitia. Hanc suam iniustitiam, quam adversus Christum designarunt, tum tandem discent, quum Christum ad patrem

ire cernunt. Nam quum vident eum illum ipsum esse, qui propria virtute, superata morte coelos ascendit, videbunt se iniuste egisse, quod eum in crucem egerunt: videbunt eum esse homine maiorem. Quis enim hominum sua sponte quum voluerit, sese e morte excitare, et coelos conscendere potest? Arguet ergo spiritus sanctus in praedicatione apostolorum iustitiam, hoc est, ostendet iustitiam operum et legis qua fidebant, non esse iustitiam veram, nec posse constare coram deo, et simul ostendet Christum solum esse iustitiam veram, quae apud deum valet, et quae nos ad deum ducit. In hoc enim ad patrem vadit, ut certum et evidens praebeat argumentum, ut se ostendat esse iustitiam, quae credentibus viam ad deum aperit. Qui ergo iustitia operum abnegata Christum suam iustitiam esse credit, is spiritu sancto est illustratus et doctus. Spiritus sanctus docet Christum in hoc venisse in mundum, rursusque ascendisse in coelum, ut secum ad patrem ducat omnes in se credentes. Sic iustitia dei palam fit per evangelium, Rom. 1.

De iudicio, quia princeps mundi.) Quod scilicet diabolus princeps mundi iudicatus et devictus, peccatum condemnatum sit, ostendet spiritus sanctus per praedicationem apostolorum. Redempti sunt pii ab eius potestate, et in numerum filiorum dei allecti. Quod si princeps mundi daemon condemnatus iam est, sequitur et damnatos esse, quotquot ei per incredulitatem haerent, nec resipiscunt. Misit enim deus filium suum unigenitum in mundum, ut omnibus ad se vocatis, vitam daret credentibus, at illi maluerunt satanam audire. Et hoc est iudicium, quod lux venit in mundum, et homines maluerunt manere in tenebris etc.

Adhuc multa habeo.) Idem hoc fere cum superiori. Tempori servit: Nox erat, post coenam, in itinere, et res perturbatissimae. Quasi dicat: Non dicam iam plura, fessi estis et perturbati, ferre ergo non potestis, servabo quaedam spiritui dicenda etc.

Is docebit vos omnem veritatem.) Hoc est, certo vobis omnia commonstrabit, omnia vere docebit. Thesaurus animae veritas est, et cognitio dei: hanc pollicetur Christus suis, non opes, non gloriam: veritatis omnes pii cupidi sunt. Quaero hic a Papistis an fidem suam liberaverit Christus, nec ne? Certe dicent divinam veritatem non fefellisse suos. Misit ergo spiritum quem promiserat, idque die quinquagesimo a resurrectione sua. Quod si is spiritus omnem veritatem apostolis suggessit, quod inficiari (ut opinor) non possunt, quid exspectandum erit nobis a patribus aut conciliis? Spiritus sanctus est doctor veritatis: Omnis homo mendax est, et solus deus verax. Qui ergo veritatis cognitionem assequitur, per spiritum sanctum doctus est, huic solidam gloriam adscribat.

Non loquetur a semetipso.) Hoc est: Nihil extra deum ingeret, nihil praeter sententiam dei. More humano loquitur, qui enim veri sunt legati, nihil loquuntur quam quod principes eis mandant. Non faciet quemadmodum homines qui sese quaerunt, et suis affectibus obsequuntur. Nihil novi afferet, sed idem verbum, quod a me praedicatum est docebit, nam testimonium de me perhibebit. Christus homo verus est, spiritus vero purus deus, quomodo ergo Christus dicit spiri-

tum a se nihil loquuturum, sed accepturum de suo, quum tamen Christus suam doctrinam non a se esse dicat? Hic observanda est naturarum in Christo distinctio, et loquutionum formulae. Omnia anthropopathos et per ethologiam dicuntur. De meo accipiet, id est, accipiet ex eo fonte ex quo ego meam doctrinam hausi. Nam alias spiritus de suo accipit, et ex se loquitur, quum sit deus. Sed sermo ita formatur ac si spiritus sanctus esset minister qui mitteretur a patre. Dicitur autem utriusque spiritus et patris et filii: Patris, Matthaei decimo cap. Filii, ad Galatas 4. cap. Roma. 8. cap. Si iam concilia et patres ex se nihil, omnia vero sua ex doctrina patris et filii desumpserint, si nihil suis statutis et definitionibus quam gloriam dei et Christi aeterni regis quaesierint, facile credemus eos ex spiritu sancto sua dictasse, et in spiritu dei congregatos fuisse.

Glorificabit me.) Videtis me iam humilem afflictum et contemptum esse, spiritus vero me gloriosum reddet, clarum reddet me coram mundo. Deinde sermones meos, quos vobiscum sum loquutus, qui vobis hactenus obscuri fuerunt, et minus intellecti, expediet et claros reddet. In summa, cognitionem mei perfectam tradet.

Pusillum et non videbitis me.) Sic supra 14. cap. Loquitur autem de morte sua et resurrectione quae iamiam instabant. Sublatus enim fuit oculis eorum ad triduum, rursus per quadraginta integros dies apparuit eis post resurrectionem, quod paucum tempus dicitur. Non intelligunt discipuli, qui conveniat filium esse dei, et eundem mori. Filium esse dei ex factis iam deprehenderant, mori ergo ei indecorum putant. Hoc ergo saepe repetit, et inculcat eis Christus. Qua mortis suae recordatione eos terret ac moestos facit, sed resurrectionis mentione rursus consolatur. Quia vado ad patrem, puto esse prosapodosim, cur pusillum sint eum visuri, nempe quod per ascensionem iturus sit ad patrem. Potest nihilominus et pusillum hoc, quo eum visuri non erant, de morte eius intelligi, quoniam per mortem ibat ad patrem ad placandum eum. Tum autem gaudebat mundus, id est, omnes impii, qui putabant Christum extinctum.

Dixerunt ergo quidam: Quid est?) Quod inter se de verbis Christi interrogant, ostendit eorum imbecillitatem et ignorantiam, quae ubique se prodit, ut patet Marci 4. 8. 7. 9. cap. Lucae ult. cap.

Cognovit Iesus.) Divinitatem suam prodit in hoc quod cordium cogitationes novit: Bonitatem et solicitudinem pro suis, quod responso eos praevenit.

Mundus gaudebit.) Mundus pro impiis hominibus hic capitur, qui evangelium persequebantur, osores Christi, qui passo Christo actum de evangelio putabant, ut Psalmus 21. Omnes videntes me deriserunt me. Discipulos contra futuras calamitates animat, et consolatur. Pulchre autem hanc sub exemplo mulieris parturientis adumbrat. Vita haec praesens plena est periculis, plena miseriae. Pauci sunt qui se ad haec ferenda parent. Stultitia autem maxima est, scire certo quid ferendum, nec ferre velle. Quae ferenda omnino sunt, cur non ea cum gaudio ferimus? Mors certa est, hora incerta, nemo tamen est qui vigilet, nemo qui ad hanc accingatur, quam tamen effugere nemo hominum

potest. Quid vero facilem nobis et gratam facit mortem? Quod cogitemus quid sit mors, non quidem animae destructio, sed ab aerumnis liberatio. Quid ergo horremus quod maximam nobis utilitatem affert? Si quis meliorem mentem ac vitam promitteret, quam ea est quam hic vivimus, an non hunc obviis ulnis exciperemus? Mors dat quod nulla res mundi dare potest. Si dolorem causaris, cogita quod sine dolore ac labore nemo recte hic vivere potest. Nihil fit hic sine molestia. Mors ergo nihil habet, quod non etiam aliis rebus sit adiunctum. Quum duo contendunt et alter alterum laedit noctu, an non gratularis tibi te non adfuisse sed dormivisse? At somnus nihil est quam privatio humanorum actuum, quanto magis est mors bona et utilis quae nos omnibus huius saeculi malis liberat, nec hoc solum, sed et aeternis gaudiis inserit? Mala ergo quae hic ob Christum ferimus, infinita et ingentia bona nobis adducunt. Magnanimitas et constantia requiritur, ut non solum nos fortiter et infracto animo gravia quaeque feramus, sed ut alios quoque exhortemur et confortemus. Magna praemia non acquirantur sine magno labore.

Et gaudium hoc nemo tollet.) Gaudium scilicet quod post resurrectionem conceperunt, dum eos reviseret Christus, in conscientiis eorum firmum fuit, nulla persequutio excutere potuit. Sic gaudium quod pii in Christo habent perenne est.

In illo die non interrogabitis.) Die scilicet resurrectionis, non interrogabitis me, nam tum plane me videbitis.

Amen amen dico vobis.) Pollicetur idem quod superius cap. 14. et alibi. Promissionem saepe repetit, ut conscientias faciat certissimas. Quasi dicat: Etiamsi corpore a vobis abeo, apud patrem tamen omnia impetrare potestis, ac si coram praesens essem. In quo discimus corporalem absentiam Christi apostolis, nihil obfuisse, neque molestiae quidquam attulisse, sed eos non minus erectos in deum fuisse quam si praesens adfuisset. Nomen hic pro virtute et gratia ponitur. Christus est unicus mediator et reconciliator noster, per quem omnia impetramus apud deum. Bonitas quam exhibuit eis deus per Christum praesentem, sarcitur eis in deo.

Quaecunque.) Quae petimus iuxta eius voluntatem ex fide, non ex affectibus carnis. Nam preces moderari ad hanc conditionem debent: Fiat voluntas tua. Non solum docet nos quod omnia velit nobis dare, sed et hoc quod ea tantum dare velit, quae bona sunt.

Hactenus nihil petiistis.) Quandoquidem ego ipse aderam et omnia dabam, ut nihil opus esset. Aut nihil petiistis in nomine meo, sed in nomine Abrahae, Isaac et Iacob. Iam unus est mediator dei et hominum. Nec est aliud nomen sub coelo in quo salus detur hominibus, quam nomen meum.

Ut gaudium vestrum perfectum sit.) Gaudium est, quum quis re cupita ac optata fruitur, quum quis impetrat quod desiderat.

Et non dico quod rogaturus sim.) Ostendit Christus providentiam et curam dei pro suis. Quasi dicat: Non opus est ut ego more humano procidam coram patre, ipse pater sua sponte vos amat, idque ob hoc, quod in me credidistis, et mihi adhaesistis.

Exivi a patre.) Exire filii est carnem assumere. Hoc est quod Ioannes dicit: Omnis spiritus qui confitetur Christum in carnem venisse, ex deo est. Relinquere mundum, est carnem assumptam in coelos subducere, nam iuxta divinam naturam Christus non relinquit mundum, sine quo constare non posset.

Nunc creditis.) Quasi dicat: Iactatis quidem fidem aliquam. At mox declarabitis, quam sitis constantes in fide, cum me solo relicto aufugietis. Docemur nihil viribus nostris fidere, sed ab ipso toti pendere. Rebus salvis omnes Christiani sumus, at ingruentibus malis pauci cum Christo manent.

In mundo pressuram.) Semper praedicit discipulis suis mala futura, ut forti et intrepido animo constent, ne concidant, sed sciant omnia in manu Christi esse.

CAPUT XVII.

Hoc capite Christus docet, hactenus se cum suis fuisse, curamque illorum gessisse, nec perdidisse quenquam praeter Iudam proditorem. Nunc vero quum sibi sit abeundum, patri suo eos tutandos committit. Antithesis autem est ad corporalem eius praesentiam.

Sublevatis oculis.) Qualiter sit orandum docet Christus his verbis, nec hoc solum, sed quis orandus sit, et quo ardore mentis, et corporis habitu. Sic David: Ad te levavi oculos meos qui habitas in coelis, et alibi: Levavi oculos meos in montes etc. Ostendit interim quo nobis in tentationibus confugiendum.

Venit hora.) Morti scilicet meae destinata. Volens enim mortuus est Christus, non coacte aut invite.

Pater glorifica.) Quomodo Christus per mortem sit glorificatus, Paulus apertissime describit Philip. 2. Et haec glorificatio de humana natura in Christo intelligenda est, haec enim hactenus contemptui habita, mox post mortem glorificatur. Et haec humanitatis Christi glorificatio in gloriam dei cessit. Quod Christus apostolis suis praescripsit, ut in orando primum gloriam dei quaererent, dicendo: Sanctificetur nomen tuum, veniat regnum tuum, hoc ipse facto iam praestat in oratione sua, quum dicit: Pater glorifica etc. Glorificatus autem est pater per mortem filii, quum granum frumenti mortificatum fructum multum per universum orbem attulit. Cognitio enim dei per apostolos toti orbi innotuit, quum prius in Iudaea tantum notus esset deus. Discamus et nostra morte deum glorificari. Hoc animat et erigit in tentationibus et afflictionibus, quae ob Christum sunt ferendae.

Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis.) In prima legatione ad Iudaeos tantum facta est praedicatio evangelii. Post resurrectionem iussi sunt apostoli ire per universum orbem, et praedicare evangelium etiam gentibus adeoque omni creaturae, ut sit Christus lux gentium, et salus dei usque ad extrema terrae. Omnis caro, est totum genus humanum. Venit enim Christus ut salvet omnes, ut det omnibus vitam aeternam.

Haec est autem vita aeterna.) Hoc est, hinc consequuntur

homines vitam aeternam. Cognoscere est credere. Quo magis deum cognoscimus in Christo, hoc magis vivimus.

Ego te glorificavi.) Obediens fui tibi o pater, ego executus sum voluntatem tuam, et munus quod mihi iniunxisti, sic supra 4. et 14. In hoc ergo deus glorificatur a nobis, si voluntati eius obtemperaverimus: supra 15. Et tu glorifica me. Hic loquitur de glorificatione humanae et assumptae naturae, quae per mortem, resurrectionem, et ascensionem glorificata est in Christo. Nam quatenus deus est, hanc gloriam ab aeterno habuit, vel quam ab aeterno habui, id est quae mihi homini ab aeterno praeordinata et destinata est.

Manifestavi nomen tuum.) Latius explicat quomodo glorificaverit patrem, his quos mihi dedisti, his manifestavi nomen tuum, de apostolis praecipue loquitur, deinde de omnibus fidelibus. Electione et praedestinatione salvi sumus, credere autem et non credere signa sunt eorum, qui vel servantur vel damnantur.

Quia verba quae dedisti mihi dedi eis.) Reddit causam, quare cognoverint eum esse verum deum, propter verba scilicet quae dederat eis ex deo quibus crediderant iudicarunt ea esse divina non humana. Ex verbo ergo dei cognitio dei discenda. Ipsi acceperunt a me verbum, crediderunt, tenuerunt, quod ego scilicet a te exiverim, et missus a te fuerim, ut supra 6. et 16. cap. Et cognoverunt vere, id est inconcusse, firmiter.

Exivi a patre.) Exire filius dei dicitur, quum naturam nostram assumit, et loquitur ethologice. Imitatur enim morem eorum qui aliquo abeunt, perfectis rebus iterum redeunt. Nam alioqui deus a se ipso non exit, nec movetur de loco in locum. Pugnat hoc caput fortissime contra eos qui Christum corporaliter adesse in coena contendunt, nam in toto hoc capite aliud nihil agit, quam ostendere, quid porro futurum sit discipulis, quum ipse corpore ab eis abierit.

Ego pro eis rogo.) Supra dixerat, se non rogaturum patrem pro eis, sed loquutionem fuisse hyperbolicam supra ostendimus. Iam pro eis orat adhuc in mundo constitutus, et abiens patri eos commendat. Quasi diceret: Nunc quia eos relinquo, corpore ab eis abiens, commendo eos tuae bonitati conservandos.

Non pro mundo rogo.) Mundus in scripturis varie accipitur, hic pro mundo de quo 1. Ioannis 2. Mundus sunt, qui vitiis sunt immersi, et verbo dei contumaciter repugnant. Nam alioqui Christus est propitiatio per totius mundi peccatis, et pater dilexit ita mundum, ut unigenitum suum daret pro eo, ut mundus servetur per eum. Sic 2. Cor. 5. Deus erat in Christo reconcilians sibi mundum.

Et iam non sum in mundo.) Loquutio est Hebraica, praesens pro futuro. Et valet tantum ac si diceret: Iamiam, vel posthac, non ero in mundo. Causam reddit cur tam sollicite pro eis oret, nempe quod iam sit abiturus, nec ultra cum eis corporaliter victurus in mundo.

Ut sint unum.) Hoc praecipue orat C'ristus, ut sui concordes sint et unanimes, quod sine spiritu divino non fit. Quibus ergo deus spiritum suum dederit, ut sint unanimes, illi tuti erunt ab improborum incursionibus. Hoc vero magnopere observandum, quod per antithesim

hîc saepius dicit. Quum ego essem cum eis, ego servabam eos in unitate: nunc vero ad te venio, abeo ab eis: ergo corporaliter non est praesens. Ostendit enim se hactenus cum eis fuisse, nunc non amplius futurum esse. Quae verba de divinitate eius intelligi nulla ratione possunt, quum sit nobiscum usque ad saeculi consummationem, oportet ergo ut intelligantur de humanitate eius. Commendo ergo eos tibi o pater, ut tu eos defendas posthac, quum ego non fuero cum eis corporaliter.

Ego tradidi eis sermonem tuum.) Causas subinde subnectit quare tutela et defensione patris opus habeant. Ego enim dedi eis, inquit, verbum tuum quod a te accepi, quod ipsi a me acceperunt, et per hoc mundum deserverunt, transfugae ex castris satanae ad me defecerunt, aliosque per verbum, quod praedicabunt, e mundi regno ad te ducent: odit ergo eos mundus, persequitur eos mundus, et variis modis eis insidiatur: egent ergo tuo praesidio, nam propter te omnibus exosi sunt. Rogo ergo non ut tollas eos omnino ex mundo, sed serves eos, ne tentationibus succumbant, serves eos a malo. Sic etiam docuit orare: Libera nos a malo.

Sanctifica eos per veritatem.) Sanctificare, est a prophano usu ad dei cultum aliquid seligere. Tu o pater, sic eos servabis ab omni malo et mundi contagio, dum eos per verbum et veritatem tuam sanctificaveris, ut sint puri et tibi dedicati. Non quidem externa aliqua aut legali sanctificatione, sed per spiritum tuum. Sic Christus pro discipulis suis orat patrem, ipsis audientibus, ut videant caritatem eius erga eos, et ut ipsi discant constanter ferre persequutiones et odia mundi. Per veritatem, id est vere: vel per doctrinam veritatis ut mox subiicit: Sermo tuus veritas est. Quasi diceret: Per veritatem intelligo sermonem tuum. Verbo ergo dei ac veritate sanctificantur fideles, et confortantur contra imminentes persequutiones, purgantur ab impuritatibus mundi.

Ego sanctifico me.) Idem verbum refricat sed alio sensu. Ego me sanctifico, id est sacrifico, immolo, pro eis in cruce scilicet. In veritate, id est vere. Et alludit pulchre ad sacrificia legalia, quae carnis, id est exteriorem quandam sanctificationem habebant. Sic Paulus dicit Christum nostram esse sanctificationem. Sumus enim sanguine Christi purificati et sanctificati.

Non pro eis tantum.) Supra precatus erat pro apostolis, hic iam pro omnibus credentibus orat, qui per praedicationem apostolorum convertendi erant ad fidem unius dei. Et petit ut unum sint, id est concordes unanimes, in caritate fraterna uniti et compacti, sanctificati, expurgati, et mundati, ab omni contagio mundi.

Et gloriam meam.) Non solum munus praedicandi eis commendavi, sed insuper etiam gloriam meam, id est virtutem in aedendis miraculis, ut Marci ultimo.

Et dilexisti eos.) Non secus diligit pater fideles ac filium suum, Eph. 1. Sed haec intelligenda sunt per comparationem, non per aequiparationem.

Ubi ego sum.) Magna admodum pollicetur Christus credentibus:

Ubi ego sum, id est ubi statim futurus ero, dum coelos conscendero. Quantum vero hoc praemium, semper cum Christo esse, 1. Thes. 4. et supra 14. Quum pater eos commendasset, ut tuti essent in hac vita, iam ostendit ubi futuri sint post hanc vitam. Quid non ferremus pro tam immensa gloria? Advertant hic, qui Christum corporaliter in panem includunt, aut humanam naturam immensam et infinitam faciunt, quomodo eorum opinio constare possit, aut quid ex ea absurdi sequatur. Non possunt dicere demonstrativum Ego, de divina natura intelligendum esse, quia iuxta divinam naturam ubique est Christus, sequeretur ergo et nos ubique futuros. Si vero de humana natura exponunt illud Ego, ut certe exponi debet, vanum erit quod Christi corpus sit in pane, nisi quis asserat et nos credentes esse in pane.

Ut dilectio sit in eis.) Non solum notitiam nominis dei dat Christus suis, sed etiam dilectionem, ut et illa sit in eis. Ex notitia et cognitione dei, oritur et nostri cognitio, ut homo discat se ipsum cognoscere et cognitum se damnare, et aliam vitam inchoare. Quum ergo videamus caritatem in omnibus refriguisse, regnare luxum et avaritiam, dolum, fraudem, mendacia et omnem impietatem, quis credet nos dei cognitionem recte deprehendisse? Nihil ergo est quod iactemus nomen et titulum, nisi dilectione et innocentia testemur nos deum recte cognovisse. In hoc enim, inquit Christus, omnes cognoscent quod discipuli mei estis, si dilectionem mutuam inter vos habueritis.

Ego in eis.) Ut caput in corpore et membris, ut vitis in palmitibus. Vivo ego, inquit Paulus, iam non ego, sed in me Christus. Deus caritas est, et qui manet in caritate, in deo manet, et deus in eo.



3 2044 038 378 329

ZWINGLI, Ulrich
Werke.

608.2
Z98.1
1828
v. 6
pt. 1
cop. 1